




Fabbricii
Prælection
Theologicæ







XXXIV
FABRIC

Viro Clarissimo,
ANTONIO MAGLIABECHIO,
Sereniss. Magni Hetrur. Ducis
Bibliothecario
et Doctorum facilè principi,
fautori suo insigni
cum sal. plur.
hunc qualemcunque librum transmittit
EDITOR.

JOANNIS FABRICII,
S. Theol. in Vniversitate Altorfina quondam Prof. Publ. & Ecclesiæ Ministri, postea apud Norimbergenses Pastoris ad D. Mariæ,

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

Quibus quasi integrum Theologiæ Systema continetur.

Opus à multis non Studiosis modò, sed Viris etiam doctis descriptum hactenus, à pluribus expetitum;

Nunc verò tandem non sine cura & studio editum

A

JOANNE FABRICIO J.F.
S. Theol. Prof. Publ.



ALTORFI
Excudit Joannes Henricus Schönnerstædt
A.C. MDCLXXXI.
Prostat Norimbergæ apud Balthas. Joach. Endterum.

Theodoretus Dial. I. quem Eraniſten ſive Polymorphum inſcribit:

Ἀξιῶ δὲ τοὺς ἐντευξομένους, πάσης προλήψεως δίχα ποιήσασθαι τῆς ἀληθείας τὴν βάσανον. i. e.

Peto autem à Lectoribus, ut ſine anteceptis opinionibus veritatem accuratè examinent.



SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQVE

DOMINÆ,

DN. SOPHIÆ AMALIÆ,

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum
& Gothorum Reginæ &c.
Viduæ,

Concionatori Aulico,

VIRO

Pl. Reverendo & Excellentissimo,


DN. SEVERINO WALTHERO SLVTERO

JO. FABRICIVS

Salutem ac Felicitatem!



QVoties tui recordor (recordor autem quotidiè, quum quotidiè oculis meis se offerat vivissima tui imago, frater tuus junior, qui incredibili diligentia studiis incumbit, & elegantissimis præditus est mo-

ribus, ut ovum ovo non ſit tàm ſimile quàm ille tibi) toties mirificam animus meus voluptatem perſentit, ac videor mihi iterum frui beato illo tempore, quod ante hos XI. annos cum reliquis ſuaviſſimis comitibus primùm Bavariæ, inde Sueviæ, mox Palatinatui inferiori, omnique qui ad Rhenum eſt tractui, tum Belgio, denique Friſiæ, & quæ inde Hamburgum usq; ſeſe exporrigit, regioni viſendæ impendimus. Vbi omnium ſemper una erat mens, una voluntas, gaudia & incommoda ex æquo diviſa: quaſi fratres eſſemus, quos non minùs, ac conjuges, bonorum malorumq; ſocios eſſe decet. Neq; verò illa animorum noſtrorum conjunctio divulſa fuit, quando mox Superi in Academia Roſtochienſi ſedem tibi adſignarunt, me in auſtralem regionem, quæ Europæ hortus jure meritoq; appellatur, ire juſſo; & poſtea, mutatis quaſi ſcena & ſchemate, tibi in urbe & aula Regia Eccleſiaſticum, mihi verò in oppido (quod tamen ab Academia ſive Muſarum domicilio ſplendorem accipit, mihique dulcis eſt patria) Academicum officium impoſuere: quin quò magis corpore disjuncti fuimus, ſumusq; etiam nunc, eò ardentiùs conſervandæ amicitiæ ſtuduimus. Tu quidem illius non unum mihi exhibuiſti monumentum; mihi autem, ut ſpecimen

men



men aliquod ederem, optare magis quàm assequi hactenus licuit. Vsque dum meâ operâ tandem prodirent B. Parentis mei *Prælectiones Publicæ*, quas multis, maximè verò communi Præceptori nostro, meoque nunc antecessori, Cl. DÜRRIO, in magno pretio habitas, & subinde ad manus fuisse, probè nosti. Eas itaque tibi offero celeberrimoque nomini tuo inscribo, rogans, ut hoc sinceri affectus perpetuæq; amicitiæ pignus certissimum æqui boniq; consulere, mihiq; porrò favere velis. DEVS ter Opt. Max. qui ad sublimem adeò stationem te vocavit, & dotibus ornavit præstantissimis, diu te servet & laboribus tuis ex alto benedicat, quò famæ celebritatem, ut cœpisti, latè dispergas, salvesq; te ipse, & eos, qui te audiunt. Ita vale. Scrib. AltorfI prid. Kal. Septembr. A. C. cIↃ IↃc LXXXI.





PRÆFATIO.

Benevole Lector,

HAbes hic tandem *B. Parentis mei* Prælectiones Theologicas, quibus integrũ quasi Locorum Theologicorum Systema exhibetur. *Nam ferè non alius deest, quàm is de IV. Novißimis: quanquam quæ illuc spectant materiæ nonnullæ, sparsim in hoc libro tractatas reperies. Et sine jactantia quidem in frontispicio libri posui:* Opus hoc à multis non Studiosis modò, sed Viris etiam doctis descriptum hactenus esse, atq; à pluribus expetitum. *Possem quippe, si opus foret, nominare plurimos, qui describendo manũ adhibuerunt, sed sufficiat meminisse unius* DN. D. GEORGII KÖNIGII, *Collegæ Parentis mei, ac Prof. tũ Primarii, qui partim ipse Prælectiones istas descripsit, partim ab aliis describi sibi curavit, & quàm reverenter de iis senserit, hisce verbis, quæ exemplari Schvvägeriano sub finem Loci de Pœnitentia appinxit, testatus est:* Vel ob hunc unum Locum tam nervosè & fundamentaliter traditum, cedat Autori in præmium vitæ æternæ donum! *Quid jam dicam de illis, qui ut Auctor opus ederet anxiè desiderarunt? Eorum certè magnus sem-*

per

per fuit numerus: quibus tantum abeſt, ut ille fuerit contrarius, ut potiùs obſecundandi pium habuerit propoſitum, dummodò à laboribus Eccleſiaſticis tantum temporis ſuppetiiſſet, quantum ad expoliendam hanc operã requiri videbatur. Quum verò hoc ei conceſſum non fuerit, haud oportet mirari, ſi quædam fortè repereris minùs limata minusq́; polita. Quare humanũ te præſta, & ſi quæ tibi non usq; adeò probantur, cogita, eum correcturum fuiſſe multa, ſi ipſe editionem libri aggreſſus eſſet, neq; adeò rigidum fuiſſe aut ſuperbum unquam, ut ſuas ſententias aliis obtruderet, nec meliùs, quàm dictum fuit, dici à ſe potuiſſe, crederet: quin tibi affirmo ego atq; proteſtor, nunquam illi aliam de fœtibus ingenii ſui, atq; adeò etiam de iſthoc, fuiſſe ſententiam, quàm quæ moderatiſsimo Philippo Melanchthoni de Locis ſuis Theologicis, quibus ita præfatur: Agnoſco ipſe meorũ ſcriptorum maciem & ſqualorem. Quanquam igitur propriè & planè loqui ſtudeo, tamen fieri poteſt, præſertim in tanta mole rerum, & in tanta brevitate, ut interdum aliquid dictum ſit obſcuriùs, aut parum commodè. Ideò non defugio judicia Eccleſiarum noſtrarum. Nam has cenſeo verè eſſe Dei Eccleſiam, & vera animi pietate eas veneror, nec me ab eis ſejungam, meaq; dicta, ſcripta & facta earum judicio permitto. *Ego verò Prælectio-*

lectiones istas, quales reperi, in lucem protraxi, non modò ut illorum, quorum nutus mihi pro imperio est, aliorumq; desiderio facerem satis, verùm etiam, ut studiosa juventus, quæ sacris Musis operatur, haberet, in quo artem disputandi publicè exerceret: Inde enim XXIII. confeci Disputationes, easq; partim habui, partim, Deo volente, sum habiturus. Cæterùm annisus sum, ut liber quàm correctissimè prodiret; atq; ut res, quæ in singulis Locis tractantur, facili negotio inveniri possent, Marginalia *adjeci, &* duplicem Indicem, *quorum alter dicta Scripturæ passim explicata exhibet, alter res notabiliores: ut de* Indice Locorum & Catalogo Respondentium, *quorum diligentia perpetuam utiq; memoriam promeretur, nihil dicam. Deniq; ut nosses, quis & qualis fuerit Auctor, Memoriam ejus à* DÜRRIO, *Viro omnibus bonis atq; eruditis laudato semperq; laudando, scriptam præmittere placuit.* Testimonia Veterum *aliquibus Locis subjuncta vides, non omnibus, quia tantùm ad spatium folii supplendum facere debebant: neq; illa ab Auctore, sed à me fuerunt collecta. Jam si quicquid hujus est instituti tibi,* LECTOR, *ullo modo probabitur, utiléve futurum est, ingens laboris mei pretium retulisse mihi videbor. Vale, & studiis Academicis juxta mecum benè precare.*

MEMO-

MEMORIA JOHANNIS FABRICII,

Ecclesiæ Norimbergensis Antistitis & quondam Professoris Theologi Altdorffini,

Medios inter labores sacros eosq; publicos placidè & beatè defuncti

d. 26. Apr. A. C. cIↄ Iↄc LXXVI.

Leniendis piorum desideriis

Et defigendæ animis pietati & eruditioni ejusdem Domi forisque celebratæ

Servata

à

JOHANNE CONRADO DÜRRIO,

S. Theol. & Philos. Mor. Prof. Publ.



I susceptum præsens consilium ex animo ejus Viri, cujus eximiam pietatem & alias sive à natura concessas sive industria acquisitas dotes in brevi tabella expressas in conspectum producere fert animus, esset æstimandum; næ metuendum mihi omninò foret, ut vel cogitatio modestiæ ipsi familiaris primum procurrentis calami gradum interciperet, & lectorem fructu, qui ex contemplatione ista redundare poterat, privarem. Atq; ut ab illa tàm amabili, tàm gravi & præ aliis singulariter ex ipso resplendescente virtute difficulter impetrare potuissemus luculentam & copiosam nominis, conscientia rerum piè & feliciter gestarum se involventis, commemorationem: ita citra injuriam beatorum manium fore confidimus, si nudo ac simplici orationis genere, tali scilicet, qualis ipsi natura dictaverat, & quali per omnem ætatem est delectatus, eam morum suavitatem, eam vitæ integritatem, eam

ſacræ eruditionis ſupellectilem deſcripſerimus, quæ lecturis aliis deſiderium, exemplum aliis ſit relictura. Enimverò intereſt etiam Chriſtianæ gentis, illiusq; è puriore metallo conflatæ, etiam atque etiam repetere, eoque penitiùs intimis animi medullis defigere Virorum ſalutis Eccleſiaſticæ cordatè ſatagentium memoriam, quò arctiorem ad numerum rediguntur, qui abeuntem ſenſim ſinceram pietatem & ſolidam eruditionem è fuga retrahere paribus tàm arduo negocio viribus adnituntur.

Noſtrum autem JOHANNEM FABRICIVM (neque enim diutiùs intra privati affectus carceres coërceri ſe patitur tàm ſuavis, tàm venerabilis nominis recordatio) ſi quis ab iſta laudabili & in ſpem ſuperfuturæ, ad ſuſtentandam utcunque ruituri mox orbis machinam, poſteritatis divino beneficio relictâ catervâ ſegregem velit facere, illum aut nomen ipſum fugere, aut ſeveræ pietatis ac rectæ eruditionis ignorantia laborare neceſſe eſt. Quorum prius ſicut nec diffuſa per Eccleſiam Noribergenſem à multis annis inſignia merita, nec diſſipata per Germaniam non tantùm, ſed exteras etiam terras fama jamdudum prohibuit; ita ne alterum vel injuriam Eccleſiæ vel ingrati animi notam nobis inurat, nunc quidem pro virili curabimus.

Evolvamus igitur primùm ſeriem fatorum, in pietatem ac eruditionem, & hinc natam bonorum, quos dotium in FABRICIO extantium arbitros eſſe fas eſt, benevolentiam cum recto judicio conjunctam conſpirantium, & (ſi id etiam cum pace faſcini adjicere fas eſt) vel hoc luculento exemplo oſtendentium, placere ſibi in dilectâ Deo O. M., & tot beneficiis Divorum Imperatorum in ſublime elatâ, Noribergâ, nec tantùm Procerum graviſſimorum prudentiâ cum Civium modeſtorum obſequiis certante, ſed Theologorum etiam vivido ardore, pii populi religionem incitante, Remp. ſalvam & florentem conſervare. Aſſumſit quippe illa jam ab annorum non unâ centuriâ in partem elogii ſui, per orbis Europæi ora incedentis, famam religionis, ſi non ſemper ab omni labe repurgatæ, ſaltem ſincero animo & bonâ fide exercitæ, & benigni Numinis favorem in cultores ſuos derivan-

rivantis. Certè è veterum annalium documentis compertum habemus, ingenuos cives, & soli sui, nec ad luxum naturæ beneficio aptati, nec ad fastum & ostentationem Majorum moribus effecti, indolem referentes, ad illucescentem primùm Christianæ doctrinæ fulgorem, velut ad conspectum benigni sideris, oculos sustulisse, pòst ubi ejus serenitatem nubibus intercipi animadvertissent, inter primos fuisse, qui glaucomata sibi objecta quantocyùs absterserint, & ad puriorem Evangelii Solem adspiraverint. Diverterat per iter ad Concilium Constantiense susceptum, malè sibi eveniens, Johannes Hufs ad Noribergenses, de rebus sacris sermonem cum quovis hominum, curâ ista occupatorum, ordine commutaturus. Ille verò actutum expertus est, memores à se moneri, eorumque dogmatum veritatem jam pervagatam esse illorum animos, quorum causa vastam invidiæ sarcinam in cervicem suam rejecerat, & jam ligna comportari pyræ, in exitium suum extruendæ, animo præsagierat. Imo verò quiescente HufsI copiosâ & luculentâ oratione: *Magister*, infiunt, *ista, quæ à te accepimus, catholicæ veritatis regulæ apprimè sunt conformia, nec à te primo nunc quidem audivimus, quin eadem à multis annis apud nos tradita & credita animis hærent.* Jam ubi anseri isti, in cineres redacto, promissus vaticinio olor, Hussiaci funeris cordatus & disertus cantator, succedens, redintegratâ operâ laboranti sub superstitionis & idololatriæ mole orbi Christiano cantilenam paulò altiùs repetitam surrogaret, inque partem tàm arduæ & gloriosæ curæ Noribergam etiam vocaret, deprehendit prius tàm sanctâ operâ defunctos esse cives religiosos, quàm ipse succenturiatum auxilium apportasset. Anteverterant quippe eum juxta cum prudentissimo, & gloriæ divinæ salutique suorũ civili pariter & cœlesti intentissimo Senatu Theologi divinæ veritatis amore flagrantissimi, THEODORICVS, OSIANDER, LINCKIVS, SCHLEVPNERVS, alii: quorũ pium & amicabilé consensũ cùm præsens intelligeret, in epistola quadam ad amicum prædicare non dubitavit Phil. Melanchthon. Cùm interea illi poscente per vices sive mortalitatis sive alio fa-

torum ordine ſcenâ decederent, ſurrogatus eſt juxta cum aliis JOHANNES FABRICIVS: cujus induſtria & ſacri labores pro retinendâ, quæ magno ſumtuum ac periculorum pretio redemta fuerat, evangelicæ veritatis puritate, velut Palladio cœlitùs delapſo, quàm ſe divino Numini probaverint, vel ex ea felicitate cognoſcimus, quòd poſteri ejus in ipſum usque ſeſquiſeculum ſerie non interrupta, eâque ad noſtrum JOHANNEM extenſâ, Senatum Populumque Noribergenſem diſerti oris & eruditi calami diligentia in ea veritatis conſtantia retinuerunt, quam traditam ſibi per Majorum manus jure velut hereditario acceperant. Sic igitur Noſter pietatis & eruditionis FABRICIANÆ facem primus Noribergæ non intulit, ſed illatam à Majoribus acriori lumine, ut decebat Nepotem tàm clarâ familiâ dignum, intendit, & ut genus à Majoribus ſuis cœptum, in ſe non deſineret, ſummâ ope cavit. Eſt verò ea hodiè inſidiantium alienæ exiſtimationi aſtutia, ut non tantùm illuſtri loco natorum obvias hallucinationes in obtrectationis materiam rapiat, ſed piaculi etiam loco habeat, niſi ſacrorum Antiſtitum liberi more Levitarum, à reliquo Iſraëlitarum cœtu certis divinæ legis ſtatutis ſeparatorum, ſua ſibi quaſi peculiaria ſacra, inque admirationem toti Chriſtianorum catervæ propoſita, faciant, & ipſius Salvatoris noſtri innocentiſſimi, longeque ſemoti à conſortio peccatorum, vitam examuſſim repræſentent. Quo judicii rigore apud conſternatas mentes id evenire haud raro videmus, ut nimis verè pronunciatum ſit à S. Ambroſio in Officiis: *In Eccleſiaſtico officio nihil rarius invenias, quàm eum, qui ſequatur inſtitutum patris: vel quia graves deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior eſt abſtinentia: vel quia alacri adoleſcentiæ vita videtur obſcurior; & ideò ad ea convertuntur ſtudia, quæ plauſibiliora videntur.* Enimverò FABRICIVS religioni habuit, calentem Majorum ſuorum flammâ ſpiritum premere, &, dum fugeret labores atque acerbitates, quarum legibus venerabile iſtud munus circumſcriptum eſſe voluit ſanctiſſima Dei voluntas, viam ſibi intercludere ad obtinenda præmia, divinâ promiſſione iis deſtinata, qui juſtitiæ ſemi-

tam

tam contendentibus ad cœlestis regni palatia bona fide commonstrare solent. Ergò obversantibus animo jucundis & è sacerdotali toga coruscantibus Majorum imaginibus, simul urgentibus Patris hortatibus, Dei, &, cujus hunc interpretem sæpè experimur, naturæ dictis audientem se & facilem præbuit. Suggerebant se insimul divina velut virgula designati dexterrimi juventutis artifices LEMMERMANNVS & BVRCKHARDVS, hisque ipsis dubiam palmam faciens JOHANNES GRAVIUS, primus Gymnasii Noribergensis Rector, & primum in primo discipulo FABRICIO nostro tàm grande dexteritatis suæ specimen exhibens, quale & Ecclesia & Academia Noriberg. in suum usum cessisse, hodieque utraque grata meminit, & ipse superstes alacri mente haud rarò celebravit. Cæterùm dum inter singultientis pietatis officia dulce nomen GRAVII, communis mihi Præceptoris, nomen subit, attollendus mihi nonnihil est calamus, mœrore hactenus fractus, ad repetendam Viri non tantùm admirandam in fingendis quorumvis juvenum ingeniis & moribus prudentiam, sed etiam divinitùs submissam laboribus indefessis felicitatem. Deum immortalem! Quæ virtus surgebat animo? quæ pietas toto exspirabat vultu? quæ exhalabat ex ore docentis, hortantis, monentis, non etiam nunquam increpantis, gravitas? qua sedulitate linguam Græcam insinuabat blandiens Præceptor? quâ facilitate nos discipuli capiebamus præmansas cupedias? quàm leniter stillabant è poëtico ejus Hymetto favi? quàm argutè sonabant numeri Periclei? quàm fideliter suppeditabat historiarum præludia? quàm solerter parabat teneras adolescentum mentes ad recipienda paulatim ardua Philosophorum dogmata? Ipse FABRICIVS, quasi recens è ludo GRAVII sui exiisset, plenus monitis, plenus præceptis, plenus elogiis veteris magistri, plenus facundo Musarum spiritu, ita post fata Virum decantavit:

Doctrinæ ille fuit viva & Pietatis imago,
Nimirùm hoc ejus lemmata crebra docent.

Vos ego malo pios, quàm doctos esse, sonabat,
Damno doctrina est. quæ pietate caret.
Esto pius saltem, si non potes esse peritus:
Sic docti atq; pii nomen habere potes.
Insuper & studio sibi credita pectora tanto
Curavit, quisquam ut vix meliore foret.

O dignum tanto Præceptore Discipulum! dignum, in cujus laudes omnes Musarum & Gratiarum Lubentiæ concinant! ô dignum tanto Discipulo Præceptorem! dignum, cui si superare & vescier aurâ æthereâ liceret, cum Socrate victus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur! O dignum utrumque, qui in conspectu SS. Trinitatis, in beatorum cœlitum consortio, inter mutuos complexus, non jam docens alius alium, sed divinitùs uterque doctus, inexhaustæ illius non Philosophiæ sed Sapientiæ, non rimandæ sed totâ amystide hauriendæ omnem, quâ frui datum est, æternitatem impendat. Sed nobis devocandus denuò ex sidereis, quas jam ter beatus occupat, sedibus est FABRICIVS noster. Is cùm in annum usque quartum Gravii sui magisterio iis artibus, quibus ingenia ad altiorum studiorum cultum excitantur, animum perpoliendum submisisset, simul interea aliquot Declamationum exercitiis & Patronorum benevolentiam & æmulorum favorem in se derivasset; firmatus consilio & autoritate decrepiti, inque annum ætatis septuagesimum quintum inclinantis Patris, patentiori Academiæ campo studia sua lætiore fruge permaturescentia committere statuit. His scilicet auxiliis ac defensoribus istis res Academica eget: istorum προπαιδευμάτων καὶ προτύπων, ut prisci Sapientes loquebantur, Philosophiæ & graviorum disciplinarum auspiciis munitus qui fores Musarum Academicarum pulsaverit, is haud paulò magis hilaris & immortalis gloriæ adorea mactus dimittetur hospes, quàm primùm admissus fuit serena & ad augurium solidæ doctrinæ exporrecta fronte: sicut contrà, qui scæva & eruditionis proletariæ induta mente sacrorum istorum mysteriorum periculum facere ausus fuerit, is castarum & gravium illarum matro-

narum odiis exponetur, & arcebitur vel ab ipſo Xenocrate, qui, cùm manus ſibi prenſaretur ab homine diſciplinam ſuam ambiente, ſed eo ἀπαιδεύτῳ, indignabundus eum repellens: *Abi*, inquit, *nondum enim anſas ſcientiarum aſſecutus es.* Aliorum omnium conſcius ſibi FABRICIVS, aſſumtâ rectiorum ſtudiorum fiduciâ, primam Academicorum laborum matrem & magiſtram delegit Illuſtrem Jenam, cùm à ſævientis Martis furiis patriam Altdorffinam primùm ſalutare prohiberetur. Ibi verò in ſui amorem & æſtimationem erexit ingenio ſuo acuto & ſubtili congeneres Philoſophos, STAHLIVM, SLEVOGTVM, DILHERRVM, ZEISOLDVM, aliosque, quibus iſto tempore famam è ſeculo in æternitatem duraturam ſibi excitavit iſta Vniverſitas. Injuriam probitati & induſtriæ FABRICIANÆ fecerimus, ſi alium animum requiſiverimus Jenæ, quàm ipſe in paternæ pietatis & ſeveræ diſciplinæ hoſpitio induerat. Verſatur ſanè in manibus noſtris tale non diligentiæ tantùm ſed etiam amuſſitati judicii ſpecimen *de Gradibus Neceſſitatis*, quod nomen in ſcholis Philoſophorum iſti doctrinæ eſt inditum, & celebratæ ἀγχινοίας Philoſopho DANIELI STAHLIO approbatum, ejusque, quod in Academiis appellamus, præſidio defenſum: quod, cùm ipſe medius inter adoleſcentiam & juventutem adornaſſet, dignum & labore & lectione Virorum ipſi Viri cenſebant. Tàm brevi tempore cùm & ſpei paternæ menſuram ſuperaret, & acriorem ſui conſpectus ſitim domi accenderet, piaculum duxit Aſcanius, pii Æneæ deſiderium longiùs protrahere: præſertim cùm eam gloriam manticâ conditam afferret, quam è tergo in pectus rejicere, atque ipſius etiam Senis, gaudio æſtuantis, effœtis oculis & avidis amplexibus obvertere poſſet. Interviſere ſubinde placuit illuſtres Academias, Lipſienſem & Wittebergenſem, HöPFNERI, LANGII, CARPZOVII, RöBERI, MARTINI, LYSERI, aliorumque inſignium Virorum famam per orbem Chriſtianum circumferentes; è re & inſtituto ſuo fore ratus, ut, ſi non cum Vlyſſe Homerico multas urbes luſtraret, ſaltem eruditorum ingenia & mores explorare, & in uſum ſibi &

Ecclesiæ salutarem convertere posset. Conquiescentibus verò sub istud tempus nonnihil tempestatibus bellicis, ocium Academicum, quod benigna fata Altdorffinæ nostræ interim indulserant, ipse quoque sibi & studiis à patria minùs remotis vindicare, adjutus paternis monitis, duxit. Tùm verò retexere instituit cœptam Philosophici studii telam sub auspiciis Virorum Excellentissimorum, sapientiæ studia autoritate & sedulitate sua isthoc tempore sustinentium. Hi currentem in tàm laudabili stadio incitabant, ac inter eos BRVNO & NöSSLERVS publici præsidii operam defendenti alacriter & disertè primùm *Ternionem Problematum Ethicorum*, deinde Disputationem *de Analogia Microcosmi & Macrocosmi*, commodabant: cui posteriori honori magnam accessionem addebat Magnificus Vniversitatis eo tempore Procancellarius, GEORGIVS RICHTERVS, qui non tantùm sua præsentia sed etiam propositis in medium argumentis publicè testari non dubitavit, quanti faceret juveniles FABRICII conatus jamtùm (ut erat scrutator ingeniorum solertissimus) in ista vernante ætate opulentam frugum maturitatem parturientes. Nec omittebant soliciti de salute FABRICII Præceptores, discipuli sui diligentiam primùm Baccalaureatus, dein Magisterii honore in publica orchestra ornatam spectantium audientiumque oculis & auribus subjicere, dein interposito hoc velut pignore, à seculari ad *recondita & sacra*, quam veteris Ecclesiæ Doctores vocabant, *Philosophiæ* adyta eum dimittere. Ipse verò pro ea, qua per Genii benignitatẽ frui datum fuit, modestiâ honorẽ prudentum judicio prius oblatum quàm appeteret, ita gessit, ut more cordati istius Laconis ostenderet, *non loca viris sed viros locis honorem conciliare.* Atque is ipse Genius velut porrecta charta, qualem Cebetis tabula exhibet, latentem spiritum tandem excitavit, ut acriùs exsurgeret in ea studia, in quæ leni quodam fatorum stimulo impelli se sentiebat. Fallor enim? an sapientissimus & non saluti tantùm sed etiam indoli hominum attemperare se solitus Deus O. M. eum hodieque servare solet morem, quem priscis temporibus constituit, (cùm & animi sui sententiam de

am-

amplectendis firma fide dogmatibus ad salutem necessariis, & componendis ad voluntatis suæ regulam hominum actionibus, nec non variis eventis, justitiam & benignitatem suam secutis, & vivâ voce & litteris traderet,) ut ad informationem usus fuerit mentibus tranquillioribus, ad objurgationem severioribus, ad hortatus gravioribus, ad consolationes mitioribus, ad vaticinia rerum jam lætiorum excitatioribus, jam tristiorum sedatioribus. FABRICIVS igitur ut factum se esse intelligebat natura placida, facili, ad gloriam Dei ductili, ad proximi utilitatem intentâ, ad concordiam flexibili: ita sic satis beatum se esse & Deo suo rectè parere posse putabat, si isti tàm faventi naturæ assentiretur. Hinc non tantùm cum æqualibus pacem & concordiam colere, dissidiorum semina in primo partu extinguere, sparsis locum non negare, sed etiam transferre istam indolis & morum suavitatem ad illam sanctissimam disciplinam, cui & natura juvenis optimi dudum præluserat, & industria adspiraverat. Eventus certè docuit, ita & apud Superiores & apud familiares ad invalescentes indies sine more modoque contentiones ingemuisse suave pectusculum, ut eam nonnunquam indignatiunculam intra illud admiserit, à qua ipsum alioquin alienissimum esse solebat. Jam cùm tempus moneret, post parata necessaria adminicula Theologiæ interiora adyta propiùs contueri, non suo marte, suo ingenio niti volebat (ne modestiam FABRICIANAM vel hâc occasione legentium animis egredi patiar) imò verò blandis precibus in sui amorem & informationem alliciebat Viros varia eruditione Theologica insignes, & sacra studia apud nos Ecclesiæ pariter & juventuti multa cum industria magnaque sua cum laude tradentes, KöNIGIVM, ALTHOFERVM, WEINMANNVM, HACKSPANIVM, è quibus hic Disputationem de Locutionibus Sacris (quod opusculum raritate observationum jam diu eruditis se commendavit) alteram publicè ab æqualium dubitationibus vindicandam ipsi commisit, & ille non sine applausu, benignè ab eruditis censoribus dato, propugnavit. Cæterùm ut ingenia in multorum utilitates diffundenda intra uni-

us agelli limites diu consistere & secum morari nequeunt: ita FABRICIVS patriam Academiam cum vetere alumna Jenensi commutare statuit, flumini similem debere esse Juvenem putans, quod ubi intra stagnantis alvei angustias coërcetur, putredine corrumpitur: ubi brachia variis ripis allidit, limpidius fluit & dulcius. Obviam ibi habuit & pronam in studiorum suorum incrementa facilitatem Virorum, præsidiis ad sanctissimam disciplinarum necessariis instructissimorum, MAJORIS, HIMMELII, GLASSII, DILHERRI, quorum ductu & auspiciis jam concionando, aliàs disputando pares ad sustinendam propediem & exornandam basilicam Christi vires acquireret. Incitabant generosos conatus certantes cum FABRICIO ingenii sagacitate, judicii acrimonia, industriæ ardore juvenes MVSÆVS, CELLARIVS, CHEMNICIVS, alii, ea eruditionis & meritorum magnitudine præsagia prudentum jam tùm provocantes, quæ paulò pòst Ecclesiæ in admirationem cesserunt. Dici enim non potest, (etsi è consecuto felici eventu luculenter intelligatur) quanto impetu in mutuam, ut sic dicam, armentur virtutem æmulo industriæ spiritu inflammata pectora. Est enim utique experientia comprobatum vetus verbum ab Hebræis enunciari solitum: *Æmulatio studiosorum multiplicat legem & sapientiam.* Et præclara est Themistii Philosophi sententia: *Homo ita natus est, ut quæ cum certamine & æmulatione quadam perfici debent, eadem omni nervorum contentione curet; quæ verò de facili absq; æmulatione efficiuntur, ea etiam cum quadam negligentia oscitantiaq; peragat; adeoq; inertiâ & ignaviâ nostros animos complet, quicquid omni caret adversario. Semper autem excitatur facilè animus à studio alios superandi, ut in ardua tendat, magnumq; aliquod opus moliatur.* Ac FABRICIVS in tàm speciosa mutuam diligentiam provocantium arena consistens, de palma in medio posita cum sodalibus certaturus, consilio & autoritate ac demum secuto præsidio suffultus DILHERRI, Disputationem de Κακοζηλίᾳ Gentilium, ex inæstimabili lectione ecclesiasticorum pariter & gentilium autorum concinnatam, eruditorum judicio arbi-

arbitrandam permisit, ut non eruditos tantùm Germanorum oculos suspensos laude & admiratione teneret, sed exterorum etiam studia mereretur, è quibus SAMVEL BOCHARDVS, eruditi sui seculi phœnix, ingenuè profiteri alicubi non dubitavit, *se non pauca ex isto doctissimo Tractatu didicisse.* Solebat enim sagacissimus ingeniorum explorator DILHERRVS locupletissimas eruditionis suæ opes ferè non nisi iis credere, qui & magnæ suæ famæ structuram, jam tùm longè patulas in auras eductam, conservare, & ipsi ex felici inde tracto exemplo fundamenta proximè secuturæ gloriæ jacere possent. Hac laude mactus, his, ut non cum Poëta tantùm sed cum ipsis etiam vetustissimis Ecclesiæ Doctoribus loqui liceat, *spoliis insignis opimis*, illustrem Juliam adiit FABRICIVS, suscipiens disciplinam summorum, quibus ista caput tùm efferebat, Virorum CALIXTI & HORNEII: cujus instituti & voti ita damnatus fuit, ut non minùs felicis augurii de tàm egregio & iis eruditionis partibus, quas ipsi à sacræ disciplinæ cultoribus requirebant, stipato hospite caperent, quàm fructus ipse sedulus & solers auditor intra vertentem annum tulerat, & tulisse per omnem vitam apud familiares prædicaverat. Vel inprimis enim gaudebat, in pretio ibi haberi elegantiores litteras, quas in Jenensi & Altdorffina mirifica diligentia excoluerat: Philosophiam veterem eamque κριτηρίοις sensus & rationis innixam, neque tamen divinæ revelationi adversantem, juventutis animis fideliter inseri, insitam ab inolescentibus, quæque & rectè consultæ rationis & venerandæ antiquitatis, ipsius quin etiam veritatis cœlestis nec non tranquillitatis cùm ecclesiasticæ tùm civilis præceptis & fundamentis adversantur, opinionibus vindicari, denique doctrinam Prophetarum & Apostolorum adminiculis linguarum aliisque eruditionis sacræ instrumentis, cœlesti beneficio humano generi concessis, perspicuè & solidè explicari. Quam salutarem παιδείαν cùm ipse pro sua, qua valebat, εὐφυΐα καὶ εὐστοχία facilè & animo imbiberet, & in usum Ecclesiæ atque Academiæ arriperet, eandem suorum, quos ex utraque cathedra frequentes & sedulos docuerat,

Auditorum magno cum fructu apud nos impendit. Nec divelli se facilè à latere meritiſſimorum Præceptorum paſſus fuiſſet, niſi frequentibus Matris viduæ litteris invitatus, ſumtuum è ſola paterna hereditate ſuppeditatorum finem facere fuiſſet juſſus, ſimul ad animum revocans, imminere jam tempus, transfundendi in alios, quæ ipſe à tot Præceptoribus, reſpondente fidelitati eorum ſua induſtria, hauſerat: ad morem ſcilicet *Veſtalium virginum, quibus*, teſte Plutarcho, *tempus diſtributum fuit, quo primùm diſcerent, deinde quæ percepta ſunt, peragerent, poſtremò alios deinde docerent.* Ergò Genio ſuo, i. e. ut Stoici apud Laërtium interpretari ſolebant, *Deo in humano corpore hoſpitanti* morem geſturus, patriam demum reſpexit, interpoſito tamen exiguo itinere, quo Brunſwigæ, Hildeſiæ, Göttingæ Virorum celebriorum notitiam & benevolentiam ſibi conciliabat, quos inter eminebat JACOBVS WELLERVS, tùm Brunſwicenſis Eccleſiæ Superintendens, paucis verò pòſt annis Sereniſſimo & Potentiſſimo Saxoniæ Electori à Concionibus & Confeſſionibus Aulicis. Cæterùm illa quidem prima velut cunabula & elementa erant conſuetudinis cum Viris eruditis, iisque magnam partem Theologis, iniri & coli ab ipſo ſolitæ: quam ipſe procedente tempore iis ſubinde auctibus locupletavit, ut quocunque religioſa Noribergenſium pietas penetrabat, ſimul intraret animos & linguas fama eruditionis & ἀκριβείας FABRICIANÆ. Atque iſtius fundamenta locavit in noſtra Altdorffina, in qua primùm Diaconatus munere functus per ſeptem annos & paulò ampliùs præter Evangelia diebus Dominicis & Apoſtolorum memoriæ ſacris explicare ſolita, ſelectiores jam Eſaiæ, jam Pſalmi ſententias è ſuggeſtu eccleſiaſtico explanavit: ſimul biennio poſt ſuſceptum munus eccleſiaſticum Profeſſionis publicæ provinciam nactus Locos Theologicos eâ dexteritate & fide, eo concinno ordine, ea ſtyli ſuavitate juxta ductum Phil. Melanchthonis adornavit, ut Seniori & Primario Facultatis ſuæ Profeſſori & Doctori GEORGIO KöNIG non dividiæ eſſet, illos manus propriæ labore in uſum ſuum vindicare, quin apud alios etiam

exte-

exterarum regionum Viros eruditos opera iſta, præſertim doctrina de Conjugio, nervosè inprimis & ſolidè elaborata, lectionem & admirationem mereretur. Miſcebar ipſe auſcultantium cœtui, isque admodùm juvenis & ſacrorum iſtorum ἀμύητος, adeoque nondum idoneus, qui intra ſindonem, ut ad morem Pythagoreorum loquar, conſiſtens τῶν ἀκροαματικῶν λόγων particeps eſſem, contentus eo tempore τῇ ἔξωθεν σοφίᾳ gradum ſtruere ad τὴν κάτω παίδευσιν. Sic enim perſuadebatur mihi à prudentiſſimis Præceptoribus, in quibus familiam eo tempore ducebat MARTINVS BEERIVS, FABRICIO noſtro intimo familiaritatis nexu junctus, ei ſperato operæ pretio carendum eſſe, qui ad penetranda Theologicæ ſcientiæ adyta viam ſibi conciliari citra comitatum elegantiorum, quibus iſta veſtita proponitur, litterarum & diſciplinarum philoſophicarum, poſſe arbitretur. Itaque etſi tres circiter annos iſta ſtudia tantùm non totum me ſibi haberent, ita tamen delibutum me penitus & ingenti amore perculſum tenebat lectionum iſtarum mixta gravitati dulcedo, ut evenire mihi ſentirem, quod Plutarchus de poëtarum lectione judicat: *Sicut inter paſcendum alia animalcula florem, alia germen, alia ſemen fructumq́ capiunt: Ita legendis poëmatis alium hiſtoriam docere, alium elegantiæ verborum inhærere (quomodo Ariſtophanes de Euripide ajat,*

Oris rotunditate quoniam ejus fruor)

alium verò ea, quæ de moribus utiliter dicta ſunt, conſectari. Nam dum FABRICIVS intelligeret, teneras quasdam, & divinorum myſteriorum reverentiores mentes ſacro quodam horrore ab arduo iſto ſtudio retardari, ipſe ſecutus exemplum Præceptorum ſuorum, mihi etiam partim communium, ita amœnioribus verborum & ſententiarum floſculis ad amplexandam gravitatem ſacrorum dogmatum allexit auditores, ut, cùm ſuaviter ſe quieſcere paulò antè in elegantiorum litterarum viretis putarent, mox domicilii ſedes in ſanctiſſima Theologia ſe fixiſſe adverterent. An enim dubitare fas fuerit, cùm benigniſſimus erga genus ſuum humanum Deus cæteras artes ac diſciplinas locuplete

plete manu largitus fuerit ad terrestris hujus vitæ necessitatem & commoditatem, noluisse ipsum inservire nitidius dicendi studium, si non ad distinctiùs percipiendam, saltem à rerum aliarum discrepantibus naturis cautiùs dignoscendam & naturam & voluntatem divinam, ab infinitis seculorum spatiis reconditam? Imò verò in sacro etiam studio suus fuerit locus relinquendus illi asserto, quod de Philosopho summus eloquentiæ artifex pronunciare non dubitavit, *si eloquentiam ad facultatem suam afferat, non aspernari, si non habeat, non admodùm flagitare.* In universum tamen expendenti verum esse deprehendetur, quod Basilius M. in Oratione luculenta & ad ingenerandum adolescentum animis studiorum humaniorum amorem inprimis efficace scripsit: *Quemadmodum plantæ virtus propria est, maturo fructu turgere, addunt autem aliquid decoris folia ramis circumjecta: ita animæ præcipuus quidem fructus est veritas*, speciali revelationis beneficio hominibus indulta: *non tamen ingratum est, extremam sapientiam cingere & circumponi instar foliorum, cùm tegumentum tùm speciem non inamœnam fructui præbentium.* Sed quò me abripit jucunda consideratio litterarum, & genii benignitate mihi puero, & jam ad ætatem usque robustiorem progresso, abblandientium & optimi Præceptoris consiliis insinuatarum? Nempè FABRICIVS, quo in me existebat amore, eoque ad ipsum usque egregii publici amplificandi studium porrecto, dum ad sublimioris Theologiæ sacraria per linguarum & Philosophiæ semitam grassari me lætabatur, ita me dedi unicè Academiis studiis volebat, ut, cujus desiderii fine fatis sic ordinantibus ipse nonnihil exciderat, eum in me saltem impletum esse videret. Mihi quippe ad cathedram ecclesiasticam adspiranti & ad sacrum istud officium quadam sacramenti religione adstrictum esse opinanti haud raro suggerebat, non minùs fructuosam me operam ad ornandum Ecclesiæ domicilium adferre posse, si asseres & tigilla illi idonea pararem, quàm si ipse humeros debiles, & mox laborum ponderi succubituros, supponerem. Atque ista quidem animo paulò confusiore & sortem infeliciorem accusante cùm versarem,

commodè subiit memoriam illud Erasmi. Ei cùm à Guilielmo Archiepiscopo Cantuariensi offerrentur reditus annui è sacerdotio accipiendi, isque paulò præfractiùs recusaret, quòd nec fronte nec conscientia satis serena illorum pecuniis frui se posse putaret, quibus ut linguæ ignarus nec concionari posset, nec monendo, nec concionando adesse, nec ullum boni pastoris officium præstare: Regessit sapienter Guilielmus: *Quasi non plus efficias, qui libris doces pastores omnes, quàm si uni rusticanæ plebeculæ inservias.* Me quidem fata ad istam viam, quò me laudatus Præceptor volentem ducere volebat, nolentem traxerunt, & non secutum fuisse, crimini dandum fuerat. FABRICIUS autem alia omnia animo agitans post septem, quibus in Altdorffina Ecclesia & Academia, favente & Senatu Populoque Academico & plebe Oppidana labores sacros approbavit, vocatus est Noribergam à Nobilissimo ejus Civitatis Magistratu ad pascendum geminum cœtum, unum in Mariano, alterum in Dominicanorum, quod vocamus, templo congregari solitum. Confluebat ad famam FABRICII, jam animos civium pervagatam, mira vis hominum, inque ea plerique omnes ejus Reip. Proceres & flos populi delibatus. Est autem gens ista præ multis aliis non solùm divini & à superstitione ac idololatria alieni cultus tenacissima, sed etiam mansueta, comis, affabilis, fuci & anxiè quæsiti, nec nisi ad ventosam ostentationem compositi sermonis fastidiens, rebus verba, verba animis citra sinuosos mæandros & ambages aptare gestiens. Talem animum sibi ὁμογάλακτον, talia ingeniis suis attemperata verba & verbis consonam mentem quamprimùm in novo suo Doctore deprehenderant Noribergenses, simul senserunt crescere in pectoribus suis amoris flammas, pietate mutua exilientes, fide & morum amœnitate æstuantes, vitæ sanctitate exsplendescentes. Ita enim sub primum ingressum officii sacri statuerat, opus esse ad docendum sermone τῷ ὑπὸ τῆς πράξεως ἐμψυχωμένῳ, ἅτε δὴ γοργὸς ὢν καὶ δραστήριος διὰ βάθους χωρεῖ καὶ τῆς ψυχῆς ἅπτεται, *qui ab actione animatus sit, ut qui acris & efficax sit, altè penetret, animumque attingat,* qualem

ab

ab ecclesiæ Doctore requirit Isidorus Pelusiota. Quandoquidem (ut idem sanctissimus Monachus rursus graviter censet) *sermonibus philosophari facilè est, operibus autem arduum, atq; illud quidem aures oblectat, hoc autem animos erudit, ob eam causam Deus ad eos, qui sacerdotii munere redimiti sunt, id, quod tibi explanari cupis, clamat: Sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem.* Igitur FABRICIVS ad cor Noribergensis suæ Hierusalem ita loquebatur, ut, quæ præciperet, non à vultus tantùm sed operum etiam gravitate pondus acciperent, nemoque unus omnium vel tacitus oggannire auderet: *cur ergò hæc, quæ dicis, non facis?* Commune FABRICIO cum aliis piis & cordatis Ecclesiæ Doctoribus erat, ea vitæ integritate eminere, ut nullius criminis suspicioni locum relinqueret, alienum esse à morum levitate, à socordia, ab avaritia, à fastu, à luxu & intemperantia, ab obtrectandi libidine, ab imposturis: quæ flagitia uti nulli non Christianæ professionis homini maculam affricant, ita minuunt & elevant Doctoris autoritatem & reverentiam. Enimverò sicut perpurgatum ab istis vitiis animum & è paternâ pietatis altrice domo attulerat, & allatum vigili Præceptorum curâ & circumspectâ per omnem vitam solicitudine sartum tectum munierat: Ita cùm isti quidem intestini hostes nullum aut exiguum ipsi negocium facesserent, in meliores & altiores curas seipsum dispensare potuit. Igitur abductam sæpè à rerum caducarum, quæ aliorum hominum animos fatigare solent, cogitationibus mentem in mysteriorum divinorum profunditatem sevocare, stupendam Dei majestatem, ut ea in scriptis Propheticis & Apostolicis velut in speculis eminus est ostensa, mirari magis quàm rimari, eadem longè infra imbecillitatem humani intellectus collocare, fidem suam divinæ veritati substringere, inæstimabilem Dei amorem erga mortales, præsertim in Christi merito fiduciæ suæ anchoram defigentes, ad ipsam usque æternam felicitatem benignè ipsis conferendam extendere, neminem mortalium, quantumvis sagacissimum, ab errandi periculo eximere, dogmata pari necessitatis gradu omnibus cùm doctis tùm idiotis ad salutem cognitu ne-

cessaria distinguere ab iis, quæ eruditiorum curiositatem irritare, & difficultatibus tardiora ingenia remorari queant; à judicio audaciore excludendi eos à Dei favore & jure vitæ æternæ, quos ab augustissimo Dei Filio, eodemque sub splendidissima humanæ naturæ forma appariturο, aliquando dextri lateris honore dignandos esse, charitas Christiana cautiùs & rectiùs præsumit, timidiuscula quadam religione abstinere: in fide per charitatem efficace plus reponere, quàm in contentiosa jactatione sublimis scientiæ, pietate & Christiana charitate cassæ. Illud verò præcipuum laudis inerat amabili pectori, omnibus non tantùm votis expetere commendatam Christianis tanto à Servatore opere concordiam, sed etiam studiis, consiliis, monitis privatis publicisque id agere, id suadere, id hortari, ut quoniam nec hodie quidem, quando post profligatas & ad Orcum usque detrusas hæreses, imò ne quidem post detectas corruptelas & imposturas à vasta & impotenti quorundam ambitione & avaritia invectas, Deus ab Ecclesiâ suâ militante omnem rugam & maculam abstersam esse vult, sed eum speciosum decorem alteri illi triumphanti reservat, saltem coëant paulò viciniùs *in fœdera dextræ* & *aspera positis mitescant secula bellis.* Enimverò cùm isto quidem amplæ spei fructu per hominum vel falsa antiquitatis persuasione fascinatorum, vel dulci possessione opum & existimationis ebriorum, vel præconceptarum opinionum pervicacia tumentium, potiri se posse diffideret; saltem lætæ conscientiæ & desiderio dilectionis & concordiæ, non Apostolis utique tantùm sed omnibus etiam Christi fidelibus injunctæ, pavisse animum, eundemque Deo pacis autori probasse, vel sic satis habebat. Eratque hæc ipsa sententia, quam didicerat sive ab optimo Parente sive ab ejusdem Successore mitissimo, & grandi pietatis ac veritatis cœlestis tibicine, JOHANNE SAUBERTO, cujus insignia & gravitatis Saubertinæ plena extant verba menti Nob. Senatus Noribergensis prorsus conformia, producta ex Nath. Chytræo, & duplici asterisco margini adscripto commendata, in præclaro, quemque ipsum â FABRICIO etiam atque etiam

commendatum mihi aliquando fuiſſe commemini, libro, quo *Miracula Auguſtanæ Confeſſionis* Chriſtiano orbi admirandâ diligentiâ detexit. Sic autem illa habent è vernaculo in Latinum ſermonem translata: *Etiamſi negocium appareat, quaſi omne in diſſidia & contentiones ſit erupturum, non tamen ideò contra Deum ejusq; verbum aut propriam conſcientiam eſt agendum, ſed rectè, & ut Chriſtianos facere par eſt, procedendum, cura verò ſive pacis ſive contentionis Deo commendanda; aliàs videremur Evangelium conſervandæ pacis temporalis aut vitandarum ærumnarum gratia ſusq; deq; habere.* Ita olim ſenſerunt Proceres Reip. noſtræ, tantùm non ſanguinis pignore veritatem Evangelicam redimentes: ita ſenſit religioſiſſimus Saubertus: ita ſenſerunt FABRICII Pater & Filius. Temperare non poſſum animum haud minùs ab odiis, ex ipſo ſæpè medio Chriſtianorum effervęſcentibus, alienum, quàm modeſtiæ Fabricianæ, quoties inciderat in triſtem cogitationem inteſtinarum aliquando apud nos exortarum altercationum, memorem, quin exhibeam verba prudentiſſimi, qui Fabricio & Sauberto ſurrogabatur, Theologi DILHERRI Majorum ſuorum ſententiis prorſus ὁμόψηφα iſta, quæ extant in ejus, quam vocare libuit, Academia: *Si diſſidia & ſcandala hodieq; inter nos, etiam Confeſſioni Auguſtanæ addictos Theologos, exoriantur, ſicut proh dolor! plus, quàm decebat, evenire ſolet partim ex inſcitia, partim ex præcedente prava informatione, partim ex judicio non ſatis firmis fundamentis innixo, partim ex ambitione, partim ex invidia, partim ex avaritia, aut alio viperino ſemine: non tamen inde colligi ſeu debet ſeu poteſt, religionem ipſam eſſe falſam aut improbandam.* Cæterùm ſicut FABRICIVS animum iſtorum vitiorum purum gerebat: ita in proclivi ipſi erat, excludere ſimultates, rixas, cavillationes, convitia, contumelias, quæ ex iſtis Lernæis paludibus ebullire ſolent; alibi verò invaluiſſe jam palam deteſtabatur, jam editis ſuſpiriis mœrorem indicabat: in ſacrum verò ſuggeſtum adeò non admittebat iſtam contagionem, ut ſeveris legibus à Magiſtratu noſtro iterum atque iterum prohibitam fuiſſe, vehementer probaret, turpe eſſe & autoritate Theologorum ortho-

doxo

doxorum indignum judicans, quod in Donatistis reprehendit Optatus Milevitanus: *Nullus vestrum est, qui non convitia suis tractatibus misceat, qui non aliud initiet, aliud explicet. Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras injurias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis absenti fratri convicium. Auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis.* Alia omnia spirant homiliæ FABRICII nervosè & solidè adornatæ super Conf. Aug. hisque subjunctæ Notæ eruditissimæ, plurimis difficultatibus & arduis controversiis intelligendis idoneæ, in quibus ita stylum est moderatus, ut singulis articulis firmandis validius & illustrius Scripturæ dictum proponeret, deinde usum doctrinæ explicatæ Auditoribus suis ad fidem Christianam stabiliendam & vitam ritè instituendam facili & perspicua sibique familiari methodo ostenderet, à quæstionibus verò nuper minùs feliciter natis, velut à vulneribus exulceratis, & non sine deformibus cicatricis vestigiis coire solitis, manus abstineret. Versatur etiam inter fidelium manus libellus, qui RAPHAEL inscribitur, dicatus usui pietatis domi & inter itinera excitandæ & alendæ, accedentibus non auspiciis tantùm sed etiam opera G. P. HARSDöRFFERI, Patricii & Senatoris Noriberg. raræ & inusitatæ eruditionis famam ad dignitatem Patriciarum familiarum adjungentis. Vir hic æstimabat inprimis pietatem & candorem Fabricianum, cumque nominis sui magnitudinem jamdudum in varias Principum aulas ac in plurimas Europæ provincias intulisset, in partem elogiorum suorum invitavit etiam FABRICIVM, ut vel hoc modo augeret laudes Nobilissimorum Majorum suorum in procurandis & posteritati servandis fœcundorum ingeniorum fœtibus. Sic enim in encomium eorum luxuriantem diffundere stylum non dubitavit Johannes Baptista Egnatius, Venetus, in scripta jam ferè ante sesquisæculum ad Bilibaldum Pirckheimerum epistola: *Ibit, ibit in ora omnium, & posteritatis judicio simpliciùs multò æstimaturæ, tàm egregia laus vestra celebrabitur, unam fuisse Noribergam, quæ ardentibus undiq; bellis, Christianaq; re domesticis dissidiis planè laborante, & in integrum servaverit*

verit pietatem, & publica impensa non passa sit tot egregia doctissimorum monimenta penitus interire, quæ ad hanc diem in tanto reliquarum artium splendore in situ & squalore sine ulla spe libertatis jacebant. Quare operæ pretium hoc vestrum tantò majus æstimandum sit, quòd hoc ipso nullum aut majus aut utilius esse poterat. Erant sanè in promtu FABRICIO aliæ lucubrationes, eruditam pietatem sapientes, & benignum judicium Senatus PopuliqueNoribergensis dudum expertæ, utpote Historia Samuelis, Petri, Johannis Baptistæ: Homiliæ in Judices, Jobum, Zephaniam, &, quarum jam suprà meminimus, in Psalmos, Esaiam: Quarum lectionem consultum duxit avidis oculis subducere, ut vivæ vocis, altiùs animo insidentis & hærentis tenaciùs, desiderio auscultantes magis accenderet. Et verò videtur paucis illis in publicam lucem editis scriptis erudito orbi ostendisse, quid ingenio, quid eloquentia, quid interiore sacrarum litterarum cognitione præstare potuisset, si otio ad scribendum abundare sibi licuisset. Ferè enim intelligimus, sicut aliis artificibus, ita quibusdam magnis eruditorum ingeniis usu receptum esse, ut uno aut altero opere edito singularia & exacta ingenii specimina relinquant, è quibus posteritas de aliis operibus judicare possit, quid præstare potuissent, si omnes nervos intendere voluissent. Cæterùm FABRICIVS sua fama involutus suoque Catone contentus vixit, & eam, ut docendi, ita scribendi rationem Deo ac hominibus probavit, quam exciperet mors cum morum suorum suavitate & tranquillitate consentiens. Nam cùm omnem ætatem per assiduas & pias meditationes, lectiones, lucubrationes, scriptiones, homilias frequenter ad populum habitas exegisset, æquum erat visum justissimo μισθαποδότῃ, ut in fervore contentissimorum laborum & in conspectu confertissimi fidelium cœtus, ab ore suo pendentis, è statione sua ad capessendum æternæ felicitatis brabeum evocaretur. Nec verò fatum illud vel prorsus improvisum FABRICIO accidit, vel præsagium ejus antevertit, vel voto est adversatum. Cùm enim ab uno hinc anno & sex circiter mensibus gravi catarrho apoplectico succumberet, debilitari sensim

vires laboribus proſtratas intellexit, ſimul moneri ſe arbitratus, convaſandas ſibi eſſe res ſuas, inſonituro jamjam celevsmate ſummi navarchæ, mox diem ſibi ad abitionem indicturi: ſuggeſſitque ſe animo eadem ſententia altero abhinc quaſi ſemeſtri, cùm graviter decumbente & exquiſitiſſimis doloribus excruciata lectiſſima thalami conſorte altera, SVSANNA, nata RöTENBECCIA, calamitaté iſtâ tàm acerbè miſeratus eſt, ut anxiis precibus ac deſideriis optaret ſibi placidũ & præſentium, qui tùm ab oculis ad intimos animi ſenſus penetrabant, dolorum immunem ex hac vita exitum. Nec præteriri ſilentio debet, quòd proxima ante feralem homiliam veſpera in cœna cum domeſticis diſſeruerit de moriendi neceſſitate omnibus hominibus impoſita, occaſione petita ex concione ſequenti die inſtituenda de vitæ hujus termino, & altera illa feliciore vita; hoc ipſo Martini Lutheri exemplum nonnihil imitatus, quem memorat Auguſtus Thuanus, gravis inprimis & locuples ſcriptor, quòd poſt cœnam proximè ante noctem, qua deceſſit, cùm rogaretur, an in illa ſempiterna vita ſimus alter alterum agnituri, ita eſſe affirmaverit, & Scripturæ teſtimoniis confirmaverit. Eum certè Senatus Populusque Noriberg. erga FABRICIVM ſuum habet ſecum ſervabitque ſepulchro affectum, qui Lutherum jam capulo impoſitum comitatus fuiſſe itidem à Thuano his verbis prædicatur: *Vt certatim eum multi vivũ complexi: Sic nec in morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt.* Ergò eam ſibi jucundam, Viduæ & Filiis funeſtam, Auditoribus quà Academicis, quà Homileticis luctuoſam, omnibus, qui Domini, Patroni, Amici repentino caſu attoniti ſtupuerunt, acerbam ſortitus eſt cataſtrophen, qualem & Sapientes veteres, ſacræ noſtræ philoſophiæ ignari, votis ſibi deſtinarunt, & quidam Eccleſiæ noſtræ, Lutheri auſpiciis in priſtinum nitorem reductæ, Doctores ſingulari Numinis beneficio ſunt conſecuti, & nos omnes, qui funus Viri duximus, inter mœrorem & gratulationem velut ambigentes, ut *pretioſam in conſpectu Domini*, diviſis in tàm admirabiles divinæ clementiæ diſpoſitiones cogitationibus, venerati fuimus.

Sanè Plinius non dubitat *felicia* appellare *exempla* eorum, qui subitanea morte è media officiorum statione sublati sunt. Producit juxta cum aliis quamplurimis Q. Fabium Maximum, qui in consulatu suo subitò extinctus est: M. Orellium, qui in illius locum suffectus paucissimarum horarum consulatum petiit: C. Vulcatium Gurgitem: omnes adeò sanos atque tempestivos, ut de progrediendo cogitarent: Legatum quoque, qui Rhodiorum causam in Senatu magna cum admiratione oraverat, in limine curiæ protinus expirasse progredi volentem, refert: Cn. Bebium Pamphilum præfecturâ & ipsum functum, cùm à puero quæsisset horas. Quid? quod Julius Cæsar agitato in convivio quodam sermone, quænam mors optima foret, alteri quantumvis negotio intentus alios antevertens, *Inopinata*, exclamavit. Jam quem fugit cordata & efficax ad vindicandam ab ipsis, si fieri posset, inferis industriam Vespasiani oratio, qua Medicos ab Imperatoriis muneribus se abstrahentes redarguens: *Imperatorem*, inquit, *oportere stantem mori*? Ita sanè descendit in animos gravissimorum quorumque Virorum isthæc sententia, ut ejus velut auspicio nixi perrumpendum sibi, ut Poëta ait, *acheronta herculeo labore* esse putarent. Nam & *episcopum* oportere *concionantem mori*, dixit Ivellus celebris in Anglia episcopus, & Hoornbeek doctissimus Batavorum Theologus, *Professorem disputantem*: Et Udalricus Zasius JC. pulchrum existimavit, *Doctorem profitentem mori*: Et de Isaaco Casaubono scribit Raphaël Thorius, qui ejus vitam sibi delineandam sumsit, quòd non putaverit decorum veri decoris æstimator stationem deserere, nisi *ultimam auram exspiranti*: & velut invictus miles succisis poplitibus de genu pugnat ira valentior quàm viribus, sic ille longo cum laboribus & morbis conflictu fractus non animo sed membris, non mentis acie, sed organis, ad ultimum usque spiritum in munere sibi persistendum affirmaverit. Imò verò jamdudum censuit Maximus Tyrius Platonicus philosophus, *non esse quenquam virorum bonorum, qui in munere versatur aliquo, qui non optet, ut in eo stans, ut ajunt, & cum laude moriatur, haud secus ac miles mortem in bello contemnit, gubernator in mari.*

Non

Non alius exitus decebat Virum, qui perdius & pernox in excubiis, à summo Imperatore sibi demandatis, stabat impiger miles, & non nisi è medio labore missionem sibi fieri jam ab aliquo tempore desideraverat. Ergò de termino vitæ, qui hominibus divina voluntate assignatus est, sacrum sermonem privata meditatione ordinatum coram fidelium cœtu habiturus, ubi animos exordio ad attentionem præparasset, fatalem voculam MORI bis repetitam, bis interceptam apoplexia tandem juxta cum omni secuturo sermone penitus interclusit, & arena, id est, ambone sacro, in quo tot per annos strenuum se Theologum præstiterat, cedere jussit. Cessit: & ubi per mediam concionem subito & luctuoso casu confusam portantium brachiis elatus in sacrarii sellam depositus esset, spiritum extrema per omnia ductum, exanhelitu fessum, utcunque collegit, & è vicinia adventanti Ecclesiæ Noribergensis Antistiti primario, Viro ardentissimæ pietatis JUSTO JACOBO LEIBNIZIO & sui notitiam & pia solatia suggerenti, diducto leniter in patulos oculos vultu annuit, ac paucis pòst horis in ædiculâ, templo à Dominicanis nomen nacto, proximâ animum curis, vigiliis, laboribus languescentem exhalavit, inque Servatoris sui amplexus effudit ovantem: hac una re gravis auditoribus factus, quòd ferali spectaculo, suique demum grandi relicto desiderio, vulnerare cogeretur oculos & animos eorum, quibus per omnem vitam molestus esse nec per naturæ benignitatem poterat, nec per pietatem volebat.

Ita ergò vixit optimus Parens vester, ô Filii suavissimi, JOHANNES & GEORGI, (ut ad Vos postremò mea se convertat oratio) &, quem dederat voluntas divina, cursum peregit. Vixit verò? Imò vivit hodieque in ore Civium, dulcem FABRICII memoriam in vultuum vestrorum imagine recolentium; vivit in animis Procerum vel hac in parte Dei benignitatem imitantium, ut meritorum paternorum præmia ad seram usque posteritatem sint translaturi; vivit in conspectu divinæ majestatis, quam fusis sine intermissione precibus propitiam vobis conciliat, *de sua* (si ad Cypriani mentem loqui fas est) *immortalitate securus, de vestra incolumitate sollicitus.* Nec verò aliunde feliciùs quàm ex vestramet familia sive incorruptæ pietatis sive futu-

rae

ræ felicitatis auguria petere poteſtis. Præſtò utique ſunt imagines Majorum, ſerie non intercisâ veritatis evangelicæ laudem & decus ſuſtinentium: intuemini Abavum Laurentiani gregis in patria Paſtorem, quem cœleſtis doctrinæ ſtatores ſtabilitoresque acerrimi, Lutherus & Philippus, familiari amicitia complexi ſunt: obverſatur Proavus, apud Fürthenſes per quatuor luſtra eodem officio ſacro functus: præſtringit oculos veneranda canicies Avi per ipſos triginta & ſeptem annos Eccleſiæ patriæ primarii Antiſtitis. Quibus demum accedit Paternus — — *lepor & roſeis affuſa labellis*

Gratia: Cui rerum cœli indulgentia ſpondet,
Hunc fore perpetuum longæva in ſecla tenorem.

Has effigies, omnia læta adſpirantes, ſubinde intueri, ſubinde reſpicere, ſub his conſiſtere, præter has commeare & jucundum erit & fructuoſum, certè inprimis proficuum ad ducendos vos *in antiquam virtutem animosq; viriles*, eamque egregiam flammam in pectoribus veſtris exſuſcitandam, quæ non prius ſedabitur, quàm pietas & eruditio veſtra eorum famam atque gloriam adæquaverit. Is ſanè velut collecto è venis Majorum & in ampliores ſubinde alveos diffundendo aviti ſanguinis flore occupat animos veſtros virtutis & laudis fervor, ut, cùm Majores veſtri ſatis habuerint, pietatis & meritorum lucem è rareſcente veritatis Evangelicæ crepuſculo poſteris accendiſſe; vos jam Juvenes, viciniam ætatis virilis contingentes, relictam ex paterna hereditate famam cum veſtra conjunctam per varias regiones circumtuleritis, & non modò divinæ humanæque ſapientiæ, ſed etiam variarum linguarum notitia exterorum pariter & civium amorem ac cultum in vos converteritis. Macti eſte Fratres paterno ſpiritu exundantes, &, quam à Majoribus accepiſtis familiæ reverentiam, non minore niſu tuemini, quàm ipſi acquiſiverunt; ea præſertim ætate, ea recenti recordatione paternorum meritorum apud quosvis bonos fruentes, cui non modò non invidetur, ſed etiam favetur. Deſtinata fuit vobis, in lumbis Patrum olim deliteſcentibus, felicitatis poſteritati eorum, qui Deum diligunt, in milleſimam usque generationem porrigenda: eam ipſam ex utero materno in cunabula, è cunabulis in ſcholas, è ſcholis ad terras exteras, ex his ipſis ad nos attuliſtis, & ut eandem Patriæ noſtræ ſartam tectam ſervetis, in veſtra manu, in veſtra virtute & induſtria eſt ſitum: cui utique nec in hunc diem deerit fructus auſpicati ominis Abavo veſtro jam ab ipſis centum & viginti ac uno annis à Philippo Melanchthone denunciati:

FAMILIÆ TVÆ DEVS BENEFACIET.

ΓΕΝΟΙΤΟ. ΓΕΝΟΙΤΟ.

EXPLA-



EXPLANATIO LOCORVM THEOLOGICORVM PHILIPPI MELANCHTHONIS APHORITICA

*

Corp. Doctr. Christ. pag. 292.

Ex Præfatione

APHORISMVS VNICVS:

Commonefacti (pii) voce rectè docentium, amplectantur utrâque manu & toto pectore Libros Propheticos & Apostolicos, à DEO traditos, & adjungant enarrationes & testimonia purioris Ecclesiæ, ut Symbola, Apostolicum & Nicenum.

ROtunda brevitate complexus est Autor noster Philippus hoc Aphorismo pleraque omnia, de quibus aliàs ante specialem Locorum tractationem fusè proœmii loco solet dici. De duobus autem monet principalibus: 1. de Libris Propheticis & Apostolicis amplectendis. 2. de adjungendo Ecclesiæ testimonio: ad quæ duo capita ferè omnia, quæ de Canone librorum sacrorum, de certitudine doctrinæ Christianæ, de Scripturæ autoritate, perspicuitate, perfectione aliisque prolegomenis cognovisse juvat, suo quodam modo possunt referri. Agite, ductum sequamur nostri Autoris.

Libros nominans Propheticos & Apostolicos idem sentit cum S. Paulo ad Ephesios scribente: *Superstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, c. 2, 20. ac totum S. Scripturæ V. &

V. & N. Testamenti Canonem designat; id quod ipse alibi his expressis verbis asserit: *Cùm Propheticos & Apostolicos libros nominamus, complectimur omnes libros, qui testimonio Ecclesiæ recepti sunt, & discernuntur ab Apocryphis.* T. 4. Oper. in Resp. ad criminat. Staphyli & Avii 820. Recipit autem Ecclesia librum quendam dupliciter: 1. ut habeatur κανὼν & norma, ad quam quævis dogmata & controversiæ in religione examinentur. 2. ut publicè legatur in usum populi. Qui priore modo ab Ecclesia recepti sunt, *Canonici* dicuntur in *stricta* significatione, suntque sequentes,

Libri Canonici.

In Veteri Testamento

Pentateuchus Mosis.
Josua. Judicum. Ruth.
Libri 2 Samuelis. 2 Regum. 2 Paralipomenon.
Esdras, & Nehemias, sive secundus Esdræ.
Esther. Job. Psalterium.
Proverbia. Ecclesiastes. Canticum Canticorum.
Esaias. Jeremias cum Threnis. Ezechiel. Daniel.
Hoseas. Joël. Amos. Obadias.
Jonas. Micha. Nahum. Habacuc.
Zephanias. Haggai. Zacharias. Malachias.

In Novo Testamento

Libri ad unum omnes.

Etsi enim de nonnullis, nominatim de epistola ad Ebræos, Jacobi, Judæ, secunda Petri, secunda item & tertia Johannis, ac de Apocalypsi quidam dubitârint, *istorum tamen sententia pro privata habenda est, nec totius Ecclesiæ unquam fuit.* Nos itaque ad probanda fidei dogmata tam valere eos asserimus, quàm cæteri Novi Testamenti libri confirmandis dogmatibus sunt idonei. Estque hoc assertum hodie apud omnes extra controversiæ aleam positum.

Qui verò præter enumeratos V. Testam. libros, & eos qui in codice N. Testam. sunt, circumferuntur, ab Ecclesia pro Canonicis non habentur, sed Apocryphi dicuntur: quæ tamen denominatio ab æquivocatione priùs liberanda, quam progrediamur ulteriùs. Vel enim *Apocryphi strictè* dicuntur, qui supposititii sunt, fabulosi & inutiles, quos idcircò non legit, sed occulit Ecclesia, quales: Prophetia Enoch, liber de Testamentis XII. Patriarcharum, Psalmus CLI, liber III. & IV. Esdræ, III. & IV. Macchabæorum, Evangelium Thaddæi, Thomæ, Andreæ, Actus Philippi, liber de infantia Christi & similes: vel *latiùs* sumta voce Apocryphi dicuntur, *qui certò non sciuntur esse divinitùs inspirati*, nec inutiles tamen sunt aut noxii, sed præcepta & exempla ad

Libri Apocryphi.

mores facientia continent, quos idcircò recipit Ecclesia in tantum, ut legantur publicè ad ædificationem plebis, suntque:

Tobias. Siracides. Sapientia.
Judith. Baruch. Macchabæorum libri II.
VII ultima capp. libri Esther.
Hymnus trium puerorum. Dan. 3.
Historia Susannæ. c. 13.
Historia Beli & Draconis. c. 14.

Et hi Veteribus non tàm Apocryphi sunt dicti, quàm ἀκανόνιςοι & Ecclesiastici; quod nominis postea in specie ad se traxit liber Siracidis, ut *Ecclesiasticus* indigitaretur. Priores strictè Apocryphos libros pro talibus agnoscunt omnes in Ecclesia. De posterioribus autem inter nos & Pontificios disceptatur, non quidem utrum legi debeant in Ecclesia, quod ultrò admittimus ad exemplum Ecclesiæ primitivæ, sed utrum sint κανὼν & regula fidei; quod, illis affirmantibus, nos negamus.

A nostris partibus stat 1. Testimonium Judæorum, quos hîc meritò sequimur, cùm iis credita sint eloquia DEI Rom. III, 2. nec alium canonem V. T. habere possint Christiani quàm à Judæis acceptum, cujus numerum Ebraico codici respondentem suprà recensuimus, & consimiliter Josephus assignavit L. 1. contra Apionem. 2. Suffragium Ecclesiæ N. Testamenti, quæ vel est Orientalis sive Græca, vel Occidentalis sive Latina. Illa ab initio in hunc usq; diem *Judæorum Canoni* invariatè adhæret, ut non possit ullum proferri exemplum contrarium Scriptoris Græci laxiorem catalogum texentis. Hæc similiter totis quadringentis annis non alios quàm à Judæis traditos libros inter Canonicos V. T. collocavit: quod testatum faciunt Latinorum, qui canonem texunt, antiquissimi, *Hilarius*, prologo in explan. Psal. *Ruffinus*, expos. Symb. quæ Cypriano aliàs adscribitur, & *Hieronymus* præf. in libb. Regum, seu prologo, ut ipse vocat, galeato.

Demùm *seculo quinto* recentiores nonnulli, Innocentius I, *Augustinus*, Concilium Carthaginense, *Gelasius* cum LXX Episcopis in Synodo Romana, & hos secuti alii cœperunt libris in confesso positis plures annumerare: in quorum autoritate triumphant Pontificii, Bell. l. 1. de V. D. c. 10. Becan. tr. de Fide c. 3. q. 1. §. 3. Sed nobiscum sentit, ut dixi, 1. universa Ecclesia Græca. 2. antiquissima Latina IV. priorum seculorum. In specie Carthaginensi Concilio opponimus *Concilium Laodicenum*, illo prius, seculo quippe, ut Carranza statuit, quarto habitum, idque provinciale quidem, sed confirmatum in sexta synodo generali, Trullana dicta. Istius Patres canone ultimo, in quo librorum Canonicorum recensent catalogum, omiserunt omnes, de quibus controver-

trovertitur, præmissa præfatione, *non oportere in Ecclesia libros legere, inq; autoritatem recipere, qui sint extra canonem, sed solos Canonicos V. & N. Testam.* Addunt postea, *quinam sint legendi*, qui certè ex vi præcedentium ipsis soli fuerunt Canonici. Ita nos Pontificiis synodum Latinæ Ecclesiæ pro se allegantibus damus vetustiorem Ecclesiæ Græcæ. Porrò nec Patres Latini illi, quos Pontificii patronos causæ suæ sistunt, cum universis Græcis & antiquioribus Latinis revera pugnare videntur. Dicendum potiùs, *eos vocabula Canonis & Canonici aliquantò laxiùs accepisse*, & uno fasce complexos esse non solùm libros indubitatò θεοπνεύστους, proindeque extruendis fidei articulis & dijudicandis in Ecclesia controversiis undiquaque aptos habitos, quos strictè Canonicos rectè dixeris; sed alios quoque antiquos, ad multorum notitiam capessendam utiles, ac vel potissimùm ad morum integritatem, per monita & exempla ducentes, populo ob id prælegi dignos, ad confirmanda autem ea, quæ sunt fidei, non proferri solitos, qui inter Canonicos latè censeri possunt. Præit nobis ad hanc distinctionem ipse August. l. 2 de D.C. c.8. ubi lectorem Scripturarum Canonicarum monens: *Tenebit*, inquit, *hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt.* At quod strictè Canonicum, id omne ejusdem prorsus autoritatis est & ex æquo recipiendum. Idem seorsim de Scriptura Macchabæorum l.2. contra Gaudentium c. 23. *Recepta est*, ait, *ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur.* Ecce *sobriè* vult legi, innuens, Ecclesiasticos eos libros esse, non propriè Canonicos. Firmant allatam distinctionem alia quoque Veterum loca, inprimis Augustini l. 1. de C. D. c.20. l. 18. c.36. Quod si paria cum Augustino sentirent Pontificii, possemus sanè in eorum gratiam, vel honorem magis quorundam Patrum, libros illos latè Canonicos dicere, quos modò latè Apocryphos appellamus: cùm non repugnet unum eundemque librum certo respectu Apocryphum esse, & κατά τι Canonicum quoque. Ast illi libros, de quibus controversia est, *æquè Canonicos* faciunt *atq; cæteros* V. Testam.: quod concedi ipsis nullo modo potest, cùm destituantur testimonio Ecclesiæ Judaicæ & antiquæ Christianæ, quarum neutra eos recepit & habuit in ea autoritate, qua sunt apud Pontificios, Bellarmini & Becani sequaces.

Object. 1. Hîc verò objiciat quis: 1. Si ab Ecclesiæ receptione pendet, librum aliquem esse Canonicum, Ecclesia erit superior Scripturâ, quod absurdum. Resp. Vel recipit Ecclesia librum aliquem & determinat eum esse Canonicum, autoritate judiciali, ut dicat: Recipio, quos volo, qui non sunt ad palatum, eos respuo; quo sensu Antecedens falsum est:

est: vel saltem testimonio suo; & sic negatur consequentia. Dicimus ergò, *Ecclesiam minimè autoritate judiciali interposita constituere libros Canonicos pro lubitu, sed habere se solùm ut testimonium ferentem*: cùmq; non aliter quàm testimonio suo recipiat hunc librum in numerum Canonicorum, illum non, hinc non erit superior Scripturâ.

Objicias 2. hac tamen ratione fidem nostram (quod dictu iti dem absurdum) niti testimonio humano, & credere nos Scripturæ non per se, sed propter aliud; propter istud scil. testimonium Ecclesiæ, quod humanum est. Nisi enim testimonium illud extaret, non crederemus hunc aut illum librum Scripturæ esse Canonicum. At fides non debet inniti testimonio humano, sed verbo DEI. Resp. 1. Distinguendo inter fidem humanam sive acquisitam, & Divinam sive infusam. *Fide Divina* credo ego cum aliis fidelibus, hunc librum v. g. Esaiæ volumen esse verè Divinum adeoque Canonicum, & credo id per se, nec fides mea innititur nisi nudo verbo inibi contento, cujus veritatem & certitudinem Sp. S. intus in animo meo confirmavit: *Humana* autem vel *acquisita fides* nititur quàm maximè testimonio Ecclesiæ, quæ libros sacros & inter eos Esaiam tot annos custodiit, pro Canonicis semper habuit, & ita ad posteritaté transmisit. 2. *Aliud est sine Ecclesia testimonio non credere hunc librum esse Canonicum: aliud, propter illud propriè & principaliter credere fide Divina.* Ordinariè talis divina & verè Christiana fides non obvenit, nisi posita prius humana & acquisita, quam facit testimonium Ecclesiæ, quæ viam munit fidei Divinæ, estq; *proœmium ad eam*, ut Thomas loquitur: At propter illud testimonium propriè & principaliter Scripturæ non creditur fide, quæ sit hominis Christiani propria; Sed *est testificatio illa Ecclesia solummodò quadam conditio, qua libri sacri, & quæcunq; in illis credenda, nobis in manus traduntur, quibus dein non propter testimonium & traditionem illam amplius acquisita, sed propter seipsos vi & efficaciâ Spirit. S. planè Theologica & infusa fide creditur.* Antequam tamen hac infusa fide credatur Scripturis, ex Ecclesiæ, ut dixi testimonio, quænam sint illæ Scripturæ, cùm V. tum Novi Testamenti, sive quinam libri sint pro ἀναμφιλέκτως Propheticis & Apostolicis habendi, cognoscendum est. Et quos pro talibus Ecclesia antiquissima Judaica & Christiana constanter agnovit, eos utrâque manu & toto pectore amplecti pios voce rectè docentium commonefactos vult Autor noster.

Quid hæc verba in se contineant, ulteriùs dispiciendum. Scilicet, amplecti libros Propheticos & Apostolicos, est, eos pro principio acsun-

Object. 2.

Amplecti libros Propheticos & Apostolicos, quid?

ac fundamento probandorum dogmatum habere: eſt, eos legere & ſcrutari: eſt, fide immotâ iis aſſentiri, &, ut alii eâ deſtituti ad eandem manuducantur, operam dare: eſt, ex iis omnia petere creditu & factu ad ſalutem neceſſaria. Unde emergunt hæ, quæ ſequuntur, Concl ſiones:

De Principio Theologiæ.

I. Scriptura S. Prophetica & Apoſtolica eſt amplectenda tanquam principium & fundamentum probandorum dogmatum. Res ipſa loquitur, intelligi à nobis *principium* non eſſendi, ſed *cognoſcendi*, ad quod tanquam *ultimum in reſolvendo* & *primum in componendo* omnis, qui ſub lumine revelationis & fidei inſtituitur, diſcurſus ſiſtatur. Ubi obſervandum, Fidem ipſam quidem per ſe, non tam diſcurſivam eſſe, quàm ſimpliciter apprehenſivam: atq; hinc eſt, quòd fidei Divinæ participes reddantur homines etiam idiotæ & nullâ omnino præditi eruditione, & quod non minùs firma & immota fide aſſentiantur iſti, quàm eruditiſſimi quiq;: quia videlicet ad eliciendum fidei aſſenſum per ſe nullo opus eſt artificioſo diſcurſu, ſed ſimplici apprehenſione veritatis à Deo teſtificatæ. Ut tamen doctrina fidei hominibus humano modo proponatur, & præſertim, ubi de rebus fidei ambigitur & diſputatur, diſcurſus abeſſe vel ſegregari non poteſt; & ob id *principio opus*. Sicut enim inter credita quidam ordo eſt, ut aliud ab alio pendeat: ita quoque aliud ex alio deduci poteſt. Oportet autem ad aliquid ſiſti primum creditum, in quo ſi non actu, virtute tamen contineantur credita. Niſi enim in aliquo certo ſiſtas, deducendo & probando aut in infinitum abibis, aut circulo circumageris: quod utrumque cùm æquè ſit abſurdum, neutrum eſſe poteſt. *Hujusmodi* inſuper *principium* aliquod *fide creditum* neceſſariò erit: abſurdum enim ſit, eorum, quæ revelata ſunt, & propter Divinum teſtimonium creduntur, ultimam reſolutionem fieri ad principium evidens & per lumen naturæ notum; quemadmodum quoq; abſurdum fuerit, ſi ea, quæ lumine naturæ cognoſcuntur, ultimò reducantur ad principium luminis fidei. Creditorum itaque genuinum, legitimum & adæquatum principium non poteſt eſſe niſi fide creditum. Quia verò hoc ipſum diſcurſûs principium eſt, *Complexum* oportet eſſe, & Logicum vocare poſſumus, in quo videl. omnis diſcurſus beneficio revelationis ſuſceptus tandem acquieſcat; eritque adeò illud nullum aliud quàm hoc:

Quic-

Quicquid S. Scriptura Prophetica & Apostolica, sive uno verbo, Canonica dicit, hoc est infallibiliter verum.

Est hoc, inquam, primum & summum credendorum omnium principium, in cujus virtute, quæcunque de fide sunt, proponimus & inculcamus, & si ad hoc usque probationes devolvantur, ulterius progredi sub lumine revelationis non possumus.

Convenit huic nostro principio exactissimè definitio, quam Philosophus ponit Anal. post. l. 1. cap. 2. *principium est propositio immediata.* Immediatum autem, definiente eodem, est, quo nihil est prius. Talis propositio immediata est hæc: Quicquid Scriptura S. canonica dicit, hoc est infallibiliter verum. Nihil enim hac propositione prius in disciplina Theologica, nihil notius. Quæ assertio nostra tam diu vera est, donec detur aliud, quod in ordine creditorum primum ac præcipuum sit: id verò dari non posse certum est. Ex Scriptura præsuppositâ dogmata derivantur omnia: ipsa autem ex alio nullo. Suppone enim quodvis aliud dogma, ex nullo horum sequetur, Scripturam S. canonicam esse infallibile verbum ac veritatem divinam. Manet ergo propositio dicta principium Theologicorum discursuum genuinum & summum, quin unicum: Summum enim nisi unum esse non potest.

Explicandum autem paucis principii hujus complexi cùm subjectum, tùm prædicatum. In subjecto per Scripturam S. canon. intelligimus libros superius enumeratos V. & omnes N. T., illos quidem idiomate scriptos Ebraico, hos Græcô. Dari enim potest & quidem *datur S. canonica Scriptura* tota in triplici puritate: *1. Secundùm sensum. 2. quoad voces. 3. quoad idioma.* Secundùm sensum, si dicam: corpus nostrum in supremo die redivivum erit & animæ denuò jungetur, & sic ex corpore & anima unitis exsurget totus homo. Secundùm verba, si ex versione quacunque verba Christi recitem Joh. V, 28, 29. Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis, & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis. Secundùm idioma, si ipsa fontis Græci verba legam: ἔρχεται ὥρα, ἐν ῇ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις &c. Et si eò usque ad fontes sive Græcos sive Ebræos adscendatur (quod fieri nonunquam necesse est, si adversarius nolit versionibus acquiescere) habeo Scripturam Canon. in summa puritate, quatenus à Deo immediatè profecta & inspirata, perq; ejus assistentiam tota confecta, ac verbum ipsius merum & sincerum est, cui quàm minimum alienæ humanæque operæ admixtum. Atque ita quidem nihil

Scriptura Canonica datur in triplici puritate.

nihil est in rerum natura ac universo mundo, quod ab hac parte conferri Scripturæ queat, aut pari cum ea dignitate & loco censeri.

Est infallibilis veritatis. In prædicato infallibilis veritas assignatur Scripturæ Canonicæ. Et quî non? Inter homines hoc quidem frequens, ut fallant, idque quia Veritatem vel ignorant, vel celant. Ast in Scripturis S. Canonicis à Deo inspiratis verum nobis panditur absque metu falsi, cùm princeps illarum auctor sit summè sciens, summè bonus. Quia summè sciens, nihil ignorat: Quia summè bonus, neminem vult quicquam latere eorum, quæ ad salutem scitu sunt necessaria. Scriptura igitur S. quæ materialiter verbum ejus est, non potest non infallibiliter vera esse. Atque perinde est, si principium complexum ita enuncies: Quicquid *Verbum Dei* terminis Scripturæ Canonicæ comprehensum dicit, *verum* est. Nempe sicut Deus O. M. est prima veritas in essendo; ita Dei Verbum ipsaque adeò Scriptura Canonica, qua verbum illud continetur, prima est veritas in significando, sive prima regula credendi. Verum autem illud, quod nobis aperitur in Scripturis, est in ordine ad nostram cognitionem *inevidenter verum*, h.e. tale, quod nec oculis corporeis, aut alio sensu externo percipitur, nec lumine rationis naturali indagari ac penetrari potest. Nec id mirum: cùm sit de rebus fidei; Fides autem τῶν μὴ βλεπομένων, rerum inevidentium seu non apparentium, ut dicitur Ebr. XI, 1. Cujusmodi res nec sensui evidentes sunt, uti Solem lucere evidens est, nec intellectui, ut principia naturâ nota, quæ ex ipsis terminis innotescunt, & demonstrationes per causam. Verissimæ nihilominus & indubitatò certissimæ, ac quàm maximè dignæ, quibus præbeatur assensus. Id quod ipse Autor noster in præfat. his verbis inculcat: *Doctrinam Ecclesiæ à Deo traditam sciamus certam & immotam esse, etiamsi nec sensu deprehenditur, nec nobiscum nata est, ut Principia, nec demonstrationibus invenitur.* Paucis interjectis pergit: *Non alenda est hîc aut laudanda dubitatio, sed sit fides certa assensio, ἔλεγχος, i.e. certitudo, qua mens convicta Divinis testimoniis firmissimè amplectitur vocem divinam de rebus non apparentibus, ut loquitur epistola ad Hebræos.* Ubi idem plane nobiscum dicit, res in Scripturis esse non apparentes, quibus tamen certa fides & assensio remotis procul dubitationibus habenda.

Quod jam in naturaliter cognitis præstat evidentia, ut perceptis terminis & rationibus ad assensum moventibus nemo, qui sibi mente constat, possit ab evidenti veritate assensum, nè quidem per contumaciam cohibere; hoc in creditis efficit *Spiritus Sancti assistentia & internum testimonium, mentem animumque collustrans, perque voluntatis affectionem ab eadem gratia profectam inclinans*, ut, si contumacia absit,

assensus præbeatur rerum inevidentium veritati, eique tàm firmiter homo adhæreat, ac si oculis videret vel intellectu comprehenderet. *Spiritus* enim *est, qui testificatur, Spiritum veritatem esse*, I. Joh. V, 6. h.e. Spiritus Dei, verbo sive lecto sive prædicato præsentissimus, ipsemet testatur, doctrinam Spiritûs, sive quam ministerium Spiritûs, uti vocatur 2. Cor. 3, 8. proponit & tradit, fallere nesciam & exploratò veram esse.

His ita explicatis error Pontificiorum, qui nobis hîc adversantur, notandus venit. Saniores equidem nostræ de Theologiæ principio doctrinæ adstipulantur. Sic enim Petrus de Alliaco Cardinalis q. 1. in 1. Sentent. a. 3. *Patet, quæ sint principia Theologica. Sunt enim ipsæ S. Canonis veritates: quoniam ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursûs, & ex eis primò singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur.* Alphonsus de Castro contra hæreses l. 1. c. 2. *Harum Scripturarum testimonia tanquam prima in hac scientia principia & velut arma omnibus communia suscipienda sunt.* At moderni in turbam se dant principiorum, obtendentes ceu clypeum non Scripturas solùm, sed & Traditiones Ecclesiæ non-scriptas, consensum Romanæ Doctorum Ecclesiæ, decreta Conciliorum ac Pontificum; ita tamen, ut ad hoc postremum, Pontificis scil. decisionem, si Diis placet, infallibilem omnia tandem reducantur: cùm sine Pontifice nec Scripturis credant nec traditionibus, & Doctorum omnium etiam antiquissimorum consensum floccipendant, Concilia quin etiam universalia non aliter ab errore immunia pronuncient quàm quatenus reguntur à suo infallibili capite Pontifice. Igitur re exactè trutinata hoc est Theologiæ hodiernæ Papisticæ, inprimis Jesuiticæ, principium primum atque potissimum:

Quidquid Romanus Pontifex definit, hoc est infallibiliter verum.

Quod profectò principii nomen minimè meretur: quippe non immediatum & primum. Tale enim quis dixerit, quod non αὐτόπιστον est & ἀναπόδεικτον, sed omni caret probabilitate, & ob id valida indiget probatione? Hocce ipsimet animadvertentes conantur Pontificis sui infallibilitatem ex Scripturis deducere, præcipuè ex illo Christi ad Petrum Matth. XVI, 18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Quàm bellè, suo tempore videbimus. Jam sufficit ostendisse, infallibilitatem, quam crepant, Pontificis, nomen principii, puta primi & immediati ac indemonstrabilis, tueri non posse. Porrò vel sistunt Pontificii in Scriptura, ex qua infallibilitatem Pontificis

probare laborant, vel non sistunt, Si illud, obtinuimus nos, quod Scriptura sit ultimum in resolutione & hinc quoque primum in compositione principium. Si hoc, circulum committunt: quod sanè ex ipsa eorum praxi manifestum. Interrogati enim quare Pontificum dictatus sint infallibiles? respondent: quia Scriptura id testetur, dum Petro dicitur: *Tu es Petrus &c.* interrogati ulteriùs: quare verba illa Christi, in quibus Pontificis mentio non fit, ad eum trahantur? respondent vicissim: quia Pontifex ea sic accipienda esse infallibiliter determinet. En tibi lepidam probandi rationem orbicularem! contra quam pluribus & accuratè disputat D. Georgius Calixtus, in fine Epitomes suæ. Addatur eruditissimus discursus D. Alardi Vaëck *de primo principio Theologiæ Jesuiticæ.*

Thomas Scholasticorum princeps p. 1. q. 1. a. 8. pro principio Theologiæ habet omnes fidei articulos. Verùm, quod conclusio est in aliqua disciplina, id pro primo principio haberi non potest. *Articuli fidei sunt conclusiones in Theologia: probantur enim ex Scripturis tanquam ex principio. E. pro primo principio haberi non possunt.* Hæc de prima conclusione.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

II. Scriptura S. Prophetica & Apostolica est studiosè legenda & scrutanda. Studium hoc lectionis Scripturæ omnibus, qui ejus captum cupiditatemque habent, non solùm concessum est, sed etiam imperatum à Deo. Inprimis *Doctoribus* Ecclesiæ 1 Tim. IV, 13. Attende lectioni, Tum etiam *præfectis politicis*, Deut. XVII, 19. postremò *in genere omnibus fidelibus*, Esa. XXXIV, 16. Quærite ex libro Jehovæ & legite. Joh. V, 39. Scrutamini Scripturas. Ubi verbum Græcum ἐρευνᾶτε, noviter à Beza in indicativo modo acceptum, malumus in imperativo interpretari cum Chrysostomo hom. 1. in 1 Tim 1. c. dicente: *Scrutari jussit Salvator*; cumque Cyrillo Alexandrino Γλαφυρῶν l. 1. scribente: *Scrutamini Scripturas, Judaico populo Christus inclamavit, non alia ratione ad vitam pertingere posse ullos manifestè dicens, nisi veluti thesaurum quendam effodientes legalem literam, abditam in ea margaritam* h. e. *Christum pervestigent.* Tale quid *cum fructu fecerunt & laudem reportarunt* Eunuchus Candaces, Act. VIII, 28. & Beroënses, Act. XVII, 11. Jam quod ab ipso Deo fidelibus non solùm concessum, sed etiam mandatum, & à Spirito S. in iisdem laudatum est, ejus usus nulli eorum prohiberi potest aut debet.

Pontificii tamen edicto cavere nil dubitarunt superiore seculo, ne feminæ, pueri, aut ulli Laici, cupidissimè licet legendis Bibliis inhiantes,

ces, legere ea permittantur *sine licentia Episcopi sive Inquisitoris, singulariter* & speciatim in scriptis data: quanquam istud de licentia data plurimi omittunt. Actum ea de re in Concilio Tridentino sess. 2. ubi regulæ quædam à Patribus ad id ordinatis compositæ Romam missæ sunt, ad sedem scil. Apostolicam, ibidemque à Pontifice Pio IV. impiè per diploma approbatæ.

Quid enim? num *feminæ* à lectione Scripturæ excludendæ? Atqui S. Hieronymus feminas eandem ad rem commonet, Lætam, Paulam, Demetriadem, Salvinam, quibus ut & aliis non literas solùm scripsit didascalicas, sed & nonnullis dedicavit suas in Scripturæ libros lucubrationes: quo ipso voluit, ut omnes etiam feminæ in legendis S. literis occuparentur. Num *pueris* hac lectione interdicendum? Reclamat exemplum Timothei, ad quem Apostolus scribens: A puero, inquit, 2 Tim. II. 15.
S. literas novisti. In Græco est ἀπὸ βρέφους, quod Vulg. reddit: ab infantia, retinens strictam significationem τοῦ βρέφους; estque, ac si dicat Apostolus: *post* annos infantiæ, sive postquam desiisti esse infans, statim didicisti S. literas; quemadmodum & Ebreorum מ interdum significat post, ut Gen. IV, 3. מִקֵּץ יָמִים post finem dierum, id est, post finem anni, sive ut alii, post multos dies. Et Luc. 2, 36. ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς, post virginitatem suam. Et Latini quoque dicunt: à prandio, à cœna.

Laicos verò indiscriminatim quo jure à lectione sacra arcent? An quia *seculares*? Aliter longè Chrysost. hom. 9. in ep. ad Col. *Audite obsecro seculares omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca. Si nullos alios vultis* (libros sacros) *Novum quidem certè Testamentum vobis parate.* Idem hom. 3. de Lazaro: *Ne quis mihi dixerit —: Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum: non est meum legere Scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt* (Monachorum.) *Quid ais homo? non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? imo tuum magis est quàm illorum, neq; enim illi perinde Scripturarum egent præsidio atq; vos in mediis negotiorum undis jactati.* Similiter August. T. 2. ep. 1. ad Volusianum, virum illustrem, politicum & laicum: *Hortor ut valeo, ut literarum verè certèq; sanctarum studio te curam non pigeat impendere.* Et mox: *Præcipuè Apostolorum linguas exhortor ut legas: ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis utuntur Apostoli.*

An ideò, quia *indocti* sunt eorum plurimi, prohibenda ipsis Scri-

pturæ lectio? Ast ideò provocari eos conveniebat ad hanc & excitari, ut vera doctrina & eruditione salutari imbuerentur. Enimverò *exotica doctrina & eruditio secularis non est præcisè ad hoc necessaria, ut quis ex lectione sacrorum Bibliorum fructum reportet.* Videre est non paucos (agnoscente etiam Jesuita Acosta, de Christo revelato l. 2. c. 5.) ab omni literali disciplina alienos adeò in S. literarum cognitione profecisse, ut nullo modo sint cum iis etiam literatissimi comparandi. Etenim (ait rursum Chrys. hom. 24. in Gen.) *misericordem habemus Dominum, & quando videt nos sollicitos & magnum desiderium ad cognoscenda divina eloquia habere, non permittit nos ulla re indigere: sed statim illustrat mentem nostram & suum fulgorem largitur, & pro sapientia illa sua mira industria omnem veram doctrinam animæ nostræ inserit.*

An, quia *sufficit eos audire verbum prædicatum, & fides ac finis fidei etiā sine Verbi illius lectione haberi potest*, idcircò lectio hæc respectu Laicorum est res adiaphora? Consequentia fallit: *hoc tantùm exinde sequitur, lectionem illam ex se non esse simpliciter & absolutè cuivis necessariam*: præsertim cùm multi, qui non nôrunt literas, legere non possint. Iis tamen qui legere possunt, est necessaria ex ipsius Dei mandato & ad ipsorum benè esse, ac perinde talibus non sufficit sacras prædicationes audire, nisi cùm domi fuerint, assiduè quoque divinarum Scripturarum evolutioni vacent.

Sed fortè periculum est, ne per lectionem illam incidant in *errores, quin hæreses*? imo *quando tantùm audiunt, possunt faciliùs aliquid arripere succinctè à pastore & sine explicatione allegatum, unde postmodò nascatur error: si privatim ipsi legant, tempus habent considerandi.* Addo, quod hæreses ab Optimatibus potiùs quam à plebejis hominibus excitantur: certè *hæresiarchæ ferè omnes aut Episcopi aut Presbyteri fuerunt*, verba sunt Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 8. Quis autem ob istum Scripturæ ad erroneum & hæreticum sensum detortæ abusum Episcopis aut Presbyteris unquam illius usum vetuit?

Subest autem aliud periculum, *ne elati licentia illa promiscua* reddantur, seque, ut Serarius inquit, nihil non scire arbitrentur imperitorum plurimi. Sanè quidem posse hoc ita contingere, nolumus inficias ire: quod tamen nec semper, nec per se, sed *interdum & per accidens fieri intelligendum est.* Dico etiam: qui tales sunt, aliunde superbiæ semina & arrogantiæ habent, antequam ad legendas Scripturas accedant, quæ per se antidotum adversus superbiæ venenum propinant. *Monendos interim è vulgo fideles censemus, ut in lectione eloquiorum Dei legitimum finem sibi propositum habeant*, vel cognitionem veritatis, vel in veri-

veritate jam cognita profectum, eoque animũ afferant humilem, non tumentem; docilem & discendi cupidum, non ad temeraria & immatura judicia proclivem, ne, cum semel aliquid de Scripturis gustarunt, omnia se jam tenere putantes ac vel ipsis suis Doctoribus insolentius obstrepentes audire cogantur, quod præfecto culinæ Imperatoris Magnus dixit Basilius: *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata divina decoquere*; referente Theodoreto l.4. hist. c 17.

Sed nimirum obscura, ambigua & intellectu difficillima est Scriptura, ut in ea legenda Laici oleum, quod dicitur, & operam perdant, si Pontificiis credimus: eò enim tandem deveniunt, ne injuria codices sacros manibus promiscuæ multitudinis videantur excutere. Nos veram de Scripturæ S. sive perspicuitate sive obscuritate sententiam in occasione paucis proponemus.

Concedimus, esse quædam in Scripturis δυσνόητα, qualia non solùm in epistolis Pauli occurrunt, teste Petro 2 ep. 3, 16. sed & apud Ezechielem, Danielem, in Apocalypsi ac in V. & N.T. passim. Utrumque enim peculiaribus idiotismis, Ebraismis, Hellenismis, allegoriis, apparentibus contradictionibus, trajectionibus, locutionibus concisis vel ὕστερον πρότερον habentibus, & hinc ortis difficultatibus nec paucis nec levibus scatet: ut propterea peropus sit expositionibus luculentioribus Doctorum tùm viva voce tùm editis commentariis nos erudientium; qui Doctores tamen nec ipsi, summi aliàs & in S. literis multos annos versatissimi, ubique omnia assequuntur, cum de se palàm scribat Augustinus: *Non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis S. Scripturis multò nescio plura, quàm scio. ep.119. c. ult.* Quo pacto voluit Deus *1. excitare nostrum studium, 2. à fastidio revocare intellectum*, cui facilè investigata plerunque vilescunt: *3. precandi etiam inflammare exercitium, & 4. desiderium accendere alterius vitæ*, cui plena rerum Divinarum cognitio reservata, ad quam respectu habito, ea, quæ hîc ex verbo Dei hauritur, scientia, est *ænigmatica & subobscura*, 1 Cor XIII, 12.

De Perspicuitate Scripturæ.

Cur quædam obscura in S. Literis.

Hæc ita Pontificiis ultrò largimur; & illi vicissim nobis, (si moderatiores in hoc puncto, Becanum, Costerum, Marium consulas) Scripturam in multis locis esse claram, perspicuam, facilem.

Cardo autem controversiæ in hoc vertitur: an quæ ad doctrinam fidei & morum necessaria sunt, omnia in Scripturis perspicuè posita sint: an verò aliqua saltem eo modo inibi habeantur? Nos prius quæstionis membrum assumentes hanc ex Augustino thesin nostram facimus: *In iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq́ vivendi.* Ista verba omnium memoriæ infigenda habentur l.2. de doctrina Christ. c.9.

Veritas assertionis nostræ patet: 1. *ex fine Scripturæ*, qui est nostra doctrina. *Quæ enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*, Rom. XV, 4. præcipuè autem voluit nos Deus in Scripturis docere ea, quæ ad salutem sunt necessaria. At cum hoc fine intento simpliciter pugnat obscuritas. Necesse est ergò Deum de quolibet salutaris doctrinæ capite perspicuè fuisse locutum. Aliter se res habet in iis, quæ sive ad tempus sive prorsus ignorata vel perperam intellecta saluti non obsunt: in iis enim si sit obscuritas, ut est omninò, ea cum fine non pugnat: nec enim hac intentione Deus illa scribi & unà cum iis, quæ novisse nostra interest, consignari fecit, ut doctrina, qua ad salutem dirigimur, inde peteretur, sed magis, ut nos, velut jam ante diximus, *1. exerceret & 2. attentos redderet ac 3. precibus instantes & 4. ad alteram vitam anhelantes*. Quæ autem docendi gratia protulit, ab iis perspicuitatem abesse supremus Doctor minimè passus est. Si non in omnibus locis, ubi dogmata tractantur, ac ne quidem in plerisque ea sermonis dos, in quibusdam tamen singulorum dogmatum sedibus certò deprehenditur, è quibus deinceps alia loca obscuriora possunt exponi. Admittimus enim quædam, quæ suo quoque modo ad fidem & mores faciunt, nonnullibi intricatius dici, quæ tamen ex aliis locis manifestis lucem facilè fœnerentur. Ergo, ut monet S. August. l. d. *illa quæ in S. literis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertiùs diligentiusq; investiganda sunt.*

2. *Ex ratione*. Articuli enim fidei omnes ac singuli è Scripturis probantur: oportet igitur contineantur in Scripturis apertè, alioqui obscurum per æquè obscurum probabitur. Quos enim articulos probari sibi quis vult, iidem ipsi sunt obscuri. Si jam Scriptura, unde probantur, æquè obscura sit, ridiculæ erunt ἀποδείξεις quæ ex ea sumuntur.

3. *Ex appellatione Lucernæ*, Ps. 119, v. 105. quæ Scripturæ si ob ullam aliam rationem, certè intuitu eorum necesse est competat, quæ ad salutem omnibus necessaria sunt, propter quæ præcipuè eam esse confectam dubitari nequit. Excipiat fortè Pontificius: ideò Scripturam dici lucernam, non quòd in se sit lucida & intellectu facilis, sed quia, cùm intellecta fuerit, homines illuminet. Veruntameu *hoc pacto omnia obscurissima ænigmata & Sibyllarum vaticinia erunt perspicua, quia intellecta mentem illuminant*. Instet: & prophetiam, quæ aliàs obscura est, nihilominùs lucernam dici 2. Petr. I, 19. Sed nec hoc sententiæ nostræ obstat, cùm *omnis prophetia ante sui impletionem faciat videre, quantum opus est*. Sic homines sub V. T. e. g. *Discipuli Emauntem abeuntes, Eunuchus Candaces & Apostoli* (quos ipsos quoque Pon-

Pontificii hic nobis objiciunt) tam clarè quidem ac nos hodiè prophetias de Christo tum nondum completas haud intellexerunt: quantum tamen pro statu illius temporis credendum erat, in luce doctrinæ propheticæ illis non obscurum fuit relictum. Urgeat alius ex eodem Psalmo 119, v.18. quod David dicit: *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de Lege tua.* Ubi Scripturam ipsam de sua obscuritate testari dicit Bellarminus. Sed verba Davidis hoc non important. *Vel enim Propheta tenebras ignorantiæ confitetur*, ut ait Hieron. ep. ad Paulinum de instit. Monach. & ad eas depellendas cœlestem illam Spiritûs Domini lucem menti desiderat suæ indi (ubi sanè aliud est, Scripturam obscuritatis condemnare: aliud, ignorantiæ in mente hærentis tenebras agnoscere & accusare:) *Vel* considerare *ibi est in animum penitiùs immittere, ita ut intellectio vergat ad salutem.* (ubi rursum aliud est, intelligere verba Scripturæ, quæ satis sunt clara: aliud, intelligere Scripturam salutariter, pro quo posteriore DEUS orandus est.)

Becanus, Man. l. 1. objicit: etiam loca clariora venire in controversiam. e. g. verba illa Christi: *Hoc est corpus meum*, nobis videri clarissima, quæ eadem Calvinianis obscura sint & figurata: Scripturam ergò non posse perspicuam dici. ℞. Ad Antec. *id fieri non Scripturæ sed hominum vitio, animos præjudicio aut ambitione excæcatos habentium: quò accedit pertinacia:* unde tanta existit perversitas, ut manifestissima loca torqueant; sicut litigantes solent interdum sententiam Judicis torquere, licet satis perspicua sit. Objicit idem: clariora loca ob id quoque esse difficilia intellectu, quia tradant res inevidentiam ac obscuritatem habentes, nempe mysteria à sensibus & cognitione mentis nostræ remotissima. Verùm *confundit difficultatem, quæ est in apprehendendo, & eam, quæ est in assentiendo vel judicando*: possunt enim res habere difficultatem, quò minùs intelligantur promtè, 1. ratione apprehensionis, 2. ratione judicii vel assensus. Apprehensio rerum in Scripturis propositarum & vel summorum mysteriorum (supposito, verba quibus efferuntur esse perspicua) facilis est, quin evidens & virium naturalium, ut quis dictorum sensus sit, quid affirmetur, quid negetur, *non solùm intelligere possis, sed ne omninò possis non intelligere*; quod in perspicua oratione requirit Quintil. l. 8. c. 2. Si enim manifesta falsitas, à qua omnium maximè intellectus abhorret, nihil obstat, quò minùs intelligam, quid aliqua propositione dicatur, & apprehendam, quid significetur, quid de quo affirmetur aut negetur; multò minùs altitudo mysterii impediet, ut intelligi & apprehendi nequeat. Judicium autem de veritate rerum per verba propositarum, in quo assensus propriè consistit, habet tantam difficultatem, ut per vires naturæ haberi non

Object. 1.

Object. 2.

non possit, sed sola virtute divina. Quando v.g. dico ex Esa.7. *Virgo peperit*, apprehendo statim, quid dicatur, & evidens mihi est sensus hujus propositionis, quod scil. de virgine seu innupta affirmetur, eam edidisse partum: De Veritate autem hujus dicti quæ inevidens est, rectè judicare, vel, quod idem, rem propositam ceu veram credere non possum viribus naturæ, sed potest illa propositio menti sibi relictæ omninò videri falsa. Hinc verò malè colligitur, Scripturam etiam in locis clarioribus esse obscuram: quia non quæritur inter nos & Pontificios, utrum res, quæ in Scripturis proponuntur credendæ, inevidentiam Veritatis ac huic conjunctam difficultatem assentiendi habeant? quod negari non potest; sed utrum proponantur verbis obscurum & non evidentem sensum habentibus, quem quivis legens non potuit statim percipere & apprehendere, quod nos jure negamus.

Et ne longiùs abeamus, ex hactenus dictis tria concludimus: 1. Quia Scriptura omnia cùm creditu tùm factu ad salutem necessaria dilucidè tradit, aut si quid horum alicubi obscuriùs dicit, id alibi planiùs explicat, *eam simpliciter loquendo claram & perspicuam esse, obscuram autem tantummodò secundùm quid*, respectu scil. eorum, quibus DEUS nos exercere voluit, quæ sunt Scripturæ pars minùs præcipua. 2. Quia Scriptura simpliciter loquendo clara est, iniquissimam tyrannidem esse ejus legendæ cupidos à sancto hoc proposito retrahere, cùm ex iis quæ *clara sunt, nemo haurire non potuit, quod sibi SATIS est. si modò ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poscit, accedat*: sicut loquitur August. Tom.6. de util. credendi, c.6. *Ubi prorsus ad salutem consulitur universis, quos Dominus salvare dignatur: ibi est, quod omni ætati congruat, ibi quod omni professioni conveniat*, ait Fulgent. Serm. de Confessor. & Dispensator. 3. Quia Scripturam legere omnibus permissum est, nonnullis etiam imperatum, rectè fieri, si ea ex Ebræo & Græco textu vertatur & transferatur in linguam vernaculam; quali lingua primitùs consignata est & divulgata: nam apud Ebræos initio, cum Ebraicè adhuc loquerentur omnes, alia non erant Biblia quam Ebraica. Cum verò cessaret usus puræ Ebrææ linguæ post captivitatem Babylonicam, facta est translatio in Linguam Chaldaicam Judæis tum familiarem. Legatur absolutissimus tractatus historicus & Theologicus *D. Christoph. Helvici, de Chaldaicis Bibliorum Paraphrasibus*. Nec deerant sub & post adventum Christi versiones Græcæ, quia & ista lingua tunc communissima erat: unde N. quoq; Testamentum integrum Græcè scriptum est. Ex Græcis porrò Latinæ versiones sunt depromtæ penè innumerabiles, ut testatur August. l. 2. de doctr. Christi c.11. Inter Græcas eminuit versio LXX. Interpretum: inter Latinas una

De versionibus Scripturæ.

itidem

itidem celebratur præ cæteris, Itala dicta; post hanc *Hieronymiana, quæ quidem ex ipsa Ebræa veritate expressa per annos M. in Ecclesia passim obtinuit, Vulgata dicta; non parum tamen discrepans ab ea, quæ hodiè ita dicitur.*

Ob antiquitatem honorem ipsi suum habendum censemus; simul autem considerari volumus illud Hilarii in Ps. CXIIX. in enarratione octonarii ל: *Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis translatione præstari.* Quin ergò de versionibus in universum valeat dictum Augustini: *Ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Tantum abest, ut vulgatam Latinam cum Patribus Tridentinis, aut quamcunque aliam versioné authenticam pronuntiemus: tale enim hîc loci esse non potest, quod non idem Θεόπνευστον sit: nullam autem versionem licet in se optimam, Θεόπνευστον esse, per se liquet. Hæc ergo de II. Conclusione sufficiant.

III. Libri Sacri Prophetici & Apostolici sunt fide immota amplectendi, & ut alii ea destituti ad eandem manuducantur, opera danda. *Fidem immotam* cùm dicimus, intelligimus verè Christianam, divinam & infusam fidem ab humana & acquisita distinctam, veluti jam supra diximus. Est autem (ut planius hæc innotescant) Fides Christiana sive Divina assensus, quem dictis sive revelatis à Deo præbemus propter autoritatem revelantis Dei. Humana verò fides est assensus, quem præbemus dictis ab homine propter autoritatem hominis dicentis aut testificantis. De Fide ut in intellectu est, nos hîc agere constat: neq; enim specialiter hîc tractamus de fide, ut ea est salvifica, sed de fide simpliciter seu generaliter potius, per quam videlicet homo Christianus quæcunq; à DEO revelata, sive testimonio Divino confirmata esse intelligit, firmo & immoto assensu amplectitur. Sed & ex superiùs dictis id h. l. repetatur, fidem esse rerum inevidentium: quod quidem est de intrinseca ratione fidei. Atque illa inevidentia spectatur in objecto fidei non materiali solùm, de quo jam antè, sed formali etiam. Certè id quod revelatur & creditur h.e. ipsum materiale ordinariè & communiter superat captum rationis, & evidentiam, per quam aliàs cognosci possit, non habet. Et hac in parte convenit cum humanâ Divina fides: nam quæ per autoritatem humanam proponuntur & tali fide creduntur, ipsa quoque inevidentia, saltem quoad eum, cui proponuntur, esse consueverunt. Addo autem hîc, formale quoque objectum fidei i. e. medium illud,

De autoritate Scripturæ.

Dist. inter fidem divinam & humanam.

illud, quod rem credendam facit cognosci & quo nos ad assensum præbendum movemur, inevidens esse: in quo differt ab humanâ Divina fides. Humana enim evidentiam habet proponentis sive testificantis, non item divina. Evidens est in humanis, hunc vel illum tale quid asserere vel dicere: DEUM verò ea, quæ per ipsius autoritatem creduntur, asserere, evidens est minimè; quod si evidens esset, DEUM illa asserere sive testimonio suo confirmare, evidens quoq; foret illorum ipsorum veritas. Sic itaque *objectum fidei Divinæ & secundùm materiale & secundùm formale inevidens est: Fides tamen ipsa objectum illud amplexa, immota est & indubitata ac firma.* Quoniam enim assensum præbet propter autoritatem divinam, fieri non potest, ut cum eâ dubitatio deliberata consistat. Tali fide divina, certa & immotâ, autoritati Divinæ inevidenter licet testificanti validè innixâ, amplectendos dicimus ab homine Christiano esse libros Propheticos & Apostolicos.

Probamus id manifestissimo exemplo Thessalonicensium, ad quos Apostolus scribens 1 ep. II, 13. *DEO*, inquit, *indesinenter gratias agimus, quod accipientes* λόγον ἀκοῆς *verbum auditionis à nobis* (h. e. verbum auditum sive auribus perceptum ex nostra prædicatione) *recepistis illud, non ut verbum hominum* (i. e. non humana fide propter hominis alicujus autoritatem, de qua, quantacunque etiam sit, ambigi potest) *verùm sicut est revera, ut Dei verbum* (h.e. fide verè divinâ, autoritati ipsius DEI firmiter innixâ) *qui & operatur in vobis qui credidistis.*

Ecce, quàm signatè his verbis describatur Fides divina hominis Christiani propria! Oportet eum recipere verbum Prophetarum & Apostolorum sive in prædicatione auditum sive in ipsorum libris lectum, ut DEI verbum. Si ut DEI verbum recipitur, necesse est hominem fidelem *firmiter persuasum* esse, DEUM sibi in eo loqui: necesse quoque est, eum propter autoritatem divinam inibi elucentem principaliter & propriè assentiri: necesse denique est, eum nequicquam de infallibili hujus verbi veritate subdubitare, sed animum ejus reddi ἀμετάπτωτον, ut si Apostolus vel Angelus veniens de cœlo aliud prædicet Evangelium, intrepidè eum anathema esse dicat ex Gal. I, 8.9. Non est ergò hæc vox animi verè fidelis: Ego fidem adhibeo Scripturis potissimùm ob id, quia sic edoctus sum ab Ecclesia; aliàs Scripturæ plus nihil, quàm scripto profano attributurus. Hoc enim esset humanâ credulitate duci, non verè credere fide divinâ.

Fides divina, qua assentimur verbo Dei, accenditur à Spiritu S.

Unde verò, inquies, est, ut quis tali fide immotâ ac divinâ verbo Prophetico & Apostolico assentiatur? *A Deo*, ait Apostolus, *agente in iis qui credunt.* Nempe etiamsi certum sit & apud omnes sanæ mentis extra controversiam positum, Deum infallibilis esse autoritatis, atque ver-

verbum ejus absque omni dubitatione recipiendum: evidens tamen minime est, Deum nobis loqui, aut verbum, quod nobis proponitur, Dei verbum esse, neque ad hoc demonstrandum aut evincendum ulla suppetunt argumenta ex iis, quæ naturali judicio subsunt, depromta; ideoque fides immota, Dei verbo habenda, non est ex nobis aut humanarum virium, sed ex peculiari & supra naturæ ordinem divinitùs donata & intrinsecus operante gratia: *per quam facultas intelligendi naturalis, ad assentiendum mysteriis divinis per se improportionata sive potiùs impotens penitùs, elevatur, ut intelligat & credat Deum sibi loqui.* Quæ ipsa tamen *gratia nemini necessitatem credendi imponit, sed facultatem credendi, quâ destitutus aliàs erat homo, largitur*, ut jam utrumque ille possit, nempe vel virtute & beneficio gratiæ verbum recipere, vel secundùm nativam pravitatem contumaciæ indulgere, Spiritui S. resistere & verbum repellere.

Quæres porrò: Quomodo datur hæc Gratia? num immediatè? an interventu medii alicujus externi? Hîc Apostolus nominat Verbum Divinum, quod ipse vocat λόγον ἀκοῆς, ad quem extrinsecùs sonantem Deus suâ gratiâ intrinsecùs operetur. Nam placuit Deo cum verbo suo gratiam suam ita conjungere, ut nunquam hæc denegetur, ubi illud studio veritatis & amore discendi tractatur & auditu percipitur. Nec per hoc excluditur lectio Scripturæ, per quam Deus itidem efficax vult esse. *Verbum enim Dei quà Dei est, semper habet annexam gratiam*, Esa. LV, 10. 11. *& per se pollet autoritate ad movendos animos*, Jer. XXIII, 29. Matth. VII, ult. 1 Cor. II, 4. *eiq; accidit, ut voce proferatur & audiatur, aut scripto consignetur & legatur.* Utrum igitur horum fiat, eapropter neque majorem vim habet movendi & efficiendi fidem, nec minorem: idem enim est verbum utrobique. Vult autem alterutrum horum Deus fieri: vult inquam, externè & sensibiliter tractari Verbum, ut sive scripto consignatum legatur, sive viva voce prædicatum audiatur.

Per ipsum illud verbum.

Quia enim cum hominibus agitur, qui ordinariè, nisi initio à sensibus per sensibile quidpiam facto, ad intelligendum vel assentiendum moveri nequeunt; propterea externum quiddam sive sensibile necessariò intervenire oportet, quo mediante homo percipiat & intelligat, Deum sibi loqui, & hinc fortiter commoveatur ad fidem dictis vel lectis habendam. Jam verò certum est, nullum aliud dari vel fingi posse præter ipsum externum sensibile Dei verbum: hujus cùm lectioni tùm auditioni Deus autoritatem testimonii sui, ut ita dicam, impressit, & auxilia gratiæ conjunxit. Hoc fine instituit ministerium docendi & prædicandi, Matth. XXVIII, 19. ac jussit etiam Scripturam legere

 & scru-

& scrutari. *Autoritas igitur divina cum verbo & in verbo sensibili, sed insensibiliter & inevidenter testificatur, & Gratia per verbum naturaliter auditum & lectum supernaturaliter operatur.*

Usus dictorum contra Pontificios.

Usus horum quæ modò diximus est *1. Contra Pontificios*, asserentes, autoritatem Scripturæ, & omnium quæ in ea proponuntur, dependere in ordine ad nostram cognitionem ab autoritate Ecclesiæ: ut auctoritas Ecclesiæ proponentis sit causa & fundamentum fidei nostræ Divinæ &, ut loquuntur, ratio formalis sive objectum formale, aut saltem, ut quidam mitiùs sentire videntur, conditio necessaria talis objecti, per quod & propter quod principaliter credimus. Id verò omne falsò asseri, patet ex allato Thessalonicensium exemplo. Quænam Ecclesia, quæso, Thessalonicenses pro sua autoritate moverat, ut fidem adhiberent Paulo prædicanti Evangelium? nulla tum erat Ecclesiæ nascentis autoritas: quippe *non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles* tum in Ecclesiæ gremio continebantur, ut dicitur 1 Cor. I, 26. Nec Pauli quoque autoritas eos movere poterat, quæ extùs itidem nulla aut perexigua erat. Apostolus is quidem fuit & ob id magnæ auctoritatis: sed unde Thessalonicensibus, vel quòd Paulus esset Apostolus, vel quanta Apostoli autoritas esset, constare potuit? Relinquitur ergò, solum verbum vi sua & efficacia, quam peculiariter sibi inditam & quasi connatam habet, eos permovisse, ut ipsi per & propter se tanquam divino & infallibili assentirentur. Nec possunt Pontificii aliud quidquam, quod eos permoverit, proferre. Scitum est illud Salviani: *Alia omnia* i. e. humana dicta *argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est.* l. 3. de Provid. Quis enim unquam ex nobis vidit Deum concionantem, scribentem, docentem? tamen, ac si vidissemus, credimus & tenemus à Spiritu S. fluxisse, quod audimus vel legimus. Hoc est à virtute verbi. Nemo hominum quantumvis maximæ autoritatis potest suo sermoni vel scripto ea indicia imprimere, unde infallibiliter constet ipsius sermonem vel scriptum esse, sed id utplurimùm pendet à testimonio aliorum. Sigillum quidem & Subscriptio videntur excipienda; quæ tamen ipsa non nisi moralem certitudinem efficiunt haud excludentem omnem formidinem oppositi. Deus autem pro sua potentia verbo suo addit eam autoritatem, ut ipsum de se inevidenter quidem sed infallibiliter testimonium, quòd Dei verbum sit, in animis ferat fidelium gratiâ Spiritus S. collustratis. Quemadmodum Sol proprio suo lumine & alia ostendit & seipsum manifestat: Ita verbum Divinum, quod est lumen pedibus nostris, omnes fidei articulos demonstrat & seipsum quoque ostendit. Non potuit hoc, posito partium studio, diffiteri Fr. Suarez, cujus hæc sunt: *In actu*

exer-

exercito dum DEUS aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem ejusdem actûs in seipsum, dicit se dicere. — Hoc ergò modo Divinum verbum & rem dictam & seipsum dicit; & hac ratione per fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud verbum, sed per se ipsum. Tr. de Fide, Disp. III. sect. XII.

2. *Contra Pelagianos*, necessitatem Divinæ specialis gratiæ intùs & in animo operantis præfractè negantes, quam adeo clarè Paulus adstruit dicens, *Deum operari* IN *iis qui credunt*. De qua re plura suo tempore cum Deo. Pelagianos.

3. *Contra Enthusiastas*, λόγον ἀκοῆς ceu inefficacem repudiantes & ejus loco revelationes immediatas sive illapsus & inspirationes peculiares, quibus dirigantur in via salutis, expetentes. Quid hoc verò aliud, quàm ordini divinitùs constituto, hœdi instar petulci, cornua obvertere? Si namque λόγος ἀκοῆς est inefficax, & sine eo gratia spiritualis & intrinsecùs operans, sive inspiratio & illuminatio, quam illi spiritum internum vocant, homini contingit, quare verbum sensibiliter tractari vult Deus? quare ministerium Ecclesiæ est institutum? quare ait Apostolus Rom. X, 17. *Fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei?* Quod si esset, ut illi volunt, Deus immediatè mentibus nostris illaberetur, &, sicut potest omninò, per sese ad intelligendum & assentiendum eas cogeret, conversio hominum in extraordinariis & Propheticis raptibus consisteret, (quales nunc in N. T. stolidè expectari ex Ebr. I, 1. 2. liquet) nec ratio ulla dari posset, quare hunc Deus ad credendum moveret, istum non item, nisi absolutum beneplacitum. Maneat igitur hoc, Deum excitare homines, ut credant fide divinâ, & movere per suam Gratiam internam, interveniente quopiam externo hominibus & humanæ consuetudini accommodato, Verbo sc. ipsius sive lecto sive audito. Et hæc ad locum illum Apostoli. Et Enthusiastas.

Cæterùm ipsum initium credendi, seu primus motus non semper fit per auditū vel lectionē verbi divini, sed sæpe numero, si homo infidelis sit primùm ad fidem convertendus, verbū & doctrina atq; religio Christiana in verbo fundata substat argumētis inducentibus, quæ efficiunt, ut priùs credatur fide humana & probabiliter, quàm divina & infallibiliter. In tali casu ultima Conclusionis nostræ verba obtinent: ut alii fide divina & imota destituti ad eandem manuducantur, opera danda. Destituuntur autem tali fide in ipsa etiam Ecclesia multi impii & athei, in quibus non habitat Spiritus Dei, Sap. I, 4. 5. à cujus gratiosa operatione hujusmodi fides in solidum dependet. Sed hoc homi- Initium credendi in homine infideli sæpe substat argumentis inducentibus.

hominum genus nil nunc moramur. Eos, qui extra Ecclesiam sunt, potiùs hîc attendimus, qui manuductione peculiari opus habent ad fidem Divinam, qua destituuntur, capessendam. Hi sunt vel Gentiles vel Judæi vel Turcæ: qui omnes propriè dicuntur Infideles, à quibus distinguuntur Christiani, qui primitùs *Fideles* dicebantur Act.IV,32. Posteriores duo infidelium ordines, quia Scripturam vel aliquam, ut Judæi, vel totam quadantenus, ut Turcæ, recipiunt, faciliùs, nisi contumaces sint, ad fidem Christianam perduci possunt quàm primi illi. Etenim Judæi V.T. sibi prælucere patiuntur: Turcæ etiam N. admittunt, quamvis ita, ut Coranum suum præferant. Hi ergò non præcisè argumentis extrinsecùs assumtis induci opus habent, sed, ratione eorum ita ferente, statim ex ipso verbo convinci possunt, quod *proximè* Divinam fidem efficit; idque in hunc ferè modum:

De Ratione convincendi Iudæos.

Judæis primò omnium ex V.T. ostendatur, tempus adventui Messiæ destinatum pridem effluxisse & frustra eos illum etiamnum præstolari. Debuit Messias venire stante adhuc Rep. Judæorum, Gen. XLIX, 10 stante adhuc templo secundo, Hag.II, 9. Mal.III, 1. & determinatè intra LXX. Septimanas à promulgatione edicti de restaurandis post captivitatẽ Babylonicam Hierosolymis, Dan.IX, 24. Atqui dudum nulla est amplius Judæorum Resp. nullum Hierosolymis templum, *& LXX Septimanæ, quæ sunt Hebdomades annorum, sicut illæ Lev. XXV, 8. & faciunt annos CCCCXC.* præterierunt. Messias igitur pridem venit & exhibitus est. Si verò exhibitus est Messias, nemo alius est, nisi is, quem nos Christiani colimus, JESUS Nazarenus. Hæc consequentia proba est: quia in neminem alium, quàm in illum ipsum competunt, quæ de Messia sunt prædicta, nemo etiam unquam sibi talia arrogavit, & nemo est cui quisquam mortalium hunc tribuat honorem præter solum illum. Porrò si noster JEsus est verus Messias, tum quæ ille nobis tradidit & nos docuit, vera sunt, & qualem ipse se professus est, pro tali est habendus. At ipse se filium Dei unigenitum esse dixit, Joh.III. qui extiterit ante Abrahamum, Joh. IIX. quique sit unum cum Patre, Joh.X. Erit ergo non purus homo, sed verus & naturalis Dei filius. Ita postmodò ad alios fidei articulos procedi potest, præsupposito hoc fundamento, quòd Messias venerit, quodque is nullus sit alius, quàm Jesus noster. Ex eodem fundamento convincendi sunt Judæi de vero sensu Scripturæ V. Testamenti. Nempe: *Quæ in Prophetis de splendore Ecclesiæ N T. de summa pace & futura abundantia rerum prædicuntur, Jesus ille tradidit spiritualiter esse accipienda,* Joh.XVIII, 36. Matt. X, 34. Joh.XX, 19.20. Joh.X, 10.28. Ita ergo & non aliter accipienda erunt. Quem enim Scripturarum sensum ipse esse voluit, is sine

dubio verus est. Unde consequens est, Judæos errare, quamdiu allegorica illa Prophetarum vaticinia propriè & non ad mentem ac sensum Christi capiunt.

Non minùs validè ex Scripturis, admissa earum autoritate, convinci possunt Turcæ. Prætendunt illi, olim quidem S. literis homines fuisse ad salutem erudiendos; novas autem ad salutem hodie necessarias revelationes Corano contineri: Christum ante Mahummedem ὁδηγὸν fuisse hominibus ad salutis viam; nunc autem novum hunc Prophetam Christo, cujus doctrina fuerit corrupta, prævalere. Verùm non restare post Evangelium ullam novam doctrinam aut revelationem, nec novum à Deo Prophetam post Christum excitandum fore, Scripturæ S. apertè dicunt loco ante allegato Ebr. I, 1.2. Corruptionem, quam causantur, doctrinæ Christi, in ipsorum devolvimus Coranum mendacem, qui Scripturas, quas allegat, pravissimè adulterat, uti Thomas Erpenius editione unicæ Suratæ Josephi manifestum fecit. Turcas.

Ita cum Judæis & Turcis potest, si ipsi annuant, ex Scripturis agi. Gentilibus autem sive paganis initiò non nisi motiva externa & argumenta inducentia sunt accommodata, quibus Ethnicæ superstitionis *absurditas* ipsis reddatur *evidens*, & religionis Christianæ *veritas* Scripturæque autoritas fiat *probabilis*. Et Gentiles.

Prima igitur opera erit *destructiva* avitæ ipsorum superstitionis, tali aut simili argumento:

Cui religioni per se adhæret dogmatum stoliditas & morum fœditas, ea nomen Religionis mentitur, vera autem religio non est.

Atqui Religioni Ethnicæ adhæret per se dogmatum stoliditas & morum fœditas.

Ergò ea nomen religionis mentitur, vera autem religio non est.

Major extra controversiam est posita. Minor probatur quoad prius membrum, ex multitudine Deorum, quam introducit Gentilismus, habendo pro Diis meros homines, quod ipsorum ἀποθεώσεις olim frequentissimæ ostendunt: nec homines tantùm, sed etiã bruta ipsasque herbas, quod Ægyptii fecerunt: insuper & inanimata, Solem, Lunam & reliqua astra, quæ in hominis usum & servitium Deus condidit. Quam superstitionem ultra modum deliram jam olim riserunt saniores Gentilium, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, alii. Posterius minoris

noris membrum inde patet, quòd ne Dii quidem eorum à criminibus habeantur immunes. Quippe histriones antiqui exprimebant frequenter in ipsis theatris impudicam Venerem, adulterum Martem, Mercurium fraudulentum, Bacchum ebrium. *Quare jam nunc*, inquit S. Cypr. l. 2. ep. 2. *an possit esse qui spectat integer vel pudicus, cum Deos suos quos venerantur imitantur. Fiunt miseris & delicta religiosa.* Imò verò Dii eorum colebantur vitiis: Cultus enim Veneris in templo à Corinthiis ipsi extructo positus erat in vagis libidinibus & promiscuo concubitu, teste Strabone l. 8. Et talem cultum edoctos esse Gentiles ab ipsis Oraculis idem autor est l. d. de Babyloniis scribens: *Omnibus Babyloniorum mulieribus mos est ex quodam oraculo, apud quoddam Veneris fanum cum hospite corpus miscere &c.* Eadem oracula exposcebant sibi victimas humanas, quas ipsis immolârunt Tauroscythæ, Carthaginenses, Indi, Galli, Romani, de quibus passim apud Historicos; ex quorum testimoniis hæc fluxerunt, quæ habet Autor noster in Præfatione: *Ethnici amissa luce doctrinæ Patrum horrendis & variis furoribus agitati sunt, mactarunt humanas hostias, coluerunt priapos, prostituerunt conjuges & virgines, ut idola placarent.* Quæ & alia ipsum jus naturæ evertentia quàm maximè faciunt ad destructionem religionis Gentilitiæ. Cæterùm destructâ eâ non statim sequitur nostram esse veram.

De Veritate Religionis Christianæ.

Altera igitur post hanc opera in *assertione* nostræ Religionis ritè versabitur. Ubi hoc debet præsupponi, *oportere extare aliquam revelationem Divinam.* Quæ thesis probatur I. à Providentiâ Divinâ, quam videmus ab iis, quæ corpus nostrum mortale & hanc terrestrem felicitatem attinent, non abesse: Multò ergò minùs aberit ab iis, quæ animum hominis immortalem ejusque post hanc vitam beatitudinem sempiternam spectant; ad quam consequendam necesse omninò est, ut Deus rectè cognoscatur & colatur: quæ notitia & cultus per lumen naturæ non sufficienter parantur, fatente Aristotele II. Met. 1. & 2. & Platone in Epinomide sua. Opus ergò revelatione. II. à consensu omnium populorum. *Nulla enim gens, quod attinet negotia religionis & cultûs Divini, contenta fuit principiis naturâ notis, sed omnes requisiverunt revelationes, puta ab Oraculis & falsis suis vatibus. Hic gentium consensus suadet, opus esse revelatione & principia naturaliter nota non sufficere*, sunt verba Thomæ l. V. contra Gent. c. 4. Hoc supposito veritas Religionis nostræ tali argumento ostendi potest:

Quæ religio innititur revelatione antiquissima: pandit ea, quæ nec naturaliter innotescunt, nec tamen etiam repugnant naturali notitiæ de Deo, aut aliàs lumini naturæ

refra-

refragantur: insuper magnis miraculis confirmata: & adversus hostium impetus in hunc usque diem conservata est, hostibus ipsius miserè pereuntibus; illa Religio est vera & amplectenda.

Atqui Christiana Religio innititur revelatione antiquissimâ: pandit ea, quæ &c.

E. Christiana Religio est vera & amplectenda.

Majorem nemo non admittet. Minor prob. quoad omnia membra. Nam religio Christiana 1. nititur revelatione antiquissimâ, quod docet collatio historiarum totius mundi cum historia Sacra. Certè Moses antiquior est omnibus Græcorum sapientibus & Diis, uti Eusebius scribit Procem. Chron. 2. pandit ea, quæ nec naturaliter innotescunt, mysteria scil. fidei, quæ animalis homo non percipit, quia spiritualiter dijudicantur; nec tamen etiam naturali notitiæ de Deo aut aliàs lumini naturæ repugnant, licet id excedant; atque adeò manifestæ falsitatis argui non possunt, aut si id tentaverit infidelis, in probando deficiet. 3. Magnis miraculis in V. & N. T. confirmata est, quæ nec conficta sunt, quia totorum populorum, e. g. gentis Ebrææ, testimonio nituntur: quin & Gentilium, nam Justinus Pompeji Trogi abbreviator miracula Dei in Ægypto & deserto edita ipse quoque describit & admiratur: quin & hostium veritatis, nam Christum miraculis claruisse nec Judæorum Talmud silentio involvit: nec verò Magica arte facta dici possunt, quia aliàs aut præstigiæ fuissent, quod dici non potest, cùm veros eorum effectus plurimi mortalium in se persenserint, qui vel plagis, ut Ægyptii, vel beneficiis affecti sunt, ut Israëlitæ, & qui à Christo atque ipsius Apostolis sunt sanati: aut contigissent ope dæmonum, quod iterum statui non potest, quia horum nullus omni vi sua mortuos suscitare, cœcis natis visum restituere aut quemcunque morbum verbo tollere, aut similia, quæ transcendunt vim causarum naturalium, præstare valet. 4. Adversus hostium impetus hucusque conservata est, hostibus ejus miserè pereuntibus. Ubi nunc Pharao? ubi Sennacherib? ubi Antiochus Epiphanes? ubi Nero, Caligula, Diocletianus, Decius & cæteri Tyranni, religioni cùm Judaicæ antiquæ tum Christianæ olim infensissimi? Clade perierunt & dejecti sunt omnes, religione interim, contra quam nitebantur, majora subinde incrementa accipiente; ut dubium non sit, eandem perstituram usque ad finem mundi.

Talibus argumentis inducentibus pugnarunt in Ecclesia antiquissima contra Gentiles, eorumque pariter in Christianos convicia diluerunt

runt egregiè admodum Justinus Martyr orat. ad Antoninum pium: Athenagoras orat. pro Christianis: Tertull. l. de idol. & Apologet. contra Gentes: Clemens Alex. in protreptico: Minucius Felix in Octavio: Arnobius contra Gentes: Origenes contra Celsum: Cyprianus tr. contra Demetrianum Ethnicum; deniq; August. libb. de C.D. Specimen quoque hujus rei habemus in ipsis Scripturis Act. XIV, 15.16.17. XVII, 22. seqq.

Potest insuper argumentum insinuans sive inducens peti ab autoritate Ecclesiæ in hunc modum:

Quam religionem amplectitur maxima & cultissima orbis pars, illa religio præ cæteris omnibus meretur assensum.

Atqui religionem Christianam amplectitur maxima & cultissima orbis pars: diffusa enim ea est amplissimè per universum mundum, & quicquid sub cœlo eruditione, ingenio & judicio eminet, id Ecclesia Christiana sinu & complexu suo fovet: quod extra eam deprehenditur, animos habet rudes, nullis ferè bonis literis imbutos, moresque barbaros: cujus farinæ homines in judicando de rebus Religionis nemo prudens multum respexerit.

E. religio Christiana præ cæteris omnibus meretur assensum.

In primitiva Ecclesia tale argumentum ab amplitudine Ecclesiæ & civium illius eminentia petitum formari non poterat: Cum enim Ethnica religio esset in summo gradu, Ecclesia paucissimis iisque miseris & afflictis constabat; sed tum *locum hujus argumenti suppleruunt miracula*, quibus infideles ad credendum veluti manu ducebantur & inclinabantur. Postea quò Ecclesia facta est amplior & illustrior, eò minùs miraculis opus erat, sed ipsa hæc amplitudo atque externa autoritas Ecclesiæ cœpit motivum suppeditare, maximam doctrinæ Christianæ concilians verisimilitudinem. Quomodo enim probabile sit, tot viros nobilissimos multifaria doctrina refertos ipsumque adeò florem generis humani, quem cessantibus primævis persecutionibus complexa est Ecclesia, à vero Dei cultu aberrare?

Hinc *Augustinus* T. 6. l. contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, c. 5. *Ego videlicet Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas*; innuens Ecclesiæ autoritatem, quam ipse utpote eruditus æstimare ex merito suo potuit, validam fuisse ad inducendum sese, ut totum se perdiscendæ Evangelii doctrinæ Catholicæ traderet. Hodie dicto illo Augustini abutuntur Pontificii,

ad

ad probandum; propriè & principaliter fide Christiana credi Scripturis S. propter autoritatem Ecclesiæ. Sed enim loquitur August. non de objecto fidei formali sive eo, propter quod Christianus credit principaliter & præcipuè, sed de inductivo sive argumento extrinseco, quo ipse olim Manichæus (in qua hæresi IX. annos perdidit) ad fidem Catholicam relicta hæresi amplectendam fuerit probabiliter persuasus. Est enim *crederem* idem ipsi quod credidissem, & *commoveret*, quod, commovisset, phrasi Africana, qua alibi quoque familiariter utitur. Ita enim T. 1. l. Confess. 2. c. 8. de furto, quod puer admiserat loquitur: Quia si tunc *amarem* poma illa, quæ furatus sum & eis frui *cuperem*; *possem* etiam solus, si satis *esset* committere illam iniquitatem, qua *pervenirem* ad voluptatem meam, nec confricatione consociorum animorum *accenderem* pruritum cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium. Hæc ille: Ubi videmus ab eo totam periodum hac esse loquendi formula perfectam, qua, amarem pro amavissem: cuperem pro cupivissem: possem pro potuissem: esset pro fuisset: pervenirem pro pervenissem: & accenderem pro accendissem posuit. Hoc genus locutionis passim in scriptis illius occurrit, præsertim ubi de præteritis rebus aliquid narrat: quod & h. l. facit, ubi commemorat, qualis olim fuerit, priusquam ad fidem Catholicam concessisset: talis nempe, qui non fuisset crediturus Evangelio, nisi vidisset in Ecclesia Catholica, unde ad credendum moveretur. Et hoc ipsum nos ultrò concedimus, convertendos ad fidem variis motivis, interque ea etiam nonunquam, Ecclesiæ autoritate comiter induci. Ast fidem verè & propriè Christianam ab illa autoritate pendere, hoc negamus: nec id vult dictum Augustini, ut qui jam sunt fideles, ab Ecclesiæ autoritate pendeant, sed ut infideles (quos l. de util. cred. ad Honor. c. 16. *insipientes* vocat) ab ea incipiant.

Incipere autem ab eâdem possent non tantum Gentiles, sed & Judæi & Turcæ: de quibus hoc restat dicendum, quod, si captus eorum non admittat, ut immediatè ex Scripturis convincantur, suppetant, quæ ipsis proponi possint argumenta itidem inducentia, *destructiva & assertiva.*

Validissimum præbet, *contra Judæos* quidem, inepta ambiguitas Talmudis, in quo nugas agi cuivis, cui sanum sinciput, constare citra difficultatem potest: *contra Turcas* verò insulsa itidem quin monstrosa Corani absurditas, cui dum credunt fatui, felicitatem futuri ævi in crassis cibi & potus oblectamentis Venerisq; illecebris ponunt: Scilicet, quascunque & quotcunque ipsi voluerint, tum habebunt Argument. tum destructivum validissimum.

uxores sine mora, sine numero. Quàm hoc est belluinum & ab omni ratione alienum, proprium & præcipuum hominis, & quidem in altero seculo, bonum tale esse, quod brutis in hac vita quoque sit commune, non potest quenquam fugere, qui animum advertat. Hoc quoque religionem Turcarum si non falsi convincit, maximè profectò de falsitate suspectam reddit, quod non licet cuiquam in illo Regno dogmatum probationem petere, vel in doctrinæ Muhamedanæ fundamenta inquirere legendo aut disputando.

Inter assertiva argumenta ponimus illud ipsum, quod allatum est supra, pag, 26.

Argumẽta inducentia nonnisi ὑπόληψιν generant.

At enimverò quæ hactenus attulimus argumenta inducentia, quæque præter enumerata afferri possent alia, in universum omnia *non nisi* ὑπόληψιν, persuasionem & fidem humanam vel acquisitam proximè & per se faciunt, nec animum reddunt de vera religione ἀμετάπτωτον planeq; indubium, sed inclinant, ut homo se non imprudenter facturum existimet, perspecta absurditate suæ & verisimilitudine nostræ Religionis, si ad hanc animum applicet penitiùs; adeoque argumenta illa sunt Topica & probabilia tantùm, non apodictica & necessaria.

Quæ exspirat, ubi accensa est fides divina.

Accedit hoc quoque, quod *fides illa humana ex motivis orta postmodò exspiret*, ubi per attentam Scripturæ lectionem vel auditum fidem Divinam in animo hominis Spiritus S. operatus est. Seorsim de Ecclesiæ autoritate hoc liquet exemplo Samaritanorum Joh. IV. 39. seqq. Quemadmodum enim illi mulieris relatione moti fuerunt & inducti ad audiendum Christum, quem cum audivissent, illius doctrina efficaciter perculsi dixerunt mulieri: *Jam non propter loquelam tuam credimus: ipsi enim audivimus & scimus, hunc esse verè servatorem illum mundi Christum*: Ita quoque Ecclesiæ autoritas & rumor præbet sæpius inductivum ad audiendum aut legendum verbum Scripturis comprehensum: ipsa autem lectio & auditio virtute & efficacia Spiritus quam habet sibi copulatam, ita animos afficit, ut ipsi verbo propter se & super omnia assentiantur, & hujus comparatione ferè nihil amplius curent auctoritatem mulieris Ecclesiæ. Cùm primò fidei humanæ vox esset: Ego non crederem Scripturis, nisi me autoritas Ecclesiæ commoveret; postmodò Divinæ fidei vox est: Ecclesiæ non crederem, nisi me autoritas S. Scripturæ impelleret: quodque olim Regina Sabæorum Salomoni, id homo Christianus Deo in Scripturis loquenti encomium tribuit: *Major est sapientia & operatua quam rumor quem audivi*, 1 Reg. X, 7. Similiter cætera inductiva argumenta evanescunt ac nihili fiunt, sicubi accensum per Spiritum S. est lumen fidei immotæ & Divinæ in animis conversorum ad unicam verá religionem Christianam.

nam.

nam. Inquis: Si Spiritus S. largitur fidem Divinam *quid opus ergò argumentis inducentibus?* Resp. Largitur is quidem & *accendit fidem divinam, sed non absolutè, verùm potentiâ ordinatâ, cui homo potest resistere*: propterea ei adimendi sunt scrupuli & indispositio subiecti auferenda: Inducendus igitur infidelis motivis externis ut Scripturam in precio aliquo habeat, legat vel audiat, adeoque locum det Spiritui S. per verbum tanquam ordinarium medium fidem divinam efficaciter operaturo. Tantum etiam de III. Conclusione. Sequitur. Object.

IV. Libri Sacri Prophetici & Apostolici sunt amplectendi, tanquam continentes sufficienter omnia creditu & factu ad salutem necessaria.

De Perfectione Scripturæ Sacræ.

Tota Doctrina Christiana consistit in duobus: in credendis & faciendis. *Credenda* dicuntur communiter Articuli fidei, & sunt 1. de Deo essentia uno & personis trino, deque operibus Divinis, creatione scil. & gubernatione universi sive providentia. 2. de Christo sive Filio Dei pro nobis incarnato, passo, mortuo & à mortuis resuscitato, cujus merito omnes ad Deum per suam ipsius gratiam converti ac verè pœnitentes in Ecclesia remissionem peccatorum accipiant & justi reputentur, futuri, ubi ad finem perseveraverint, in resurrectione illa universali per eundem Christum, judicem vivorum & mortuorum, compotes quoque salutis vitæque æternæ, paratæ inde ab ipsa æternitate omnibus in Servatorem mundi fide viva constanter credituris. *Facienda* rursus sunt in duplici differentia: vel enim sunt Sacramenta, quæ formaliter utiq; actiones sunt, licet fidem præsupponant: vel sunt præcepta de moribus homine Christiano dignis. Ritus & ceremonias in Ecclesia externas soli ordini inservientes hîc non attendimus, propterea quod nulli hujusmodi ritus specialiores sint ad salutē necessarii; unde nec in S. literis præscripti sunt, sed relicti libertati Ecclesiæ, quæ de iis prout vult statuere potest, modò fiant omnia εὐσχημόνως καὶ πρὸς οἰκοδομήν· quod genus sive morale rituum habetur 1. Cor. XIV. Missis igitur his agimus de iis saltem *quæ sunt de fide, de Sacramentis & de moribus: & de his quatenus eorum fides & praxis ad salutem necessaria est, Scripturam S. nos plenè & sufficienter instruere* asserimus.

Hoc jam probatum dabimus Scripturæ dictis. *Nil verò attinet, ex V. T. multa dicta hic accumulare*, cùm adversarii statim excipiant, ea vel solius legis, vel solius Scripturæ V. Testamenti, aut saltem doctrinæ cœlestis, sed non ut literis consignatæ, perfectionem arguere. Duo igitur ex N. T. petita testimonia nobis sufficiant, quæ de verbo per Evangelistas & Apostolos in literas relato manifestè loquuntur.

Primum est Joh. XX, 31. Hæc scripta sunt ut credatis Jesum esse Christum filium Dei, *& ut credentes vitã habeatis per nomen ejus.* Quæ verba non de solis miraculis loqui paulò antè commemoratis, sed totius Evangelii Johannis finem continére, antiquissimi patres statuunt, & ex adversariis recentioribus agnoscit etiam Cornelius Jansenius, Conc. Ev. c. 147. Quod si quis hæc verba insuper pro epilogo habet IV. Evangeliorum, nec Jansenius si mentem ejus c. 150. rectè capio multum abhorret, & nos omnium promtissimè consentimus, cùm Johannes scripserit post alios tres Evangelistas & ea ferè quæ alii prætermiserunt: quare ne vel quis existimaret, eum omnia supplevisse, dixit: *Multa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in hoc libro*: item c. seq. v. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus.* Neve post ipsum tentaret alius omnia supplere, subjecit: *hæc verò scripta sunt* (velut utiliora & magis necessaria ad hoc) *ut credatis, Jesum esse Christum* &c. item seq. c. v. ult. *Si scribantur* (omnia) *sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros.* Licet itaque post clausulam quæ in c. XX. est, sequatur in c. XXI. alia historia, quæ memoriæ Johannis postea demum succurrebat, tamen in eundem sensum clauditur utrumq; caput, & proinde verba etiam c. XX. rectè pro conclusione sive speciali hujus Evangelii, sive generali omnium quatuor Evangeliorum habentur. Hinc jam surgit collectio:

> Quicunque liber continet utilia & præcipuè necessaria ad fidem & vitam æternam consequendam, ille liber nos sufficienter erudit ad salutem.
>
> Atqui liber Evangelii Johannis sive seorsim, ut patres volunt, sive ut alii, cum cæteris Evangeliorum libris conjunctim sumtus, continet utilia & præcipuè necessaria ad fidem & vitam æternam consequendam.
>
> E. Liber Evangelii Johannis seu seorsim seu conjunctim sumtus nos sufficienter erudit ad salutem.
>
> Si hoc, multò magis tota Scriptura erit sufficiens.

Alterum est 2 Tim. III, 16. *Omnis Scriptura est divinitùs inspirata, utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum* ἐξηρτισμένος, *perfectè instructus.* Notentur hîc tria: 1. Per omnem Scripturam intelligi collectivè totam eam, non tantum libros V. Testamenti quos à puero didicit Timotheus, ut dicitur in immediatè præcedd. sed simul eos omnes N. Testamenti, qui tum extabant. *Erant autem jam*

tum scripta priora tria Evangelia & pleraq; Epistola Pauli: quod posterius patet ex c. IV, 6. ubi dicit Apostolus, *tempus resolutionis sua instare.* Non longè ergo ante abitum hanc inter postremas epistolas exaravit, & Scripturam in ea tam præclaro elogio ornavit. 2. Effectum Scripturæ hîc assignari quoad theoreticam & practicam rationem, ut Thomas loquitur in Comment. Quoad illam, quod conducat ad doctrinam veram asserendam & falsam redarguendam: quoad hanc, quod prosit ad mores informandos & emendandos: præter quæ effecta aliquid ulterius desiderari facilè nequit. 3. Per hominem Dei intelligi doctorem Ecclesiæ, qualis erat Timotheus, quem ipsum hoc nomine appellat Paulus 1. ep. VI, 11. Ex his suppositis tale nascitur argumentum:

Quæ Scriptura ita est utilis ad doctrinam veram asserendam & falsam redarguendam, ad mores item informandos & emendandos, ut Episcopus & Doctor Ecclesiæ inde redditur ad munia omnia vocationis suæ perfectè instructus, illa Scriptura omnia fidei dogmata & morum præcepta quantum necesse est perfectè tradit.

Atqui Scriptura V. Testamenti unà cum libris Novi, qui Timothei tempore, brevi ante Pauli mortem extabant, ita est utilis ad doctrinam veram &c, Ergò.

Quo argumento statim etiam occurritur exceptioni adversariorum, urgentium vocem *utilis*, quasi ea contradistinguatur *sufficienti* & ei quod perfectionem tribuit. Fatemur lubentes non omnem utilitatem esse totalem & adæquatam cumque sufficientia conjunctam, sicut Dialectica utilis est ad Philosophiam, quamvis ipsa non sufficiat & sola per se Philosophum faciat. At *quod ita utile est, ut hominem Dei perfectum reddat, id non tantùm prodest aliquid ad perfectionem in hoc genere, sed ipsam illam totam continet. quin confert & suppeditat*: ad quem modum etiam 1. Tim. IV, 8. dicitur pietas esse ad omnia utilis. Nec enim intelligitur, pietatem ad vera bona consequenda aliquid tantùm conferre parvum aut magnum, sed ipsam illam sufficienter ea omnia homini conciliare & præstare.

Sic ergò probata esto sufficientia Scripturæ. Fortassis autem hoc *probandi labore penitùs supersedere possemus*, modò dicamus, libros sacros Propheticos & Apostolicos suam sufficientiam in seipsis habere, dum nihil afferri possit ad salutem creditu & factu necessarium, quod in illis non legatur. Et hac ratione probatio incumbet adversariis nostris Pontificiis, affirmantibus, dari articulos Fidei & Sacramenta ad salutem necessaria, de quibus in Scriptura altum sit silentium. Ipsorum ergò

ergò erit, id, quod affirmant, confirmare; non nostrum eos positivè refellere allatis dictis.

Nimirum *eadem est ratio veritatis sive certitudinis Scripturæ, & ejusdem sufficientiæ.* Quemadmodum enim Scriptura divinæ suæ veritatis probationem in se eminenter continet i. e. lecta vel audita facit sibi ipsi fidem in animis hominum, quod sit Dei verbum & sic immotæ ac certissimæ veritatis; si namque eam studio & amore veritatis consideres, per ipsam & ex ipsa intelligis, Deum tibi eâ mediante loqui: planè ad eundem modum *sufficientia etiam Scripturæ in ipsa illa continetur eminenter*, ita, ut licet nullo Scripturæ loco legeretur, eam esse sufficientem, nihilominus sufficiens dicenda esset ob hoc, quod singulos fidei articulos, singula Sacramenta, singula morum præcepta homini salvando necessaria ex ea possimus sufficienter demonstrare. Si enim hoc præstare poterimus beneficio Scripturæ, abundè probata erit ejus sufficientia. Id verò præstamus in ipsa praxi. Quicquid enim est de Fide, de Sacramentis & de moribus, id omne ex Scripturis probatum damus. Nobis ergò Scriptura est sufficientissima. Si Pontificiis non æquè ut nobis sufficit, ipsorum est producere articulos fidei ad salutem necessarios & Sacramenta à Christo instituta, de quibus nihil tradat Scriptura. Tale quid autem producere eos non posse, experientia docet. Quicquid enim adducunt in medium, aut articuli fidei ad salutem necessarii non sunt, ut: *Virginitas Mariæ post partum*, item externum medium salutis femellarum in V. T. item *numerus librorum Canonicorum*: aut non sunt Sacramenta à Christo instituta, ut: *Chrisma*, quod omni antiquitatis testimonio destituitur, ex quo tamen debebat à Pontificiis Scripturæ abrenunciantibus firmiter probari: aut ex Scripturis optima ratione deduci & probari potest, ut: *pædobaptismus*, cujus necessitas ex Joh. III, 3. patet, item *ὁμουσία Patris & Filii*, quæ totidem quidem syllabis scripta non est, sed quoad sensum tamen in Scripturis habetur; item, *esse aliquos libros sacros*, quod dicitur 2 Tim. III, 15. aut denique non est ex numero eorum, quæ revelata sunt in Scripturis, sed spectat ipsam revelationem, & illius autoritatem, ut: *Evangelium Matthæi esse Canonicum* sive Divinæ autoritatis; quod sanè creditur fide Christiana & Catholica, nec in Scripturis legitur, veruntamen ut indubitatum supponitur tum, quando credenda omnia dicuntur Scripturis comprehendi.

Nempe Scripturæ tanquam revelationi Divinæ, & sic etiam Evangelio Matthæi, quæ genuina pars illius est, credendum esse, est inter præsupposita, quando de sufficientia Scripturæ disputatur. Non rectè igitur Pontificii & tam multis quidem verbis ac iterata vice id no-

ſtris objecerunt in Colloquio Ratisb. ſeſſ. 10. & 11. ad Scripturæ ſufficientiam impugnandam. *De revelatis enim controvertimus & quidem de revelatis principalibus, articulis ſcilicet fidei, Sacramentis à Christo institutis & morum præceptis neceſſariis, quæ dicimus contineri Scripturâ*; non de ipſa revelatione & quarumlibet ipſius partium dignitate Canonica. Atque adeò deficere tandem Pontificios in probando neceſſe eſt, ſi eò adiguntur, ut proferant principale caput revelationis quod ſit de fide, de Sacramentis, vel de moribus, cujus Scriptura mentionem nullam faciat. Adhuc ergò rata ac firma perſtat Scripturæ ſufficientia, nec proinde opus verbo Dei ſcripto adjungere aliud verbum non ſcriptum ſed traditum, quod Pontificii faciunt.

Hîc de Traditione pauca annectere, neceſſe omninò eſt. *Capitur autem vox iſta non tam pro actu tradentis & docentis, quam pro re ipſa ſive doctrina tradita.* Jam conſtat, duplicem eſſe modum, quo doctrina aliqua alteri tradi & communicari poteſt, voce nempe & ſcripto. *Pro hac diverſa tradendi ratione vox Traditionis etiam diverſimodè capitur; nunc generaliter, nunc ſpecialiter, nunc ſpecialiſſimè.* Generaliter ſive communiter *pro omni doctrina tàm ſcripto quam viva voce propoſita.* Quo ſenſu ipſa Scriptura & quicquid ſecundum eam vel ex ea enarratur, Traditio eſt. Ita ſumitur 2 Theſ. II, 15. Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram. Ubi notabis, innui diverſitatem non in re, quod alia ſcripſerit Apoſtolus, alia viva voce docuerit, ſed in modo tradendi. Speciatim & peculiariter accipitur *pro doctrina ſcripta.* Sic Act. VI, 14. ritus in Pentateucho ſcriptos dicitur Moſes tradidiſſe h. e. in literas retuliſſe. Eodem ſenſu Autor noſter in præſenti Aphoriſmo libros Propheticos & Apoſtolicos dicit à Deo traditos: quæ traditio non utiquè eſt alia, quam quod libros illos Deus ſcribi fecit. Specialiſſimè *pro ſola non-ſcripta doctrina* ſumitur Matth. XV, 2. 3. 6. 1 Cor. XI, 23. & hæc poſtrema ac propriiſſima ſignificatio ex reliquis una hodie obtinet, cum de Traditionibus inter nos & Pontificios diſceptatur: de traditione enim non-ſcripta quæritur. Intellige talem doctrinam, quæ non quidem nusquam ſcripta eſt, ſed quæ non eſt ſcripta à primo autore. Ita v. g. Traditio quædam Apoſtolica dicitur non ſcripta, quia non invenitur ſcripta in ullo Apoſtolico libro, tametſi ſcripta ſit in libris vetuſtiſſimorum Eccleſiæ Patrum.

De Traditionibus.

Et quidem, ut ad rem ipſam propiùs accedamus, non alias quam Apoſtolicas & Divinas traditiones intelligi volunt Pontificii per verbum traditum, quod pari pietatis affectu ac verbum ſcriptum ajunt recipiendum eſſe. Vocant autem *Divinas* traditiones, quas Apoſtoli ab ipſo Chriſto: *Apoſtolicas*, quas Eccleſiæ ab Apoſtolis Dei Spiritu

ductis acceperunt. A quibus differunt *Ecclesiasticæ*, quæ sunt, ipsis definientibus, constitutiones Doctorum Ecclesiæ vel populi Christiani longa consuetudine vim legis obtinentes. Nos uti traditiones Divinas & Apostolicas, si quæ sunt, non rejicimus, ita nec promiscuè recipimus, quas Pontificii pro talibus venditant. Præcipuè autem hoc improbamus, quod *aliud verbum scriptum*, *aliud traditum* esse statuunt, quasi ex traditione seorsim petenda sint dogmata complura ad salutem necessaria, quæ in Scripturis non inveniuntur: nam hoc per verbum traditum intendunt. Qua in re cum ipsis sentire, qui veritatem sectamur, neutiquam possumus.

Operæ verò pretium est, quid & quousque hîc admittamus, dicere pleniùs. Reverenter recipimus I. Traditionem de Canone librorum Scripturæ. Novimus enim catalogum librorum Canonicorum in ipsis Scripturis non haberi, sed traditione cùm Judæorum tùm antiquissimorum Ecclesiæ Patrum ad nos pervenisse. *Nec ideò tamen verbum aliquod traditum admittendum est, cùm Canon ille non sit peculiare verbum Divinum, sed tantùm testimonium Ecclesiæ tempora Apostolorum proximè subsecutæ. Accedit quod nec Catalogum illum omnes Christianos ad salutem nosse oporteat*, ut ante diximus.

Admittimus 2. Traditionem de ritibus externis & institutis quæ ad ædificationem populi & peragenda ea, quæ necessaria sunt in Ecclesia, ordinantur: ac nonnullos ejusmodi ritus ab ipsis Apostolis ad nos promanasse non dubitamus. Quò referri potest observatio diei Dominicæ & præcipuorum Festorum, Paschatis, Pentecostes &c. *Sed hæc traditio non continet doctrinam fidei & morum, adeoq; ad salutem itidem necessaria non est*, nec proinde à Pontificiis rectè nobis opponitur: *quin potest immutari & penitùs abrogari*, quemadmodú sanè aliquot ipsorum Apostolorum traditiones successu temporis interciderunt, ut: Trina immersio in Baptismo, &, quod inter Pascha & Pentecosten stantes, non genua flectentes, antiquitùs adorarent: quam traditionem Basilius vocat *Apostolicam*, nec ipsa tamen Romana Ecclesia hodie observat.

Acceptamus 3. Traditionem de doctrina Apostolorum. *Quid enim docuerint Apostoli ad salutem necessarium, non tantùm ex scriptis eorum constat sed ex Traditione sive ex testimonio antiquæ Ecclesiæ.* Hæc enim nullam aliam fidem habuit, quàm ab Apostolis acceptam. Rectè igitur de Apostolorum fide & doctrina potuit testari. Et hoc ipsius testimonium, quod in scriptis vetustiorum Patrum & antiquis Symbolis habetur, *meritò magni facimus, indeq; multum in fide nostra confirmamur.* Quin adeò fidem primitivæ Ecclesiæ sequimur, ut opiniones, quæ non habent testimonia ullius temporis in Ecclesia, nullas recipia-

cipiamus, tanquam ipsis etiam Apostolis ignoratas. *Veruntamen nihilominùs peculiare aliquod verbum traditum dari ideò non concedimus, cum nobis exploratò constet, Patres ab initio Ecclesiæ non aliam doctrinam posteritati traditam reliquisse*, quàm quæ Scripturæ testimoniis etiam comprobata sit. Nec idcircò est, quod nobis timeamus à Pontificiis ad Antiquitatem provocantibus in quæstione de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, sacrificio Missæ & similibus. *Non possunt enim hasce opiniones ex constanti priorum IV. vel V. seculorum Traditione, uti oportet, deducere, sed potiùs universa Antiquitas testimonium contra illos perhibet vel tacendo prorsus de hujusmodi sententiis, vel palàm eas redarguendo, vel minimùm de nonnullis probabiliter & privatim, non apodicticè & universaliter, ut in articulis fidei necesse est, pronunciando.*

Denique 4. etiam veneramur Traditionem de vero sensu Scripturæ. Quis enim dubitet Ecclesiam primitivam unà cum textu Scripturæ accepisse ab Apostolis genuinum quoque illius sensum & nativam interpretationem? Quo sensu igitur Ecclesia à primo initio unanimiter Scripturam intellexit, eodem intelligendam illam esse, maximè in capitibus fidei, constanter asseveramus. *Et hac traditione multùm adjuvamur, quando adversarii literas sacras adulterinis sensibus corrumpunt & ad suos errores detorquent.* Ita v.g. dictum illud Christi, 1 Joh. III, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. universalitate sua ipsorum quoque infantum baptismum comprehendere: item illa Christi verba Matth. XXVI. Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, veram ac realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia denotare: Similiter ista Matth. XXVIII. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine &c. præcipere expressam mentionem omnium trium personarum in baptismo faciendam, non solùm verborum illorum perspicuitas ostendit, sed & traditio antiquæ Ecclesiæ, quæ textus hosce ad istum modum intellexit, velut uno ore clamat. *Sed hæc traditio de sensu Scripturæ non est aliud verbum à scripto distinctum, sed scripti verus intellectus & legitima expositio.* Qui fusiùs & adhuc solidiùs totam hanc de Traditionibus doctrinam vult cognoscere, adeat Martinum Chemnitium in Exam. Conc. Trid. part. I. p. 60. seqq.

Nobis nunc ad alteram Aphorismi nostri partem principalem accedendum, quæ cum modò dictis intimam cognationem habet, dum monet de Ecclesiæ testimonio ad libros Propheticos & Apostolicos adjungendo. Adjungant, ait Autor noster, pios intelligens, enarrationes & testimonia purioris Ecclesiæ, ut *De Testimonio Antiquitatis Ecclesiasticæ.*

Symbola, Apoſtolicum & Nicenum. Quid hoc aliud eſt, quam duo poſteriora, quæ propoſuimus, *Traditionum* genera inculcare, quæ ſunt *de doctrina Apoſtolorum* & *de vero ſenſu Scripturæ*? De illa vult Autor inquiri *teſtimonia* purioris Eccleſiæ; de hoc *enarrationes* audiri Eccleſiæ purioris. Jam conſenſione omnium ſaniorum nulla purior eſt Eccleſia, quàm antiqua & ætati Apoſtolorum quàm maximè vicina: eaque non in obſcuro poſita, ut quæ & qualis fuerit, hodie ignoretur, ſed illa ipſa, quæ per univerſum orbem Romanum ab Apoſtolis fundata, ibique hoſpitans fortunarum ſuarum vitæque & ſanguinis per tria ferè ſecula prodiga fuit, cum Romana potentia eam affligeret propter confeſſionem fidei Chriſtianæ. Hanc Eccleſiam eſſe veram & puram ipſæ S. literæ ſatis apertè indicant. *Sancti ſunt, cum quibus bellum geſſit beſtia* Romani Imperii index & imago, Apoc. XIII, 7. Si ſancti, E. vera Eccleſia. Sed & *Martyres* h. e. teſtes Jeſu dicuntur, qui diris illis Romanorum Imperatorum perſecutionibus fuerunt impetiti; nam *mulier, quæ eſt urbs magna habens regnum ſuper Reges terræ, ebria eſt ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu*: Apocal. XVII, 18. & 6. Qua appellatione vera utique Eccleſia puram ac illibatam fidem profeſſa indigitatur. Talis commendatio à Scripturis ipſis nulli contigit alteri Eccleſiæ poſt tria priora ſecula ſopitis jam perſecutionibus enatæ. Illius igitur vetuſtioris Eccleſiæ teſtimonia & enarrationes proximè à Scriptura, vel unà cum Scriptura, in honore ſint valeantque apud nos plurimùm. Et hoc quoque ipſa efflagitat appellatio Martyrum Jeſu, ut audiantur eorum de Jeſu martyria ſive teſtimonia. Hac fini etiam ſupereſſe voluit Divina providentia *Sanctorum quorundam Martyrum monumenta, ut ex iis ſinceræ Eccleſiæ ſententiam diſcamus.*

Ex I. Seculo habemus *Clementis Romani*, Adjutoris etiamnum S. Pauli, ut dicitur Phil. IV, 3. epiſtolam ad Corinthios, quæ per aliquot quidem ſecula nuſpiam apparuit, ante aliquot verò annos lucem iterum vidit in Anglia. *Polycarpi*, Eccleſiæ Smyrnæorum Angeli ſive Epiſcopi, itidem martyrio coronati & ab ipſo Jeſu, primo illo & ultimo, ſuppreſſo licet nomine, commendati Apoc. II, 8. itemque *Ignatii* Antiocheni quæ ſub idem tempus fides & confeſſio fuerit, licet epiſtolæ eorum integræ amplius non extent, apud Euſebium tamen & alios Scriptores Eccleſiaſticos, quantum ſatis eſt, legi poteſt, ubi genuina nonnulla fragmenta habentur. Ex Seculo II. ſuperant *Juſtini* Philoſophi & *Irenæi* Lugdunenſis libri. Ex III. *Cypriani* opera. Hi ſunt Martyres illi Jeſu, ad quos ipſa nos Scriptura amandat, ſcriptis & mar-

tyriis suis in universa antiquitate nobiles. Quibus haud incommodum, quin ad justam Antiquitatis consensionem habendam ferè necesse erit, jungi alios quoque priscæ Ecclesiæ Doctores, ejusdem cum illis doctrinæ tenacissimos. Quales complures IV. Seculo floruerunt: Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, ejusq; frater Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius Mediolanensis, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Chrysostomus, Optatus Milevitanus. Nec non V: Augustinus Hipponensis Ecclesiæ in Africa Episcopus, Cyrillus Alexandr. Theodoretus, Maximus Taurinensis, Leo I. Papa, Prosper Aquitanus, Fulgentius, Vigilius & horum similes, ipsam illam vetustam Martyrum fidem consentientibus quam maximè suffragiis professi. Angustior alioqui foret terminus, si antiquitas Ecclesiæ primis saltem prioribus seculis, quibus persecutiones & martyria vigebant, definiretur; ideoq; tribus illis duo adhuc secula, quibus pestilentissimæ hæreses obortæ pariter & celebrium Synodorū dexteritate repressæ sunt, subjungenda, atque ita *plenam Ecclesiasticam antiquitatem ex quingentis annis metiendam* hactenus judicarunt peritissimi quique. Sit nobis instar omnium assertio D. Joh. Gerhardi b. m. *Certum est, antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse & Apostolorum doctrinam tenuisse.* L. de Eccl. n. 204. Tenentes igitur & nos eadem dogmata, quæ primis quingentis annis *Doctores* (1.) *præcipui* ex scriptis noti (2.) *unanimi consensu*, (3.) *in fundamento fidei* (hæc enim triplex restrictio necessariò addenda) assertum iverunt, sic habebimus doctrinam purioris Ecclesiæ cum libris Propheticis & Apostolicis, de monito Autoris nostri, combinandam.

Idipsum jam olim edito insigni Commonitorio requisivit quoque Vincentius Lerinensis, Augustini ex parte σύγχρονος: *Qui vult*, inquiens, *in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire suam Domino adjuvante debet, primo scilicet, Divinæ Legis autoritate; tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* c. 1. Quam traditionem intelligat, obscurum esse non potest, nempe tertii & quarti generis, h. e. ut Aphorismus noster vocat, testimonia & enarrationes antiquæ Ecclesiæ purioris. Audiamus autem ex ipso majoris perspicuitatis gratia, quomodo triplicem illam, quam modo dedimus, restrictionem accuratè observandam proponat: (1.) *Multorum atq; Magnorum* (2.) *consentientes sibi sententias Magistrorum sequendas* pronunciat cap. 38. Suasu ejusdem *operam dabit* (Christianus Catholicus) *ut collatas inter se majorum consulat interrogetq; sententias eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus & locis in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes* (1.) *Magistri probabiles extiterunt*, i. e. probati, quibus

bus ſubſecutæ ætates ſemper plurimùm detulerint) *& quicquid non unus aut duo tantùm, ſed omnes* (2.) *pariter uno eodemq; conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoq; intelligat absq; ulla dubitatione credendum*. c. 4. *Quæ tamen antiqua Sanctorum Patrum Confeſſio non in omnibus Divinæ Legis quæſtiunculis, ſed* (3.) *ſolùm, certè præcipuè, IN FIDEI REGULA magno nobis ſtudio*, eodem hortatore, *& inveſtiganda eſt & ſequenda*. cap. 39.

Sed quorſum hæc? dicat aliquis, & quid opus eſt hac Traditione ſive hoc Antiquitatis teſtimonio, hac enarratione? annon Scriptura ita perfecta eſt, ut ex ea fides ſufficienter peti & demonſtrari poſſit, nec referat quicquam accerſere teſtimonia Eccleſiæ de doctrina ab Apoſtolis & primis ejus præconibus accepta? annon eadem Scriptura ita in rebus negotium ſalutis concernentibus plana & perſpicua eſt, ut vel absque enarratione aliorum per ſe intelligi poſſit?

Reſpondeo paucis. I. Conceditur, quod ſit perfectus Scripturarum Canon ſibiq; ſolus ad omnia ſatis ſuperq; ſufficiat, id quod conceptis verbis inculcat Vincent. Common. c.2. & antepen. Nec ſanè ideò Scripturis ſubjungitur Traditio vel teſtimonium antiquitatis de doctrina Apoſtolica, quod illis non ſufficienter contineantur omnia dogmata noſtræ ſaluti neceſſaria, ſed *ad fortiùs conſtringendos adverſarios & ad hæreticos, eos potiſſimùm qui ſeculis ab Apoſtolorum ætate remotioribus prodierunt, faciliùs atq; expeditiùs revincendos præſcriptione novitatis*, ut vocat Tertullianus. Ita enim ille l. adv. Hermog. *Solemus*, ait, *hæreticis compendii gratiâ de poſteritate præſcribere*. Et hoc argumentum peculiari inſuper tractavit libro, quem inſcripſit de Præſcriptionibus i. e. oppoſitionibus & defenſionibus adverſus hæreticos. Theſis ejus eſt, principalitatem veritati & poſteritatem mendacitati deputandam. *Quippe*, ait, *ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum*. c.31. Similiter adverſus Praxeam: *Peræquè adverſus univerſas hæreſes jam hinc præjudicatum ſit, id eſſe verum, quodcunq; primum; id eſſe adulterum, quodcunq; poſterius*. c.2. Et hæc ratiocinatio validè procedit. Stolidus enim ſit & fatuus, qui prima & ab Apoſtolis proxima ſecula veram fidei doctrinam putet ignoraſſe: inſipidè verò & inſulsè ſuperbus, qui ſe unum tam multis illuſtriſſimis Eccleſiæ luminibus præferat, ſe ſapere, univerſam antiquitatem deſipuiſſe contendat. Rectè igitur Hieronymus: *Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſcivimus? — usq; in hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit*, ep. 65. Et hunc imitatus Autor noſter

noſter ep. ad Regem Angliæ, T. 4. p. 841. cum dixiſſet, Miſſas ſolitarias olim nullas fuiſſe, annectit: *An deerant puriori Eccleſiæ annis trecentis poſt Apoſtolos res neceſſariæ in cultu Dei? Quid poteſt dici abſurdius?* poſt pauca: *Noſtra habent evidens & firmum teſtimonium primæ Eccleſiæ, quod non dubito omnium poſteriorum judiciis opponere, qui veterem doctrinam, veteres ritus multis erroribus contaminarunt.* Vides, quanti referat in parato habere poſt Scripturas S. teſtimonia etiam antiquæ Eccleſiæ? Ex re fuerit, urgeri ipſum hoc argumentum identidem contra modernos Photinianos, quibus ſumma fidei Chriſtianæ myſteria ſubverſum euntibus juſtiſſimè dicetur, quod Baſilius Magnus quondam in oratione contra Sabellianos & Arium dixit: *Compeſcat de Traditio: Dominus ſic docuit, Apoſtoli prædicarunt, Patres conſervarunt, Martyres confirmarunt.* T. 1. p. 420. Quod ſi hanc autoritatem inſuper habent, impudentiſſimi mortalium ſunt, opinione ſui inflati pariterq; extremè abſurdi, quin veſaniæ proximi, ac, quibus cum diſputetur, indigni.

Reſp. II. Conceditur utraque manu Scripturam eſſe per ſe ſatis perſpicuam, non ambiguam & obſcuram in rebus neceſſariis; enarrationes tamen antiquorum Eccleſiæ Antiſtitum ideò audiendæ, *quia Scriptura perinde ut quivis alius planus & perſpicuus ſermo, ſæpiùs obnoxia eſt torſionibus* adverſariorum & peregrinis ſenſibus, quos hæretici cùm in iis non inveniant, invehunt, ut *penè* (verba jam recito Vincentii) *quot homines ſunt tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namq; illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atq; idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tàm varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſensûs normam dirigatur.* Hactenus verba Vincentii c. 2.

Quæ cum ita ſint, nemo prudens vitio nobis vertet, ſi monendo inſtemus cum Autore noſtro, ut adjungantur libris Propheticis & Apoſtolicis cùm enarrationes tum teſtimonia purioris Eccleſiæ: inprimis, ut ipſe ſtatim ſubnectit, Symbola, Apoſtolicum & Nicenum. Nempe ex his Symbolis & Confeſſionibus pateſcit Antiquitatis in puritate doctrinæ conſenſus.

Symbolum quod vocant *Apoſtolicum* primas meritò tenet, quippe antiquiſſimum, continens brevi compendio ſummam doctrinæ Apoſtolicæ, retentis etiam ipſorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum verbis, quibus hoc Symbolum præ cæteris peculiariter gaudet. Multi De Symbolis.

veterum & recentiorum illud Apostolis in tantum tribuunt, ut ab ipsis id eâdem hac verborum forma confectum & coagmentatum statuant, collatis in commune sententiis priusquam ab invicem discederent, & singulis singulos articulos promulgantibus: inde vocem Symboli explicant per collationem, similitudine desumta à cœna collatitia. Verùm & Etymologia ista fallit, Symbolam confundens cum Symbolo: illa est sanè cœna collatitia: hoc verò tesseram ac signaculum notat sive in militia, sive in contractu; & sententia ipsa planè improbabilis est. *Si enim Symbolum iis sententiis, eo ordine, ista verborum structura ab Apostolis est concinnatum, quomodo non erit pars Scripturæ Canonicæ?* nam si quod unus Apostolorum scripsit, in Canone ponitur, multò magis, quod omnes. *Quomodo deinceps factum, si Apostolos habet autores, quod non omnes Ecclesiæ hoc eopse modo iisdem omninò verbis absq; ulla diversitate id antiquitùs recitarunt*; quibusdam Ecclesiis anno jam quadringentesimo addentibus quæ in hoc Symbolo non leguntur; quibusdam nonnulla aliter efferentibus, quam hîc legitur, atque etiam (quod saltem eas in Apostolico Symbolo facere reverentia prohibuisset) multa prætereuntibus, quæ nunc in eo continentur? Cui lubet & vacat evolvere Ruffinum in expositione Symboli operibus Cypriani insertâ, deprehendet quà res & articulos credendos equidem nullam, magnam tamen in Romano, Aquilejensi & Orientali Symbolo quà verba diversitatem: quam verborum variationem hoc Symbolum perinde ut nec alia Apostolorum scripta passum minimè fuisset, si ab Apostolis αὐτολεξεὶ consignatum provenisset. Sed *quicquid sit de illius Autoribus, quos rectissimè quidem Episcopum & Clerum Romanum dixeris* cum Gerh. Joh. Vossio Dissert. de trib. Symb. nos hîc rem ipsam magis spectamus, & Symbolum hoc dicimus amplectendum ceu *Regulam Fidei*, quæ, ut loquitur Tertull. *una omninò est sola immobilis & irreformabilis*, l. de Virg. velandis. *quæ eadem à Christo instituta nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt*, l. de præscript. c. 13. Olim Catechumeni & Competentes (i. e. baptismi Sacramenta simul petentes) hoc Symbolum docebantur: quod ubi didicissent & memoriter recitare nossent, ad baptismum admissi & deinceps fideles vocati ac habiti sunt, tanquam sufficienter hoc velut militari signo ab infidelibus discreti, & hanc velut tesseram pacti in baptismo cum Deo initi fideliter tenentes. Vid. August. lib. sive Serm. 1. de Symb. ad Catechum.

Ab Apostolico proximum est *Nicenum*, in Concilio I. Oecumenico auspiciis Constantini Magni contra Arium Presbyterum Alexandrinum Niceæ in Bithynia coacto, cui trecenti & octodecim Episcopi

interque eos non pauci Confessorum & Martyrum constantiam suam sub Diocletiano jam antè contestatorum ac ob pietatem & fidem mira- miraculis etiam insignium adfuere, conditum Anno Servatoris 325. *& ferè ex antiquo Hierosolymitano*, quod apud Cyrillum Hierosolymitanum in Catechesibus legere est, aliquibus additis factum; sed (quod notandum) *usq; ad illa verba tantùm : Et in Spiritum Sanctum :* confirmatum postea in Synodo alterâ Oecumenica Constantinopolitanâ I. Macedonio Divinitatem Spiritus Sancti neganti opposita, nec confirmatum tantùm, sed & suppletum additis, quæ post verba : *Et in Spiritum Sanctum*, usque ad finem habentur. *Hinc à quibusdam Symbolum hoc Constantinopolitanum dicitur, quia Constantinopoli augmentum & complementum accepit. Alii distinguunt in Nicenum merum & Nicenum cum auctario.* Noster Autor sine omni dubio Nicenum cum auctario intelligit, expressum in ipso statim principio Corporis Doctrinæ & fine Tomi I. Opp. cum enarratione : illîc subjunctum habens *Athanasianum* pari veneratione suscipiendum. De quo in hoc nostro quidem Aphorismo nihil legitur: sed compensabimus defectum aliunde ex ipso Autore nostro & quidem cum abundantia. Sic enim ille præclarè admodùm Respons. contra Clerum Colon. *Regulam sequimur certam doctrinæ, scripta Prophetarum & Apostolorum, Symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasii, sententias Synodorum* veterum, quæ probantur, *Nicenæ, Byzantinæ, Ephesinæ, Chalcedonensis* & similia *purioris Ecclesiæ vetustæ* testimonia. *Nec dubitamus hoc genus doctrinæ, quod profitentur Ecclesiæ nostræ, verè esse consensum Ecclesiæ Catholicæ Christi, quem & tuemur & Deo juvante semper fideliter tuebimur adversus omnis generis furores.* T.2.p.96. Planè eodem modo in Resp. ad criminat. Staphyli & Avii, de Symbolo Apostolico dicere orditus, *eam brevem enarrationem traditam esse, ut res alibi* (in Scripturis) *narratæ prolixiùs hic ordine distributæ & breviter comprehensæ in conspectu sint, ut in invocatione simul & Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum & mox summa beneficia cogitemus;* pergit: *Idem de Symbolo Niceno & Athanasiano respondeo,* (nempe Symbola hæc æquè ut Apostolicum in Scripturis esse fundata & cum illis intime conspirare) *Affirmo idem de doctrinæ Canonibus, quos ex urbe Roma Damasus misit ad Græcos Episcopos* (damnationem continentibus plurimarum hæresium, maximè verò Apollinaris, Macedonii, Photini, Cent.IV. Magd. c.9.p.855.) *& de doctrinæ explicatione facta in Synodo Ephesina & Calcedonensi. Hæc dogmata complectimur, cum Symbola nominamus, quia sunt breves repetitiones, doctrinæ in Scriptis Propheticis & Apostolicis traditæ contra impostores, qui præstigiis Sophismatum corrumpebant scripta Prophetica & Apostolica.* T.4.p.821. Ita nimirum nunquam veræ Ecclesiæ desunt testi-

testimonia priorum temporum, quia *Deus subinde excitavit testes veros & aliquorum monumenta propter posteros servat, sicut & nostram confessionem prælucere vult posteris* T. I. f. 392. b.

De Libris Normalibus Reip. Norimb.

Commodùm hîc nostræ Confessionis mentione facta monemur, ut de ea quoque pauca addamus. Ac videtur Autor noster his verbis potissimùm designasse Augustanam Confessionem. Sed nos pressiùs agentes, Corpus Normæ, ut vocant, inclytæ Reipubl. Noribergensis, publico Amplissimi Senatus decreto An. 1573. m. Martio, Ecclesiastico Ministerio oblatum, hîc recensebimus. Sunt libri post S. Biblia hi XII:

I. Tria Symbola antiquissima hactenus commemorata, Apostolicum, Nicenum & Athanasii: quæ sunt communi omnium fidelium applausu in Ecclesia universa tot seculis comprobata adeoque principem locum & autoritatem suo jure obtinent: cum *quæ sequuntur scripta Symbolica tantùm sint paucarum quarundam particularium Ecclesiarum judicio & consensu recepta*: scilicet II. Lutheri Cathechismus parvus & major. III. Confessio Augustana, gloriosissimæ memoriæ Imperatori Carolo V. primùm Augustæ Vindelicorũ exhibita anno superioris seculi XXX, ac postea Naumburgi anno LXI. à compluribus Imperii Principibus & Statibus, quorum caput erat Augustus Elector Saxoniæ, denuò confirmata. *Variatam Resp. nostra laudatissima nullam agnoscit*: Primæ namq; & genuinæ Confessioni ea semper inhæsit, eidem imoritura etiam. Quod testantur literæ luculentæ Senatûs Noribergensis ad Wolfgangum Comitem Palatinum hoc eodem anno LXI. perscriptæ: ex quibus, quæ huc maximè spectant, accuratè excerpta, insimulque plura alia huc facientia dexterrime exposita in lucem protulit Dilherrus in sua Historia Confess. Aug. cujus lectio omnibus esto quam commendatissima. IV. Apologia ejusdem. V. Articuli Smalcaldici. VI. Repetitio dictæ Confessionis, Concilio Trident. ab Electore Saxoniæ exhibita. VII. Loci Communes Theologici Philip. Melanchthonis. IIX. Examen Theologicum ejusdem. IX. Ejusdem Definitiones appellationum. X. Ejusdem Responsiones ad impios articulos Bavaricos. XI. Responsio ejusdem de controversia Stancari. XII. Ecclesiastica Institutio Norica, vulgò die Nürnbergische Kirchen-Ordnung / quam Marchiones Brandenburgici & Resp. nostra anno 1533. junctim ediderunt.

Quibus *tandem ita subscribi solet*, uti additum habetur expresse, *ne alii libri Theologici negligantur, & si qui alii ab hoc vel illo approbantur, secundùm S. Scripturam potissimùm & libros istos Normales dextrè intelligantur.* Quod ubi fecerimus, nul aten is dubitemus, membra nos fore Ecclesiæ purioris tàm vetustæ quam recentioris.

Et hoc hactenus.



LOCUS I.

DE DEO.

Tota hæc Disciplina, quam tractamus, nomen habet à Deo, Θεολογία dicta, quasi doctrina vel sermo de Deo: Non ideò quidem, quod universa Θεολογία circa cognitionem Dei occupata sit: multò minus, quod subjectum operationis in hac disciplina practica sit Deus; sed *quod DEUS sit principium cùm naturæ, tùm gratiæ, itemq; objectiva beatitudo.* Circa quæ tria tota propemodùm Theologia versatur. Quod sic intelligendum: Theologia considerat hominem, ut est salvandus, & docet, quomodo ad beatitudinem primò sit conditus: Conditor autem & *auctor naturæ* est Deus. Deinde docet Theologia, quomodo homo exciderit illa beatitudine, ad quam erat conditus, quomodo item à Deo clementissimo in gratiam sit receptus. *Auctor* itaque *gratiæ* rursum est Deus. Tandem docet Theologia, in quonam consistat completa salus nostra & beatitudo æterna, scil. in clara visione Dei, quæ conjunctum habet summum & interminabilem amorem Dei: & sic *objectum beatitudinis nostræ* itidem est Deus. Deus est, qui clarè videbitur: Deus est, qui summè & perpetuò amabitur. Inde ergò universa hæc disciplina haud inconvenienter Theologia dicitur. Atq; idcircò etiam doctrina de Deo inter Locos quos vocant Theologicos meritò primas tenet: eoque nomine commendandus nobis venit ordo ab Autore nostro observatus, nec commendandus tantùm sed & imitandus. Constare autem nobis primò omnium debet de præcipuis capitibus, quæ ab Autore nostro circa h. l. pertractantur. I. est de notitia Dei naturali, ad quam pertinent attributa, quæ in definitione Dei ab Autore nostro recensentur. II. De mysterio SS. Trinitatis sive tribus personis Deitatis. III. De Incarnatione Filii Dei & Unione duarum naturarum in Christo ac Idiomatum communicatione. IV. De usu articuli de Deo. Quæ capita singula in certos Aphorismos digesta, subjectis cuilibet

Theologia, unde dicatur.

Aphoriſmo; quæ ad intellectum ac defenſionem illius maximè facere videbuntur, breviter auxiliante Deo percurremus; quodque hîc ſemel monuiſſe ſufficiat, in verborum Autoris noſtri ex Locis ipſius Communibus allegatione vel ex ipſius etiam Examine, numerum paginarum *juxta Corpus Doctrinæ* aſſignabimus.

APHORISMUS I.

Eſt aliqua notitia Dei naturalis; quæ tamen ad ſalutem non ſufficit.

Eſt notitia Dei naturalis.

DUo dicimus: I. Dari notitiam Dei naturalem. II. Eandem eſſe inſufficientem ad conſequendam ſalutem æternam. De priori verba Autoris noſtri non longè ab initio hujus Loci p. 293. ita habent: Eſſe Deum, & præcipere obedientiam juxta diſcrimen honeſtorum & turpium impreſſum humanis mentibus, & regulariter punire atrocia ſcelera atrocibus ſuppliciis in hac vita, multa illuſtria & firma teſtimonia oſtendunt; Intellige: ex naturâ petita, ut colligitur ex antecedd. & fuſiùs ab ipſo Autore enarratur L. de Creat. p. 321. ſeq. Fundamentum hujus aſſertionis eſt in verbis Pauli Rom. I. 19. Τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ φανερόν ἐςιν ἐν αὐτοῖς. *Id quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in ipſis*, nempe Gentilibus extra Eccleſiam conſtitutis: h. e. manifeſtè & evidenter ab eis per naturam cognoſcitur ex ſola revelatione generali omnibus hominibus hoc ipſo, quod homines ſunt, factâ, citra ſpecialem illam, quæ nobis in verbo contigit. *Deus enim eis manifeſtum fecit*, impertiendo videlicet iis νȣ̃ν ſive mentem facultate naturali intelligendi & unum ex altero colligendi inſtructam: objiciendo præterea imò ingerendo oculis & ſenſibus ipſorum in hoc mundo aſpectabili τὰ ποιήματα ſive opera ſua, quorum ὁράσει aſpectione & conſideratione ipſe Auctor mundi & operum in eo omnium, Deus, ſummus & unicus ejusdemque æterna potentia & inviſibilis majeſtas ſatis manifeſtò pateſcit. Hunc modum ipſe continuò indicat Apoſtolus v. 20. *Ipſius enim*, ait, *Dei inviſibilia jam inde à condito mundo* τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα καθορᾶται *ex rebus factis intellecta perviduntur, æterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas.* Chryſoſtomus

mus Apoſtolum explicans : *Unde nam*, inquit, *manifeſta erat* (gentibus cognitio de Deo?) *Vocem è ſupernis immiſit illis Deus? nequaquam: ſed, quod illos voce validiùs illicere poterat, id fecit, creaturam ſuam in medio ponens, ut poſſit ſapiens, rudis, Scytha, Barbarus, ex ipſo aſpectu eorum, quæ oculis ſubjecta ſunt, pulchritudinem edoctus ad Deum conſcendere.* hom. 3. in ep. ad Rom. m. p. 69. Ita eſt profecto: Et *Sapientes & rudes hoc medio ad exiſtentiam Dei cognoſcendam provehi poſſunt.* Sapientes; apodicticè ex motu inveſtigantes primum Motorem, quod medium eſt Phyſicum: vel ex ſubordinatione cauſarum ad Primam aſcendendo, quod medium eſt Metaphyſicum. Rudes ſeu idiotæ; populariter ex ſtructura univerſi tàm pulchra, tàm ordinata, tàm ad omnes uſus diſpoſita univerſitatis Dominum Parentemque pro ſuo captu agnoſcendo: cum ædificium hujus mundi adeò concinnum non minùs reſpuat caſum & fortunam, quàm domus aliqua magnificè conſtructa. Hinc Scythæ etiam & ferociſſimæ ac incultiſſimæ quæque gentes Numinis quendam ſenſum habuerunt. Quod firmans Ariſtoteles l. de Cœlo t. 22. Πάντες γὰρ, inquit, ἄνθρωποι περὶ Θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. Et Cicero l. de LL. *Nulla gens eſt neque tàm immanſueta neque tàm fera, quæ non etſi ignoret qualē Deum habere deceat, tamē habendum ſciat.* Deum igitur eſſe, naturaliter omnibus gentibus & hominibus notum eſt, eo quo diximus modo, nempe quod *homo natura ſua aptus eſt ex contemplatione hujus univerſi ſibi acquirere notitiam de Deo qualemcunque.* Acquiſita.
Acquirere inquam. Tritum aliàs eſt, diſtingui notitiam Dei naturalē in ἔμφυτον καὶ ἐπίκτητον h.e. inſitam & acquiſitam: quarum illam ajunt hominibus omnibus actualiter, quamprimum in lucem eduntur, innatam & ingeneratam eſſe, & complecti κοινὰς ἐννοίας, principia nobiscum nata Theoretica & Practica, itemque συντήρησιν ſive teſtimonium conſcientiæ internum; hanc autem comparari contemplatione operum Dei in cœlo, terra, mari, totoque hoc orbe viſibili. Sed *ex Apoſtoli verbis ante allegatis talis aliqua, ut vulgò ſtatuitur, inſita notitia probari non poteſt*, cum ipſe ſe ſtatim explicet v. 20. addendo modum & medium, per quod Deus gentibus innotuerit, nimirum non per quandam à natura inſitam cognitionem ſed per ſpecies rerum creatarum, quæ tanquam effectus ſenſibilis de cauſa ſua teſtentur. Nec eſt ut quis nobis opponat verba in v. 19. φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς: hæc enim non actualem quandam notitiæ inde à nativitate inhæſionem arguunt, ſed ſaltem, ut ſuprà expoſuimus, *manifeſtam & evidentem cognitionem.* Κοιναὶ ἔννοιαι ſeu principia illa communiſſima nihil huc faciunt, nam conſtat inter Philoſophos nulla principia nec Theoretica nec Practica actu nobis connaſci, cum ne ſimplices quidem terminos à nativi-

tate noverimus? sed *sola aptitudo talia, ubi se rationis usus exseruerit, promtè intelligendi nobis connata est*, quam δύναμιν σύμφυλον κεκλικὴν appellat Aristoteles, 2. post. Anal. c. ult. alibi intellectum hominis recens nati appositissimè comparans tabulæ nudæ, in qua scriptum nihil dum est, etsi inscribi quidvis possit 3. de An. c 4. t. 15. Συνλήρησις etiam nil quidquam hîc probat. *Excitantur quidem stimuli conscientiæ ab aliqua notitia, verùm non ab innata sed acquisita*, cum adultiores demùm sentire illos stimulos compertum sit, qui jam simplicium terminorum & aliarum rerum plurimarum scientiam sibi acquisiverunt. Sed nec, ut putant, communi sententiæ subsidio venit caput II. ad Rom. ubi *Lex* dicitur *scripta in cordibus Ethnicorum*, v. 15. nam scriptio illa facta in corde non designat notitiam ab ipsa nativitate actu statim habitam, sed *penitiorem impressionem notitiæ* undecunque & quocunq; tempore haustæ, ac firmiorem inhæsionem; quo eodem sensu Jer. XXXI, 33. Deus dicit, *Scribam legem meam in cordibus ipsorum*, i. e. faciam, ut doctrina mea firmiter illis inhæreat. Quapropter *missa illa insita notitia, unicè nos urgemus acquisitam, quæ mentis acie colligitur ex inspectione operum Dei in mundi hujus Systemate.* Et hæc acquisita cognitio dicitur *naturalis*, quatenus per vim naturalem & ex principiis naturæ eruitur absque speciali revelatione Divina. Hoc unum est.

Sed ad salutem insufficiens.

Dicimus autem II. *Naturalem hanc cognitionem ad salutem haud sufficere.* Probamus hoc inde, quia nemo salutem adipiscitur sine notitia Christi Mediatoris & Redemtoris unici. *Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum*, ait Christus in orat. ad Patrem Joh. XVII, 3. item: Ego sum via, veritas & vita: *nemo venit ad Patrem nisi per me*, Joh. XIV, 6. Hanc viam necesse est cognosci ab omnibus, qui pertingere volunt ad terminum, nempe beatitudinem æternam. At verò ex naturæ lumine hanc salutis rationem nemo cognoscit. Opus quidem creationis ex natura quadantenus innotescit: Ast de reconciliatione, inquit Autor noster l. d. nihil (mens humana) novit sine revelatione divinæ promissionis. Idemque patet ex verbis Christi ad Petrum: *Caro & sanguis tibi hoc non revelavit, sed Pater meus, qui est in cœlis*, Matth. XVI, 17. Concludimus ergò, notitiam Dei naturalem per se solam non ducere ad salutem. Quod cum videret Deus, qua est bonitate, addidit peculiaris modi revelationem, quam supernaturalem dicere possumus, inq; verbo se suamq; voluntatem plenius nobis patefecit: quæ patefactio supervacanea foret, si ex generali illa manifestatione in natura cognitio salutaris sufficienter peti posset.

Circa hunc Aphorismum quidam in defectu peccant, quidam in excessu.

In defectu, *Photiniani*, naturalem Dei notitiam ita prorsus tollentes, ut non nisi peculiari revelatione, tum quoque fama & traditione, von hören sagen/ Deum hominibus innotuisse scribant, διαῤῥήδην contrariati Apostolo, cujus verba adeò clara, ut torsionem non admittant. Nam quod illi ποιήματα explicant per prædicationem Christi & Apostolorum atque opera miraculosa ab iisdem in prædicationis fidem ac confirmationem patrata, quibus Τὰ ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἀόρατα τοῦ Θεοῦ illa inde à creatione mundi invisibilia Dei (ita enim illi textum connectunt) nempe voluntatem Dei de nostra salute concernentia, luci exposita hominibusq; patefacta sint; id *repugnat toti textui, in quo de Gentilibus nulla dum prædicatione & doctrina salutari imbutis agitur*, qui si recta via institissent, Deum debuissent dignis modis glorificare, cujus γνωστὸν, quod restringitur ad potentiam & sublimitatem Dei, poterant percipere ex ποιήμασι seu operibus creationis & gubernationis jam inde ab orbe condito, uti etiam vulgò artifex ex suo opere effectisque cognosci dicitur: qua ratione omnia optimè cohærent servaturque verborum proprietas. *Argumenta autem quibus contra nos pugnant Photiniani*, potiora hæc sunt: I. Quod legatur Ps. XIV, 1. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: id quod dici non posset, si Divinitatis opinio omnibus esset naturalis. II. Quod Deus inde ab initio se hominibus variis modis manifestaverit. III. Quòd, Deum esse, apprehendamus fide, Ebr. XI, 6. non ergò per naturam id cognosci. IV. Quod Philosophi nonnulli ἄθεοι dicti sint, quin Ethnici omnes dicantur ἄθεοι, Dei expertes Eph. II, 12. Deumque ignorare 1. Thess. IV, 5. Quæ argumenta tamen omnia non operosam habent solutionem. Resp. enim ad I. *Aliud est, non nosse Deum: aliud, negare Deum in corde.* Non prius, sed posterius Psalmista dicit. Atque hoc faciunt impii, dum sceleribus immersi securè in diem vivunt, ac suffocata recogitatione Dei pravitati suæ indulgent, perinde ac si Deus in cœlis nullus esset qui curaret: cujus tamen sensum ita penitus exuere non possunt, quin terrorē illis incutiat illius recordatio, ut dicitur v. 6. qui ipse terror arguit notitiam de Deo. Ad II. Longè certissimum est, omnem Dei cognitionem ab aliqua ejus patefactione oriri, sicut ait Apostolus: Deus illis manifestavit. Sed *patefactio sive revelatio illa vel est generalis*, facta à Deo in natura, hoc ipso, quod nos ratione præditos creavit & facultate intelligendi instruxit & objecta, quæ cognosci possint in hac

Obj.

Patefactio sive Revelatio duplex.

mundi

mundi machina sensibus, perque eos animis nostris ingessit Rom. I. *vel specialis* est, quæ contigit, dum multis vicibus multisque modis olim locutus est Deus Patribus per Prophetas, ultimis autem diebus locutus est nobis per filium, Ebr. I, 1. *Posterior non opponitur priori, sed eam perficit.* Ad III. Quæ *naturaliter nota sunt de Deo, etiam fide percipi & credi possunt, quatenus scil. peculiariter sunt revelata in verbo*; sicut de eadem re potest haberi Demonstratio & Syllogismus topicus, & unum idemque potest cognosci per sensum & per intellectum. *Quod igitur fide tenetur esse Deum, id non repugnat notitiæ Dei naturali, quemadmodum* neque repugnat, ea quæ naturali aliàs ratione possunt indagari, insuper verbo Divino proponi. Ad IV. *Non dicti sunt Ethnicorum nonnulli Philosophi* ἄθεοι, *quod prorsus non crederent esse Deum, sed quod gentilium Deos atque sacra irriderent. Ethnici verò in commune à Paulo* ἄθεοι *& Dei ignari dicuntur, non quod nescirent esse Deum eumque colendum,* sed quia eum non colebant, ut decebat & ad salutem necesse erat: modificatè scil. in respectu ad notitiam veri Dei verique cultûs Divini pleniorem & salvificam dicuntur tales, non absolutè.

In excessu peccant, quicunque vel ex Patribus, vel ex Scholasticis, vel ex Pontificiis, vel ex Calvinianis Ethnicos saniores per naturalem Dei notitiam salvos factos statuunt: cui opinioni imperfectio notitiæ naturalis superiùs adstructa refragatur. Addimus hic sequentia Scripturæ loca generalissimè concepta. Joh. III, ult. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* V, 23. *Qui non honorat Filium, nec Patrem honorat.* 1. Joh. V, 12. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Unde quid de Gentilium Dei Filium non agnoscentium salute statuendum sit, liquidò apparet. Nec obstat, quod gentiles ob notitiam naturalem Apostolus vocat ἀναπολογήτους inexcusabiles, Rom. I, 20. *Non enim ideò sic dicuntur, quod notitia illa per se saluti acquirendæ suffecerit, sed quod gentiles verum illius usum neglexerint, non ulterius per eam tendentes ad inquirendam uberiorem Dei patefactionem in Ecclesia.*

APHORISMVS II.

DEUS est essentia spiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, justa, misericors, liberrima,

ma, immensæ potentiæ & sapientiæ: Pater æternus qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus S. procedens à Patre & Filio.

EXhibet his conceptis verbis Autor noster p. 295. descriptionem, ut ipse vocat, Dei cum naturaliter tum supernaturaliter cogniti. Unde habemus facilem hujus Aphorismi divisionē in duo membra. Prius in se continet essentialia attributa Dei, quæ lumine naturali cognoscuntur. Posterius personas Deitatis recenset, quas non nisi ex revelatione speciali, quam & supernaturalem dicere possis, nosse contingit.

Ubi antequam de reipsa plenius dicamus, prænotanda nonnulla veniunt. Unum est, quod cognitio Dei sit vel hujus vel alterius vitæ. Quæ hujus vitæ est, habetur partim ex natura, partim per revelationem, quæ fit peculiaris modi, diciturq; *per speculum facta*, 1. Cor. XIII, 12. Sicut enim speculum repræsentat non rem ipsam, sed imaginem ejus; & qui rem in speculo videt, eam non ex ipsa sed ex imagine ejus cognoscere incipit: ita quoque se habet agnitio, qua Deum in hac vita ab effectibus in natura, vel ex revelatione cognoscimus: quæ Abstractiva aliàs nominari solet. Deum enim non immediatè & in seipso, sed quasi speciem ac imaginem ejus contemplamur in operibus & in verbo revelato. Illa autem futuræ vitæ propria cognitio, Intuitiva erit, qua Deus cognoscetur non per aliquod medium sed coram videbitur & immediatè se conjunget intellectui nostro. *Tum namq; videbimus eum sicuti est* 1. Joh. III, 2. non per speciem ampliùs ullius rei, nec obscurè & eminùs, sed coram & clarè, sive ut Paulus explicat, *à facie ad faciem*, 1. Cor. XIII, 12. Neutra tamen, sive in hoc ævo sive in futuro, est Comprehensiva, qua solus Deus, ut est infinitus, sese infinitè cognoscit. Nam comprehendere aliquid, est perfectione cognitionis adæquare perfectionem rei: id quod in cognitione Dei nemo potest, nisi ipse solus. Apud Scholasticos quidem beati frequenter *Comprehensores* dicuntur, sicut hujus ævi filii *Viatores*, sed tum comprehensio non sumitur pro adæquata cognitione rei, sed pro consecutione ejus, quod quis desiderat, uti accipiunt ipsæ S. literæ 1. Cor. IX, 24. Phil. III, 12. Hoc primò notari meretur.

Cognitio Dei in universum triplex.

Alterum est, quod Autor noster adeò circumspectè præsentem hunc Aphorismum quintá vice *descriptionem Dei* vocat. Definitionē dicere non audet; sine dubio veritus, ne simplicissimæ Divinæ naturæ compositionem ex genere & differentia, ex quibus omnis definitio

An Deus definiri possit?

con-

constare debet, attribuere, eumque, qui est infinitus, finire velle videatur. Quæ ipsius modestia prædicatione digna est. Ac eadem olim mens fuit Augustino l. de cognit. veræ vitæ, c.7. scribenti: *Summus Spiritus sicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, ita nulla definitione poterit propriè definiri vel determinari.* T.9. 847. C. *Interim nec magnopere nos repugnamus, si quis omninò definiri Deum posse pertendat,* quod recentiores nonnulli rationibus non contemnendis faciunt, hoc sensu, quod non quidem Logica definitio, quæ per verum genus & differentiam fit, Deo competat, sed saltem prædicata quædam communia & specialia de eo enuncientur, habentia se ut genus & differentia, quæ tamen isto nomine dicta nullam realé compositionem importent, cùm denominationes hujusmodi formaliter sint in intellectu, nec obstent infinitati Divinæ: cum definiri in præsenti non sit finiri, sed secundum essentiam & quidditatem cognosci: quo sensu accipimus illud ab Autore nostro l. all. dictum, Ecclesiam judicare de essentia Dei ex verbo Dei. Si de essentia Dei judicare potest Ecclesia, poterit pariter definire Deum, (quid enim definitio aliud quam oratio explicans essentiam rei?) sic tamen, ut perfectior essentiæ Divinæ cognitio alteri vitæ, perfectissima uni & soli Deo reservetur. Augustin. lib. 83. Quæstionum, q. 15. *Omne quod se intelligit, comprehendit se: Quod autem se comprehendit, finitum est sibi.* T. 4. 536. Quid? quod T. 2. Opp. hunc ipsum Aphorismum, quo, quid sit Deus, docetur, exsertis verbis Definitionem appellari legimus p. 210. Per Autorem itaque nostrum perque nos quilibet sibi eligat sententiam, quam præ altera probabiliorem autumat. *Utriq; rectè explicatæ nos honorem suum habemus.*

Deus per lumen revelationis succurrit, ubi lumen naturæ deficit.

Tertium, quod hîc statim in limine notari convenit, est, *priorem hujus sive descriptionis sive definitionis partem ita esse naturæ ductu cognitam, ut eadem tamen illa in verbo quoq; revelato subinde inculcetur.* Solet aliàs qua est bonitate Deus per lumen revelationis succurrere, ubi lumen naturæ deficit. Ob hunc enim defectum Scriptura S. potissimùm condita est. Jam verò *lumen naturæ deficit vel per se vel per accidens.* Per se, in iis quæ naturæ captum prorsus exsuperant, ut sunt omnes articuli fidei strictè ita dicti, præcipuè duo illa summa mysteria, Trinitatis & Incarnationis, de quibus nihil cuiquam mortalium unquam veniret in mentem, si non revelatio ea nobis panderet. Per hanc igitur defectui isti remedium divinitùs paratum est. Per accidens verò etiam innatum lumen deficit in iis, quæ natura sua sunt demonstrabilia, sive quæ firmis è natura ductis principiis probari possunt, sed cum mora ac difficultate nec sine studio intentiore, quæ proinde, ut percipiantur, ingenium atque judicium haud vulgare sibi deposcunt &

ob

ob id in paucorum notitiam veniunt. En! huic quoque defectui subsidio venit revelatio, per quam fit, ut facilius & ab omnibus, quin & sincerius intelligantur, quæ absq; ea difficulter & à paucis investigata, ac ferè admisto errore in hac mentis caligine contaminata fuissent. Huc jam pertinet Im̃ortalitas animæ & tota doctrina de Attributis Dei, quæ sanè demonstrabilia sunt & à sapientioribus Gentilium rationis acumine percepta, in Scripturis tamen etiam convenienter admodum proponuntur, ut promtius à quibusvis indoctis & simplicioribus, ac certius sineque admistione errorum & idololatriæ apprehendantur. Thom. P.1. q.1. a. 1.

His prælibatis propius jam attingemus verba nostri Aphorismi, & illam quidem, quæ in priore parte est, de attributis Dei doctrinam mediocri prolixitate pertractabimus, unumquodlibet eorum I. ex Scripturis probando, II. Probationi unam vel alteram Observationem subjiciendo, III. Objectiunculam aliquam circa unumquodq; movendo & solvendo. Sed quid cunctamur?

Deus est essentia.

Maximè accommodatum est Deo nomen Entis vel Essentiæ ab essendo deductum. De Dei essentia.

Probatur: Ipse enim Deus rogatus à Mose nomen, in hæc verba respondit: אהיה אשר אהיה Ero qui ero, sive ut Vulg. transtulit: Sum qui sum. Et mox: Sic dices filiis Israël: אהיה misit me ad Vos. Ubi LXX. habent ὁ ὢν. Est enim אהיה à rad. היה Fuit, cum qua convenit הוה, unde nomen factum est tetragrammaton יהוה, quod ita Dei proprium est, ut competat ipsi in seculum, veluti hæc omnia leguntur Ex. III, 14, 15. S. Joh. Apoc I, 4. nomen hoc tribus vocibus exponit, salutem precatus Ecclesiis ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος (sive ἐσόμενος, *quomodo Beza restituit locum Apoc. XVI, 5.*) ab eo qui est, qui erat & qui futurus est. Nec Platonem etiam hoc latebat, qui Masculino ὁ ὢν in Neutrum mutato Τὸ ὂν Deum dixit in Timæo, articulo solo varians, uti Justinus ait, qui & didicisse hoc eum à Mose putat, dum in Ægypto esset. Orat. ad Gent. T. 1. p. 61.

Observ. I. Nomen illud Dei apud Mosen terminationis futuræ אהיה Ero, significanter redditum ab Ap. Joh. per tres temporum differentias. Futurum enim tria tempora complectitur, quod Vatablus ex Ebræis non temerè annotavit. II. Hæc *tria tempora includuntur in una voce* יהוה. Primum tolle Jod literam nominum propriorum formativam, & solam habebis radicem הָיָה Fuit, respondentem illi in

Apoc. ὁ ἦν. Secundò tolle duo Kametz à verbo הוה & verte prius in Holem, posterius in Sægol: ex præterito הוה iisdem manentibus literis habebis participium præsens הֹוֶה ens sive existens, atque hoc respondet illi ὁ ὢν. Tertiò assume Jod, quod verbo huic הוה præponitur in tertia futuri: sic habebis יִהְיֶה Erit, cui respondet ille tertius titulus in Apoc. ὁ ἐρχόμενος, & verbum apud Mosen in prima persona אהיה Ero. III. Innuitur hoc ipso summa, omnimoda & *sempiterna Dei stabilitas*, isque primò appellatione אהיה & nomine illo tetragrammato יהוה ac Latino Entis vel Essentiæ denotatur, qui eminentissimo modo, perfectissimè & simpliciter, semperque ac necessariò est, ab omni alio independens, ex se & per se subsistens, ante quem nihil, à quo omnia, Ens optimum, maximum, principalissimum, quod non tam ut alia entia habet essentiam sed est ipsa essentia, quin omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo. *Quam quidem significationem prorsus non exprimit sententia communis, quæ pro tetragrammato* יהוה *legit* ארני *Dominus*, uti rursus egregiè notat Vatablus ad Ps. I, 2. Expressit autem Junius in Iren. voce Græca αὐτοών. Alii termino αὐτοφυής. Nonnulli Latinè, Existens, dixerunt. Quanquam id quoque IV. addendum, *innui simul in futuro* אהיה *& tetragrammato* יהוה *impletionem* promissionum, quibus Deus efficacissimum det εἶναι; ejus item *præsentissimum auxilium*, quo in omnibus necessitatibus nunc & in futuro populum suum præstat salvum. De quo iterum videatur Vatablus in Ex. c. 3. & Sixt. Amama Antib. Bibl. p.476.

Obj. Object. Si Deus est essentia, ita quidem ut non tam habeat essentiam sed sit ipsa essentia, non rectè dicetur Ens, quia Ens definiente Scal. Exerc. 18. est id quod habeat essentiam. Ubi aliud est essentia ipsa, aliud id quod, habet essentiam. In Deo autē non est aliud atq; aliud. Resp. N. Cons. Utrumque rectè dicitur de Deo, quod sit ὁ ὢν Ens, ut Scriptura eum vocat, & quod sit ὀσία sive Essentia. Hæc duo enim Ens & Essentia in Deo recurrunt & plane idem sunt. Probationem quod attinet, sciendum, *nomen Entis cæteraq; nomina omnia, quæ Deo tribuuntur, duo communiter apud nos significatione sua involvere, primo id, quod significant, deinde modum, quo significant.* Allata definitio Entis, quod sit id, quod habet essentiam, est desumta à modo, qui invenitur in creaturis, in quibus sanè aliud est essentia, aliud ens, quod habet essentiam, qui modus rationem habet imperfectionis. Aliàs verò id, quod Ens significat, in sese perfectio est, scilicet Esse, atque adeò ex vi nominis Ens est id, quod est, seu, cui non repugnat esse: quæ descriptio

Deo exactissimè competit, ut qui negat DEUM esse Ens, neget DEUM esse.

Spiritualis.

Prob. Nam Scriptura disertè Deum vocat Spiritum, Joh. IV, 24. Πνεῦμα ὁ Θεὸς, Deus est spiritus, i. e. ut Autor noster παραφράζει, essentia spiritualis, sine mole corporea, T. 3. 660. *De Spiritualitate Dei.*

Obs. I. *Spiritus vocabulum commune est aliquot Dei creaturis*, id quod in Scripturis est manifestum. Nam & Angeli Spiritus dicuntur, Ebr. I, 14. & Venti, Joh. III, 8. & hominis anima, Eccles. XII, 7. II. DEUS Spiritus dicitur non eo modo quo ventus, sed quo Angeli & anima nostra (ἐξαιρέτως tamen) *ea scil. ratione, qua opponitur Spiritus omnibus rebus corporeis.* Idem patet ex l. all. Joh. IV. ubi ex eo, quod Deus sit Spiritus, infertur, ipsum pro naturæ suæ ratione, spirituali mentis cultu potissimùm delectari, corporalibus ceremoniis non æquè affici, nisi quatenus per istas hominis animus excitetur spiritusq; ad Deum elevetur. Hoc eodem sensu Gentium Sapientes Deum vocarunt Animum, ut Pythagoras, & Mentem, ut Thales Milesius. Maximè verò loco Johanneo congruenter Cato cecinit:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
His tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Similia habet Persius Sat. 2. in fine. III. Appellatione Spiritûs itaque removetur à Deo omne corpus, sumendo corpus, ut sumi debet, pro eo, quod è materia & forma componitur, sive jam crassum id corpus sit, sive tenue. Anima enim & mens hominis, cui Scriptura Deum confert, substantia est à corpore adæquatè distincta, à corpore inquam tàm subtili quàm crasso, quorum neutrum sine materia & partibus cogitari potest. Et hinc anima nostra corpori è diametro opponitur, Matth. X, 28. Eccles. XII, 7. Unde IV. *cum spiritualitate Dei consistere non potest sententia Tertulliani Deum corporeum dicentis*, l. adv. Praxean c. 7. Licet enim ita eam moderetur, ut neget effigiata membra habere Deum, l. de Trin. ac *corpus* saltem *invisibile* ipsi tribuat, nec aliter id accipiat quàm pro substantia, l. adv. Hermog. c. 35. inque oppositione ad φάντασμα & nihilum, l. de Anima c. 7. hoc unum intendens, Deum habere esse verum & reale & non umbratile: quam ob causam etiam August. eum hinc hæreticum factum negat, l. de hæres. ad Quod vult d. hær. 86; *impropriè tamen & abusivè eo pacto locutus est, vocabulorum notiones confundens.* Nam Spiritus in propria acceptione (uti de anima jam dictum est) corpori opponitur, & omne verum corpus mate-

riatum eſſe intelligitur. V. Adhuc gravius verò ſpiritualitatem Dei impugnat Audianorum ſive Anthropomorphitarum Secta, qui *corpus noſtro ſimile* i. e. figuram & membra humani corporis Deo aſſignarunt, ita ſibi viſi Scripturæ ductum ſequi, quæ caput, brachium, manus, pedes, cor, oculos, aures & ſimilia membra de Deo frequenter enunciet. Verùm iſtæ locutiones Scripturæ κατ' ἀνθρωποπάθειαν, quæ ſpecies Metaphoræ eſt, conceptæ ſunt, συγκαταβάσει quadam propter nos, ut ad ſupereminentem Divinarum rerum excellentiam per corporalia nobis obvia attollamur. S. Hilarius: *per hæc noſtrorum corporum membra operationum ſuarum nobis Deus momenta ſignificans ſenſum noſtrum uſu intelligentiæ communis edocuit*. l. 12. de Trin. p. 244. C. *Quod ſi propriè iſta omnia capias, monſtroſa corporis figura Deo tribuenda ſit.* dicitur enim oculos habere ſeptem, Zach. IV, 10. item alas, Pſ. XVII, 8. &c. Vide Damaſc. qui rectiſſimè l. 1. de orth. fide c. 14. ὅσα, ait, περὶ Θεοῦ σωματικώτερον εἴρηται, συμβολικῶς ἐστι λελεγμένα, ac poſtea ſigillatim omnia, quæ de Deo corporali modo dicuntur, percurrit & pulcherrimè explicat: id quod etiam fecit Eucherius Epiſcopus Lugdun. Præfat. in lib. Formularum ſpiritualis intelligentiæ, quam Flacius primæ parti Clavis ſuæ appendicis loco adjecit. Confer cum his Rhet. Sacr. D. Glaſſii, tr. 1. c. 7. p. 98. ſeqq.

Obj. Obj. Loca Scripturæ pauciora ſunt explicanda ex pluribus, indeque proprius illorum ſenſus petendus. Jam verò plurima ſunt loca, quibus Deus ut corporeus deſcribitur, unicus autem tantùm, quo Spiritus eſſe docetur. Ergò potiùs tropicè & per metaphoram explicandum eſt, quod Deus ſemel dicitur Spiritus, quam quod toties ipſi membra corporis tribuuntur. R. Major propoſitio cum reſtrictione eſt intelligenda: niſi ſcil. plurium locorum propria acceptio *manifeſtiſſimæ certæq; rationi* repugnet, cumque evidenti abſurditate ſit conjuncta. In tali namque caſu tropo locus eſt concedendus, nec abſterrere nos debet farrago Scripturæ dictorum, tropo afficiendorum: cum impoſſibile ſit Scripturam aliquid pronunciare, quod refragetur (cautè hæc dicimus & repetimus) *manifeſtiſſimæ certæq; rationi*: quæ determinatio eſt Auguſtini ep. 7. ad Marcellinum. Quin ergò aſſurgimus Cl. Danhawero, qui, ubi idem ſibi objeciſſet argumentum, reſpondet: *Advertendum, notam tropici ſenſus non eſſe paucitatem locorum, quibus vox uſurpari ſolet, ſecùs ad Anthropomorphitarum claſſem eſſemus abituri: illis enim plures textus allegaturis nos unum ſolùm opponere poſſumus, qui extat Joh. IV, 24. Sed is locus tropo locum vacuefacit, de quo I. minùs præſumitur quod ſit literalis; qui II. cum majori abſurditate conjunctus*

ctus est — *Jam verò* (pergit) *magis absurdum est, Deum esse corporeum quam Spiritum: illic itaq; tropus quærendus fuerit, non hîc. Nam si Deus Spiritus non esset, sed corpus, vel nullus daretur motus localis, vel daretur penetratio dimensionum, vel subinde Divina essentia corporibus loco motis cedere deberet, & spatium aliquod sui ac intervallum relinquere: quæ absurda esse omnes* (doctiores) *intelligunt.* Ideâ boni Interpr. P. 1. sect. 3 a. 2. §. 56. p. 109. Confer ejusdem Id. bon. Disp. sect. 1. a. 6. p. 124.

Intelligens.

Prob. ex 1. Sam. II, 3. אל דעות יהוה, *Deus scientiarum Dominus est,* Ps. XCIV, 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculum, nonne videbit?* 10. *Qui docet hominem omnem scientiam* q. d. Psaltes: Cum Deus hominem scientem & intelligentem condiderit, necessariò ipse quoque sciens & intelligens fuerit, quandoquidem hæc in creaturis perfectio est. De intellectu Dei.

Obs. I. *Intellectus* vel Scientia *Dei non habet rationem potentiæ,* uti noster intellectus est potentia, qui perficitur per actum intelligendi: *nec rationem habitûs,* qui etiam in dormiente esse potest; sed assignatur Deo per *modum actûs* simplicissimi & ultimi, estque idem quod intellectio, & est ipsa Dei substantia. II. *Objectum Divinæ intellectionis* sunt omninò Divina, Angelica, Humana. h. e. novit & intelligit Deus *primò* & principalissimè *seipsum* in seipso. Matth. XI, 27. Nemo novit filium nisi Pater, &c. 1. Cor. II, 11. Quis hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei. *Tùm* secundò *omnia,* quæ sunt *extra ipsum.* 1. Joh. III, 20. potentior est Deus corde nostro & novit omnia. *Et quidem in singulari* ac determinatè Ps. LVI, 9. Tu vagationes meas in numerato habes: pone lachrymã meam in utre tuo, Ps. CXXXIX, 1. Domine pervestigas me & cognoscis. Tu nosti sedere meum & surgere meum. Ebr. IV, 13. non est ulla res creata (talis utique singularis est) quæ non manifesta sit in conspectu ejus. *Etiam* arcanos quosque *motus voluntatis & cogitationes* cordium. Ps. VII, 10. Scrutator est cordium & renum Deus. 1. Reg. VIII, 39. Tu nosti solus animum omnium filiorum hominis. *Nec solùm entia sed etiam non entia: eaq; quadruplicis generis* (1.) *actu non existentia sed futura*: eaque vel *absolutè* futura, ut sunt ea quæ Deus decrevit condere. Act. XV, 18. Nota sunt Deo ab ævo omnia opera sua. Rom. IV, 17. Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint. Si vocat ea, quæ non sunt, quomodo eadem non cognoscat, dum nondum sunt? vel, quæ, *sub certis saltem hypothe-*

pothesibus essent eventura, reipsa autem nunquam futura. Ita 1.Sam. XXIII, 11. sciebat Deus quid futurum fuerit, si David veniret in Kehilam. Nempe *Saul*, ait Dominus, *descendet & Kehilamitæ tradent te.* Et Matth. XI, 21. *Væ tibi Corazin, Væ tibi Betsaida! Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, egissent pœnitentiam in cilicio & cinere.* Sap. IV, 11. Raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus. Hæc reapse non futura erant, & Deus tamen quid sub aliquibus hypothesibus eventurum fuerit, probè novit. (2.) *Possibilia, nunquam planè futura:* qualia sunt, quæ Divinæ potentiæ subjacent, à Deo autem non producuntur. Horum Deus est cognitor, licet non conditor: utpote qui potentem essentiam suam intimè perspectam & exploratam habet. Et quoniam ad modum infinitæ potentiæ Divinæ res quoque ipsi subditæ in infinitum se extendunt, hinc scientia etiam, quæ circa illas versatur, infinitatem habet, & dicendum cum Davide: Magnus Dominus noster & multæ vires ejus, & intelligentiæ ejus non est numerus. Ps. CXLVII, 5. ubi pariter infinita DEI potentia & infinita scientia prædicatur. (3.) *Negationes & privationes* adeoq; etiam peccata & mala omnia; quæ de fide est a Deo distinctè cognosci. Job. XI, 11. *Ipse novit hominum vanitatem & videns nequitiam annon consideraret?* Confer Ps. XCIV, 11. Prov. XV, 3. (4.) Non entia dici possunt *entia fictitia & rationis*, quæ cum cognoscantur à nobis, non possunt non etiam suo modo ab infinito intellectu cognosci, qui utique cognitam habet nostram intellectionem. Nec tamen ea Deus cognoscit velut Entia; sed uti sunt non entia. Nec etiam ipsemet facit ens rationis, etsi cognoscat ut à nobis factum aut factibile: quod quidem, ut & cætera errata intellectus, tale non est respectu intellectus Domini sed duntaxat nostri. Quin ergò res omnes, summas imas Deus cognoscit, nec, dum ad has se demittit, vilescit, ut Philosophi nonnulli, inter quos quidam etiam Aristotelem fortassis tamen immerentem collocant, censuerunt: quia *in extensione intellectus, ad plura objecta, cujuscunq; illa sint precii, absolutè non apparet ulla imperfectio*: imò cùm minutissima & abjectissima quæq; à Deo per creationem & conservationem vel etiam permissionem dependeant, fieri aliter non potest, quàm ut eorum ipsi sit notitia. Nec enim ignorans quidquam facit & conservat Suprema Mens aut fieri permittit.

Proprietates Divinæ scientiæ sunt istæ: (1.) *Non intelligit Deus, per speciem*, nec seipsum nec quæ sunt extra essentiam ipsius. Id inde manifestum, quia ad humanam intellectionem requiruntur species intelligibiles propterea, ut uniant objectum intellectui nostro & potentiam cognoscentem actuent. Jam verò Divino intellectui, utpote qui

ubi-

ubique est (cum sit ipsa substantia Dei) omnia sunt præsentissima, ipseque *intellectus ille actualissimus est*, non transiens de potentia ad actum sed in perpetuo (ut sic dicam) actu secundo positus. Nulla ergò indiget specie ad intelligendum: *sed* omnia *in seipsô* intelligit: primario quidem suam essentiam, quam comprehensivè & adæquatè novit, secundariò autē creaturas: nam & hasce intuetur in semetipso tanquam in speculo, in quo relucent ideæ omnium rerum creatarum. In seipso, inquam: ita tamen, ut non in cōmuni solummodò, quatenus eminenter ac virtualiter in ipso continentur h. e. cognitione confusa, *sed sub esse proprio* eas attingat, prout à se invicem distinguuntur. Sicut enim singulæ res creatæ sunt cognoscibiles, ita eas Deus cognoscit. At sunt cognoscibiles secundùm esse proprium ab aliarum esse distinctum Ergò à Deo etiam sic cognoscuntur. (2.) *Non intelligit Deus complexè*, formando propositiones, sive per modū enunciabilium componendo & dividendo, quia hic modus pluralitatem cognoscendi involvit, quæ cum simplicitate intellectionis Divinæ stare non potest: *nec discursivè*; ratiocinando unum ex alio colligens & ex notis ignotum ac dubium eliciens; cum Deo nihil possit esse ignotum ac dubium: *nec successivè*, unum post alterum percipiendo, in quo modo adhuc fortiùs quam in componendo pluralitas intellectionum implicatur Deo repugnans: sed uno simplicissimo actu distinctissimè penetrat omnia, de quibus nos enunciata formamus, quæq; discursu ac temporis successu indagamus. (3.) Prorsus *invariabilis & immutabilis* est *scientia* Dei. *Objectum quidem illius sæpè mutationibus variis subjacet*, dum ex futuro fit præsens, ex præsente præteritum, quemadmodum v. g. creatio mundi olim erat futura, aliquando præsens, nunc præterita: hæc tamen mutatio objecti nullam infert mutabilitatem in intellectu Divino, perinde ut nec in essentia Divina, quæ cum intellectu eadem est. Nec enim isthæc per modum enunciabilium componendo & dividendo Deus novit, ut hoc tempore formet hanc propositionem: Mundus est creandus; alio tempore istam: Mundus creatur; alio illam: Mundus creatus est: nec adeò variatis rebus nova cognitio complexa in Deo producitur ut in nobis, in quibus propterea mutatur intellectio, sed *eâdem scientiâ & eodem sciendi actu nunc & ab æterno, simplici intelligendi modo, novit Deus, quæcunq; alicui rei contingere possunt*, e. g. creationem mundi, tanquam uno tempore futuram, altero præsentem, tertio præteritam. (4.) Certa, determinata & infallibilis est scientia Dei non saltem quoad præterita & præsentia sed & quoad *futura contingentia*, quæ vel ipse facere decrevit, Amos III, 7. vel quæ à causis liberrimè agentibus proveniunt,

veniunt, Gen. XIIX, 19. Ratio hæc est: quia qui est summè intelligens, omnia vera exactè novit. Atqui Deus est summè intelligens. Ergò omnia vera exactè novit. Si omnia vera: Ergò & futura contingentia, quia hæc etiam veritatem habent, quod verè scil. sint futura. (5.) *Scientia Dei est causa rerum adjuncta voluntate*, ut rectè disputat S. Thom. p. 1. q. 14. a. 8. Nempe citra Divinam Scientiam nihil fit: Scientia tamen illa sine voluntate rem nullam producit. Nam Deus multa facere novit, quæ non facit, quia non vult. Unde (ait rursum Thom. a. 9. ad 3.) non oportet, quod quæcunq; scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint, sed solum ea quæ vult esse vel permittit esse. Demum (6.) observanda *scientiæ divinæ*, *respectu objecti secundarii*, *divisio* à Scholasticis nonnullis tradita, in Naturalem, Liberam & Mediam: quæ divisio ex dictis facile intelligitur. *Naturalis* est, qua Deus ab æterno cognovit ac hodienum cognoscit res in universum omnes possibiles actu ipso nunquam futuras. Sic habet v. g. notitiam plurium Mundorum quos posset fabricare: novit enim se hoc posse, dum seipsum h. e. suam novit essentiam, cum qua eadem est potentia, quam proinde, utut in actum non exeat, ignorare nequit: quin hæc est illa scientia, quam superiùs diximus in infinitum extendi. Repetatur hîc Davidis de Deo elogium, Ps. CXLVII, 5. Dicitur hæc possibilium scientia aliàs *simplicis intelligentiæ*, simpliciter enim hæc Deus novit tanquam ea quæ à se possint fieri: simpliciter, inquam; nullo facto decreto de iis creandis. *Libera* est, qua Deus res omnes intuetur, quibus esse actuale competit in aliqua temporis differentia: sive clariùs, qua novit omnia, quæ esse actuale vel habuerunt vel habent vel habitura sunt. Dicitur Libera, quia præsupponit liberum voluntatis Divinæ decretum tribuendi his & illis realem existentiam. Alio nomine, *scientia visionis*, quia ea propriè dicuntur videri, quæ revera sunt, erunt vel fuerunt. Sanè Deus talia certò videt (1.) in seipsis, quia in aliquo tempore verè existunt (2.) in causis secundis, quas habent, (3.) in sua voluntate, qua productionem eorum decrevit. Quæ vero solummodo esse possunt, reapse nunquam futura, ea Deus non videt nisi in sua omnipotente essentia: Quare nec ad scientiam visionis sed simplicis intelligentiæ referuntur. Alii scientiam visionis sic dictam existimant occasione verborum Gen. I, ult. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat*. Hùc pertinent loca jam supra citata Ebr. IV, 13. Act. XV, 18. Rom. IV, 17. Adde Job. XXVIII, 24. *Media* est, qua novit Deus, si hoc sit, illud futurum: posito nimirum hoc & creaturis cum his vel illis circumstantiis in tali vel tali rerum ordine collocatis, scit Deus esse futurum illud, licet sæpiùs sublato antecedente consequens quoque intercidat nec actu contingat. Hujus

exempla

exempla paulò antè ſunt allata ex 1. Sam. XXIII, 12. Matth. XI, 21. Sap. IV, 11.

Obj. Qui non novit quosdam, quorundam verò animum de novo cognoſcit, quemque capit oblivio & cui quædam ſunt tecta, ille non eſt ſummè & actualiſſimè intelligens. Atqui Deus non novit quosdam, nempe impios, Matth. VII, 23. quorundam verò animum de novo cognoſcit, uti ad Abrahamum dicit poſt immolationem Iſaaci: עתה ידעתי *Nunc cognovi*, quod timeas Dominum, Gen. XXII, 12. Ipſumq; capit oblivio peccatorum noſtrorum, ut eorum non recordetur, Ezech. XVIII, 22. Eademq; ipſi tecta eſſe dicuntur, Pſ. XXXII, 1. Ergò Deus non eſt ſummè & actualiſſimè intelligens. Reſp. N. Min. ſimpliciter intellectam, cui probandæ iſta Scripturæ loca non faciunt, *nec enim de ſcientia ſimpliciter ita dicta loquuntur, ſed vel de ſcientia approbationis, vel judiciaria.* De ſcientia approbationis intelligendum illud Matth. VII. quod impiis dicetur: *Non novi vos*, i. e. non approbo veſtra facta: itemque illud Gen. XXII. Nunc cognovi, quod timeas Dominum, i. e. timorem illum Dei in te habeo gratum & acceptum; reverentia illa tua maximè mihi probatur. De cognitione judiciali ad pœnam loquuntur ea loca, quibus Deus dicitur peccatorum non recordari ſed tecta ipſi ea eſſe. Licet enim ea norit adhuc, non vult tamen ea in judicium contra nos proferre ſed condonare. Atque hoc eſt quod ait Auguſt. in Pſ. XXXI, T. 8. *Si texit peccata Deus, noluit advertere: ſi noluit advertere, noluit animadvertere, ſi noluit animadvertere noluit punire: noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. — Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata?* Hæc ille.

Obj.

Æterna.

Prob. Pſ. XC, 2. *Priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, à ſeculo & in ſeculum tu es Deus.* 1. Tim. I, 17. *Regi ſeculorum, immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo honor ſit & generalia in ſecula ſeculorum, Amen.*

De Æternitate Dei.

Obſ. I. *Æternitas ſpecies eſt infinitatis.* Quemadmodum enim Infinitas in genere dicit finium carentiam, & eſt argumentum perfectiſſimæ eſſentiæ ab alio indepedentis: Ita in ſpecie, habito reſpectu ad effectus producendos, dicitur Omnipotentia: reſpectu loci, habitudinis ad ubi ſeu præſentiæ, Immenſitas: ratione temporis ſive durationis, Æternitas appellatur. I. In cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus, ait rectiſſimè Thom. p. 1. q. 10. a. 1. Si enim quid conveniat tempori attendamus, mox è contrario eluceſcet, quid Æternitati tribuendum fuerit. Tempus enim opponitur Æternita-

ti, & temporarium æterno. Jam verò *in tempore* ſpectantur : *principium, ſucceſsio, finis.* Patet ex Ariſtotele, cui ea dicuntur tempore menſurari, quæ corruptibilia & generabilia ſunt, h. e. quæ pricipium & finem habent in tempore. 4. Phyſ. t. 120. Æternitas ergò tempori oppoſita carebit principio & fine. Porrò juxta Philoſophum tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius. l. d. t. 101. Ubi autem prius & poſterius, ibi ſucceſſio & per hanc mutatio locum habet. Atq; in tempore hæc ita contingere, per ſe liquet. Ex oppoſito igitur æternitas non habebit prius & poſterius adeoque nec ſucceſſionem vel mutationem, ſimul tota absque partibus invicem ſuccedentibus ſemper exiſtens indiviſibiliter. Hæc Boëtius attendens: *Æternitas*, ait, *eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* l. 5. de conſol. Philoſ. proſa 6. *Interminabilis*: nempe tàm à parte ante, quam à parte poſt, ſive expers termini à quo & ad quem, principii & finis. *Tota ſimul & perfecta poſſeſſio*: ſecluſa omni ſucceſſione, immutatione, innovatione, nihil vel præteriti habens vel futuri, in νῦν ſtabili & fixo usque & usq; poſita. Illud ergo tandem verè æternum, quod ſemper, quodque totum idemque ſemper eſt. III. Potiſſima æternitatis ratio conſiſtit io eo, quod *tota ſimul exiſtit*, ab omni ſucceſſione libera. Cæteroqui carentia principii & finis etiam in tempus quadrare poſſit, ſi motus ab æterno ponatur, ex mente Philoſophi 8. Phyſ. IV. *A Deo* diligentisſimè *removentur* in Scripturis hæc ſingula: *Principium, Succeſſio, Finis. Principium*; Hab. I, 12. Nonne tu ab æterno es? *Finis*; Pſ. IX, 8. Dominus in æternum permanet. Dan. IV, 3. Spectat huc etiam illud Pſ. XC. antè allegatum : A ſeculo & in ſeculum. *Succeſſio* & omnis reſpectus prioris & poſterioris excluditur per id, quod actiones Dei æternæ in Scriptura dicuntur hodie fieri : Pſ. II, 7. Filius meus es tu : hodie genui te. hoc ipſo enim Deus a fluxa temporum viciſſitudine eximitur, & in ipſius fixa æternitate nihil eſſe prius, nihilve poſterius indicatur. V. *Æternitas Dei ſic eſt principii & finis expers., ut capax eſſe nullo modo poſsit*; quia ſc. Deus independenter eam obtinet. Unde ab aliquibus æternitas abſolutè & ſimpliciter dicta, qualis uni & ſoli Deo per eſſentiam competit, deſcribitur, quod ſit *duratio interminabilis, indiviſibilis & independens.* Quo ipſo omnis participata æternitas fortiſſimè excluditur. Nam carentiam termini, ex quorundam ſententia, uti dictum, mundus quoq; participare poſſet. Indiviſionem ſive carentiam ſucceſſionis invenimus in beata Angelorum & hominum æternitate, qui in gloria cœleſti ita ſemper durant, ut totam illam ſine ſucceſſione & mutatione quisque pro ſuo gradu ſimul & ſemel poſſideant. Utrobiq; autem eſt dependentia à Deo. Hinc abſolutè, ſimpliciter & per eſſentiam ſolus Deus eſt æternus.

Obj.

Obj. Cui Scriptura differentias temporum afignat, is non eſt æternus. Sed Deo aſſignat Scriptura differentias temporum, dum vocat eum: Qui eſt, qui erat & qui venturus eſt, Apoc. I, 4. In ſpecie, annos illi tribuit. Pſ. CII, 28. Anni tui non deficient; & dies, cum dicitur: Antiquus dierum. Dan. VII, 9. Ergò Deus non eſt æternus. Obj.

Reſp. Iſtas differentias temporum Deo adſcriptas æternitati ejus non obſtare, nec propterea tempus menſuram ejus effici, fit non illud I. *propter nos*, qui in hoc tempore conſtituti æternitatem Dei rectè nobis imaginari nequimus. Sicuti dum in corpore ſumus ſpiritualia modo corporeo concipimus: Sic quoque infinitam durationem intellectus noſter finitus in tempore exiſtens ſub imagine temporis apprehendit: & hanc ob cauſam Scriptura quoque captui noſtro ſe accommodans, de Deo in præſenti, præterito & futuro & ad menſuram & calculos noſtri ævi annorum & dierum loquitur, ut imbecillitatem noſtram ſic ſublevet. II. *Propter coëxiſtentiam, quam habet cum tempore æternitas Dei.* Deus enim in ipſa ſua æternitate coëxiſtit omnibus temporum differentiis, & hæ viciſſim illi. Igitur hac quoque de cauſa verba diverſorum temporum attribuuntur Deo: nempe, ut Thom. ait, *in quantum ejus æternitas omnia tempora includit: non, quod ipſe varietur per præſens, præteritum & futurum*, l. d. a. 2. ad 4.

Verax.

Prob. Num. XXIII, 19. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur aut filius hominis, quem pœniteat. An ipſe dixerit & non faciet? an locutus fuerit & non præſtabit illud?* Rom. III, 4. *Verax eſt Deus: omnis autem homo mendax.* De Veracitate Dei.

Obſ. I. Veritas dupliciter accipi poteſt: vel pro certa & vera cognitione rerum: vel pro infallibili certitudine factarum promiſſionum. *Utroq; modo Deus verax, omnis homo mendax.* Priore quidem: quia ſolus intellectus Divinus cauſa eſt & menſura rerum, & propterea à veritate deficere non poteſt: intellectus autem humanus menſuratur à rebus & accipit à rebus cognitionem. Eatenus enim ſcientia & cognitio in mente noſtra vera eſſe dicitur, quatenus exæquatur rei intellectæ h. e. quatenus ita eſt intellectu cognita, ſicut eſt in re exiſtens. Viciſſim verò res eatenus veræ eſſe dicuntur, quatenus exæquantur intellectui Divino, qui eas metitur, h. e. ſi ſint tales quales Deus eſſe prævidit & ſemper videt. Proinde *intellectus Divinus eſt*, ut Scholaſtici loquuntur, *menſurans* (res ſcil. alias) *non menſuratus. Res verò ſunt menſuratæ* (ab intellectu Divino) *& menſurantes* (noſtrum intellectum.) *Intellectus autem noſter eſt menſuratus tantùm*, à rebus natu-

ralibus, ***non mensurans eas*** (mensurat tamen, obiter dicendo, noster intellectus res artificiales , sicut Divinus naturales.) Ita nimirum *Veritas primo est in intellectu Divino : deinde in rebus : tertiò à rebus in nostra gignitur mente.* Sua itaque natura mens & intellectus noster potest non adæquari rebus, & sic à veritate deficere : Divinus autem non potest, cùm ipsa res ab eo pendeant, eique debeant quod sint & quod veræ sint. Posteriore modo : quia cum voluntas Dei sit immutabilis, hominum contra varia & inconstans est, ut quod semel placuit , paulò post aliter illis videatur. Deus itaque non potest non stare promissis: homines autem contra. Quin etiam si velint stare, obstat impotentia, ut nequeant promissa præstare. Atque hoc sensu ***homo mendax***, cui scil. vel voluntas juvandi vel facultas deficit; & ***Deus*** , invocantibus sese certissima auxilia mittens, inter se opponuntur, Ps. CXVI, 4, 6, 8, 11. unde illud Pauli Rom. III, est desumtum : estque adeò huic parallelum istud : Mendax salus hominis , Ps. LX, 13. CIIX, 13. Circa utrumque verò modum, quo Deus verax, omnis homo mendax asseritur, tenendum est, quod de Apostolico hoc pronunciato eruditè tradit Melchior Canus in Loc. Theol. l. 2. c. 3 ***Paulus non significat quidem omnes homines mentiri, sed eo esse ingenio, ut mentiri possint : de natura enim agit, non de more.*** II. ***Deus non tantùm verax est, sed ipsa Veritas. cùm in sese, tùm in suis operibus, tùm in suis verbis.*** In sese : quia est summè Ens, summè quoq; verus est. Si enim verum est id quod verè est, sicut contrà falsum est id, quod videtur esse, sed non est; Deus igitur est ipsa veritas, quia ipse per se est & sua est essentia. Hinc fit, ut toties *Verus Deus* in Scripturis dicatur. 2. Paral. XV, 3. Jer. X , 10. Confer v. 14. 1. Thess. I, 9. 1. Joh. V, 20. Ubi in prioribus locis V. T. per Deum verum is designatur, qui Israëli patefactus solus verè, id est quod dicitur, qui est una essentia vera & veritas essentialis. In postremo autem loco Johannis hic idem titulus Filio tributus Divinam ipsius naturam & essentiam, quam cum Patre unam & æternam habet, validissimè probat. Quid enim verus Deus nisi habens veram Divinam essentiam ? unde & de seipso Christus : ***Ego sum Veritas***, ait, Joh. XIV. intelligendo potissimùm essentialem veritatem, quæ est solus & unus Deus. Contrà alii qui dicuntur Dii sed non sunt, ideò non sunt veri Dii , quia veritas essentiæ Divinæ in iis desideratur. Deinde in suis operibus Deus est veritas, quia omnia ejus opera sunt vera ; verum quod condidit cœlum , vera terra , veri homines, verè justi, quibus justitiam Christi imputat , verè hæredes, qui ex misericordia ab ipso in filios adoptantur, vera fides, qua per Spiritum S. regeniti donantur : nihil in his omnibus ficti , fucati nihil. Contrà Satanas in suis operibus ut plurimum ludit prodigiis mendaci-

bus,

bus, II. Theſſ. II, 9. Poſtremò veritas eſt Deus in ſuis verbis. Pſ. XIX, 8. Joh XVII, 17.

Obj. Qui non præſtat quod comminatus eſt, is non eſt verax. Sed Deus parcendo Ninivitis, quibus miniſterio Jonæ exitium & internecionem prædixerat, non præſtat quod comminatus eſt. Ergò. Obj.

Reſp. *Argumentum procederet, ſi abſolute Deus interitum Ninivitis eſſet comminatus*: Jam verò id non abſolutè fecit, ſed cum conditione pertinacis impœnitentiæ, qua ceſſante ceſſabat etiam effectus comminationis. Et eodem modo omnes minæ Dei intelligendæ ſunt cum exceptione pœnitentiæ & converſionis: uti manifeſtum eſt ex Jer. XVIII, 7, 8.

Bona.

De Bonitate Dei.

Prob. Pſ. XXV, 8. טוב־וישר יהוה *Bonus & rectus Dominus* Matth. XIX, 17. *Nemo eſt bonus niſi unus Deus.* Apoſtolus *divitias benignitatis Deo* tribuit, Rom. II, 4.

Obſ. I. *Bonitas Dei bifariam conſiderari poteſt: aut abſolutè, quatenus ſimpliciter & in ſeipſo bonus eſt Deus: aut relativè, quatenus aliis quoq; bonus eſt.* Abſolutè & in ſeipſo ſummè bonus eſt, quia ſummè perfectus: bonú enim abſolutè idem eſt quod perfectum. Relativè itidem ſummè bonus, quia omnis boni creati autor exiſtit, tum faciendo tam multas bonas creaturas, tum factis à ſe creaturis benefaciendo. Et hæc bonitas utplurimùm Benignitas appellatur Ebr. חסד Gr. χρηςότης. Eſtque vel *generalis vel ſpecialis.* Generaliter bonitas Dei ad omnes creaturas ſe extendit, ſuper bonos & malos, Matth. V, 45. totaque terra repleta eſt bonitate Domini Pſ. XXXIII, 5. Sic & Pſ. CXLV, 9. dicitur: טוב - יהוה לכל Bonus Dominus univerſis. Specialiter verò benè vult Deus electis, fidelibus, piis & juſtis. Pſ. LXXIII, 1. profectò bonus & Iſraeli Deus, puris, corde. Utraque hæc bonitas deprædicatur Pſ. CXXXVI. per totum. II. *Solus Deus bonus eſt* (1.) *ſummè ſcil. & eminentiſſimè, ac* (2.) *per eſſentiam.* Excluſiva igitur particula non removet prædicatum hoc, eſſe bonum, ab aliis ſimpliciter: nam omnis creatura Dei bona eſt, 1. Tim. IV, 4. Confer Gen. I, ult. Pſ. CXXV, 4. Matth. XII, 35. Act. XI, 24. Sed quoad eminentiam ſolùm & per eſſentiam intelligendo bonitatem. *Bonitas* autem *per eſſentiam* hîc dicitur, *qua non eſt participata nec accidentalis.* Licet enim ipſum quoq; creaturarum eſſe bonum ſit, juxta illud ſcil. Auguſtini: *Omnis natura in quantum eſt, bona eſt*, l. de natura boni, c. 1. Ens enim & bonum inter ſe commeant: tamen illud eſſe creaturarum eſt (1.) aliunde, à Deo nempe participatum & (2.) accidentibus perficiendum, cum nemo

mo ob id ſimpliciter bonus dicatur, quia bonitatem habet transcendentalem, quæ cum Ente convertitur, ſed quia moraliter eſt vir bonus, civis bonus, judex bonus, vir ſapiens, juſtus, fidelis &c. Jam verò Deus non aliunde ſed à ſeipſo habet omnem bonitatem, nec ulla ipſi accidentalis eſt, ſed ſine addito immediatè ſua eſt ipſius bonitas. Verè ergò per eſſentiam bonus: & hoc ſenſu ſolus etiam bonus. III. *Extra Eccleſiam nemo quisquam bonitatem Dei unquam in dubium vocavit. At* (nefandum) *in Eccleſia Marcion* cum propter ſtupratum virginem excluſus eſſet a communione myſtica, quo Eccleſiam turbando ulciſceretur ſe, portentoſum Cerdonis dogma refricans præter alia docuit, duos eſſe Deos: unum creatorem mundi & autorem V. Teſtamenti, eumque malum, auſterum, crudelem: alterum in N. T. manifeſtatum, bonum, facilem, benignum, qui miſerit Jeſum Chriſtum. Cui hæreſi Tertullianus oppoſuit libros V, inſcriptionem habentes adverſus Marcionem.

Obj. Obj. Si Deus ſit ſummæ bonitatis ac perfectionis, non erit in mundo ulla malitia aut imperfectio: eò, quod unum contrarium infinitum neceſſariò alterum totaliter deſtruat. Ad eundem modum nonnulli quondam Athei ſunt argumentati: ſi ſit Deus, cum neceſſariò bonus ſit, & ſummè quidem & infinitè bonus, fore, ut malum ſibi oppoſitum omne penitùs aboleat: quod cum evidens ſit non fieri, hinc argumentum hoc multos ad Atheiſmi profeſſionem permoviſſe narrat Lactantius l. de Ira Dei c. 13. Sed tanta movendi vis argumento iſti profectò non ineſt. Rectiſſimè enim à Scoto ejusque diſcipulis ſolvitur per neg. conſeq. Nempe *oppoſitum excludi ab altero oppoſito, intelligendum de formali excluſione è ſubjecto, in quo alterum oppoſitorum jam exiſtit*: quemadmodum v. g. ubi intenſiſſimus calor eſt, ibi non eſt frigus. Atque ſic Deus omninò per ſuam infinitam & perfectiſſimam bonitatem excludit à ſe omnem malitiam ac imperfectionem. *Effectivè autem non tenetur Deus excludere omne ſibi oppoſitum è mundo, ſed poteſt permittere mala & ad bonos fines dirigere.* Nam *ſola eſt divina vis* (ait inſigniter de hoc negotio diſputans Boethius l. 4. proſa 6.) *cui mala quoque bona ſunt &c.*

Pura.

De Sanctitate *Dei*. Prob. Lev. XI, 45. *Sancti eſtote: quia ego ſanctus ſum.*

Obſ. I. Poteſt hoc attributum dupliciter intelligi: vel, quod Deus ſit actus purus & ſimplex: vel, quod ſit *mens pura & ſancta*. Nos poſteriore modo accipimus, ideò potiſſimùm, quod ipſe Autor noſter ſic ſe explicat in Exam. ubi pro Pura habet Caſta. II. Rectè autem puritas

ritas seu castitas Divinæ essentiæ ex eo deducitur, quod Deus dicitur קדוש Sanctus: nam non solùm ex Ebræo קדוש est Germanicum keusch per Syncopen: sed & castitas crebrò in Scripturis venit nomine Sanctitatis & Sanctificationis, 1. Cor. VII, 34. 2. Cor. VII, 1. 1. Thess. IV, 4. 1. Tim. II, ult. III. Cùm castitas locis modò citatis respiciat Conjugium & excludat pollutionem animi & corporis, θεοπρεπῶς *est intelligendum, quando Deus essentia casta dicitur*, non alia scil. ratione quam *quod naturâ delectetur castitate, eamq; in Lege præcipiat & in nobis ipse efficiat ac remuneretur*: uti è contrario Diabolus spiritus immundus vocatur, quia immunditie gaudet & ad opera immunda homines sollicitat ac impellit Matth. X, 1. Luc. XI, 24.

Obj. Si Deus est essentia casta, quî fit quod in verbo ipsius non pauca continentur turpia & obscœna, quibus pudicæ aures possint offendi? Qualia sunt, quæ narrantur de ancillarum cum Patriarchis concubitu, de Thamaris incestu, de Davidis adulterio, de præcepto Hoseæ dato ducendi fornicariam, & similia. Unde Pontificii aliàs argumentantur, inprimis Bellar. l. 2. de V. D. c. 15. p. 182. non esse permittendam Laicis lectionem Bibliorum, ne ad hujusmodi imitanda irritentur & provocentur. Responsio autem in promtu est, nam *ad verba quod spectat & phrases Scripturæ, etiam obscæna castè proferuntur* & verecundis vocibus per εὐφημισμὸν ab eo Spiritu enunciantur, qui omnis καθαρότητ@- autor est. *Ad rem verò quod attinet, si nonnulla recitantur parùm pudica, non longe abest antidotum*, in Legibus Dei Sanctissimis, in aliorum exemplis castissimis, in pœnis impuritati immissis severissimis, quæ omnia oculis & mentibus obversantur eorum, qui in sacra lectione sunt assidui, & debebant præcipuè ab illis accuratiùs cogitari, qui suo vitio ad libidinem propensiores ex ipsis Oraculis Divinis occasionem arripiunt cogitationum malarum. Sed enim *omnia quidem pura puris: pollutis autem & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia*: ait Apostolus Tit. I, 15. & hinc ipsa quoque purissima Dei eloquia ab ipsis in impuritatem convertuntur. Excipimus autem ab actibus impuris & vitiosis polygamiam Patriarcharum, item Hoseæ maritalem cum fornicaria consuetudinem: de quibus quid sentiendum sit, alia occasione dicetur. Interea tempus optimè collocaverit, qui leget de Sacrarum Scripturarum verecundia & castitate luculenter disserentem D. Salom. Glassium, Philol. S. l. 1. tr. 3. sect. 8. Obj.

Justa.

Prob. Ps. XI, ult. *Justus est Dominus: quæ justa sunt, diligit: re-* De justitia Dei.

ctum adspicit vultus ejus. Pſ.CXIX, 137. *Juſtus es, Domine, & recta judicia tua.* Rom.II, 5. *Pro duritia tua & corde reſipiſcere neſcio ipſe tibi theſaurum recondis iram in diem iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuiq; ſecundùm opera ipſius; iis quidem, qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem, vitam æternam: rixoſis verò & veritati quidem non aſſentientibus, obſequentibus autem injuſtitiæ, erit excandeſcentia & ira, afflictio, inquam, erit & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi imprimis, tum & Græci: Gloria verò & honor & pax erit cuivis rectè facienti bonum, tum Judæo inprimis, tum etiam Græco. Non enim eſt reſpectus perſonarum apud Deum.*

Obſ. I. Quando DEUS in Scripturis *juſtus* denominatur, vox hæc tria *ſignificat*: (1.) ex uſu communi, *eum, qui vult & agit juſta.* (2.) *eum, qui fidelis & verax* eſt, præſtans quod promiſit. Sic dicitur Eſa.XLV,23. Per meipſum juravi: prodiit ex ore meo verbum juſtitiæ, quod non revocabitur. Et 1. Joh. I, 9. Si confitemur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & juſtus (i.e. verax & promiſſi ſui ſervans) ut remittat nobis peccata noſtra & purget nos ab omni iniquitate. (3.) *Benignum, largum, beneficum.* Pſ. XXIV, 5. Accipiet benedictionem à Domino, וצדקה & juſtitiam à Deo ſalutari ſuo, i. e. beneficium. LXX, ἐλεημοσύνην, ut aliàs ſæpè. Confer Jud.V, 11. Nos hîc de Juſtitia Dei potiſſimùm in prima acceptione agimus, & Deus nobis, juxta loca ad probandum allata, *juſtus* dicitur hoc ſenſu, *quod amet juſtitiam* & odio habeat iniquitatem: quod & ipſe nihil iniqui committat, ſed *judicium exerceat juſtiſſimum* ſine perſonarum reſpectu: quod deniq; pietatis ac *juſtitiæ cultores præmiis afficiat*, injuſtitiæ autem deditis iraſcatur & vindictam quantam meruere inferat. In quo poſtremo tamen diſſimulandum minimè eſt, *quod ad præmia eaq; æterna attinet, quibus Deus donat decoratq; pios, ibi ſimpliciter & propriè juſtitiæ locum non eſſe, ſed magis gratiæ & miſericordiæ.* Quod autem nihilominùs talium præmiorum collatio, quæ in illo judicii die manifeſto futura eſt, ab ipſo Apoſtolo l.c. Rom.II. inque aliis parallelis 2.Theſſ.I,6. 2.Tim.IV,8. ad juſtitiã Dei refertur; id fieri cenſendũ impropriè & ſecundùm quid, quatenus ſecundùm alteram acceptionem, Deus ſe in hoc negotio fidelẽ & veracẽ oſtendit, quæ fidelis veritas & verax fidelitas pars quædam juſtitiæ eſt, ex Scholaſticorum doctrina. Etenim, quod II. obſervari volumus, *Juſtitia* ceu totum aliquod ſub ſe habet partes: & conſideratur quidẽ vel ut totum univerſale, vel ut totum potentiale. Ut eſt *totum univerſale* h. e. genus quoddam, habet partes ſubjectivas, ſcil. ſpecies, velut animal agnoſcit pro partibus ſubjectivis hominem & beſtiam. *Sic juſtitia in Commutativam & Diſtributi-*

Juſtitia conſideratur 1. ut totum univerſale.

butivam tanquam partes subjectivas dispescitur. Quarum quidem partium neutra Deo propriè quadrat. Non commutativa: quippe cujus objectum sunt συναλλάγματα, commercia, commutationes, contractus, in quibus obviat mutua datio & acceptio. Jam verò ipsi Philosopho ridiculi Dii viderentur, si commercia facerent, deposita redderent atque alia hujusmodi contraherent, 10. Eth. c. 8. Et, ut dicit Apostolus, quis prior dedit Deo & reddetur ei? Rom. XI, 35. Nec distributiva: quæ versatur in distribuendis præmiis secundùm merita verè sic dicta. At nulla nostra sunt merita talia. Ergò nec secundùm distributivam justitiam propriè nobiscum agit Deus, quando præmia tribuit virtuti & pietati nostræ. Illa igitur divisio Justitiæ tantùm est intelligenda quod actus hominum inter se concernat. Est verò insuper justitia *totum potentiale* seu potestativum, & hac ratione partes habet, quæ sunt potentiæ: velut animæ partes potentiales sunt tres ejus facultates. Ita Justitiæ partes potentiales sunt, Religio sive cultus Dei, Pietas in parentes, Gratitudo, Veritas & similes aliæ, quæ cum justitia in aliquo conveniunt, in aliquo verò discrepant: uti eas recenset & explicat Thom. 2, 2. q. 80. a. 1. Hoc posteriore modo dici potest, quin dicit adeò ipsa Scriptura, quod Deus utatur justitia, etiam cum bona nobis æterna dispensat: nempe est *hæc persolutio pars justitiæ potestativæ, pendens ex promissione, quæ purè & in se gratuita,* est nobisque *indebita* (in quo discrepat à justitia propriè dicta) cui tamen semel factæ Deus *debet* robur addere & pollicita præstare ipso opere, ut justus i. e. verax ac promissi memor tenensque prædicetur. Ex quo sequitur, dicente rursum Thoma 1, 2. q. 114. a. 1. quod *Deus non* efficiatur simpliciter *debitor nobis sed sibi ipsi*, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur. Et sic ordinatio illa sive pactum & promissio Divina non facit, ut intercedat hîc justitia propriè dicta, quod Pontificii contendunt, innixi falsæ hypothesi de meritis operum & nostris satisfactionibus pro peccatis: sed manet hoc totum strictè & propriè loquendo opus misericordiæ, ac secundùm quid saltem justitiæ. Qua de re plura aliàs. *Propriè verò in Deo justitia dicitur, qua punit & vindicat peccata hominum*; Justitia, inquam, misericordiæ opposita. III. *Deus semper justus est, licet homines non semper intelligant, quomodo justus sit.* Pulchrè August. l. 18. de C. D. c. 18. *Dei judicia occulta sunt multa, injusta nulla.* Item: *Judicia Dei plenè nemo comprehendit, justè nemo reprehendit.* l. 2. c. 23.

2. Utto-tum Potentiale.

Obj. Quod est tantùm liberum voluntatis Divinæ decretum & actus exercitus, id non est de natura Dei aut essentiale ejus attributum. Atqui justitia illa, quam nos propriè talem diximus, nempe vindi-

Obj.

cativa misericordiæ opposita, qua Deus pœnas irrogat peccatis hominum, est tantùm liberum voluntatis Divinæ decretum & actus exercitus, nomine iræ ac vindictæ in Scripturis veniens. Ergo justitia illa vindicativa, ut vocant, non est de natura Dei aut essentiale ejus attributum. Ita colligit Socinus Prælect. Theol. c. 16.

Resp. N. Min. quòd sit tantùm liberum decretum Dei & actus exercitus. Licet enim respiciat actum & exerceatur liberè à Deo, non tamen per hoc excluditur, quod sit essentia Dei: quia *etiam id, quod est de alicujus essentia, potest esse principium actionis liberæ.* Sic sanè odium peccati & injustitiæ in Deo, quod primariam habet rationem justitiæ propriè dictæ, est de ipsa essentia Dei: & ab illo odio postmòdo est, quod Deus in peccata animadvertit gravibus pœnis. Illæ *pœnæ ab ipso liberè quidem inferuntur injustis: odium tamen injustitiæ non est in ipso liberum* sed naturale & essentiale, & propter hoc justitia etiam puniens est essentiale ejus attributum. Nisi ita sit, *si*, inquam, *justitia Dei, quâ peccata punit, est tantùm liberum voluntatis ejus decretum, sequetur, omne jus divinum esse positivum, nullum naturale.* Quo posito ipse Decalogus, quo peccata prohibentur, juris tantùm positivi erit & per consequens mutari ac variari pro beneplacito Divino poterit, nam si pœna peccati ex sola & nuda voluntate Dei æstimatur, ita ut, si aliter velit, possit non punire peccata; Ergò & culpa, nempe peccatum, ex sola voluntate Dei æstimari debebit, propter naturam oppositorum: culpa enim & pœna sunt relatè opposita. Igitur si Deus vellet blasphemias, idololatriam, adulteria, homicidia, furta, ea non erunt peccata, quoniam in his solummodo obtinet, ex mente Photinianorum, liberum voluntatis Divinæ decretum. Apage verò hæc opinionum tetra portenta!

Misericors.

De Misericordia Dei.

Prob. Ps. CIII. 8. *Misericors & gratiosus Dominus, longanimis & multus benignitate.* 13. *Ut miseretur Pater filiorum, miseretur Dominus timentium ipsum.* Luc. VI, 36. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Unde ab Apostolo Deus dicitur *Pater ille misericordiarum*, 2. Cor. I. 3. *& dives misericordia*, Eph. II, 4.

Obs. I. Misericordiam Stoici descripserunt per πάθος & ægritudinem animi ex aliorum miseria conceptam. Unde postea multis arrisit etymologia misericordiæ, quasi ex eo sic appellata sit, *quod miserum cor faciat condolentis alieno malo:* veluti est apud Augustin. T. 1. de morib. Eccl. Cathol. l. 1. c. 27. p. 766. Sed hæc erronea sunt, præter enim quam quod hac ratione nulla in Virum sapientem, ægritudinis immunem,

nem, cadat misericordia, nedum in Deum, in quo tamen eam Scripturæ tantopere celebrant & ferè nusquam non prædicant; incongruè ex facultate sentiente, in qua passionum & affectuum sedes, descriptio Misericordiæ sumitur, quam rectius ex facultate rationali formaveris dicendo, quod sit virtus, qua perceptis alicujus miseriis cor sive animus ad opem illi ferendam & miserias pro virili depellendas inclinat. Atque hoc quidem in nobis sæpiùs fit cum passione aliqua & tristitia atque dolore: id quod in Scripturis videtur innui per σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, Col. III, 12. sed hoc est ex accidente & potest abesse à misericordia: cujus etymon etiam convenientius dari potest, si vocem illam id notare dicas, *quod alterius miseria cordi nobis sit.* Enimverò hæc notatio in omnem misericordiam competit, Divinam pariter & humanam viri sapientis. Nam Deo atique cordi & curæ est miseria nostra, quam respicit & clemens sublevare vult. Unde aptissimo nomine *Misericordia Dei aliàs Clementia* dicitur. Misericordem etiam hominem appellare solemus non tam passivè, qui dolore afficiatur ob alienam miseriam, quam activè eum, qui misero homini ex corde cupit & studet succurrere & officiosè atque humaniter succurrit. Quod Scriptura vocat facere misericordiam, Luc. X, 37. Quare & sapiens *etiamsi*, ut Aug. inquit l.d. *id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est.* II. Propriè loquendo & per se *nomine misericordiæ duo significantur* tam in Deo quam in nobis: nempe *& causa miserationis* h.e. cor & animus ad miserendum seu ad misero succurrendum propensus: *& actus ipse atque ex actu relictus effectus* h.e. ipsa miseratio sive opitulatio & opera ex misericordia profecta. De primo intelliguntur loca illa quibus Deus dicitur misericors, ut supra audivimus, & multæ misericordiæ, Ex. XXXIV, 6. h.e. talis naturæ, quæ propensissima sit ad nos nostris miseriis liberandos. Sic ergò misericordia est de natura & essentia Dei. De altero h. e. de actu misericordiæ intelligitur, quod Psaltes ait, Deum misereri nostrûm tanquam filiorum suorum Ps. CIII, 13. item illud: Faciens misericordiam in mille generationes, Ex. XX. 6. Sic etiam de effectis sive operibus misericordiæ hoc nomen usurpatur. Ps. XVII, 7. Mirifica misericordias tuas. Gal. VI, 16. pax & misericordia super Israëlem.

Obj. Qui miseretur, quorum vult, is non natura sed libera voluntate misericors est. Deus miseretur quorum vult. Rom. IX, 18. Ergò non natura sed libera voluntate misericors est. Ita hic rursum ineptiunt Photiniani, & misericordiam justitiæ oppositam pro essentiali Dei attributo agnoscere renuunt, non nisi liberum decretum ejus & actum, unde extrinsece denominetur, eam dicentes. Resp. autem *N. Maj.* Obj.

nam qui misericors est natura, *potest nihilominus liberè misereri h.e. actum misericordiæ exercere, ubi, quando & quousq; ei placet*: nec adeò est confundenda misericordia, quæ primariò notat in Deo attributum essentiale, cum misertione & miseratione, quæ est actus exterior, relinquens post se opus quoddam ex misericordia profectum. Certè *si misericordia*, uti jam antè exposuimus, dicatur esse *propensio* Divinæ *voluntatis ad miserandum sive ad juvandum miseros*, illa est Deo naturalis, æquè ut bonitas. *Naturâ bonus est*, omnibus fatentibus: *naturâ ergò etiam misericors*, quandoquidem ideò misericors, quia bonus. Quæ ipsa bonitas & promta nobis succurrendi voluntas est principium actuum & operum misericordiæ: secùs, non misereri vel opera misericordiæ edere posset. Nam ubi non est principium, ibi nec actus. Principium illud sive δύναμις simpliciter est de essentia Dei, ac inest ipsi naturaliter, nec dici potest effectum liberæ voluntatis, quoniam non voluntate sed naturâ Deus est id, quod est, nempe bonus & in nos propensus. Ἐνέργεια autem & ἔργα diriguntur & complentur sanè mediante libero voluntatis Dei arbitrio: nam liberè miseretur cujus vult & liberè præstat effecta misericordiæ, quibus vult: ita tamen, ut δύναμις illa naturalis, unde actus & opera profluunt, semper consistat integra: quemadmodum & in aliis attributis *actus sunt liberi*, *ipsa autem attributa aliquid naturale*.

Liberrima.

De Libertate Dei. Prob. Ps. CXV, 3. *Dominus noster in cœlis est: quicquid placet, facit*. Matth. XX, 15. *Annon possum facere de meo, quod volo*? Apoc. IV, 11. *Domine, tu condidisti omnia & per voluntatem tuam sunt & creata sunt*.

Obs. I. In quolibet habente intellectum est voluntas: Ergò & in Deo. Voluntas autem formaliter libera est. Hinc libertas agendi in Deo existit eaque summa ac perfectissima. II. *Quod seipsum quidem attinet, Deus se suamq; gloriam*, *bonitatem, beatitudinem non liberè sed naturaliter & necessariò vult & amat*, ut non possit non velle & amare, sicut non potest non esse Deus. Naturâ enim Deus est: naturâ bonus: naturâ sui & suæ gloriæ amans & appetens; *appetitu tamen non desiderii*, qui sit rei absentis & boni non possessi, *sed complacentiæ*, qui est delectatio suæ ipsius perfectionis sive gaudium & quietatio in bono habito. Cæterum quod ad reliqua attinet objecta externa, in iis liberrimæ est voluntatis: qualia sunt creatio mundi, punitio hominum, missio Prophetarum & similia, ad quæ & volitionem suam Deus terminare & non terminare potest. Mundum in tempore condidit ex mera utiq; libertate, quando voluit, quomodo voluit & quot ac quales rerum spe-

ſpecies voluit. Sic liberè punit homines: liberè mittit Prophetas. Similiter generi humano in peccatū prolapſo modum recuperandæ ſalutis per fidem in ſanguine Chriſti ſtatuit, liberæ voluntatis ſuæ decreto. Unde ipſum eſſe agens liberum apertè conſtat. Idque inde porrò patet, quod interrogando de rebus, quæ ſunt extra Deum, ultima reſolutio eſt ad Dei beneplacitum. Veluti: cur Deus non ab æterno creavit mundum? Cur hominem fecit tantæ molis & non majoris, qualis eſt arboris, nec minoris, qualis eſt ovis? Cur per ſtultitiam prædicationis nos vult ſalvos facere? Nulla hîc ratio alia eſt, quam quod ſic Deus liberè voluerit. III. Quemadmodum intellectus, ſic & voluntas non eſt in Deo facultas & potentia quædam, ſed *actus ultimus & ſimplicißimus*, ac nihil aliud quam volitio; quin realiter eadem cum eſſentia Divina. Unde quemadmodum una intellectione ſeipſum cognoſcit Deus & alia omnia extra ſe: ita quoque una volitione fertur cum in ſeipſum, tum in objecta omnia extra ſe: ac unica illa indiviſibilis volitio ratione entitatis ſuæ & reſpectu objecti primarii neceſſaria eſt ſimpliciter; eadem tamen libera dicitur, prout terminatur ad objectum aliquod externum; *ſimili quadam ratione, qua noſtrum velle, ut univerſale quidem bonum reſpicit, neceſſarium eſt; ut particulare, liberum.* Nec verò quia in terminatione illa ad objecta externa conſpiciuntur effectus multi realiter diſtincti v. g. mundi creatio, ejuſdem deſtructio, hominis ſalvatio &c. ideò volitionis Divinæ compoſitionem realem faciunt, ut abſurdè Vorſtius eſt argumentatus. Nam *effectus cum ſua cauſa non faciunt compoſitionem*, quia ſecundùm proprium ſuum eſſe non ſunt in cauſa, ſed à cauſa ſolùm, à qua quaſi egrediuntur, & ſunt extraneū quid. Extranea autē non componunt. Actus ipſe verò cognitionis & volitionis eſt in Deo quidem, ſed eſt, ut diximus, realiter idem cum Deo. Unde rurſum ceſſat realis compoſitio. IV. Volitio Dei, dum ad objectum tendit externum, facit id non ultimatè ſed *propter aliud, nempe propter ſui ipſius gloriam*, ceu finem ultimum rerum omnium. *Omnia* enim ut *propter ſemetipſum creavit*, Prov. XVI, 4. ita quoque *propter ſemetipſum vult Deus*. Propter ſemetipſum, inquam, non perficiendum (ita enim hæc vellet quaſi egens & neceſſariò) ſed propter ſe in iis omnibus liberè communicandum & propter ſuam in illis bonitatem & gloriam reipſa declarandam.

Obj. Cujus voluntas eſt immutabilis, is in agendo non eſt liberrimus. Dei voluntas eſt immutabilis. Mal. III, 6. *Ego Dominus non mutor.* Ebr. VI, 17. Conſilium Dei ἀμετάθετον, immutabile dicitur. Ergò Deus in agendo non eſt liberrimus. Obj.

Reſp. N. Maj. Si immutabilitas voluntatis Divinæ intelligatur, ut

ut intelligi debet, in ſenſu compoſito. Nempe, ſi Deus actuali volitione ſe ad rem aliquam determinavit, immutabiliter in re illa perſiſtit nec quicquam retractat. Hæc eſt, & non alia im̃utabilitas voluntatis divinæ: quæ cum Libertate ejus nil quicquam pugnat. *Licet enim poſtquam voluntate ſua aliquid de re quapiam ſtatuit, id non mutet rurſus, liberè tamen de ea id ſtatuit, ita ut potuerit non ſtatuere, vel aliter ſtatuere:* ſicut quilibet homo, quando conſtanter tenet propoſitum, habet voluntatem im̃utabilem in ſenſu compoſito, & manet nihilominus agens liberum, quia liberè id ſibi propoſuit. Quod ſi mutet ſententiam, ob id non liberior ſed varius & inconſtans dici ſolet.

Immenſæ Potentiæ.

De Potentia Dei.

Prob. Gen. XVII, 1. *Ego Deus omnipotens.* Matth. XIX, 26. *Apud Deum omnia poſsibilia ſunt.* Præterea etiam in Symbolo Fidei ſic profitemur: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.*

Obſ. I. Quantum habet quidvis eſſentiæ, tantum habet & potentiæ. Potentia enim conditionem eſſentiæ ſequitur. Cum ergò eſſentia Divina ſit immenſa & infinita (id quod hîc ſupponimus) hinc potentia quoque Dei rectè immenſa & infinita dicitur, uno nomine Omnipotentia. II. Eſt autem *Omnipotentia* ſic dicta *non quaſi omnis potentia*, ut vocula omnis ipſam diſtribuat potentiam, & ſignificet omnem potentiam, quæ in rebus eſt vel eſſe poteſt, formaliter Deo convenire; aliàs enim calidum, frigidum, ſiccum, humidum eum eſſe neceſſe ſit: *ſed quaſi omnium poſſibilium potentia*, ut innuatur, potentiam Dei ad omne poſſibile ſe extendere. III. *Intelligimus hîc potentiam* non paſſivam ſed *activam.* Paſſiva enim eſt per quam quid pati poteſt ab altero, & vel deſtrui vel perfici. Utrumque imperfectionem dicit, quæ in Deum non cadit. Igitur paſſiva potentia ipſi non poteſt tribui, ſed merè activa ſive ἐξ μόνον ποιῆσαι, ut loquitur Ariſtoteles, talis ſcil. per quam agere & efficere poteſt, quicquid eſt poſſibile. IV. Porrò *poſsibile* dicitur vel *reſpectivè* & cum appoſito, quod eſt poſſibile huic vel illi, ſive quod poteſt fieri per aliquam potentiam aut Creaturæ aut Dei: vel *abſolutè* citra reſpectum ad aliquam potentiam, eſtque tum, ex habitudine terminorum, id, quod non repugnat fieri. Priore modo poſſibile hîc non capitur, quando immenſa potentia ſeu omnium poſſibilium potentia de Deo enunciatur. Ineptè enim dixeris, Deum omnia poſſe facere, quæ ſunt poſſibilia creaturis, cum Deum multò plura poſſe, quàm creaturam quamcunque, in confeſſo ſit. Sin affirmaveris, eum omnia poſſe, quæ ſibi poſſibilia ſunt, idem per idem in circulo declarabis; imò, ſi hoc eſt omnipotentem eſſe, etiam creaturæ iſto

modo

modo immenſam habebunt potentiam, quia itidem illæ poſſunt, quod poſſibile ipſis eſt. Capitur ergo *poſſibile* hîc poſteriore modo pro eo, *quod fieri abſolutè & ſimpliciter poßibile eſt*, ſive quod nullam implicat contradictionem aut repugnantiam, ut fiat: adde, quod *neq; repugnat alicui perfectioni in agente*. Quicquid hoc modo poſſibile eſt, id pro objecto omnipotentiæ Divinæ habendum. V. Ultrò ſequitur, *extra objectum Divinæ potentiæ eſſe, quæ contradictionis implicationem* ſecum important. Quemadmodum autem principium contradictionis omnium eſt certiſſimum & evidentiſſimum, unde ab ipſo Philippo noſtro regula divini & humani judicii æterna & immota appellatur l. 4. Dialect. ita communi eruditorum conſenſu magnæ interdum *difficultatis eſt rimari, num hoc vel illud contradictionē* involvat. Nam contradictionē involvere, eſt negare & evertere eſſentiam. Jam verò paucarum rerum eſſentiæ nobis accuratè ſunt cognitæ atq; perſpectæ. Unde h.l. diligenter cavendū monent Dd. ne facilè aſſeramus hoc aut illud contradictorium eſſe, ac proinde potentiæ divinæ non ſubjici: quod nimis protervè faciunt Calviniani, negantes, Deum poſſe unum corpus præſens ſiſtere in pluribus locis, quod id ipſis videatur contradictio & deſtruere naturam ac eſſentiam veri corporis. Quibus ſuo tempore ſatisfaciemus pleniùs: hac vice illud ſaltem Apoſtoli inculcantes: *Deus infinita cum redundantia poteſt omnia facere ea, quæ petimus aut mente concipimus*, Eph. III, 20. Illudq; Auguſtini: *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti, eſt potentia facientis*. ep. 3. ad Voluſ. T. 2. p. 10. D. VI. Una ſecundùm rem eſt & ſimplex potentia Dei: ſed pro diverſa conſideratione diſtinguitur communiter in ordinatam & abſolutam: quæ diſtinctio rectè intelligenda eſt. *Ordinata potentia* dicitur, quam exercet Deus agendo conformiter ordini cum naturæ tum gratiæ à ſemetipſo liberè ſtatuto: veluti cum producit hominem ex concubitu maris & feminæ; cum conſervat hominem per aſſumtionem alimenti; cum concurrit cum gravibus ut deſcendant, cum igni ut urat; cum hominem convertit per uſum verbi & Sacramentorum. *Abſoluta* dicitur, quæ abſolutè & ſimpliciter reſpicit omne, quod fieri poſſibile eſt, ſive quod contradictionē non implicat. Et hæc abſoluta potentia in ſua latitudine comprehēdit ſub ſe ordinatam: ſed tamē ulteriùs etiā extenditur ad ea, quæ non fiunt congruenter ordini naturæ & gratiæ in rebus inſtituto. Sic ergo per abſolutam potentiam, quatenus ordinatæ contradiſtinguitur, factum eſt, quod Maria Virgo peperit, Luc. II. quod Moſes & Elias XL. dies totidemq; noctes ſine aſſumto alimento transegerunt incolumes, Ex. XXIV, 18. 1. Reg. XIX, 8. quod ferrum natavit, 2. Reg. VI, 6. quod ignis admota corpora tri-

Potentia Dei eſt duplex:
1. Ordinata.
2. Abſoluta.

ra trium Virorum non ussit, Dan. III, 22. 27. quod Paulus in medio furore adversus Deum & proculcationem mediorum salutis prostratus & conversus fuit, Act. IX, 1. — 20. Utilis est hæc distinctio in docendo. Cum tamē dicto modo etiam ea, quæ ordinariè fiunt, sub absoluta potentia contineantur, quid vetat dicere, Deum omninò omnia facere per potentiam absolutam: secundùm hanc verò in iis, ubi aliter atq; aliter agere potest, eum vel ordinariè agere vel extraordinariè? Unde resultat multò convenientior *distinctio potentiæ Dei, cui omnia absolutè possibilia subduntur, in Ordinariam & Extraordinariam*: quæ duæ potentiæ, ordinaria & extraordinaria, inter se quidem ratione distinguuntur, nempè respectu ordinis liberrima voluntate ab ipso Deo constituti; non sunt tamen duæ, sed una saltem in Deo potentia. Notabis verò quod dicimus: *respectu ordinis* liberrima voluntate constituti. Nam præter hunc ordinem, *qui super liberæ voluntatis instituto fundatur*, & communiter in mundo cernitur, sæpius agit Deus, sive, ut alii loquuntur, ab hoc ordine ejus potentia, quæ ordinatæ contradistinguitur, absoluta interdum est, uti exemplis Mariæ, Mosis & aliorum ostendimus. Minimè verò ne quidem illâ, quam vocant, absolutâ potentiâ agit Deus quidquam præter, aut contra ordinem, *qui super essentia & attributis Dei fundatur*. Sic enim nullus actus Divinus est inordinatus sive ἄτακτος, justitiæ, veritati, bonitati, aut alteri attributo Divino & hinc deductæ Legi naturæ sive morali repugnans. Quod cum non rectè ex Scholasticorum libris obiter solùm inspectis percepisset Calvinus, importunè tumultuatus in absolutam potentiam pronunciavit eam commentum profanum & detestabile, quod Deum exlegem fingat, qui sibi tamen ipsi Lex sit & cujus voluntas sit ab omni vitio pura. l. 3. Instit. c. 23. §. 2. Nemo unquam Scholasticorum hoc sensu potentiam Dei quandam absolutam tradidit, qua possit agere inordinatè, cum vitio, sine & contra justitiam: multò minùs nos, qui malumus absolutam i. e. immensam potentiam seu omnipotentiam Dei, qua potest omnia absolutè possibilia, distinguere, ut diximus, in ordinariam & extraordinariam.

Sive potius ordinaria & extraordinaria.

Obj. Qui non potest simpliciter impossibilia facere, non potest efficere, ut præteritum non sit præteritum, non potest alium Deum producere, non potest nisi quæ vult, non potest peccare, mentiri, mori, moveri, edere, bibere, calere, frigere, is non est immensæ potentiæ, Sed Deus hæc omnia & singula non potest. Ergò non est immensæ potentiæ.

Obj.

Resp. Partim Maj. partim Min. Neg. Cujus negationis ratio tota dependet ex notitia Objecti omnipotentiæ. Diximus Obs. 4. objectum

ctum omnipotentiæ esse quicquid fieri absolutè & simpliciter possibile est, sive quod non implicat contradictionem, ut fiat, nec repugnat alicui perfectioni in agente. Hinc patet responsio ad singula membra objectionis. I. enim, *Quare impossibilia*, ut objicit Vorstius, *non cadunt sub potentiam Dei*? Quia objectum omnipotentiæ est id, quod aliqua ratione possibile est. Sicut enim scientia non est, nisi scibilium: ita potentia non est, nisi possibilium. Impossibilia nulli potentiæ subjacent: Ergò nec infinitæ, ad quam sufficit, quod exhauriat objectum suum adæquatum, nempe omne possibile. Quod si extenderetur ad impossibilia, non essent verè & simpliciter impossibilia; quo posteriore casu obtinebit illud Christi, Luc. XVIII, 27. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. II. *Quare Deus non potest facere, ut præteritum non sit præteritum*? veluti Agathon apud Aristot. inquit 6. Eth. c. 2. Quia hoc manifestè contradictorium est. Nam fuisse & non fuisse, e. g. Adam fuit lapsus, Adam non fuit lapsus, sunt contradictoria, æquè ut esse & non esse, ac sese invicem arguunt mendacii, atque adeò sunt impossibilia. *In sensu diviso quidem potuit Deus facere, ut præterita non fuerint: sed in sensu composito, cum loquimur de re præterita, ut est præterita, Deus ampliùs efficere non potest, ut non præterierit.* III. *Quare Deus non potest alium Deum facere?* Quia objectum omnipotentiæ est id, quod est possibile fieri, sive quod nullam implicat contradictionem, ut fiat. At verò Deum fieri, implicat contradictionem. Deus quidem seu essentia Divina nullam implicat contradictionem: aliàs enim Deus non esset, nec esse posset: Deum tamen fieri implicat contradictionem, ac proinde non est sub objecto omnipotentiæ Divinæ. IV. *Deum non posse, nisi id quod vult, falsum est.* Potest enim omnia, quæ sunt possibilia absolutè. Jam absolutè multa sunt possibilia, quæ Deus non vult. Sanè ipsa Scriptura asserit, posse Deum facere, ut Abrahamo filii ex lapidibus surgant, Matth. III, 9. Poterat etiam Deus Christo in subsidiũ mittere plus quam duodecim legiones Angelorũ, Matt. XXVI, 53. quorum tamẽ neutrum volebat. Augustin. quidẽ l. de Spir. & lit. item Enchir. c. 96. & Chrysost. hom. de Symb. id dicere videntur, Deum posse solùm facere quæ vult. Sed vel excludunt mala culpæ tantùm, quæ Deus facere non potest, quia voluntati ejus repugnant: vel loquuntur inadæquatè de objecto omnipotentiæ, intendentes tantummodo removere à Deo eam nostram imperfectionem, quod nos multa volumus, sed non possumus. V. *Quare* denique *Deus non potest peccare, mentiri, mori, moveri, edere, bibere, calere, frigere?* Quia hæc repugnant perfectioni Divinæ. Nam peccare, mentiri, formaliter defectum dicunt; peccare enim est deficere in agendo, quod repugnat omnipo-

tentiæ. Mori, moveri, eſt potentiæ paſſivæ: edere, bibere, calere, frigere, ſunt connaturalia rebus corporeis, quibus Deus utpote ſpiritus longè perfectior eſt. Quod igitur Deus talia non poteſt, id perfectionem ejus arguit.

Et ſapientiæ (ſcil. immenſæ.)

De Sapientia Dei. Prob. Dan. II, 20. *Sit nomen Dei benedictum à ſeculo usq; in ſeculum, nam ſapientia & potentia ejus eſt.* Rom. XI, 33. *O profundas divitias tum ſapientiæ tum ſcientiæ Dei!* h. e. ô immenſam Divinam ſapientiam & ſcientiam!

Obſ. I. Sapientia & Scientia vel Intellectus Dei inter ſe diſtinguuntur. De intellectu vel ſcientia jam ſupra diximus. Nunc Sapientiam conſiderabimus, quam Apoſtolus à ſcientia ipſemet diſtinguit. Quale verò diſcrimen inter utramque intercedat, non eſt una omnium ſententia. Cajetanus *Sapientiam à Scientia* diſtinguit, *tanquam ſpeciem à genere.* Nam Scientia in genere cognitionem denotare videtur: Sapientiæ verò nomine potiſſimùm videtur ſignificari illa ſpecies cognitionis, qua ſupremum fit de rebus agendis judicium & ordo earum diſponitur: quale eſt illud de tempore & ordine vocationis gentium & converſionis Judæorum , quod argumentum Apoſtolus tractat l. c. Alii Scientiam & Sapientiam non ut genus & ſpeciem, ſed *ut duas diſtinctas ſpecies* conſiderant, ita ut Scientia verſetur circa cauſas ſecundas: Sapientia contempletur cauſam primam atque ſupremam. Hoc diſcrimen Thom. de Aq. tradit comm. in ep. ad Rom. *Habet Deus*, inquit, *Sapientiam de Divinis — & Scientiam de rebus creatis.* Et hoc maximè conſentaneum apparet ſtylo & conſuetudini ipſius Apoſtoli , qui pluries Scientiam & Sapientiam ceu duas diſtinctas ſpecies nominat, 1. Cor. XII, 8. Col. II, 3. Hoc eodem ſenſu à Noſtratium nonnullis *Sapientia attributum* Dei *abſolutum* dicitur, quoniam eſt circa res Divinas, circa cauſam primam & ſupremam: *Scientia*, attributum *relativum*, quatenus eſt circa res creatas. II. Sapientia non eſt in Deo habitus quidam eſſentiæ ſuperadditus, ſed *eſt ipſa Dei eſſentia*: nec eſt diſcurſiva vel ſucceſſiva ſed *ſimpliciſſima*, uno ſimplici actu & immutabiliter omnia ſimul apprehendens: perinde ut de Scientia & Intellectu ſuperius dictum eſt. III. *Immenſam Sapientiam Dei demonſtrant ipſius opera*, quæ eam emiſſa quaſi voce celebrant, Pſ. CIV, 24. *Quam ampla ſunt opera tua, Domine: Omnia in ſapientia feciſti. In ſpecie* autem elucet Sapientia Dei *tum ex creatione mundi.* Nam Dominus in Sapientia fundavit terram , ſtabilivit cœlos in intelligentia, Prov. III, 19. *Hic mundus*, inquit Ambroſ. *Divinæ Majeſtatis inſigne eſt, ut per ipſum Dei*

Sapi-

Sapientia manifestetur, l. 1. Hexaëm. c. 5. *tum ex Evangelii revelatione, per quam innotuit etiam impiis ac potestatibus, quæ in cœlis sunt, multiformis illa Sapientia Dei*, Eph III, 10. IV. *A Deo insuper, ceu fonte & primo autore, dimanat sapientia in creaturas ratione utentes.* A cujus rei celebratione librum suum orditur Siracides: *Omnis*, ait, *Sapientia est à Domino & cum illo est in seculum.* Ad hunc fontem nos deducit Jacobus ep. c. I. 5. *Si cui vestrûm deest sapientia* (ut certè omnibus deest, aliis magis, aliis minùs, ac plerunq; plus iis, qui minùs ea se egere putant: nec enim particula SI dubitativè, sed magis cum assertione subintellecta hic ponitur, uti etiam Mal. I, 6. 2. Thess. I, 6.) à *Deo eam postulet qui dat omnibus &c.*

Obj. Cujus opera possunt fieri meliora, is non est immensæ sapientiæ. Atqui opera Dei possunt fieri meliora. Ipse enim *Deus* juxta communem Dd. sententiam, *quæ fecit, facere potest meliora.* Ergò Deus non est immensæ sapientiæ. Resp. *Dupliciter aliquid fieri potest melius*: uno modo, *essentialiter*, altero, *accidentaliter*. v. g. De essentia hominis est, esse rationale: Eidem accidunt virtus, scientia, fides & similia, quibus perficitur. Priore modo Deus non potest facere rem aliquam meliorem, quàm ipsa sit (licet possit facere aliquam aliam rem eâ meliorem) nam essentia cujusque rei consistit in indivisibili. Sic non potest Deus facere quaternarium majorem: quia si esset major, jam non esset quaternarius, sed alius numerus. Posteriore autem modo Deus creaturis suis plures & majores perfectiones tribuere potest. Sed hoc non derogat immensæ ejus sapientiæ: quia licet hac ratione *ex parte facti* dari possit amplior bonitas & perfectio, *ex parte tamen facientis* non potest dari maior sapientia & bonitas, excedens eam, qua res semel factæ sunt, Thom. part. 1. q. 25. a. 6. Obj.

Atque hæc de Attributis, quot & quæ ab Autore nostro in descriptione Dei recensentur, dicta sunto.

De iisdem in universum omnibus Regulas quasdam generales, sine quibus accurata eorum notitia haberi non potest, hîc tandem subjici, conveniens imò necesse est.

I. Sciamus, has virtutes, quas Deo tribuimus, in eo non esse accidentia, ut in homine, seu Angelo, sapientia, justitia, bonitas, sunt accidentia & res mutabiles.

Verba hæc sunt Autoris nostri p. 297. Malumus nos quidem, quas ipse Virtutes vocat, Attributa dicere. Nam Virtutes cum intellectuales tum morales propriè sunt habitus & qualitates, eoq; ipso acci-

Attributa Divina quid? accidentia. *Attributa* autem sunt nihil aliud in genere loquendo, quam prædicata: omne enim κατηγορούμενον dicitur attribui subjecto, sive jam subjecto accidat, sive de ipsius sit essentia. Et hinc Damascenus etiam, quæ nos Latinè Attributa appellamus, Græcè vocat τὰ ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενα, l. 1. de Orth. fide c. 12. Ut taceam, nomen Virtutis, si maximè Dei sapientiæ, justitiæ, bonitati congrueret, tamen nullo planè modo accomodari posse essentiæ æternæ, liberrimæ &c. Quæ in allata descriptione Deo tribuitur. Retenta igitur usitatissima hodie Attributi voce, de cætero constanter asserimus, Sapientiam, Justitiam, Bonitatem & quæ præterea in communi de Deo prædicantur, non esse in Deo accidentia, qualia aliàs in nobis esse solent. Ratio ab ipso Autore innuitur: *Nam accidentia important mutabilitatem.* Addunt enim aliquam entitatem substantiis, quibus insunt. Ergò & addunt aliquam perfectionem. Omnis enim superaddita entitas perfectio est. Quod verò perficitur, id mutationem recipit. In Deo autem infinito superadditam perfectionem, in immutabili mutationem ponere, absurdum. *Ergò nec accidens in ipso locum habet, tale scil. quod ipsi insit ut subjecto.* Id eleganter Augustinus varia accidentium prædicamenta inducens declarat: *Intelligamus Deum*, ait, *si possumus quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilq; patientem.* T. 3. l. 5. de Trin. c. 1. (Confer l. VI, c. 4.) Et statim c. 2. *Aliæ, quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacunq; mutatio: Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, & ideò sola est incommutabilis substantia vel essentia.*

II. Si nullum in Deo est accidens, rectè infertur, quicquid in ipso est, Idem sunt cum essentia Divina. *de essentia ejus esse.* Quare *attributa Divina idem sunt cum essentia Divina*, nec ab ea, quod Vorstius voluit, differunt realiter. Nam sic daretur realis compositio in Deo ex subjecto & accidentibus, qualem non patitur ipsius simplicitas. *Idem sunt etiam inter se*, cum summa illa Dei infiniti simplicitas respuat omnem compositionem ex Entibus ab invicem realiter distinctis. Hæc enim Entia si infinita dicas, negem, plura esse posse infinita; Sin finita, negem, ex pluribus finitis consurgere unum infinitum. Autor noster ita hac de re l. c. *Sicut*, inquit, *potentia Dei non discernenda est ab essentia nec aliud est: sic non sunt aliæ res* (nec ab essentia, nec inter se.) *Sapientia, Veritas, Justitia, Bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia.* In quem sensum & ipse rursum August. scripsit: *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quicquid aliter non indignè dici videtur: sed eadem magnitudo ejus est,*

quæ sapientia: non enim mole magnus est, sed virtute: & eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia: & non est ibi aliud, beatum esse, & aliud, magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omninò ipsum esse. l. 6. Trin. c. 7. *Mens tamen nostra distinguit attributa divina cum ab essentia, tum inter se per alios & alios conceptus formales, sive, ut loquuntur, ratione,* & ea quidem, quam vocant, *ratiocinata.* Ejus enim perfectionis non est, ut uno conceptu adæquato omnia ista, quæ sunt in Deo, assequi valeat. Distinguit itaque, & quod reipsa unum est, quoniam ut unum propter eius eminentiam concipere nequit, concipit ut plura. Sic aliter concipio in intellectu meo Essentiam Dei, attendendo potissimùm nomen, quo exprimitur tetragrammaton יהוה & abstrahendo à Justitia: aliter Justitiam, considerando Deum punire sontes & abstrahendo à misericordia: aliter Misericordiam, cogitando Deum ad nos juvandos propendere, & abstrahendo à spiritualitate &c. *Qua ratione multi sunt de Deo in mente nostra conceptus distinctissimi: qui tamen non obstant identitati objecti, seu rei cognitæ*: perinde, ut in humanis etiam à parte rei, seu objecti, idem est Socrates & homo & animal & Ens: & tamen alios atque alios conceptus formamus de Socrate quà homo est & quà animal & quà Ens. *Objectivus conceptus in Deo unus est & simplicissimus: interim distincti de eo dantur conceptus formales.* Et: Attributa Divina prædicantur de Divina essentia & de se *in sensu identico,* quia ex parte rei idem sunt cum essentia & inter se, ut dicere possim: Essentia divina est bonitas Dei, est sapientia ejus; non autem *in sensu formali*: sic enim è contrario dicere possum, Bonitas Dei non est Sapientia ejus, nempe secundùm nostrum concipiendi modum, quia bonitas & sapientia tanquam formæ distinctæ à nobis concipiuntur. Atque sic *duo hic habemus: 1. Identitatem realem. 2. Discrimen formale.*

III. Omnia quidem attributa secundùm substantiam vel essentiam de Deo dicuntur: sed tamen *prout nos ea apprehendimus, quædam notant Quidditatem, quædam Qualitatem,* h. e. quædam in Quid est de Deo prædicantur perque modum generis, ut Ens vel Essentia, Substantia, Spiritus: alia autem per modum qualitatum vel affectionum naturam circumstantium, unde & à Damasc. *quasi circa naturam esse* dicuntur l. 1. de Orth. fide c. 4. veluti cum Deus intelligens, æternus, verax, bonus dicitur. Alia Quidditatem notant, alia Qualitatem.

IV. *Quædam de Deo dicuntur propriè*, ut quod sit sapiens, bonus. *Quædam impropriè*, ut cum tribuuntur ipsi membra corporea, aut consultatio, aut pœnitentia. Quædam propriè de Deo dicuntur, quædā impropriè.

V. *Quæ*

Quædam propria, quædam communia.

V. *Quædam sunt uni Deo propria*, ut esse æternum, infinitum: *quædam creaturis communia*, ut, esse bonum, esse sapientem. Quæ tamen & posteriora Deo soli principaliter, essentialiter & eminenter competunt: creaturis autem secundariò, accidentaliter & per analogiam tantùm ac participationem quandam tribuuntur. Unde etiam Deus dicitur in Scripturis *solus bonus* Matth. XIX, 17. *solus sapiens*, 1. Tim. I, 17. *& nemo nosse quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*, 1. Cor. II. 11. In comparatione nempe ad summam perfectionem, qua hæc omnia sunt in Deo, nostra bonitas, nostra sapientia, nostra cognitio Dei habetur pro nulla. Interim *portio aliqua eorum*, attestante rursum ipsa Scriptura Gen. I, ult. Jac. I, 5. 2. Cor. IV, 6. *à Deo in creaturas promanat*. Hinc dicimus, de Deo & creaturis hæc enunciari per Analogiam, sive quod idem, secundùm prius & posterius. Bonitas, intellectus, sapientia Deo competunt priùs: creaturis posteriùs. Ubi tamen duo probè distinguenda. I. *Ipsæ res, seu perfectiones istis vocibus significatæ.* II. *Modus, quo voces illæ has perfectiones denotant.* De perfectionibus ipsis valet id, quod diximus, eas priùs esse in Deo & eminentissima etiam ratione, posteriùs creaturis convenire. Deus enim prior nobis, imò ab omni æternitate fuit bonus, fuit sapiens: quin bonitati & sapientiæ ipsius omnes creaturæ esse suum debent. Quod verò ad modum significandi attinet, is, quia imperfectionem involvit, priùs competit creaturis, quibus etiam nomina illa à nobis primùm sunt imposita: posteriùs Deo. Sic bonitas primò à nobis observata fuit in creaturis, & hinc in modo significandi vulgari importat accidens quoddam finitum ab essentia realiter distinctum. Sapientia, si originem & impositionem nominis spectes, à sapiendo, quod propriè est sensûs, descendit, & hac ratione primò utique convenit homini sensitiva cognitione instructo, secundariò tantùm, nec nisi termino ab imperfectione repurgato, Deo quadrat, qui non sensu, sed intellectu omnia cognoscit. Et huc pertinet regula trita ac utilissima: Quæcunque à creaturis transferuntur ad Deum, liberanda prius sunt ab omnibus imperfectionibus, ac tum demum id, quod perfectionis est, Deo attribuendum. *Tumque addi etiam potest ad vocem sic repurgatam particula alia, quæ modum significandi augeat & manifestum discrimen statuat inter Deum & creaturas*, ut dicamus Deum summè bonum, summè sapientem, summè justum, summè potentem, Spiritum spiritualissimum: quin ipsam bonitatem, ipsam Justitiam &c.

Quædam negativa, quædam positiva.

VI. Quædam attributa sunt *negativa*, ut immortalis, incorporeus, immensus, infinitus: quædam *positiva*. *Negativa partim removent plurimas imperfectiones à Deo, partim materialiter & fundamentaliter ponunt insignem aliquam perfectionem.* Sic infinitum removet dependen-

dentiam à ſuperiore cauſa, defectibilitatem in eſſendo, virtutem limitatam & determinatam in operando, quæ ſunt valdè magnæ imperfectiones; quibus ſublatis ponitur, quod Deus ſit Ens primum, Cauſa ſuprema, Eſſentia abſolutè perfectiſſima. Immenſum removet circumſcriptionem localem & coarctationem, ac conſequenter tribuit exiſtentiam & operationem omnia loca & ſpatia mundi replentem. Immortale tollit paſſivam potentiam moriendi, ponit vitam. Incorporeum negat materiam, ponit ſpiritualem eſſentiam. *Poſitiva* ſunt vel *abſoluta*, quæ Deo competunt in ſe & abſolutè, removendo prorſus omne extraneum, ut, Spiritualis, Æternus, nec non Sapiens, Bonus: Talis enim eſt Deus ex vi eſſentiæ, non attento quoq; extraneo, ſeu ſcil. ſit aliquod extra ſe objectum, ipſi coëxiſtens, in quod actus ſapientiæ &c. dirigantur, ſeu non; vel *relativa*, quæ terminantur ad creaturas coëxiſtentes, ut cum dicitur Deus prima Cauſa, primus Motor, Creator, Gubernator, Dominus, Salvator. *Intelligimus nimirum relationes* non quæ ad intra ſunt, ſive inter ipſas perſonas Divinas, ut cum Deus appellatur Pater, Filius, Spiritus; Illæ enim huc non pertinent: ſed *eas, quæ ad extra ſunt*, ſecundùm quas Deus in tempore refertur ad creaturas & hæ ad illum. Ubi tamen hoc diſcrimen tenendum eſt, quod *relatio creaturæ ad Creatorem eſt realis, propter realem dependentiam, quam habet creatura à Creatore: ſed Creatoris ad creaturam non realis, ſed rationis eſt, quia Deus non intrinſecè denominatur Creator.*

VII. Quædam ſunt ἐνεργητικὰ alia ἀνέργητα. Hæc ſunt, quæ, ut ſic, ad operationes non ordinantur, ut Infinitas, Immenſitas, Simplicitas, Immutabilitas, Æternitas. Illa ſunt, quæ ſeſe exſerunt per operationes, & pertinent vel ad intellectum Dei, ut Omniſcientia, Sapientia, Veritas: vel ad voluntatem, ut, Bonitas, Libertas, Juſtitia, Potentia. Additur à nonnullis tertium genus eorum, *quæ ex utriſq; his conjunctim ſumtis exſurgunt*, qualia: Perfectio, Job. XXXVII, 16. Matth. V, 48. Majeſtas, Eſa. VI, 3. Act. VII, 2. & Beatitudo, Pſ. XVI, 11. 1. Tim. VI, 15. *Illa, quæ ἀνέργητα ſunt, ſolent reliquis velut epitheta adjungi*, ut dicamus, ceu deſcriptio Dei habet apud Autorem noſtrum, *immenſam ſapientiam*, item infinitam miſericordiam, ſimpliciſſimam ſcientiam, immutabilem juſtitiam, æternam potentiam, & ſic deinceps. Ἐνεργητικὰ *in ſe continent tùm* δύναμιν, *tùm ipſam* ἐνέργειαν. Δύναμις ſimpliciter eſt de natura & eſſentia Dei, uti, cum de miſericordia Dei ageremus, diximus. Ἐνέργεια autem ſemper habet concurrentem liberam Dei voluntatem, qua actus diriguntur & complentur. *Ex his igitur attributis rectè colligitur, qualis Deus in operando ſit; ſed quid operari*

Quædam ἐνεργητικὰ, quædã ἀνέργητα.

in ſpecie velit, non inde ſtatim liquet. Rectè colligitur ſic : Deus eſt miſericors, juſtus, bonus. Ergo miſericorditer, juſtè, benè omnia agit. Malè autem infertur : Ergò ita hoc faciet & non aliter : hoc condonabit & non vindicabit, vel, hoc vindicabit, illud non : quoniam actus hi liberi ſunt, & ab attributis quidem Dei profluunt, ſed mediante voluntate, quæ ſpecialis voluntas non ex doctrina attributorum ſed aliis doctrinæ Chriſtianæ capitibus cognoſcitur. Porrò δύναμις *eſt infinita* & ne quidem per momentum abeſt à Deo : ἐνέργεια autem *finita* & interdum exercetur, interdum non. Sic v. g. infinita potentia producit effectus finitos, ita ut facto operi ſemper ſuperſit major potentia, nec continuò, ſed quoties lubitum eſt, novi quid operatur. Infinita ſcientia revelat myſteria numero finita & nova revelare pridem deſiit. Unde abſurditas Socini patet, *negantis* in Prælect. Theol. c. 16. *juſtitiam, quæ miſericordiæ opponitur & miſericordiam, quæ illi, attributum naturale Dei eſſe, hac frivola ratione, quod aliàs per juſtitiam infinitam Deus ſemper & in infinitū puniret, nec quidquam condonaret, & rurſus per infinitam miſericordiam peccata omnia etiam impœnitentibus remitteret, nec mali quidquam ulciſceretur.* Quaſi verò, ut attributa ipſa ſunt aliquid perpetuum & infinitum, ſic actus quoque inde prodeuntes perpetuos & infinitos eſſe oporteat. *Actus* illi, quod rurſum contra Socinianos notandum, *interdum* etiam *inter ſe ſunt contrarii*, ut *miſereri* & *punire* : ſed δύναμις ſeu attributa ipſa, nempe juſtitia & miſericordia, propterea ſibi non contrariantur, ſed ab uno & eodem principio, quod eſt ipſa eſſentia Divina, diverſi illi effectus oriuntur, & determinantur ab objectis diverſimodè ſe habentibus : ad eundem modum, uti unus idemque Sol uno & eodem calore liquefacit ceram, objectum molle, & indurat lutum, quod ſuâ naturâ ſiccum eſt; & una eademque lux ſolis oculo ſano jucunda accidit, moleſta autem & ingrata lippienti. Diverſæ hæ ſunt emanationes unius principii, nec vel in ſole qualitates fingendæ ſunt contrariæ, nec in eſſentia Dei aliud imaginandum, per quod ſalvat, & aliud, per quod damnat; quod
fruſtra metuit Socinus, ſi credatur, uti piè ſemper credidit Eccleſia, attributum Dei eſſentiale, quo peccata tum vindicantur tum condonantur.



SEd de doctrina Attributorum ſatis : unde prior pars deſcriptionis Dei ſufficienter ab omnibus poterit intelligi.

Nunc porrò alteram illius deſcriptionis partem videamus, cujus hæc ſunt verba:

Pater æternus, qui filium imaginem ſuam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus S. procedens à Patre & Filio.

Quemadmodum pars prior continebat ea, quæ Deo in communi ſeu ut in eſſentia unus eſt conveniunt: ſic jam poſterior hæc in ſpecie tres perſonas Divinas recenſet earumq́ue diſcrimen, quod ipſum eſt ſummum illud SS. TRINITATIS myſterium, fidei ac religionis Chriſtianæ faſtigium. Prioris illius partis contenta naturali rationi pervia ſunt: ad hoc verò, cujus tractationem nunc ſuſcipimus, Trinitatis myſterium ratio ſibi relicta nunquam pertingit. Cauſam ejus rei notanter aſſignat Thomas p. 1. q. 32. a. 1. quod, quantum per naturam de Deo cognoſcimus, ad id deducimur per creaturas. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, ſicut effectus in cauſam. Eſt autem Deus principium & cauſa omnium per Divinam ſuam virtutem, quæ una & ſimpliciſſima eſt ac tribus perſonis communis. Unde ad unitatem pertinet eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarum. Per naturam igitur non niſi eorum de Deo cognitionem habemus, quæ ipſi, ut eſſentiâ unus eſt, conveniunt, cujusmodi ſunt Attributa hucusq; enarrata: de numero autem & diſtinctione perſonarum in Deitate, rationis noſtræ viribus nil quicquam novimus, nec vel veriſimiliter aut per conjecturam ulli hominum ea de re in mentem veniret, niſi Deus ipſe detegeret. Hinc nemo etiam ſaniorum Gentilium, etſi rationem diligenter excoluerit, ſub hoc lumine notitiam Trinitatis ſibi comparare potuit: quia nempe *Trinitatis, ut Trinitas eſt, nulli ſunt effectus naturali rationis lumine cogniti.* Dicis: Ergò Ethnici ſunt excuſati, quod fide Trinitatis caruerint. Reſp. N. Conſ. *non enim fuit ipſorum ignorantia invincibilis*: debuiſſent plus ſolliciti eſſe de vera revelatione, quando-

Trinitatis myſteriū rationi humanæ eſt impervium.

quidem hoc illis naturâ constitit, certè constare potuit, dari talem aliquam revelationem, quam si diligentiùs inquisivissent, invenissent, indeque naturam veri & trinunius DEI, quantum pro statu cujusque temporis saluti poterat sufficere, fuissent edocti.

Atque hanc ipsam ad revelationem, quæ habetur in Verbo, respicit etiam Autor noster, dum Patris & Filii & Spiritus Sancti in descriptione distinctè meminit. Scilicet ut se patefecit Deus, sic est describendus. Patefacit se autem tùm in V. tum præcipuè in N. T. quod sit Pater generans Flium ab æterno: quod sit Filius genitus à Patre: quod sit Spiritus S. ab utroque procedens. Nunc considerentur hæc saltem Scripturæ testimonia:

Et constat unicè ex Scriptura S.

Ps. II, 7. *Filius meus es tu: hodie genui te.* Hîc Pater loquens Filio ab omni æternitate genito introducitur: in iis autem quæ sequuntur, simul tres personæ nominantur.

Ps. XXXIII, 6. *Verbo Domini* cœli firmati sunt & *Spiritu* oris ejus omnis exercitus eorum.

Matth. III, 16, 17. In Baptismo Christi tres sensibiliter præstò sunt personæ Divinitatis: *Pater* de cœlo clamans: Hic est filius meus dilectus: *Filius* stans in Jordane & baptismum inibi suscipiens à Johanne: *& Spiritus S.* qui in specie columbæ super Christum descendit. *Apparet*, inquit Augustin. *manifestißima Trinitas: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba.* T. 9. tr. 6. in Joh. p. 51. quod eleganter alius expressit:

Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave.

Et quia illustrior Trinitatis manifestatio non extat in Scripturis, ideò Athanasius & Epiphanius ad derogantes huic mysterio fidem crebrò usurparunt illud: Comitare Johannem ad Jordanem & videbis.

Matth. XXIIX, 19. ubi Baptismi omnibus gentibus conferendi institutio habetur, jubentur Apostoli *baptizare in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Ambros. serm. 21. Non mirum, si in Domini lavacro mysterium non defuit Trinitatis, cum nostrum lavacrum Trinitatis compleat Sacramentum. Et sic Trinitatis fidem *commendavit nobis Christus in prima & notissima ceremonia*, ut loquitur Autor noster p. 297.

Joh. XV, 26. *Cum venerit Consolator ille, quem EGO mittam vobis à* PATRE, SPIRITVS *veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me.*

2. Cor. XIII, 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi & charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.*

Gal.IV,6. *Quoniam Filii estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem. Abba Pater.*

Eph. II, 18. *Per Christum habemus accessum ad Patrem in uno Spiritu.*

1. Joh. V, 7. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo: Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Concretum TRES, quod h. l. ponitur, occasionem dedit abstracto TRINITAS. Sicut enim ubi decem sunt, decuria est: sic & ubi tres sunt, Trinitas, & ubi Vnum est, unitas esse censetur. Hic quidem ambo ista, Tria & Vnum, simul in appellatione Trinitatis videntur inclusa, ut sit, quasi dicas *Trinunitas*.

Talibus ergò testimoniis nititur distinctior descriptio Dei. Sed tamen confestim hæc, quæ allata sunt, rem totam non conficiunt, verùm altiùs de probationibus versutiæ hæreticorum opponi idoneis cogitandum, & peculiari habito delectu loca singula singulis pronunciatis asserendis accommodanda. Nam quod nosse ante omnia refert, multimembre est hoc mysteriũ, nec una sed distinctis vicibus potest evinci. Quod rectissimè innuens Autor noster: Passim, inquit, sparsæ sunt in Scriptis Propheticis & Apostolicis probationes, quarum aliæ de Filio tantùm loquuntur, aliæ de Spiritu Sancto, p. 301. Et quidem tribus potissimùm enunciatis totum continetur: I. Quod sit unus tantùm verus Deus. II. Quod non tantùm Pater sed & Filius & Spiritus S. sit ille verus Deus. & III. Quod Pater, Filius & Spiritus S. non sint distincta saltem nomina unius suppositi sed tres realiter inter se distinctæ personæ. His stabilitis triumphat fides nostra, quam de Trinitate profitemur: & hæc omnia uno isto termino Ecclesiastico exhibentur comprehensa. Ad hæc igitur sigillatim demonstranda nunc, DEO trinuno in auxilium vocato, accingemur, novis Aphorismis constitutis, quibus rei sublimitas quàm fieri potest maximè dilucidè ob oculos ponatur, veritas confirmetur, mendacium dissipetur.

Continetur tribus enunciatis.

APHORISMVS III.

Una est æterna essentia Divina.

ITa legimus apud Autorem nostrum p. 297. Et Scriptura tam V. quam N. T. hoc multoties inculcat. E multis duo saltem loca nostæ sufficiat: unum è V.T. *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus*

De Unitate Essentiæ Divinæ.

unus est. Deut. VI, 4. Alterum è N. *Scimus quod nullus est alius Deus, nisi unus.* 1. Cor. VIII, 4. Plura apud ipsum Autorem nostrum reperias.

Facile autem intelligere est præsentem Aphorismum, modò quid Essentiæ, quid item Unitatis nomine veniat, explicatum fuerit. Essentiæ vox latina idem dicit, quod græca ὀσίας, exprimens τὸ εἶναι seu esse Dei. *Sicuti enim* (ait August.) *ab eo quod est sapere, Deus dicitur sapientia: sic ab eo quod est esse, dicitur essentia; novo quidem nomine, quo usi veteres non sunt latini sermonis autores, sed jam nostris temporibus usitato, ne deesset etiam linguæ nostræ, quod Græci appellant ὀσίαν* T. 5. l. 12. de C. D. c. 2. Nec præter verum Epiphanius: *Essentiæ nomen nudo modo in V. ac N. T. non habetur: sensus autem & significatio ejus ubiq; habetur.* hær. 73. p. 280. *Non habetur nudo modo;* intellige *quoad præsens negotium*: aliàs extat ὀσία Luc. XV, 12, 13. prout notat βίον, ὕπαρξιν, facultates. Sensus autem habetur Rom. I, 20. ubi Θειότης, & 2. Petr. I, 4. ubi Θεία φύσις dicitur. Significat verò vox hæc de Deo usurpata naturam communem, quæ videlicet tribus personis ex æquo competat, non partialiter existens in singulis, sed tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu Sancto, una tamen simplicissima ac indivisa.

De hac Unitate ulteriùs dicendum. Intelligitur autem Unitas, non quæ principium numeri est sed *transcendentalis*, quæ cum Ente convertitur ac in indivisione consistit. Secundùm hanc unitatẽ distinguitur Ens in singulare & universale: tum etiam in simplex & compositum. Jam essentia Divina ita una dicitur, ut sit non solùm simplex omnisque compositionis expers (qua de re aliàs) sed *& singularis, nullam sui ad inferiora multiplicationem admittens.* Nec enim sicuti genus aut species est unum quoddam, pluribus inferioribus cum sui multiplicatione inesse aptum, sic essentia etiam Divina una est. Minimè verò: nam illa Unitas, quam genus & species habet, quæ dicitur universalis unitas, est tantùm rationis, non rei. Secundùm rem enim ea, quæ intellectus sub unum generis vel speciei conceptum redigit, v. g. omnia animalia, homines omnes, sunt plura, & licet conceptu mentis ut unum apprehendantur, unus tamen nunquam dicuntur. In Deo autem unitas est maximè realis & hujusmodi per quam Unus denominatur. Non ergò genere aut specie i.e. universaliter unum quid est, sed singulariter unus. Hinc Patres sæpe vocant Deum *singularem*, aut naturam ejus *individuam*. Justinus in lib. de Monarchia Dei probaturus unum esse Deum ex Poëtis Gentilium: *Primus*, inquit, *Æschylus in scriptis suis de Deo singulari vocem protulit.* T. 1. p. 205. Et ex ipso

titu-

titulo libri ſatis oſtendit Juſtinus, ſe unum Deum ſingularem agnoſcere. Monarchia enim non poteſt dici regimen multorum ejusdem ſpeciei, ſed unius ſingularis tantùm. Sic & Athenagoras: *Ratio & profeßio noſtra Deum ſingularem & unum celebrat.* in Apol. pro Chriſt. Nazianzenus: *Individua ſummi Numinis natura eſt.* Orat. ad Evagr. de Divinitate. Auguſtinus: *Pater, Filius & Spiritus Sanctus unum ſunt propter individuam eandemq́ naturam.* T. 6. l. 1. contra Maximinum. His omnibus ergò Patribus Deus dicitur Ens ſingulariter unum atque individuum. Nec rurſum tamen ita ſingularis eſt, ut Petrus, qui relativè unus eſt, nempe unus homo è multis, ſed *abſolutè unus* h. e. ita ſingularis eſt, ut non ſit alius præter eum. Expreſsè hoc legitur in ipſa Scriptura, quæ dicit: *Dominus ipſe eſt unus & non eſt alius præter eum.* Deut. IV, 35. XXXII, 39. Sed & ipſe de ſe loquens: *Ego Deus*, inquit, *& non eſt alius, extra me non eſt Deus*, Eſa. XLV, 21. Quibus apertè declaratur, non eſſe plura individua ſub eſſe Divino. Nec enim v. gr. Adam diſtinctus ab Eva poteſt dicere: Non eſt alius homo præter me: quoniam ibi ſunt plura individua unius ſpeciei. Ex oppoſito igitur iſte modus loquendi de Deo arguit unum individuum quod *ſolum* ſit & nullum præter illud: Sicut Sol iſte eſt unus Sol & nullus eſt præter eum. Imò adhuc magis etiam unus & ſingularis eſt Deus quàm ipſe Sol. Nempe ſingularitas Dei fundatur in ipſa entitate Divina, quæ in ſe ſtatim includit repugnantiam ad multiplicationem, propter ſummam ſui perfectionem: cum in Sole talis repugnantia non ſit.

Ut ergò ſummatim dicam: Deus eſt unus (1.) unitate ſingulari ſeu individuali, nec unus tantùm ſed & (2.) ſolus ac *unicus*, & unitate ſua non ſolùm indiviſus ſed & (3.) indiviſibilis, cui repugnet entitativa diviſio ac multiplicatio. Et hoc omne quoad rem eſt de fide, & contra varios variorum errores ac inſanias tenendum: præcipuè contra Manichæos & Valentinianos, diſertè damnatos in Aug. Conf. a. 1. Ac *Manichæi* quidem à Mane quodã ſive Manete Perſa, qui ſeculo III. tempore Aureliani & Probi Imperatorum vixit, nomen acceperunt, & duo inter ſe principia contraria finxerunt ſive duos Deos pariter æternos, unum bonum, à quo bona, alterũ malum, à quo mala proveniant, illum Lucem, hunc Tenebras nominarunt: quam hæreſin ante Manetem Carpocratiani & Marcion Cerdonis aſſecla (de quo ſupra in attributo Bonitatis) ſparſerunt. *Valentiniani* autem à Valentino natione Æpyptio, Philoſophiæ Platonicæ & Pythagoricæ ſectatore, qui ſæculo II. tempore Antonini Imp. Romæ vixit, appellati, planè monſtroſa introduxerunt principia duo, quæ Profundum & Silentium ipſis dicebantur, inde poſtea XXX. Æonas, Deos quaſi ſecundarios, produ-

Adverſarii Unitatis divinæ.

ctos commenti: conta quos operosè scripsit Irenæus, nec opus hodie est, ut eis refutandis tempus teramus.

Eorum Obj.

Juvat autem argumenta nonnulla solvere, quæ contra superiorem doctrinam possunt objici. I. Quod diximus, essentiam hîc significare naturam communem, id videtur tollere singularitatem Dei. Communitas enim & communicabilitas repugnant rei singulari & indicant naturam universalem. II. Vel maximè videtur Deus esse Universale, quia prædicatur de pluribus nempe de Patre, Filio & Spiritu Sancto, divisim & univoce. Rectè enim dico: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus. Quod verò ita prædicatur, est universale. III. Damasc. l. 3. de Orth. fid. c. 4. & 6. vocat essentiam Divinam Universale, nominatim Speciem, & personas Individua. Quomodo ergò nos negavimus, dari in Divinis universale & plura individua? ℞. ad I. *Non omnis communicatio repugnat naturæ singulari, sed ea* solùm, *quæ quid est commune* pluribus *inferioribus* nempe *speciebus aut individuis*, ut in illis divisim possit multiplicari. Nam ratio naturæ singularis consistit in indivisione & negatione aptitudinis ad inferiora, in quibus plurificetur per essentialem sui communicationem. Hac ratione unum singulare ab universali adæquatè distinguitur. *Quæ itaq; communicatio non infert in pluribus inferioribus divisionem & multiplicationem, ea nequaquam absolutè repugnat unitati singulari.* At talis est communicatio essentiæ Divinæ ad plura supposita: cum Divina essentia sit in pluribus personis non tanquam in inferioribus, & citra ullam sui vel divisionem vel multiplicationem. Ad. II. Resp. verbis accutissimi Philosophi Danielis Stahlii: *Ut aliquid sit universale, non sufficit illud prædicari de pluribus, quæ quocunq; modo sint plura, sed requiritur, ut plura sint sub ratione & nomine ejus*, sicut homo potest prædicari de Petro, Paulo, Johanne, qui sunt plures homines. At licet Deus prædicetur de pluribus, quæ sunt plura in ratione personæ h. e. de pluribus personis, tamen non prædicatur de pluribus, quæ sint plures in nomine & ratione Dei. Non enim prædicatur de pluribus Diis, cum tres personæ non sint tres Dii. Ad III. Respondet Lomb. l. dist. 19. o. *id esse intelligendum secundum similitudinem* aliquam. Quia nempe natura Divina juxta modum prædicandi sic fere communis est tribus personis, *sicut natura specifica communis est suis inferioribus* sive individuis: nam uti dico: Abraham est homo, Isaac est homo, Jacob est homo, nec tres illi differunt specie sed eatenus unum sunt: sic pariter dico: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, & tres illi in Deitate nullatenus discrepant sed conveniunt per omnia: hinc Damascenus appellavit naturã Universale, & personas Individua. Et eo quidem pacto nec nos diffitemur, esse hîc ali-

aliquam similitudinem: interim *quia major est dissimilitudo, ideò negamus, Deum esse Universale & plura in Divinitate esse individua.* Licet namque individua illa possent dici unus Deus, i. e. una species divina, sicut Porphyrius dicit c. 2. Plures homines sunt unus homo i. e. una species humana; at non posset tamen negari, quin, sicut tria individua humana, veluti Abraham Isaac & Jacob sunt & dicuntur tres homines, sic & tria individua divina rectè dicerentur tres Dii, ut colligit August. 7. de Trin. c. 6. Omnis enim species multiplicatur in suis individuis, uti genus in speciebus. At in Divina natura multiplicationem nullam prorsus admitti, jam ante diximus.

APHORISMVS IV.

Tres sunt personæ Divinitatis, immensæ, coæternæ, ὁμοούσιοι; Pater Domini nostri Jesu Christi: Filius qui dicitur λόγος & imago æterni Patris: & Spiritus Sanctus.

DEmonstrata hactenus essentiæ Divinæ unitate, nunc duo alia circa hunc Aphorismum, qui apud Autorem p. 299. habetur, excutienda nobis sunt enunciata gravissima: I. Quod Pater Filius & Spiritus Sanctus sit unus ille verus Deus. II. Quod non obstante naturæ identitate Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint personæ inter se revera distinctæ.

Ad prius quod attinet, seorsim de unoquolibet horum probandum est, esse eum verum Deum. De Patre id quidem nemo unquam in dubium vocavit, qui Scripturam recepit: nullus enim extitit hæreticus, uti nec Judæus, qui negaret, eum, qui in Scriptura dicitur Deus Pater, verè propriè ac substantialiter esse Deum: imò hunc unum Judæi ut & Ariani novi ac veteres propriè ac substantialiter verum Deum esse contendunt. De Divinitate Patris.

Filium autem habere eandem cum Patre veram essentiam Divinam, id ab antiquo hodieque valida indiget probatione: quam Scriptura quidem copiosissimè suppeditat, ex qua etiam antiqui Patres ante & sub Concilium Nicænum dicta admodum multa collegerunt, quæ sui temporis hæreticis opponerent. Utrum tamen omnia illa dicta evincentia fuerint, nostra parùm interest. Sufficit, illos unanimiter

miter confessos esse hanc doctrinam de vera & substantiali Deitate Christi & qui contrarium sentirent, eos pro hæreticis habuisse. Nobis verò satius fuerit, in allegandis Scripturæ locis parcè nonnihil & si pariter ita fieri possit accuratè versari, quàm sine discrimine multa coacervare. Magis enim veritati consulitur, ubi afferuntur dicta ejusmodi, quæ instantias hæreticorum non facilè patiuntur. Qualia potissimùm suppeditat N. Testamentum, in quo tamen & ipso nulla fuerint fortiora quam

De Divinitate Christi.

I. Ea, quibus Christus simpliciter Deus dicitur, ut, cùm legimus Joh. I, 1. Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Verbum* (quod in principio extitit, nempe Filius) *erat Deus*. Sic enim subjectum & prædicatum sunt collocanda, quæ elegantiæ causa transposuit Evangelista, amans à voce, in qua desinit propositio præcedens, inchoare sequentem, ad modum Gen. I, 1.2. Apud eundem Johannem c. XX, 28. Thomas *Christo loquens*: *Dominus meus*, inquit, *& Deus meus*. ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου; sic edens confessionem Fidei, non de Patre, de quo nullum ipsi unquam dubium fuerat, quod esset verus Deus, sed de Christo, hunc agnoscens suum Deum (quæ ipsa vox fidei est, Exod. XV, 2. Ps. III, 8. CXIIX, 28.) cujus jam agnoverat è morte in vitam redeuntis ac clausis januis ad discipulos ingressi potentiam, & occulta cordium enarrantis divinam scientiam: non atrributurus, utpote homo Judæus, titulum & appellationem Dei cuiquam alteri, quem verum & unum Deum non crederet. Sic & Act. XX, 28. ὁ Θεὸς *Deus proprio sanguine* dicitur *acquisivisse Ecclesiam*. Ubi sub nomine Dei Christum, cui alibi quoque Ebr. IX, 12. sanguis proprius tribuitur, qui Patri convenire nullatenus potest, intelligi necesse est. Is ergò Deus dicitur. Jam nomen græcum Θεὸς absolutè positum denotat verum Deum, sive additus sit accentus, uti fit duobus his posterioribus locis, sive sit omissus, veluti loco illo Joh. I, v. 1. itemque v. 6. & 18. observare est. Ne quis tamen æquivoca vocis acceptione nobis vel Scripturis potiùs ipsis illudat & talem Deum fingat, quales esse dicuntur Angeli, Ps. XCVII, 7. & Magistratus, Ex. IV, 16. Ps. LXXXII, 6. h.e. impropriè & abusivè dictum, addamus his

II. Ea loca, quibus Christus, cujus gloriosa expectatur ἐπιφάνεια quique idem est Servator noster, dicitur cum apposito *Deus magnus*, Tit. II, 13. *Verus ille*, & mox *verus Deus*, 1. Joh. V, 20. & amplius adhùc *super omnia* h. e. summus & altissimus *Deus benedictus in secula*, Rom. IX, 5. Hæc enim addita elogia atque epitheta arguunt, de vero ac propriè dicto Deo, qui non nisi unus est, ibi sermonem institui. Et eodem

eodem modo *Pater* dicitur *Deus verus*, Joh. XVII, 3. *Magnus Deus*, Dan. IX,4. *Altissimus in omni terra*, Ps. XXCIII, ult. XCVII. 9. *Benedictus in secula*, Rom. I, 25. 2. Cor. XI, 31. Nec loca alia his clariora suppetunt, quibus Patris Divinitas adstruatur. Quidni ergò horum plane similibus Divinitas Filii efficaciter comprobetur? Accedant

III. Ea, quibus opus Creationis & Conservationis, quod utrumq; merè divinum est, Filio attribuitur. Joh. I, 3. *Omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum sit.* Et ne de reparatione omnium, quæ per Christum contigit & solet dici nova Creatio, id capias, subjungitur v. 10. *Mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognovit.* Ubi si effectio mundi non esset prima illa creatio sed spiritualis renovatio, falsum esset illud: Mundus eum non cognovit; cùm renovatio fiat per fidem & cognitionem Christi. Sed & clariora habemus testimonia Creationem & Conservationem junctim exhibentia. Col. I, 16, 17. *Per Filium condita sunt omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni sive dominia sive imperia sive potestates: omnia per eum & in ipso condita sunt, estq; ipse ante omnia & omnia per eum consistunt* sive in esse suo perdurant. Quin Ebr. I, 10. verba Psalmi CII. de ipso principali autore cœli & terræ à Psalte prolata liquidissimè de Filio interpretatur Apostolus: *Tu Domine ab initio terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli.* Ibidemque v. 3. de eodem Dei Filio pronunciat, quod *sustineat omnia verbo virtutis suæ*, h.e. totum hunc mundum conservet, in nihilum casurum si relinquat. Ejusdem ergò est creare & conservare, & utraque operatio competit non nisi Deo. Sed omnium tamen notissima & evidentissima operatio, quæ Divinitatis sit argumentum, est creatio, ex qua ipse Apostolus ait invisibilia Dei perspici, nempe æternam ipsius tum potentiam tum Deitatem, Rom. I. 20. Confer Esa. XLIV, 19. Hiob. IX, 8. Ps. XCVI, 5. Jer. X, 11. Insuper

IV. Ea hîc militant loca, quibus Christo cultus adorationis, soli aliàs & uni summo Deo debitus, legitur exhibitus, ut Luc. XXIV, 52. Apoc. V, 11. seqq. imo ex mandato dicitur exhibendus, ut Ebr. I, 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei*: quæ verba desumta sunt ex Ps. XCVII, 7. Jam cogitetur quid Deus dicat Esa. XLII, 8. *Gloriam meam alteri* extra essentiam meã constituto *non dabo*; quod in *N.* etiamnum *T.* valere Christus docet, illud Deut. VI. ingeminans per additionem particulæ exclusivæ: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies* Matth. IV, 10. Non igitur qui contrarius sibi esse nequit, vel jubebit vel permittet Deus, religiosam adorationem Christo deferri & gloriam soli altissimo convenientem cum ipso communicari, si is per essen-

tiam creatura saltem sit, non ipse Deus; utut ficta quapiam ratione Divinitatem adorandam in se habere dicatur, quæ suo modo in sanctis etiam Angelis & hominibus habitare solet, quos propterea tamen religiosè venerandos nemo censet ab idololatria alienus. Certissimè verum hoc est idololatriæ & Dei ignorantiæ obnoxios esse, quotquot serviunt iis, qui natura non sunt Dii, Gal. IV, 8. Imò transmutare eos, qui id agunt, gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & veritatem Dei in falsitatem Rom. I, 23. Idololatriæ autem & veritatis in falsitatem transmutandæ Deus nec auctor nec procurator esse ullatenus potest. Dum ergò gloria solius altissimi & incorruptibilis Dei propria Christo præstari præcipitur, hoc ipso Christus idem ille altissimus & naturâ Deus esse docetur.

V. Denique & quam maximè ea, quibus, quæ in V.T. indubiè de summo Jehova, unico Israëlis Deo dicuntur, in N. de Christo exponuntur ac de ipso dicta esse asseruntur: quorum sunt benè multa & duo illustria jam jam ex Ebr. I, 6. 10. à nobis producta. Adjiciantur autem istis omninò duo alia illustrissima loca. Vnus locus est Esa. VI. qui collatus cum Joh. XII, 41. argumentum præbet, quod nulla ratione potest infringi:

Cujus gloriam vidit Esaias, is est Jehova Zebaoth, summus ille & unicus Deus Dominus Israëlis. Hoc extra controversiam est & ad oculum patet ex Esaia.

Atqui Christi gloriam vidit Esaias, ut est disertis verbis apud Johannem.

Ergò Christus est Jehova Zebaoth, summus ille & unicus Deus Dominus Israëlis.

Conclusio hæc omnibus in hoc genere hæreticis apertè opposita ex præmissis istis irrefragibiliter sequitur, in quibus & legitima est dispositio & veritas immota, adeò ut qui earum aliquam quocunque modo negare aut infirmare audet, is ipsam Scripturæ literam neget, eoq; pacto ulterioribus auxiliis divinis indignum se reddat ac porrò certissimum salutis discrimen incurrat. Alter locus est Esa. XL, 3. allegatus ab omnibus IV. Evangelistis, Matth. III, 3. Marc. I, 3. Luc. III, 4. Joh. I, 23. ex qua collatione tale fit argumentum:

Cui vox in deserto edita viam parandam esse clamat, is est Dominus Deus Israelis.

Atqui Christo clamat parandam esse: Vox enim illa Johannis Baptistæ est, qui Christo viam parandum clamavit.

Ergò Christus est Dominus Deus Israëlis.

Major

Major rursum ex Esaia liquet. Minor in N. T. habetur interpretibus IV. Evangelistis. Conclusio non minus ac prior illa ex præmissis legitimè sic dispositis necessariò sequitur, eâque stante obtinuimus, Christum esse unum illum, quem Scriptura proponit, Deum: quod erat probandum. Deus enim Israël unus est.

Facessant igitur omnes, qui Deitatem Christi unquam ausi sunt negare aut labefactare: quales extiterunt ipso adhuc I. Seculo, *Ebion & Cerinthus*, blasphemantes, Christum ante nativitatem ex Maria non fuisse, contra quos Johannem Apostolum ab Episcopis Asiæ rogatum suum Evangelium scripsisse Hieronymus testatur, Catal. Script. Eccles. c. 9. II. Seculo *Carpocrates*, item *Artemo* & *Theodotus* Coriarius Byzantinus, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον nudum hominem sola virtutis & justitiæ autoritate ac Divinarum rerum scientia cæteris superiorem perhibentes: & his succedens III. Seculo *Paulus Samosatenus* Ecclesiæ Antiochenæ Præsul, eandem hæresin, ubi nonnihil defecerat, instaurans & denuò Filium Dei naturâ nil nisi communem hominem asserens: Postea IV. Seculo *Arius*, Alexandrinus Presbyter, Ecclesiæ procella gravissima pestisque funestissima hoc perniciosius quo subtilius Divinitatem Christi oppugnans dicendo, eum non quidem, ut priores illi, merum hominem sed Deum, at non ὁμοούσιον Patri sed minorem & factitium atque ἐξ οὐκ ὄντων h. e. ex nihilo πρὸ χρόνων καὶ αἰώνων ante tempora & secula conditum, cæteris tamen creaturis omnibus ut tempore sic dignitate priorem ipsarumque cum Patre conditorem, habens ob id suffragatores plurimos Imperatorum etiam Romanorum quorundam, præsertim Constantii Constantini M. filii favore & studiis adjutus: nec diu post eum *Marcellus* Episcopus Ancyranus & hujus discipulus *Photinus* Episcopus Sirmiensis, qui dogmate Pauli Samosateni reducto rursus Filium Dei nudum tantùm hominem nec antequam ex Maria nasceretur extitisse prædicabant, & Verbum nullum in Deo per se subsistens agnoscebant sed accidentale tantùm, quod ἀνύπαρκτον fictitiè appellabant: denique eodem Seculo *Aëtius* Syrus Diaconus Antiochenus & *Eunomius* Galata Episcopus Cyzicenus ejus discipulus, uterque fœtus putidissimus Arii, pariter cum illo tradentes Filium ἐξ οὐκ ὄντων ortum, unde Ἐξουκόντιοι dicti, quin Ario etiam & Arianis cæteris deteriores, quippe Filium non ὁμοούσιον tantùm, ut illi, sed & ὁμοιούσιον, quam vocem Ariani Arimini congregati in locum prioris substituere nitebantur, negantes, ac κατὰ πάντα ἀνόμοιον planè dissimilem Patri statuentes; quod ante ipsos nemo

Divinitatem Christi negantes.

Arianorum ausus est dicere ; unde & Sectatores eorum Ἀνόμοιοι ac Ἑτερούσιοι dicti, qui Eunomiani aliàs audiunt ab illo quem diximus Eunomio, præcipuo hujus sectæ propagatore, qui nimirum majore audacia, quàm Aetius initio proposuerat, stabilivit hanc hæresin, teste Sozomeno l. 6. hist. Eccl. c. 26.

Facessant verò longissimè iterum iterumque omnes enumeratæ hæreses & ad orcum, unde caput extulerunt, damnentur cum suis autoribus. Sanè constat, Ecclesiam Catholicam eos in universum omnes, qui Divinitatem Christi unquam impugnarunt, velut putrida membra à corpore suo resecuisse & ut hæreticos ac damnatos semper habuisse. Præivit exemplo suo S. Apostolus Johannes, qui cum ex instituto scriberet *adversus*, ut Hieron. l.c. ait, *Cerinthum aliosq; hæreticos & maximè Ebionitarum dogmatum consurgens*, eò usque processit, ut non mendaces tantùm, sed Antichristos etiam eos dicat, qui Jesum ex Maria natum negant esse Christum h.e. Filium Dei. *Quis est*, ait, *mendax, nisi qui negat, Jesum esse Christum illum? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* 1. ep. II, 22. Ubi quid per Christum intelligat, ipse exponit: nempe Christus idem ipsi, quod Filius Dei, unigenitus sc. & naturalis. Id quod directè est contra Ebionem & Cerinthum, qui dum contendunt, ut ex Hieron. antè memoravimus, Christum, sive magis ex ipsorum mente loquendo, Jesum ante Mariam non fuisse, hoc ipso negant, Jesum esse Christum seu Filium Dei naturalem: is enim ante Mariam & ante secula fuerit necesse est. De Ebione seorsim id Tertullianus prodidit: *S. Johannes* (inquit) *in epistola eos maximè vocat Anti-Christos, qui Christum negarent in carne venisse & qui non putarent, Jesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit.* l. de Præscript. adv. hæret. c. 33. p. 108. De Cerintho autem Irenæus refert, eum disertè docuisse alium esse Jesum, alium Christum, & hunc ab illo separasse. Jesum enim Josephi & Mariæ filium esse asserebat, natum ex utroque sexu, ut reliqui homines omnes nascuntur (quod juxta cum ipso Ebion quoque & Carpocrates effutiebant) sed plus cæteris justitia, prudentia & sapientia potuisse & *post Baptismum* (verba sunt Irenæi l. 1. c. 25.) *descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figurâ columbæ, & tunc annunciasse incognitum Patrem & virtutes perfecisse, in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse & resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse existentem spiritualem.* Istis jam hæresiarchis Johannes se opponens pronunciat, unum eundemq; esse Jesum & Christum, Mariæ & Dei Filium, Deum simul & hominem. Cui & consonum est illud in Evangelio: *Hæc scripta sunt ut credatis, Jesum esse Chri-*

Christum illum Filium Dei. c. XX, 31. Qui hoc non credit, is ipſius judicio divinitùs inſpirato *mendax eſt*, ſubintellige κατ᾽ ἐξοχὴν: id enim ſibi vult interrrogatio: Quis eſt mendax? h.e. erroris omnium capitaliſſimi tenetur, & eſt *Anti-Chriſtus* ſeu Chriſti hoſtis, nec ipſum tantùm ſed & Deum *Patrem* ejus *abnegat.* Quo vix poterat gravius quidquam dici ab Apoſtolo Spiritu Dei acto in illos, qui Divinitatem Chriſti inficiantur. Ecquid enim mendaces & Antichriſtos ac Patrem negantes manet niſi æterna damnatio? Poſt Apoſtolorum tempora exſurgens Theodotus ſimiliter malè exceptus & communione Eccleſiæ motus eſt à Victore urbis Romæ Epiſcopo. Paulus item Samoſatenſis in blasphemia deprehenſus ſtatim eâdem communione ab Orientalibus Epiſcopis in Synodo Antiochena privatus, & ut alibi quoque ea de re conſtaret, defectio illius Dionyſio Romanorum & Maximo Alexandrinorum Epiſcopis καὶ πάσῃ τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ per literas communcatorias, quas & Canonicas atque Formatas dicunt, inſinuata eſt, velut teſtatum reliquit Euſeb. l. 7. c. 29. Arius in Concilio Nicæno ex Oecumenicis primo à 318. Epiſcopis ibi congregatis damnatus, & in condemnationem illius finito Concilio paulatim ab univerſo orbe Chriſtiano conſenſum. Photini impietatem cum Orthodoxis in Synodo Sirmienſi ipſi etiam Ariani deteſtati ſunt, & anathematis ſententiam in Photinum pariter ac Samoſatenum (eadem enim utriusque hæreſis) ferre nil dubitarunt. Eunomianos itidem ſive Anomoios extrema execratione dignos judicavit Synodus Conſtantinopolitana I. ſub Theodoſio aliis licet de cauſis coacta, ut eſt in Cent. Magd. IV. 852. Hæc adeò ab ipſo ſui primordio factitavit Eccleſia purior: cujus judicium tot inde ſeculorum conſenſu roboratum nos ſecuti ſimiliter anathema eſſe jubemus omnes, quicunque hodie hæreſes, de quibus diximus, pridem abolitas ex inferis revocant & Deitatem Chriſti convellere nefario auſu allaborant. Quorum anteſignanus *Micheël Servetus* Arago avorum noſtrorum memoriâ è ſchola Mahumetis Numidiana prodiit, & Prophetam ſe venditans anno ſuperioris Seculi XXXI. Hagenoæ libros edidit VII. de Erroribus, ut ipſe inſcripſit, Trinitatis; quibus libris docere vult, nullam eſſe in Deo diſtinctionem perſonalem & Chriſtum Dei Filium appellari, quod ex ipſa Dei ſubſtantia (hem ineptias!) caro ejus in utero virginis concepta & conformata ſit. Hunc excepit *Valentinus Gentilis*, natione Italus, Patrem dicens Eſſentiatorem, Filium & Spiritum S. Eſſentiatos. Ille Samoſateni & Photini potiſſimùm, hic Arii veſtigiis inſiſtens. Uterque inſtigante Calvino è medio ſublatus, ille quidem anno Seculi ſuperioris LIII. Genevæ, ubi cum Calvino diſputaverat, publicè combuſtus;

hic

hic verò post palinodiam ibidem decantatam recidivus, anno LXVI. apud Bernam Helvetiorum capite plexus. Successerunt nihilominùs, qui hanc infidelitatis pestem Transsylvaniæ, Lithuaniæ & Poloniæ intulerunt, *Lælius Socinus, Matthæus Gribaldus, Georgius Blandrata, Franciscus Davidis, Johannes Sommerus, Erasmus Johannis, Faustus Socinus, Georgius Enjedinus, Christophorus Ostorodus, Valentinus Smalcius, Hieron. Moscorovius, Adamus Goslavius à Bebelno, Michaël Gittichius, Johannes Stoinski, Joh. Volckelius, Joh. Crellius, Joachimus Stegmannus* & hujusmodi alii.

Ante horum exortum totis septingentis annis ab Arianismo, & à Photinianismo plus quam mille annis Ecclesia fuerat immunis. Sub initium quippe VIII. Seculi Ariana hæresis expiravit, quæ cæteras omnes diuturnitate superaverat & longissimè diffusa erat, Orientem primò pervagata sub patrocinio Constantii & Valentis Impp. tum, ubi illic defecerat, (simul enim universam Ecclesiam hæresibus inundari benigna Dei providentia non permittit) in Occidentem unà cum gentibus barbaris irrumpens, cum Ostgothis in Italia, in Hispania cum Westgothis, cum Vandalis in Africa, & rursus in Italia cum Longobardis regnum constituens: Seculum tamen VIII. vix attigit, in VII. sensim languescens & emoriens. Ex eo per continuos DCC annos nullibi comparuerunt qui Arii doctrinam profiterentur. Photiniana autem hæresis jam V. Seculo nulla ampliùs fuit. Sic enim qui ista ætate vixit Theodoretus scribit: *Ne minimæ quidem reliquiæ manserunt vel Cerinthianorum vel Ebionitarum vel Melchisedecianorum, Sabellianorum, Paulianistarum* (qui Paulum Samosatenum sequantur) *Marcellianorum, Photinianorum: sed omnia oblivionis tenebris semel tradita sunt, & nec eorum quidem sunt nomina multis cognita. Nec enim* (subjicit) *fallere potest, quod à nostro Servatore dictum est: Omnis planta, quam non plantavit, Pater meus cœlestis, eradicabitur. Divina autem* (pergit amplius) *Evangeliorum dogmata pullularunt & ad mare usq; extensi sunt Apostolorum palmites & propagines terrarum orbem impleverunt, & repleta est universa terra cognitione Domini.* Hæc ille, epilogo l. 2. de fabul. hæret. Privatim de Photino Epiphanius Seculo IV. præcipitante: *Etjam*, ait, *hujus impostoris hæresis, quæ ad exiguum tempus duravit, dissipata est.* l. 3. hær. 71. p. 271. B. A vetere itaque Photinianismo profligato usque ad novum in Serveto renascentem anni sunt plures quam mille. Toto illo & tanto intermedio tempore nemo unus Photini partes in se suscepit, imò nec nomen Photini vulgo auditum. Quod vel solum argumentum, etsi alia plurima in promtu sint, sectam hanc falsitatis potest convincere, cum tanto temporis intervallo veritatem con-

contumulatam jacere Deus minimè fuisset passus. Promissus enim Ecclesiæ est Spiritus S. perducturus eam in omnem veritatem, Joh. XVI, 13. constat insuper, in vera Christi cognitione salutem æternam sitam esse, Joh. XVII, 3. Quod si verò Photini aut Serveti fides vera Christiana fides est, ut hodie nimis multi somniant, non uno saltem, sed vel integris XI. Seculis veritas obliterata inque orbe Christiano nulla inventa est pura Christiana fides, qua homines ad salutem æternam dirigerentur: quo nihil absurdius dici aut cogitari potest. Sic enim portæ inferorum prævaluissent contra Ecclesiam, quod non fiet in æternum. Adde, omnium eorum, quæ pro asserendis suis in Christum convitiis veteres Photiniani scripserunt (Græcos & Latinos libros à Photino editos fuisse, testes sunt Socrates & Sozomenus) nullam superesse pagellam, cùm aliorum, qui impugnaverunt, extent monumenta & multa & luculenta.

Quomodo autem permittat Dei bonitas & provida cura, ut oculis mortalium penitùs subtrahantur Veritatis vindiciæ, ingerantur autem passim & per manus atque ora hominum volitent non nisi erroris patrocinia? Nec Arianorum enim, ut de his quoque parum adjiciamus, alia extant quam pauca frusta & exigua fragmenta libris Catholicorum inserta, nec alio fine, nisi ut absurditatis indicium præbeant & ubi præbuerint confodiantur. Neque legeretur inter opera Augustini sermo Arianorum, nisi cum libro quo refellitur coaluisset, T. 6. 652, neque superesset Candidi Ariani libellus, nisi cum responsione & refutatione Marii Victorini cohæreret. Imo hæreses illæ Arii & Photini variis subinde formis, uti falsum πολύμορφον esse solet, sese induerunt. Quid? quod mutuis ac intestinis odiis sese ipsæ confecerunt. Seculo IV. Ariani supprimebant in ipsa, quod ajunt, herba Photinianos, ut hi præ illis emergere non possent, imò verò damnarentur ab illis, & Photinus in Synodo Sirmiensi, Constantio præsente & jubente, Episcopatu dejiceretur. Vicissim majorum nostrorum tempore Photianismus Arianismum, cui ab initio nonnulli, ut Valent. Gentilis, Joh. Sommerus, Erasmus Johannis & pauci forte alii addicti erant, absorpsit, ita ut non sit hodie, quantum quidem ex scriptis constat, qui se Arianum dicat. Certè illi Divinitatis Christi in Polonia & Sarmatia hodie perduelles, Ariani audire nullatenus volunt. Photinianorum autem vel Samosatenianorum appellationem non æquè, licet velint, possunt recusare. Quod Paulum quidem Samosatenum attinet, Socinus non diffitetur, se ejus sententiæ de Filii Dei existentia adhærere. Resp. altera ad Volanum p. 264. Idem de Photino, lib. cit. p. 239. *Certum est*, ait, *eum ipsissimam nostram sententiam & sermone & scriptis*

(at ubi gentium hæc hodie extant?) *acriter defendisse.* Et Ostorodus Præfat. Instit. Germ. p. 13. *Photini doctrina, quod Christum attinet, eadem prorsus est cum nostra.* Et est sanè non leve discrimen inter sententiam Arianorum & Photinianorum. Illi siquidem Christum ante omnes creaturas fuisse & extitisse confitebantur: hi tùm primùm ortum, cum nasceretur ex Maria. In re tamen conveniunt & pariter veram ac perfectissimam Deitatem Christi sive ὁμοουσίαν Patris & Filii impugnant atque consequenter mysterium Trinitatis evertunt. Præterea complura Scripturæ loca inter se habent communia, quibus abuti solent. Nunc præcipua saltem & ordine quidem arbitrario proferemus, ac statim eâdem operâ ad illa respondebimus.

Discrimen inter Arianos & Photinianos.

Primus locus est Joh. XIV, 28. *Pater major me est.* Quem locum Arianos in ore habuisse testis est S. *Gregor. Naz.* qui una oratione eâque insigni, quæ est de Filio II. edit. Basil. p. 140. pleraque omnia, quæ ab Arianis prætexebantur, Scripturæ dicta diligenter collegit & confutavit, cujus testimonium semel hîc allegasse sufficiat, ac orationem ipsam legisse juvabit. Faustus Socinus ex h. l. talem à suis nexam nobis exhibet consequentiam: *Christus non est ille Altissimus. Ergò Christus non est ille unus Deus. Assumtio,* inquit, *probatur ex ipsius Christi verbis: Pater major me est. Pugnant enim manifestè inter se hæc duo, Majorem se habere, &c. Esse illum Altissimum. Consequentiæ ratio est apertissima, cum inter alia unius illius Dei nomina sit ejus maximè proprium Altissimus, sive ille Altissimus, græcè ὁ ὕψιστος.* Animadvers. in Assert. Theologicas Collegii Posnaniensis edit. II. p. 100. *Enimverò*, ut respondeamus verbis S. Gregorii p. 148. *si major quidem diceretur, non autem æqualis, fortassis hoc quiddam pro ipsis faceret. At si utrumque manifestò reperimus — quid firmi obstabit eis?* Habeant sibi igitur instantiam ex Phil. II, 6. ubi Christus Patri æqualis dicitur. Si æqualis, Ergò perinde ut Pater, ὁ ὕψιστος, altissimus: Secundùm divinam scil. naturam. Interim minor est Patre secundùm humanam naturam, juxta quam in verbis immediatè præcedentibus dicit: *Proficiscor ad Patrem.* Sic nimirum Scriptura de Christo contraria enunciat propter discrimen naturarum: sublimius de ipso secundùm divinam naturam loquitur, abjectiùs nonnunquam secundùm humanam. Et quia ipsa sibi contraria esse nequit, utrumque horum tenendum, quod Filius Patri æqualis, & quod Patre minor. Æqualis Patri secundum Divinitatem: minor Patre secundum humanitatem, uti Athanasius docet in Symb.

Arianorum & Photinianorum argumenta contra Divinitatem Christi.

Alter

Alter locus est Joh. XVII, 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant Te* (Pater) *illum solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum.* Si solus Pater est verus Deus & quidem respectu Christi, ut hîc dici videtur, Christus igitur exclusus erit à Deitate illa quam Pater habet.

Tertius huic similis 1. Cor. VIII, 6. *Nobis unus est Deus, Pater, ex quo omnia & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per illum.* Ubi Christus quà Dominus videtur distingui à Patre quà Deo. Unde fluit argumentum: Christus non est Pater ille, ex quo omnia. Ergò non est ille unus Deus. Hæc loca allegat Catechismus Racov. edit. 1609. p. 32. & addit alium locum Eph. IV, 5. 6. *Unus Dominus — Unus Deus & Pater omnium.* Ubi eodem modo unus Deus Pater distinguitur à Christo ut uno Domino.

Resp. Quod locum Joh. XVII. attinet, tenendam esse Theologorum regulam: *In Divinis vox exclusiva uni personæ tributa non excludit alias personas Divinas sed essentias alias à Divina*, sive ea tantùm excludit, quæ sunt alterius naturæ & essentiæ. Non ergò sequitur: Solus Pater est verus Deus, Ergò non Filius, nam Filius est in Patre, Joh. XIV, 11. & unum cum Patre, Joh. X, 30. Quin ipse quoque expressis verbis dicitur verus Deus, 1. Joh. V, 20. Hoc igitur inde saltem colligitur: Solus Pater est verus Deus: Ergò quicquid est extra essentiam Patris (ut idolum) id verus Deus non est. Sic iterum Gregorius p. 155. *Arbitror isthæc verba, ut cognoscant te solum verum Deum, proferri ad eversionem Deûm, qui reapse cum Dii non essent, Dii tamen appellarentur. Non enim adjicerentur & illa: Et quem misisti Jesum Christum, si quidem ad discrimen filii ponerentur hæc verba, solum verum, ac non communiter de Divinitate proferrentur.* In loco 1. Cor. VIII. *Unus* itidem particula exclusiva est: par itaque illius ratio. Et sicut per eam in eodem contextu à dominatu non excluditur Pater, ita neque à Deitate Filius. Aut si bonum hoc est argumentum: Christus non est Pater ille, ex quo omnia: Ergò non est ille Deus; poterit alius pari jure colligere: Pater non est Christus ille, per quem omnia (quia ab illo distinguitur in textu) Ergò Pater non est ille unus Dominus. Cui conclusioni reclamat tota Scriptura: præcipuè verò Paulus 1. Tim. VI, 15. Eâdem responsione solvitur illud Eph. IV.

Quartus locus est Joh. XX, 17. *Ascendo ad Patrem meum & ad Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum.* Ubi Christus jam à mortuis excitatus Patrem non minùs suum quam discipulorum Deum esse testatur — quod idem jam in cœlum translatus & planè glorificatus affirmat quater in uno versiculo Apoc. III, 12. notante Socino Tr. de Deo, Christo & Spiritu S. p. 9. Responsio autem diffi-

cilis non est: Quo respectu enim Christus Patrem se majorem dixit, eodem illum Deum suum vocat, secundum humanam scil. naturam. Id quod Divinæ ejusdem naturæ nil derogat, juxta quam vocat Deum Patrem suum, ex cujus nimirum essentia sit ab æterno genitus. Pulcherrimè hæc exponens Cyrillus: *Cum Deus simul & homo sit*, inquit, *propter alterum sublimis, propter alterum humilis naturæ est. Non conturberis igitur, cum dicentem audis:* Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum: *nam ut naturâ Filius, Patrem; ut autem verè homo, Deum suum appellat.* L. XII. in Joh. c. 51.

Quinto loco id urgetur, quod *Christus suam doctrinam, sua verba, sua signa, sua opera omnia, unà cum autoritate ac potestate sua, Deo Patri accepta refert, adeò ut alicubi non sua sed ejus esse dicat qui ipsum miserat i. e. Patris.* Vide Joh. V, 19. 20. 22. 23. 27. 30. 36. 43. & VII, 16. & X, 25. & XVII, 2. quæ rursum Socini verba sunt, eod. tr. ead. pag. Resp. Etiam hæc omnia humanam Christi naturam rectè probant idque ita, ut Divinæ nil præjudicent. Sicut enim Deus Pater filium misit in carnem, ita etiam quod Filius in carne docebat, operabatur, patrabat, id ut homo Patris autoritate & mandato ac præmonstratione docebat, operabatur, patrabat. Et ita ut homo etiam à Patre didicit, ac multa sibi in tempore data accepit, cum à seipso omnia aliàs optimè nosset & in seipso nihil non possideret, proprioque marte & consilio cuncta perageret, ut Deus erat. Potest responsio hæc istis omnibus à Socino citatis locis facilè sufficere & accommodari singulis. Veruntamen unus ille locus Joh. V, 19. quem in frontispicio collocat Socinus ac veteres quoque Ariani præcipuè inculcarunt de Christo secundùm Divinam potius naturam videtur accipiendus. Verba hæc sunt: *Amen amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem.* Unde Socinus quidem inferre vult, *Filium non esse illum summum & æternum Deum. Quid enim*, inquit, *absurdius aut impoßibilius quàm summum illum & æternum Deum nihil à seipso facere posse?* Resp. ad argumenta Bellarm. & Wieki, clas. 3. arg. 3. p. 236. Sed objecta absurditas statim omnis cessat, si intelligatur quid sit illud ἀφ' ἑαυτȣ̃ *à semetipso.* Nempe æquipollet Ebræo לבדו *Seorsim*, quemadmodum egregiè docet Heins. in Arist. 381. ut sit sensus: Filium non posse solum operari sed unà cum Patre: sicut nec Pater potest solus operari sed unà cum Filio. Nam in utroque est una essentia & una virtus operandi ac proinde una est utriusque operatio. Hoc ipsum ergò dictum contra Arianos & Photinianos ὁμοȣσίαν Patris & Filii declarat ac regulam confirmat Theologicam: *Opera Deitatis ad extra sunt indivisa.* Quomodo verò, inquies, eodem loci ad

ci ad Divinam Christi naturam congruunt sequentia: Filius videt Patrem operantem: item, v.20. Pater demonstrat Filio opera sua? Resp. Illa capienda non de externa quadam visione & demonstratione, sed interiori potentiæ agendi communione, dum Pater per Filium & Filius cum Patre eâdem scientia & potentia unum idemque facit opus.

Sextò profertur locus Marc. XIII, 32. *De die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse Filius sed solus Pater.* De quo loco multa habet Smalcius contra Smiglec. c.14. p.139. Resp. I. per Inst. Joh. XXI, 17. *Domine tu nosti omnia.* II. Noverat utique etiam diem illum futuri judicii, negat tamen se scire, quod non sciret ut homo, sive vi & facultate intellectus sui humani, verum ut Θεάνθρωπος.

Septimò Ministri Transsylvani l. 2. c. 6. objiciunt locum 1. Cor. XV, 28. in fine mundi *Christum subjectum iri ei qui subjecit ipsi omnia*, h. e. Patri: Unde eliciunt, Christum non esse summum Deum simpliciter sed solum Patrem. Resp. Frustra id inde elici. Subjectio enim illa Christo competit vel quatenus homo est, ut interpretatur Basil. l. 4. adv. Eunom. vel potiùs quatenus unà cum Ecclesia sua corpus constituit & caput ipse membra sua secum habet, hoc videlicet sensu, quod futurum aliquando sit, ut totum Christi corpus i.e. omnis Ecclesia subjecta Deo conspiciatur, nullo membro existente rebelli aut contumace. Non malè monet Theodoretus, Apostolum ideò Corinthiis, qui fabulis Græcorum addicti essent, hæc scribere, ne existimarent, Christum initurum regnum eo modo, quem Jovi tribuebant fabulæ Græcorum, excusso scil. & deturbato parente: ajunt enim à Jove filio Saturnum patrem regno pulsum. Ne quid igitur tale de Christo cogitetur, quem evacuaturum omnem principatum ac potestatem dixerat Apostolus, propterea censetur addere, quod victor omnium suorum hostium & jam sine rebellione compos regni non solùm Patrem sibi non subjiciat (verba sunt Theodoreti) sed ipse etiam subeat subjectionem, quæ Filio convenit. Rectè hic autem porrò subjungit, hanc subjectionem tribui Christo non absolutè sed quatenus unà cum Ecclesia sua corpus constituit, ut ita tunc filium subjici idem sit quod Ecclesiam (cui quicquid contingit, ad se pertinere ait ipse) perfectâ obedientiâ complete & secundùm omnia membra subjici. Eadem est interpretatio Chrysostomi tr. in hunc locum proprio: Sicut, inquit, cum Ecclesia fert persecutionem, Christus eam se ferre dicit: ita etiam nunc Paulus, cum Ecclesia subditur, dicit Christum subjici. T. 5. 356. Hæc expositio ut communissima, ita verissima. Sequitur enim, *ut Deus sit omnia in omnibus*, istius scil. corporis Christique membris, quæ mediante capite Christo unitissima tum erunt Deo, ipsi uni abs-

que ullis pravis motibus, qui hac in vita Deum non ſinunt eſſe omnia in nobis, pleniſſima obedientia & amore perfectiſſimo adhærebunt ejusque præſentia & Spiritu repleti ſervient ipſi ſanctiſſimè, liberaliſſimè.

Octavus locus eſt Act. II, 36. *Certò ſciat tota domus Iſraël, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis, eſſe factum à Deo Dominum & Chriſtum.* Hunc locum urget Oſtorodus, ut probet, Chriſtum eſſe Dominum & Deum factitium. Inſt. Germ. p. 65. Simili modo Arianos olim hoc textu abuſos Cyrillus docet l. 9. Theſ. c. 3. Reſp. Non aliter ibi ſermo inſtituitur de Chriſto niſi ut homine, & quidem ut interemto inq; crucem acto à Judæis, ac divinitùs reſuſcitato ex mortuis. Hunc, quem Judæi tàm contumelioſè habuerunt tamque indignis modis tractarunt, fecit Deus Dominum & Jeſum Chriſtum h. e. exaltavit & per reſuſcitationem ex mortuis talem declaravit, quem Regem agnoſcere & Meſſiam ſuum revereri Judæi debeant. Quid hinc quæſo accedit Arianis aut hodiernis Photinianis? De Chriſto ut homine dicitur ipſum factum eſſe Dominum. Num inde ſtatim ſequitur, quod illi volunt, Chriſtum abſolutè & ſimpliciter Dominum eſſe factitium? Imò verò in præſenti loco nec id præciſè dicitur, ſi verum ſenſum æſtimes, quod Chriſtus quà homo primùm factus ſit Dominus, ſed quod, cum talis pridem & ab ipſa nativitate ſua humana factus eſſet, Luc. II, 11. Joh. XVIII, 37. nunc, quando Pater ipſum ſuſcitavit, pro tali ſit in humanitate ſua declaratus & manifeſtatus. Quod autem inſuper Oſtorodus ex facto Domino ad factum Deum colligit, id prorſus admitti nequit. Nullibi enim vel minimo apice Scriptura Chriſtum vocat Deum factum. Potiùs contrarium dicit Jehova, Eſa. XLIII, 10. (35.) *Ante me non eſt formatus Deus, nec poſt me erit.*

Plura nobis ſuppetunt hujusmodi loca, quæ poſſemus adducere, quorum ſenſum moderni Photiniani pariter cum veteribus Arianis depravant & adulterant. Sed quid opus eſt? Ex iis quæ hucusque prolata ſunt, ſatis ſuperque patet, quid utrinque moliatur, quid tentet hæretica pravitas: hoc ſcil. unum, ut ſummam & perfectiſſimam Chriſti Deitatem demoliatur & ſubvertat. *Magis quidem Neo-Photiniani in deſtruendo quam aſſerendo & probando occupantur.* Quando tamen id agunt, ut probent, ecce! non verentur Arianorum objectiones revocare ac ſuas facere. Ita ſemper Diabolus eandem fabulam agit, & vetera argumenta novis coloribus depicta repetit. Quæ producta hactenus ſunt & produci adhuc poſſent Scripturæ loca malè intellecta, penè omnia *vel unitatem Dei inculcant vel humanam Chriſti naturam probant.* Unde minimè conficere eſt ipſum verum & naturalem Deum non eſſe. Nam & hoc perinde ut illa duo in Scripturis clarè habetur.

Quin

Quin eandem Dei unitatem & Christi humanitatem olim quoq; Theodotiani & Pauliani sive Samosateni asseclæ subinde in ore habuerunt, ut ex Hist. Eccl. constat; nec minus tamen à tota primitiva Ecclesia atque eâ quidem, quæ ante Concilium Nicenum fuit, hæreseos damnati sunt. Id verò profectò in nostri Seculi Photinianis mirandum, eos in probando ab Arianis mutuò quid petere, quorum aliàs nomen adeò illis est exosum, ut injuriâ id in se conferri scribant, veluti est apud Moscorov. refut. append. Smiglec. p. 3. *Æquum est, quorum nomina deprecantur, eorum quoq; sententias refugere*, dicimus nos cum Athanas. T. 1. orat. 4. contra Arian. p. 272. Agnoscimus sanè discrimen inter utramque hæresin, quod non leve est, de quo supra. Dogma fundamentale quidem præcipuum & velut essentiale idem est & ab hac & ab illa parte, nempe, Christum non esse summum & æternum Deum. In modo tamen proponendi variatio est, & aliter hi convellendam adoriuntur Deitatem Christi, aliter illi. Proinde ne qua oriatur confusio & querela cesset de illata injuria, malumus, qui suammet doctrinam ipsissimam Photini sententiam esse fatentur, Photinianos dicere, discretionis ergò. Licebit tamen homini libero hoc quoque liberè & absque ulla injuria in eosdem dicere, qui Ariani vocari detrectant, pejores multò & deteriores eos esse Arianis: siquidem hi Christo plus tribuunt quam illi. Unde fit, ut quædam Scripturæ loca (qualis ille est Joh. VIII, 58. *Antequam Abraham erat, ego sum*) rectè opponantur Photinianis, quæ Arianis, qui Christum ante conditum mundum fuisse sentiebant, opponi non possunt. Quod si nec Photinianorum appellatio iis placet sed potiùs à Christo Christiani denominari gaudent, ut Smalc. ait contra Franc. p. 10. adhuc semel patienter audiant Athanasium T. 1. Disp. 2. contra Ar. p. 135. *A Christo Christiani & sumus & nuncupamur: Illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò autorum suorum cognomenta, ut ad quos pertineant, præ se ferunt.* Tandem cavendam monemus lectionem librorum Photinianorum, quippe nihil solidæ habentium eruditionis Theologicæ, sed meras in Christum blasphemias, & Scripturarum elusiones ac detorsiones, quas ignorare quàm novisse satius est, iis maximè, qui in veritate Divina nondum consolidati nec in officio docendi constituti sunt, ne vel seducantur vel offendantur. Si quem tamen è numero discentium libido invadat talia cognoscendi, is Theologorum nostrorum scripta evolvat, in quibus & hæreticorum leguntur sententiæ ac perversiones, quantum satis est, & orthodoxæ responsiones ac solutiones simul sunt adjunctæ. Ex hoc genere potissimùm est liber ille *D. Meisneri*, qui inscribitur: *Brevis consideratio Theologiæ Photinianæ: item Photinianismus Jos. Stegmanni, nec non Anti-Ostorodus Justi Fewrbornii &c.*

Atque

Atque ista hactenus de novis Photinianis paulò prolixiùs dissere-re usu suo hodiè non carentia visum est, occasione erroris ipsorum capitalis circa Deitatem Christi.

De Divinitate Spiritus Sancti.

Ab hac Christi Deitate superiùs demonstrata nunc ad Divinitatem Spiritus Sancti similiter probandam accessum facimus. Continetur autem ea apertè iis Scripturæ dictis, quibus, qui modo Sanctus Spiritus dicebatur, statim ad literam *dicitur Deus*. Act. V, 3.4. Petrus Ananiam sic alloquitur: *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto? —— Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ad quæ verba à Petro prolata Ananias derepente concidit exanimis; quod mox ipsius etiam uxori Sapphiræ ejusdem criminis sociæ ita contigit. Hinc argumentum conficitur tale:

Cui tum temporis præter Apostolos mentiendo Ananias & Sapphira crimen summæ impietatis, dignum præsentanea morte vindicari, commiserunt, is Deus est.

At Spiritui S. mentiendo ejusmodi crimen commiserant.

Ergò.

Major constat ex immediata oppositione Dei & hominum in textu. Ita namque Ananias mentitus dicitur Deo & Spiritui S. *ut negetur mentitus esse hominibus, sc. solis & cum reatu ad noxam præsentaneam.* Minor itidem in t. habetur. Nec obstet veritati Minoris, quod non dicitur, uti græcè dici debebat, ψεύσασθαι τῷ πεύματι in casu tertio, sed in quarto ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod Smalc. latinè sic vult converti: Mentiri Spiritum S. i. e. præ se ferre, se habere Spiritum S. in refut. Disp. Graueri de Spir. S. p. 7. Nil hoc, inquam, obstat. Est enim phrasis Hellenistica, sive, si ita mavis, Scriptoribus Sacris peculiaris, cujus sensus exponitur v. proximè seq. ubi in casu tertio dicitur ἐψεύσω τῷ Θεῷ, & adhuc clariùs v. 9. per πειράσαι τὸ πνεῦμα κυρίου. *Nec aliàs insolens, unum verbum constructionē cum duobus casibus admittere eodem sensu.* Sic dicitur, εὐλογεῖν τινὶ in lingua purè Græca, & apud LXX. εὐλογήσω τὸν Κύριον Ps. XXXIV, 1. ac in N. T. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, Matth. V, 44. item εὐαγγελίζομαι ὑμῖν Luc. II, 10. & εὐαγγελιζόμεθα ὑμᾶς Act. XIII, 32. In specie ψεύσασθαι utrumque casum regit apud LXX. Esa. LVII, 11. ἐψεύσω με. Ps. LXXVIII, 36. 40. γλώσσῃ αὐτῶν ἐψεύσαντο αὐτῷ. Quid mirum itaq; in verbis quoq; Petrinis utramque constructionem inveniri, sensu interim eodem manente, illo scil. quem in Minore argumenti propositi indigitavimus? Non absimile argumentum fit ex verbis Pauli 1. Cor. III, 16. 17. *An nesci-*

nescitis, vos esse templum Dei & Spiritum Dei habitare in vobis? Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Nempe:

Cujus templa Christiani sunt, ille est Deus. Dicuntur enim templum Dei, & Deo etiam uni propriè convenit habere templum.

At Spiritûs S. templa sunt Christiani. Quod ex eo colligitur, quia Spiritus ille dicitur in ipsis habitare; quin κατὰ ῥητὸν legitur I. Cor. VI, 19.

Ergò Spiritus Sanctus est Deus.

Porrò *opera Divina Spiritui S. tribuuntur:* Creatio Hiob. XXXIII, 4. *Spiritus Dei fecit me & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi.* Missio Christi, ut hominis, Esa. XLVIII, 16. *Nunc Dominus mittit me & Spiritus ejus.* Largitio item & distributio donorum spiritualium, I. Cor. XII, 11. *Omnia hoc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim singulis, sicut vult.* Nec non jussus & instinctus vaticinandi. II. Petr. I, 21. *Nec enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu S. locuti sunt Sancti Dei homines.* Opponuntur hîc manifestè inter se homines & Spiritus S. tanquam Deus. Certè non alius quam benedictus Dominus Deus Israëlis locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum, ut canit Zacharias Luc. I, 68. 70. Spiritus itaque Sanctus, cujus instinctu Prophetas locutos Petrus pronunciat, est benedictus ille Dominus Deus Israëlis.

Firmissimum insuper argumentum petitur *ex collatione V. & N. Testamenti.* Esa. VI. Propheta Dominum, cujus majestatem tremendam conspexerat, audit sibi loquentem: *Vade & dices populo huic: Audite audiendo & non intelligetis &c.* Jam Paulus Spiritui S. hanc vocem tribuit Act. XXVIII, 25. seqq. *Benè savè*, inquit, *Spiritus S. locutus est per Esaiam Prophetam Patribus nostris dicens: Vade ad populum istum & dic: Auditu audietis & non intelligetis &c.* Spiritus igitur Sanctus est ille Dominus quem Esaias vidit in solio sedentem h. e. unus ille & sum̃us Deus, ac, ut ab Angelis ibidem deprædicatur, Jehova Zebaoth. Nec enim alius est, cujus gloriam vidit Esaias, alius, quem sibi loquentem audivit, sed unus idemq́ue.

Passim denique *in Scripturis Patri & Filio annumeratur Spiritus S.* veluti, in forma baptismi Matth. XXVIII, 29. in testificatione cœlesti I. Joh. V, 7. in benedictione religiosa, II. Cor. XIII, 13. Sic & in Symbolo Apostolico. Quo pacto non obscurê rerum creaturum ordine eximitur iisq́ue eminentior h. e. Deus constituitur.

Quæ omnia accuratè notanda contra eos, qui Divinitatem Spiritus S. impugnant: quales hodie Photiniani, olim Ariani & ipsorum complices.

Ex hodiernis Photinianis Smalc. in alleg. refut. Disp. Grau. haud veretur scribere: *Falsum est Spiritum S. usquam Deum appellari in S. literis. p. 5.* Non renuunt aliàs novi isti hæretici Spiritum S. Deum dicere in sensu identico, sicut justitia Dei & quæ cætera in Deo sunt, dicuntur ipse Deus: in sensu autem formali prædicationem hanc: Spiritus S. est Deus, prout nos accipimus, non admittunt, & provocant ad Scripturas, in quibus nullibi Spiritus S. Deus vocetur. Contra quod temerarium assertum urgemus præcipuè illa loca antè citata ex Act. V, 3. 4. 2. Sam. XXIII, 2. Esa. VI. cum Act. XXVIII.

Divinitatem Spir. S. negantes.

Ariani olim Seculo IV. uti Filium pro creatura habebant, sic Spiritum S. qui à Filio procedit, *creaturam creaturæ* dicebant, ceu notat Augustin. de hæres. ad Quodvultdeum, hær. 49. Eodem Seculo infelicis Arianorum stirpis surculus *Macedonius*, ope Arianorum à Constantio Imp. ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus, cùm Filium quidem nullatenus creaturam, sed Patri ὁμοιούσιον & per omnia similem confiteretur, teste Theodor. l. 4. de hæret. fab. Spiritum tamen S. perinde ut Arius & Eunomius blasphemavit ac Deum negavit Deiq; tantùm ministrum fecit, Angelicis sanè ordinibus præstantiorem, qui tamen creatura sit, nec quidem æterna. Hujus sectatores tùm speciali nomine Macedoniani, tùm generali πνευματομάχοι i. e. hostes Spiritus Sancti dicti sunt: quorum nonnullos etiam accepimus in universum orthodoxè de Filio statuisse, ita ut non ὁμοιούσιον tantùm, sicut Macedonius (qui termini hujus dolosi inventor à Theodor. traditur l. d.) sed & cum Catholicis ὁμοούσιον Patri crederent. De talibus intelligendus Augustinus, dum ait: *Macedoniani de Patre & Filio rectè sentiunt, quod unius sint ejusdemq; substantiæ vel essentiæ: sed de Spiritu S. hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes.* Hos, inquit porrò, quidam *Semiarianos* vocant, quod in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. hær. LII. Horum verò secta planè erat stolida & monstrum potiùs quam hæresis. Nam admissis duabus personis Divinis, quarum altera alteri ὁμοούσιος, non litigandum ampliùs de tertia: cùm reliqui hæretici consubstantialitati Filii Dei adversi semper & potissimùm Monarchiam sive unitatem Dei objecerint, intelligentes eam de una persona; qui tertiam sine dubio facile fuissent admissuri, si Christum pro secunda agnovissent. Nihilominùs haud exiguo tempore hæc hæresis duravit, quippe *exorta circa annum Domini 345.* ut Hieron. in Chron. narrat, *imminuta autem demùm*

mum circa annum 381. facta dijudicatione in Synodo Constantinopolitana I. ex Oecumenicis II. In ea Synodo Episcopi convocante Imp. Theodosio Magno congregati numero CL. gloriam & Divinitatem Spiritus Sancti ex solidis Scripturæ testimoniis asseruerunt, hæreticorum objectiones (quas confestim subjiciemus) dissolverunt, *Symbolumq; Nicænum adjectis ad id plusculis* de Spiritu S. verbis perfecerunt. Nam cum Symbolum illud terminetur in hac clausula: *Et in Spiritum Sanctum*, nec additam habeat pleniorem declarationem, eò quod controversia de hoc articulo nulla tum adhuc mota esset; reliqua quæ sequuntur ac hodie leguntur, *Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*, omnia in Synodo illa superaddita sunt per Gregorium Nyssenum Basilii fratrem, cui id negotii dederat Synodus, ut quæ deessent suppleret, quò sententia & Confessio Catholica in conspectu haberetur ac corruptelis πνευματομάχων directè posset opponi.

Objectiones autem ab adversariis Spiritus Sancti motas recensent bonam partem Greg. Naz. orat. VI. de Spiritu Sancto & Basilius T. 1. peculiari Tr. de Spiritu S. Potiores ex Scripturis hæ sunt: I. Quod nullibi expressè dicatur Deus. II. Quod *omnia per Christum facta* sint Joh. I, 3. Ergò & Spiritum S. per ipsum esse factum. III. Quod nullibi legatur adoratus vel præcipiatur adorari. IV. Quod dicatur *mitti a Patre & Filio* Joh. XV, 26. Gal. IV, 6. Utroq; igitur esse inferiorem. V. Quod *scrutetur* (adeoque tanquam ignorata inquirat) *profunda Dei* 1. Cor. II, 10. VI. Quod in forma baptismi Pater & Filius prænumerentur, Spiritus S. postnumeretur (προαριθμεῖσθαι & ὑπαριθμεῖσθαι illi dicebant.) VII. Quod *oret pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Rom. VIII, 26. cùm minimè conveniat Deo, more precantium se dejicere sed vota facientes exaudire. Eorum Obj.

Hæc verò singula brevibus possunt expediri. Nam ad I. jam ante responsum est Smalcio idem objicienti. Ad II. responsio in textu habetur. Nempe *omnia per Christum facta sunt; non simpliciter:* alioqui Pater quoque per ipsum factus sit; sed quæ facta sunt, illa non sunt nisi per Christum facta. At Spiritus S. factus non est. Ergò nec sub illis continetur, quæ per Christum facta sunt. Ad III. Et *adoratus legitur Spiritus S. ab ipsis Seraphim Esa. VI. cap.* collato cum Act. XXVIII. cum unus sit, qui Esaiæ locutus & ab Angelis glorificatus est: & præcipitur adorari, dum gentes baptizari jubentur in nomine Spiritus Sancti æquè ut Patris & Filii, id quod est summum genus adorationis & venerationis. Ad IV. Non solum inferior à superiore mittitur, sed quandoque etiam æqualis ab æquali. *In Divinis certè missio personarum non inæquali-* p. 106.

qualitatem sed originis ordinem significat. Ad V. *Scrutari est omnia penetrare*, perfectè ac clarè inspicere & comprehendere. Quo eodem sensu etiam Deus Pater dicitur scrutari corda & renes, Ps. VII, 10. Ad VI. *Promiscuè Scriptura unam Deitatis personam alteri nunc pranumerat, nunc postnumerat.* Rectus ordo secundùm originem, quam una persona dat, altera accipit, tenetur in forma baptismi. Ne tamen ob id Filius in Deitate minor Patre aut Spiritus S. Filio censeatur, alibi Filius præponitur Patri II. Cor. XIII, 13. & Spiritus S. utrique Patri & Filio 1. Cor. XII, 3. Ad VII. Spiritus dicitur postulare & orare, quod nos ad hoc facienda impellat, & ideo quoque gemere dicitur quod nos gemere faciat & gementes sublevet. Docent hoc proximè præcedentia: Ipse Spiritus sublevat infirmitatem nostram. Docet hoc etiam v. 15. collatus cum Gal. IV, 6. Quod enim hoc posteriore loco dicitur: *Deus misit Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater*; id priore illo sic exponitur: *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo* (sive per quem) *clamamus Abba Pater.* Unde apertissimè patet, nos esse qui clamemus, oremus, postulemus, Spiritu S. instruente, excitante, adjuvante.

Demonstratio Theologica pro Trinitatis mysterio.

Ex his, quæ hucusque tum de unitate Dei, tum de Patris, Filii & Spiritus Sancti vera Divinitate dicta sunt, inter se junctis *Demonstratio* confit *Theologica* hujusmodi:

Verus Deus est unus Deus.
Sed Pater, Filius, & Spiritus S. est verus Deus.
Ergò Pater, Filius & Spiritus S. est unus Deus.

Hæc conclusio ponit fidem simplicem, quæ cuivis è vulgo fidelium necessaria creditu est ad salutem & ab eo capi potest. Minoris Veritas satis à nobis confirmata est. De Patre nemo dubitat. Filius exsertis verbis dicitur verus Deus 1. Joh. V, 20. De Spiritu S. id modò probatum est. Major ex præced. Aphor. intelligitur, nec quicquam adeò jure hîc desiderari potest amplius. Itaque animis nostris argumentum hoc omnium principalissimum altè infigendum.

Quo sensu Photinianis Christus dicatur verus Deus.

Sed nec ignorandum, quid de illo adversariis videatur: nec enim eos id latet, & ut aliàs, ita hîc quoque quod desiderent inveniunt. Circa Minorem id quidem concedunt de Filio, quod sit verus Deus: Spiritum S. autem in Scripturis uspiam Deum vocari negant; ad quod posterius de novo responderi non est opus. Si dicas, Christum quem verum Deum esse largiuntur, esse eodem jure summum illum & unum Deum, cum verus Deus non sit alius nisi unus, sollicitant hanc Majorem: Verus Deus est unus Deus. Id admittunt, quod summus Deus sit unus tantùm; plures autem uno veros Deos esse, ipsis non repugnat.

Incre-

Incredibile propemodum eſt, ab his, qui Chriſtiani ſalutari geſtiunt, talia proferri, quæ non ſaltem perfectiſſimam Chriſti Divinitatem ſed haud leviter etiam ſimplicem Dei unitatem labefactent. Sed res ipſa tamen & ſcripta eorum publica id loquuntur.

Diſtinguunt, ut plenius dicam, in voce Dei, quæ ſecundum ipſos accipitur dupliciter: Uno modo pro eo, qui *naturâ & à ſeipſo* Deus eſt, nec quemquam, cum autor omnium ſit & principium, ſuperiorem agnoſcit: tum verò pro eo, qui poteſtatem aliquam ſublimem à ſummo illo Deo habet, aut Deitatis ſummi illius Dei aliqua ratione particeps eſt, ab eoque *dependet*. Priore modo unum tantùm Deum eſſe profitentur, eumq; non alium quam Patrem, ſecluſo Filio & Spiritu Sancto. Poſteriore autem modo *Filium* eſſe Deum ac *verum* etiam *Deum* contendunt, cum habeat veram *Divinitatis*, ceu loquuntur, *formam*, *Divinam nempe potentiam*; nec ipſum tantùm ſed & *Angelos* & *Magiſtratus*, quippe qui non minùs appellatione Deorum in Scripturis afficiantur & *falſi Dii non ſint*: Veros itaque eſſe, quorum reſpectu Deus quoque prædicetur *Deus Deorum*. Hæc paſſim apud ipſos leguntur, inprimis autem in Catech. Racov. c. 1. de cogn. Dei p. 34. Quis verò hæc audiens non exhorreſcat ac ſibi penitùs perſuadeat, fidem Chriſtianam, quin ipſam quoque rationem hos homines omnem ejuraſſe?

Nam I. Chriſtiana fides non unum tantùm Deum ſimpliciter, ſed unum Deum verum eſſe tradit, qui ſit Pater Chriſti. Sic enim ab ipſo Chriſto accepimus Joh. XVII, 3. *Ut cognoſcant Te ſolum verum Deum*. Qui ergo non eſt Pater Chriſti aut unus & idem Deus cum Patre, is verus Deus non eſt. Quo pronunciato fortiſſimè ſtabilitur Major propoſitio allatæ demonſtrationis. II. Fucus eſt, quem ſimplicioribus faciunt Photiniani, dum in Minore admittunt, Filium eſſe verum Deum, quem non aliam tamen niſi humanam naturam habere ſecum ſtatuunt imò apertè ſcribunt. *Quomodo enim verus Deus ſit absq; natura & eſſentia Divina? non magis certè quam homo verus absq; eſſentia humana.* Hinc Scriptura *Deum verum* ipſumque adeò Chriſtum opponit iis, qui *naturâ non ſint Dii*, Gal. IV, 8. Et in primæva lingua, unde ſuo modo de cæteris poteſt judicium fieri, *vox* יהוה, *qua* notatur *verus Deus, ſignificat primariò & proximè ipſam naturam & eſſentiam Divinam*. Falſiſſimum itaque formam, quæ ad conſtituendum Deum ſufficiat, eſſe Divinam potentiam & ſublimiorem dignitatem nudè & absque eſſentia Divina. Nam hoc perinde eſt, ac ſi formam ſive rationem, quâ conſtituitur homo, alicui tribuas absque natura humana: quod eſt cum ratione inſanire. III. Sic etiam manifeſtè *implicat*, *Deum verum & ſimul dependentem* dicere, ac ipſam præcipuam & commu-

nem Dei notionem evertit. Omnes enim audita voce Dei illicò Ens summum ac independens & primam rerum causam concipiunt. Qua in re ad conscientiam omnium piorum imò ipsorum Socinianorum provocare non dubitamus. Certè hi ipsi, qui aliàs formam Divinitatis in dominio & potestate sitam volunt, ac ipsam quoque vocem hanc, Deus, esse potestatis non essentiæ nomen dictitant, quod commune sit uni Deo independenti & multis subordinatis ac dependentibus; quando ad se redeunt, coguntur aliter pronunciare, sic, ut Crell. scribat l. 1. de Uno Deo Patre, Sect. 1. p. 39. *Dei nomen suâ naturâ aliquid excellentius & augustius quam solum Domini nomen significat & κατ' ἐξοχὴν sumtum illum denotat, qui imperium habet prorsus independens & prima omnium rerum est causa efficiens.* IV. Quæ verò rursum ἀῤῥωςία τῆς *διανοίας est, præter Christum omnes & in cælis Angelos & in terris Magistratus pro veris Diis venditare?* In cœlis igitur habebimus Deorum verorum millies centena millia & decies centena millia: tantus enim numerus Angelorum Deo adstantium esse perhibetur Apoc. V, 11. & in terris Dii nobis erunt maximi, minores, medioxumi, prout unus Magistratus alteri eminet: quæ vesania πολυθεΐαν, Gentilium multis modis excedit. Et nullius momenti est ratiuncula, quam afferunt; esse hos veros Deos, eò quod falsi Dii non sint. *Possunt enim ὁμωνύμως impropriè & translatè sumtâ voce Dii appellari, qui nec veri sunt nec falsi Dii*, cum hæc duo non sint contraria ἄμεσα: veluti Scaliger Pater vocabatur Cæsar, qui nec verus erat nec falsus Cæsar, & homo pictus dicitur homo, qui nec verus est homo, cum essentia humana sit destitutus, nec falsus etiam, sed ὁμωνύμως & abusivè ita dicitur. Ipsa porrò Scriptura, quando Deorum appellationem creaturis tribuit, talem plerunque adjectam habet exceptionem vel explicationem, unde constet, propriè & ut vero Deo competit, cognomentum illud non capi. Equidem David cautè pronunciat de Magistratibus, אלהים אתם *Dii estis*, præmittens huic nuncupationi verba, *Ego dixi*, & subjiciens rursum limitationem aliam: *Moriemini ut homines*: ut à vero Deo ipsos distinguat, Ps. XXCII, 6.7. Idem fit de Angelis, qui Dii dicuntur, sed ita, ut verum Deum jubeantur adorare, sic satis ab ipso discriminati, Ps. XCVII, 7. Incurvate vos ei כל־אלהים omnes Angeli, uti Ebræam vocem exponi legimus. Ebr. I, 6. Paulus quoque 1. Cor. VIII, 5. non simpliciter: *Multi sunt* Dii, inquit, *in cælo & in terra*: sed restrictè, Multi sunt, ait, λεγόμενοι Θεοὶ, qui dicuntur Dii, vel per assimilationem vel ob naturæ aut officii eminentiam, vel juxta opinionem pro-

priam

priam aut aliorum. *At nobis*, ſubjungit, *Unus Deus &c.* Et hic in reſpectu ad illos *Deus Deorum* dicitur, non quod hi omnes quacunque ratione iſtam ſortiti nomenclaturam ſint veri Dii, ſed quod unus ille præ omnibus illis λεγομένοις Θεοῖς ſolus ſit verè & per naturam Deus. V. Cave autem, ne Deum naturâ confundas cum eo, qui à ſeipſo Deus eſt, quod Photiniani faciunt ideò, ut excludant Filium, qui non eſt à ſeipſo ſed à Patre, & Spiritum S. qui eſt ab utroque à Patre & Filio. Nihilo verò inferior in Deitate cenſendus Filius aut Spiritus S. licet uterque ſit ab alio: eſt interim uterque verè & *ſeipſô* Deus, ututnon *à ſeipſo*.

Sic, puto, ſatis noſtra demonſtratio eſt aſſerta, nec per adverſariorum inſtantias vel tantillum alterutra præmiſſarum loco ſuo mota: unde ſuo adhuc robore ſuſtulta perſtat concluſio, quod Pater, Filius & Spiritus S. ſit unus Deus. Hoc concluſum credendi Chriſtianis omnibus, nemine ex idiotis excepto, neceſſitas incumbit, & impoſſibile eſt adultiorem quenquam ratione ſua utentem ſalvari, qui vel ignoret vel neget, Unum eſſe Deum, qui ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sub his, inquam, ſimplicibus terminis & proponi rudioribus & ab illis credi oportet hoc, quod eruditi exprimunt termino technico, dicentes de Patre & Filio & Spiritu S. quod ſint ὁμοούσιοι, uti & Aphor. noſter habet. Qua unica voce appoſitiſſima omnes omnium, quos commemoravimus, hæreticorum Deitati Filii & Spiritus Sancti quoquo modo adverſantium fraudes & impoſturas à Doctoribus, pro quibus ea facit potiſſimùm (nam promiſcuæ Laicorum multitudinis captum excedit) elidi & declinari, certum eſt. *Frequentata vox illa Synodo Nycæna & applicata Filio Dei præcipuè*, quia Arius, contra quem coacta erat illa Synodus, de Spiritu Sancto controverſiam nullam dum moverat. Et terminus ſane antehac ferè inauditus: res tamen iſto termino ſignificata cognitiſſima erat. Hinc Auguſt. Tr. 97. in Evang. Joh. *Adverſus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patres Homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt: hoc enim vocatur Homouſion, quod eſt, Ego & Pater unum ſumus.* T. 9. p. 482. Non planè quidem novum tum erat hoc nomen, ſed plurimis tale videbatur. *Uſurpaverat jam ante Concil. Nic.* Dionyſius Alex. in Apol. Uſurpaverant quin ipſi Ariani: *Sicut* (verba hæc ſunt Ambroſii) *auctor ipſorum Euſebius Nicomedienſis epiſtolâ ſuâ prodidit, dicens: Si verum Dei Filium & increatum dicimus, homouſion cum Patre incipimus confiteri. Hæc quum lecta eſſet Epiſtola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei poſuerunt Patres, quod id viderent adverſariis eſſe formidini, ut tanquam evaginato ab ipſis gladio ipſorum nefandæ caput hæreſis amputarent.*

De voce ὁμοούσιο𝈪

rent. Iſta notatu digna Ambroſ. refert l. 3. de fide ad Gratianum c. 7. Occaſione itaque ab ipſis Arianis data Patres hoc nomen ſuſceperunt contra Arianos, ut per id conſtringerentur ipſorumque ſubterfugia & incruſtationes, quibus palliare hæreſin ſuam ſolebant, tollerentur. Cum enim ſub nominibus *Filii, Luminis de Lumine, Dei de Deo, Imaginis ſubſtantiæ Patris, Domini* & ſimilibus virus ſuum artificiosè occultare & hæc omnia in ſenſum hæreticum detorquere docti eſſent, ſentientes, ipſum eſſe Dei Filium, ſicut nos aut Angeli eo modo appellamur; eſſe Lumen, uti Apoſtoli dicuntur lumen mundi; eſſe Deum de Deo, non tam genitum quam ἐξ ὀυκ ὄντων factum; eſſe Imaginem Patris, ut homo eſt ad imaginem Dei conditus; eſſe Dominum, ſed poteſtate Patri inæqualem: huc demùm adacti, ut Filium Patri ὁμοούσιον confiterentur, quò ſe verterent, non habebant ampliùs. *Secundùm rem idem hac formula innuitur ac prioribus illis appellationibus: ſed hæc tamen non ita, ut priores, hæreticorum admittit falſa interpretamenta & rimam elabendi omnem ipſis occludit.* Eadem in præſenti Aphor. de Spiritu Sancto rectiſſimè adhibetur, ut is verus & unus cum Patre Filioque Deus eſſe credatur.

Lutheri & Philippi innocentia vindicatur.

Hoc loco non poſſum, quin & Lutheri & Philippi innocentiam paucis vindicem. Non veretur Bellarminus præfat. in lib. de Chriſto Lutherum traducere, ac ſi ipſi vocabulum ὁμοούσιος diſplicuerit. Sic enim ait: *Martinus Lutherus contra Jacobum Latomum ſcribens, Anima mea,* inquit, *odit hoc verbum* ὁμοούσιος. Poſtea ibid. in Philippum invehitur, quod is in antiquis editionibus Locorum Comunium, *in Filio aliquid eſſe Divinæ naturæ,* & rurſum, *in Chriſto aliquam eſſe Divinam naturam* dixerit; cum tota natura Divina ſit in Filio: quod item, cum Spiritus S. mittitur, *aliquid Dei & aliquid eſſentiæ Dei mitti ſcripſerit,* quæ verba hodienum extant in Locis Corpori Doctrinæ inſertis. p. 315. Quod deniq; p. 308. dictum Irenæi, Chriſtum fuiſſe paſſum quieſcente λόγῳ, explicaverit hunc in modum: *Natura Divina non eſt quidem lacerata aut mortua, ſed fuit obediens Patri &c.* Quid clarius, inquit, pro Ariana hæreſi dici poterat?

Quid verò, inquam ego, gravius in fidem tantorum Virorum dici poterat? Seorſim pro Luthero hoc reſpondeo, mala fide Bellarminum agere & dictum ſecundum quid ut dictum ſimpliciter interpretari. Nam ſic ſonant verba B. Lutheri: *Quod ſi odit anima mea vocem Homouſios & nolim ea uti, non ero hæreticus.* Quis enim me coget uti, *modò rem teneam,* quæ in Concilio per Scripturas definita eſt? in confut. rationum Latomi T. 2. Op. Lat. f. 407. Quæ verba hoc inſinuant,

Luthe-

Lutherum non de re ſed de vocabulo agere, in quo negat verti cardinem fidei. Idque ut verum omninò eſt ſic reprehendi non meretur. Nam ejusmodi termini, locutiones & periphraſes, qualibus confeſſio fidei in Conciliis plerunque editur, non tam ad ipſum eſſe fidei quam ad benè eſſe ſpectant, ut dogmata fidei adverſus dolos & technas hæreticorum muniantur & ſenſus atque explicatio dogmatum ſive illuſtrior ſive facilior efficiatur. Si quis jam per mentis imbecillitatem vim & ſenſum termini adſequi nequeat, & proinde admittere ipſum renuat, metuens ne quid aliud eo ſignificetur quam quod fidei ſimplicitati congruit, is hæreticus non erit, poſito quod rem & fundamentum teneat. In re omninò idem eſt, Patri eſſe ὁμοούσιον, & eſſe verum ac naturalem Deum. Qui hoc poſterius de Filio & Spiritu Sancto firmiter credit, is tenet fundamentum, licet non calleat imò repudiet terminum ὁμοούσιος. Ariani non tam vocabulum quam rem ipſam repudiarunt. *Non verbum*, inquit S. Ambroſ. l.c. *ſed vim verbi fugiunt, quia nolunt Chriſtum verum eſſe Dei Filium.* E contra multi fuerunt Catholici, quibus, cum vim verbi crederent, verbum tamen diſplicuit. Memorat Rufinus l. 1. hiſt. Eccl. c.21. quod in Ariminenſi Synodo Orientales, callidi homines & verſuti, ſimplices & imperitos Occidentalium Sacerdotes circumvenerint, hoc modo proponendo eis: Quem magis colere & adorare vellent, Homouſion an Chriſtum? Illisque, inquit, virtutem verbi, quid ὁμοούσιον ſignificaret, ignorantibus, velut in faſtidium quoddam & exſecrationem ſermo deductus eſt, Chriſto ſe credere, non Homouſio, confirmantibus. Sic multorum (præter paucos, qui ſcientes prolapſi ſunt) animi decepti contra ea, quæ Patres apud Nicæam conſcripſerant, venientes, ὁμοούσιον quaſi ignotum & à Scripturis alienum ſermonem, auferri de fidei expoſitione decernunt. Hoc exemplum ipſe Bellar. allegat l. 2. de V. D. c. 10. 146. *De ejusmodi hominibus, qui vocabulo hoc ideò, quod non intelligant, uti nolunt, capi oportet verba Lutheri.* Non erunt illi ea de cauſa hæretici, quod ſint ingenio tardi vel plus cæteris ſcrupuloſi. Interim ſi qui hodie tales ſint, eos ad docendum ineptos & ſacris officiis admovendos minimè eſſe, ultrò largimur. Enimverò B. noſter Lutherus & terminum ac ſignificationem ejus probè intellexit & ſtrenuè eundem propugnavit in lib. de Concil. & Eccleſ. T.7. Jen. Germ. f. 243.

Pro Philippo hoc dico, ſententiam ipſius non è primis Locorum Communium editionibus ſed ex recognita & aucta, quæ anno ſuperioris Seculi XLIII. primùm prodiit, in quam poſtea inſignis Theologus Martinus Chemnitius eſt commentatus, æſtimandam eſſe. Ibi verò

de Filio nil tale extat, quod in ipso sit aliquid Divinæ naturæ sive aliqua Divina natura. Quamvis, si extaret omninò, oporteret ita intelligi, quod in ipso sit aliqua natura vel altera natura, quæ sit Divina. De Spiritu Sancto autem adhuc hodie ita apud eum legimus, quando mittitur, aliquid essentiæ Divinæ mitti. Sed in editione nova Polycarpi Leyseri ad marginem restrictio quæpiam reperitur addita p. 90. nempe: *Hæc phrasis non est ad imitationem trahenda: quia Spiritus S. non est propriè aliquid essentiæ Dei sed est ipse Deus & cum Patre & Filio unius & ejusdem essentiæ.* Quam restrictionem bonus ille Philippus, si adhuc in vivis esset, æquanimiter sine dubio ferret, qua semper erat modestia, & repeteret quod olim scripsit in fine Resp. de Controv. Stancari: *Subjicio & meipsum & omnia mea scripta — judicio omnium Ecclesiarum, quæ August. Confessionem amplectuntur.* Corp. Doctrinæ edit. Argent. quam nos sequimur p. 848. Obedientiam, quam Autor Divinæ Christi naturæ tribuit, non sanè fas est de humili obedientia, quæ cum subjectione conjuncta sit, intelligi: Nec verò hæc Autoris mens unquam fuit. Sed oportet accipi eo sensu quem indicant verba proximè seqq. mitiùs concepta: *Non est* tum, cum assumta caro pateretur, Divina natura *usa suâ potentiâ, non exseruit suas vires.* Et alias etiam apud profanos Scriptores verbum Obediendi vel Synonymum Obtemperandi non statim importat inferioritatem & subjectionem. Apud Terent. in Adelph. Dii obtemperare dicuntur hominibus i. e. in vota & preces hominum consentire, petitis annuere & rata habere. Sic enim ibi Æschylus Mitioni, Act. IV. Sc. V.

Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certè scio,
Quo vir melior multò es quam ego, obtemperaturos magis.

Sufficienter se porrò ipse Autor noster purgat Canone Theologico, quem ex Cyrillo citat: *Missio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ.* In dicta Resp. ad Controv. Stanc. p. 843. Nimirum sicut non omnis missio fit per imperium superioris, nec per consilium prudentioris, sed mittitur interdum æqualis ab æquali per consensum: non absimili ratione potest quis dici *obedire alteri per consensum.* Ad quem modum S. Cyrillus ἐντολὴν h. e. mandatum, quod se Christus dicit accepisse à Patre *Joh. X, 18.* est interpretatus l. 7. in Joh. c. 7. *Nihil enim,* inquit, *aliud mandatum hic dicitur, quam ea Filii, quæ ad Patrem est, concordia:* Nempe beneplacito Patris Filius mortem passus est. Hæc ille. Dum scilicet Filius Patri mortem ejus decernenti (cujus decreti & ipse Filius autor) non fuit contrarius, imò dum sua sponte juri suo cessit, quo si voluisset uti, incarnationem pariter mortemque declinare potu-

potuisset, hoc ipso ex mente quidem Cyrilli dicitur Patri tanquam in mandatis hoc danti obsecutus, salva interim ejus cum Patre æqualitate. Hanc cùm Autor etiã noster toties manifestè adstruat, quid rei est, quod Ariana hæresis ipsi à Bellar. intentatur? posito, phrasin quam usurpat, utut dicto modo excusari possit, imitandam non esse (ego sanè, ut verũ fatear, eâ uti nolim) non tamen ob id Arianis favisse putandus est. Quàm longè ab hac hæresi abfuerit, docet articulus I. Aug. Conf. cujus ipse utique nec alius auctor: tum commentatio ejus in Symb. Nic. quæ in fine T. 1. habetur expressa: tum vel maximè præsens hic Aphorismus. Constat ex dictis Arianorum hæresi extremè opponi vocem ὁμοούσιος. Constat & illud ex Antiquitate, Arianos Filium, quem ante mundum conditum extitisse affirmabant, Patri tamen *coæternum* negasse, & sic ortum credidisse, ut aliquando non fuerit, ἦν πότεν, ajebant, ὅταν οὐκ ἦν, subintellige ὁ υἱός. Jam Autor noster in Aphoris. præsenti disertè de Patre, Filio & Spiritu S. profitetur, quod tres hi sint immensi, coæterni, ὁμοούσιοι. Quid clarius contra Arianam hæresin dici poterat? Sed de his satis.

Et ita hactenus duo enunciata sunt asserta, quibus mysterium Trinitatis contineri diximus: I. Deum verum unum tantùm, non plures esse. II. Non Patrem tantùm sed & Filium & Spiritum S. esse illum unum verum Deum.

Jam ad alteram accedendum Aphor. nostri partem, complectentem III. enunciatum, nempe: hos tres, Patrem, Filium & Spiritum S. esse Personas verè & realiter inter se distinctas. *Quod & ipsum vox ὁμοούσιος in se includit*, propriè significans unitatem cum distinctione unius ab alio, sive unitatem plurium, quorum unum est ab altero & ab illo recipit eandem essentiam. Planè uti Christus Divino artificio tum essentiæ unitatem, tùm personalem distinctionem exprimit de se & Patre dicens: *Ego & Pater unum sumus* Joh. X, 30. hanc enim τὸ *sumus*, illam τὸ *unum* innuit: sic *verbo eo* ὁμοούσιος *& personarum distinctio & naturæ unitas significatur*, inquit I.c. Ambrosius.

Constituenda autem primo omnium est definitio personæ huic articulo conveniens. Autor noster p. 298. talem nobis tradit: *Persona est substantia individua, intelligens & incommunicabilis.* Dicitur I. *Substantia* h.e. tale quid, quod per se subsistit; ut excludantur accidentia, quæ non per se subsistunt sed alteri inhærent, & hinc non sunt personæ. Dicitur II. *individua* sive singularis. Nam universalia, ut animal & homo, personæ non sunt. Quin adeò nec ipse Deus persona est, si accipiatur ut terminus communis, referens Persona quid?

quodammodo naturam univerſalis, ſive ut individuum Divinæ naturæ commune tribus ſuppoſitis. Licet enim vox Deus ſemper ſignificet ſubſtantiam ſingularem, non tamen ſupponit pro perſona, niſi ſubſtantiam illam ſingularem denotet in uno, qui eſt ſingularis, ſive in una individua ſubſiſtentia. Dicitur III. *intelligens*, qua particula diſtinguitur perſona, ut ſpecialius quid, à ſuppoſito, quod generalius eſt. Suppoſitum enim tàm de rebus intellectualibus quam rationis expertibus dicitur: Perſona autem de intellectualibus tantùm. Suppoſita ſunt, hic lapis, hoc aurum, hæc arbor, hic equus: Perſonæ autem non ſunt, quia intellectu carent. IV. Dicitur *incommunicabilis*: in quo differt perſona ab eſſentia Divina, quæ communicatur Filio & Spiritui Sancto, eſtque communis tribus perſonis. Hinc rurſum emergit illud, quod Deus præcisè ſumtus, &c, ut notat eſſentiam pluribus communem ac induit quaſi univerſale, non ſit perſona: quia ſic eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis; cum perſona ſit aliquid incommunicabile,

Antiquitùs ſatis tenuiter hac in re actum eſt. Narrat enim Boëthius, cum lecta eſſet epiſtola Concilii Chalcedonenſis, in qua dicitur, quod Chriſtus ſit una perſona, in illa una tamen perſona ſint diſtinctæ naturæ, interogaſſe ſe, quid diſcriminis ſit inter naturam & perſonam, & tum omnes clamaſſe de perſonis & natura, neminem tamen potuiſſe aſſignare, quid eſſet perſona. Nos ſic plenè deſcribendam putamus perſonam, quod ſit *intelligentis naturæ individua & ultimo ſubſiſtendi actu terminata ac completa ſubſtantia*. Qua definitione excluditur inſuper à ratione perſonæ humana Chriſti natura, quæ eſt ſubſtantia individua, intelligens & incommunicabilis, non autem per ſeipſam ultimò & immediatè ſubſiſtit, verùm ſubſtantiæ ultimum complementum accipit à λόγῳ. Quò etiam reſpexit Autor noſter in Exam. perſonam definiens, quod ſit ſubſiſtens, individuum, intelligens, incommunicabile, *non ſuſtentatum ab alio*. Græcè ὑφιςάμενον, item ὑπόςασις, & πρόσωπον dicitur.

Ambiguitas vocis ὑποςάσεως

Vox autem ὑποςάσεως ambigua eſt, & hinc lites olim in Eccleſia peperit. Sumitur enim interdum pro ſubſiſtentia aut pro ſubſiſtente: Sæpè etiam & à multis *pro ſubſtantia ſimpliciter*, ut hæc *idem* eſt *quod eſſentia*. Et quidem ſi pro ſubſiſtente & ſubſiſtentia ſumatur, rectè ſumitur, ut ſumi debet, vi derivationis. Nam dicitur ἀπὸ τοῦ ὑφιςάναι, à ſubſiſtendo; atque hinc idem notat, quod ſuppoſitum & perſona. Unde *Græci*, qui & Orientales dicuntur, orhodoxè confeſſi ſunt μίαν

οὐσίαν,

οὐσίαν, τρεῖς δὲ ὑποστάσεις, Unam essentiam, tres verò subsistentias sive personas. *Latini autem* sive Romani posteriore modo vocabulum hoc accipientes, prout οὐσίαν & substantiam significat, maluerunt unam hypstasin h. e. ut illi intellexerunt, unam substantiam & essentiam profiteri, ac tres personas. *Taceantur*, ait Hieron. ad Damasum Episc. Rom. scribens, *tres hypostases, si placet, & una teneatur.* Rationem hanc reddit: *Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi οὐσίαν novit.* Ep. 57. Augustinus, Hieronymo succinens, ubi Græcorum mentionem fecerat: *Nescio*, inquit, *quid volunt interesse inter usiam & hypostasin.* l. V. de Trin. c. 8 Idque ipsum de Romanis agnoscit etiam ex ipsis Græcis S. Gregor. Naz. *Ob linguæ*, inquiens, *illius angustiam verborumq; inopiam hypostasin ab essentia distinguere non possunt, eamq; ob causam in illius locum personarum induxerunt nomen.* Orat. XXXI. in laudem Athanasii, p. 533. B. Sed interim alteri alteros in crimen vocarunt: Græci Latinos, quasi hi dum unam hypostasin confiterentur, cum Sabellio sentirent, qui unam in Divinis personam esse asserebat trinominem; Latini vicissim Græcos, quasi illi tres hypostases confessi adstipularentur Ario, cui tres hypostases asserenti Synodus Sardicensis, decreta Nicenæ confirmans, A. Christi 351. hanc opposuit confessionem: μίαν εἶναι ὑπόστασιν, ἥν αὐτοὶ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος: Quæ epistolæ Synodicæ verba à Theodoreto annotata l. 2. Hist. c. 8. Latinis omninò ansam dare potuerunt, unam hypostasin, ut ab Ario sejungerentur, confitendi. Nihilominùs autem *cum Græcis sine dubio rectiùs tres hypostases dicimus, quàm cum Latinis unam*: quia ὑπόστασις propriè subsistentiam sive personam denotat. Eaque significatio vocabuli etiam est Biblica. Nam Ebr. I, 3. *Christus* dicitur *character* ὑποστάσεως *Patris* h. e. personæ illius. Non enim filius est Imago substantiæ seu essentiæ Patris, quippe quam unam eandemque cum ipso habet, sed personæ, ut id dicatur, talem eum personam esse, qualis est Pater, nempe divinam. *Nec Patres Sardicensis Synodi tres hypostases simpliciter negarunt, sed ex mente Arianorum intellectas, qui hypostasin accipiebant pro* οὐσία, & tres hypostases statuebant διαφόρους ac κεχωρισμένας h. e. naturâ inter se differentes ac separatas, uti l. d. tradit Theodoretus. Cum hac sententia nihil erat Græcis Patribus commune, uti nec Latinis quicquam cum Sabellii errore. Hoc cum utraque pars in Synodo Alexandrina circa annum Domini 361. leniter & humaniter coràm doceret alteram, præsidente Athanasio, cui

causa litis inter Græcos & Latinos.

tum Latinos tum Græcos percontanti, utrum vel illi Sabellium, vel hi sequerentur Arium? responsum uno ore est, se pariter utrinq; utrumque dogma exsecrari; inde apparuit, *litem omnem de vocabulis* fuisse, statimque ista controversia, suasore potissimum & autore Athanasio, quem hoc nomine justis encomiis laudat Gregorius Nazianzenus, est sublata; Latinis juxta cum personis hypostases sine contentione profitentibus, & Græcis unà cum hypostasibus etiam ad Latinorum imitationem πρόσωπα dicentibus, adeò, *ut nomina ista* ὑπόστασις & πρόσωπον *apud Græcos, persona & hypostasis vel subsistentia apud Latinos ceu* ἰσοδυναμοῦντα *inde perpetuò* habita sint ad nostram usque ætatem.

Laurentium Vallam, qui solita dicendi libertate Latinam vocem personæ de novo impetiit l. 6. Elegant. c. 34. dum asserebat, eâ denotari non substantiam sed qualitatem, quia una & eadem substantia dicatur plures gerere personas, quod maximè in Comœdiis videmus contingere; & huic ὁμόψυφον Servetum, quem non dispari ratione de vocabulo personæ lusisse Autor noster refert p. 298. nunc nil moramur. Etsi enim constet, personæ vocem ambiguam esse & interdum significare qualitatem, ut apud Cic. 2. de Orat. *Sustineo tres personas, meam, adversarii, judicis.* Item Philipp. *Tueri personam Principis magnum est in Republica.* sæpissimè tamen significat substantiam. Ita Valer. Max. l. 2. c. 21. quoslibet homines personas vocat. Et in Corp. Civili, quod latinissimum est, l. 1. ff. de statu hominum dicitur: *Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Cic. 2. de Orat. *Hominum innumerabiles personæ.* Vox igitur hæc est analoga. Primariò enim significat substantiam & reliqua in ordine ad illam. Nam etiam ille, qui in theatro agit personam, idcircò illam dicitur repræsentare, quia aliud verum suppositum innuitur. Similiter cum dicimus, eundem hominem multiplicem esse personam, ideò ita efferimus, quia ipse substantialiter est una persona, aliamque Principis vel fictam repræsentat. Non dubitamus itaque, personæ appellationem Deo tribuere, ut trinus est, sive ut est Pater, Filius & Spiritus. S.

Vocabulũ Personæ analogum.

Id lubentes fatemur, si Sacrosancti hujus mysterii ratio & modus inquiratur, nec nomen personæ nec quodvis aliud isti modo exprimendo aptum esse. Differentia enim multò maxima est inter personas huhumanas & Divinas. Nam *in humanis qualibet persona suam habet propriam essentiam individuam*, quæ alteri personæ nequit esse communis: quod si multiplicentur personæ, multiplicantur è vestigio essentiæ individuæ, & quot sunt personæ, tot sunt singulares essentiæ. At verò juxta fidem Catholicam, *in Deitate sunt tres personæ, quibus una*

Ratio & modus mysterii Trinitat. nullo apto vocabulo exprimi potest.

una individua substantialis essentia est communis. Quale quid in universo rerum creatarum ordine non licet animadvertere. Estque, ut hoc quoque statim adjiciamus, *causa hujus rei unicè sita in infinitate essentiæ divinæ.* Quemadmodum enim infinitas potentiæ divinæ est causa, cur fiant, quæ ad creaturas relata videntur impossibilia, cujusmodi sunt, excitare quid è nihilo aut è lapidibus filios: ita infinitas essentiæ Divinæ est causa, cur subsistant tres personæ in una essentia, quod relatum ad creaturas earumque existendi modum itidem apparet impossibile. Ex hoc fundamento, infinitate scilicet Divinæ essentiæ, dependet solutio plerarumq; omnium objectionum, quæ ex ratione desumuntur contra hoc mysterium. Æquè enim uti à potentia finita ad infinitam non licet argumentari & hanc ex illa restringere: ita nec à finita essentia licet argumentari ad infinitam. Illa una singularis & indivisa existens non potest esse in tribus personis, hoc ipso quod finita est. Itaque si dicitur: *Quot personæ, tot essentiæ*, vel, ubi una individua essentia substantialis, ibi una persona; agnosco, hoc quadrare in rem finitam. Probent verò adversarii, id quoque necessariò ita se habere de re infinita. Hoc profectò ex nullo principio luminis naturæ potest deduci. Quin ego contrà ex lumine naturæ fidem faciam, non ita se habere in re infinita. Nempe si de modo agendi potentiæ infinitæ verum est, quod tribui non possit potentiæ finitæ: quidni verum sit de modo subsistendi essentiæ infinitæ, quod talis modus non possit convenire essentiæ finitæ? Si, inquam, potentia infinita aliter operatur quam finita, modo scil. longè remotissimo à communi modo operandi finitæ potentiæ: essentia igitur infinita aliter quoque poterit subsistere quam finita. Huc respiciens *Augustinus*: *Ista*, ait, *non usitato modo intelliguntur in Deo, qui potens est facere, sicut dicit Apostolus, suprà quam petimus & intelligimus: Si autem facere, quantò magis esse?* ep. 174. T. 2. 782. Interim loquimur ut possumus, utut mysterium ipsum, prout in se est, eloqui nullo termino possimus: cumque Pater, Filius & Spiritus S. dicantur tres in Scripturis, interrogati, quid tres illi? dicimus, tria esse supposita aut tres personas, licet longe diversissima ratio sit personarum in Divinis quam in humanis. *Cum quæritur*, ait rursum Augustinus, *quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium: dictum est tamen, tres personæ, non ut illud diceretur sed ne taceretur.* l. V. de Trin. c. IX. Præcipuè autem tres illos, Patrem, Filium & Spiritum S. ideò personas indigitamus, ne quis diversa tantùm nomina hæc esse aut diversas in uno Deo virtutes autumet, nedum tres distinctos Deos, sed tres verè subsistentes in una Deitate intelligat, qui ita sint unus ille verus Deus, ut tamen inter se sint revera distincti, & alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus S.

De Personalitate Patris & Filii.

De Patris subsistentia quidem perinde, ut de ipsius Deitate, nemo dubitat. Quare nec probatione indiget. Filium autem personam esse sufficienter declarat ipsius Incarnatio, Nativitas, Opera, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensio, qualia non nisi personæ competere posse in aprico est. Eundem verò ἄσαρκον adhuc personam fuisse, negarunt olim *Samosateniani sive Pauliani*, à Paulo Samosatensi Episcopo Antiocheno dicti, contendentes, Filium ex quo è Maria natus est primùm cœpisse, Aug. de hær. c. 44. nec ante nativitaté humanam fuisse in hypostasi sive ἐνυπόστατον Epiph. hæres. 65. p. 199. & Λόγον Joh. I. non significare personam verè subsistentem, sed tantùm deliberationem & conceptum in mente Patris, sive decretum quoddam de creatione & redemtione nostra: inde dicti Ἀνυπόστατοι, quod ὑπόστασιν filii auferrent. Eundem errorem superiore seculo renovavit Servetus, Λόγον Joh. I. itidem interpretatus non personam, sed cogitationem sive propositum Patris, ut est apud Autor. nostrum p. 303. Nos contrarium probamus ex illis prædicatis, quæ tribuuntur Λόγῳ sive Verbo Divino Joh. I. Neque enim dubium esse potest, quin persona sit, & eadem quidem cum Filio Dei nondum incarnato, is *qui erat in principio Deus*: qui est *factor omnium*: quique *ipse caro factus est, cum à seculo esset unigenitus à Patre*: quæ & complura alia de verbo illo dicuntur l. c.

De Personalitate Spiritus S.

Hodie Spiritus Sancti potissimùm hypostasis oppugnatur à Socinianis, Faustum Socinum secutis, qui Tr. de Deo, Christo & Spiritu S. p. 4. & 5. *Spiritus*, ait, *Sanctus virtus est atq; efficacia Dei — Sed non est propterea Dei virtus & efficacia persona aliqua Divina; sicut nec Dei bonitas aut justitia aut misericordia aut judicium aliiq; Dei vel effectus vel proprietates sunt persona aliqua Divina: alioqui multò plures etiam quam tres eas esse oporteret.* Nobis itaque incumbit certis argumentis ostendere, Spiritum S. non esse virtutem Dei propria personalitate destitutam sed veram personam Divinam per se subsistentem. Primum autem argumentum hoc sit: *Omne suppositum intelligens est persona*: Sic enim & plenissimè & simul brevissimè persona potest definiri, nec quicquam ad rationem personæ est requisitum, quod in supposito intelligente non contineatur. At *Spiritus S. est* suppositum intelligens. *Suppositum*, quia παράκλητος est, Joh. XIV. XV. XVI. quæ vox nudæ virtuti tribui non potest, sed suppositum arguit. Licet enim Scriptura dicat, etiam virgam & pedum Dei nos consolari Ps. XXIII, 4. non tamen dicit, quod baculum illud Divinum sit ipse παράκλητος. *Intelligens*, quatenus est Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ, Esa. XI, 2. Eph.

Eph. I, 17. ac libera instructus voluntate, distribuens dona sua prout vult 1. Cor. XII, 11. quæ libertas voluntatis præsupponit intellectum. Ergò Spiritus S. est persona. Secundum argumentū petimus *ex forma baptismi*: In cujus nomine quid peragitur, is est persona, non nuda virtus aut attributum quoddam: nec enim ullus loquendi modus fert ut in nomine rerum illarum, quæ personæ non sunt, quicquam dicamur facere. At in nomine Spiritus Sancti baptizamur, æquè ut in nomine Patris & Filii. Ergò Spiritus S. est persona, æquè ut Pater & Filius. Pro ulteriore confirmatione hoc notetur, quod Spiritus S. in hac forma baptismi postponitur Filio, quem non nisi pro creatura habent Sociniani. Absurdum verò esset, in forma tam solenni virtutem Dei, quæ essentialiter est ipse summus & æternus Deus, postponi creaturæ. Tertiò urgemus *apparitionem* in specie Ignis aut flammæ Act. II. Columbæ Matth. 3. quæ apparitio εἴδει σωματικῷ facta legitur Luc. III, 22. Jam quis unquam audivit, quod nuda & propriæ personalitatis expers virtus Dei sive attributum essentiale, ut bonitas, justitia, misericordia, corporali specie assumta descenderit & apparuerit? In personam hoc cadit, non in virtutem. Quartò firmum itidem argumentum depromimus ex *1. Joh. V, 7. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlis: Pater, Verbum & Spiritus Sanctus & hi tres unum sunt.* Hinc colligimus: Qui numerum facit cum personis, is ipse est persona: Neque enim quispiam ferret dicentem: Tres hodie mecum fuerunt, Petrus & Paulus & virtus aut eruditio Petri; exploderetur ab omnibus qui numerum tam absurdè iniret. *Atqui Spiritus S. facit numerum cum personis*, nempe cum Patre & cum Verbo h. e. Filio, juxa quos ipse tertius est. Ergò & ipse est persona. Profectò stante hoc dicto Apostolico (quod quidem manus falsarias Arianorum passum est, sed tamen apud antiquiores Patres, Cyprianum libro de Vnitate Ecclesiæ, olim de Simplicitate Prælatorum inscripto, n. 5. Athanasium T. 2. 399. A. & in multis antiquis Codicibus reperitur, utque in textu legatur, series ejus atque connexio postulat:) Hoc igitur, inquam, dicto adhuc stante non potest Spiritus S. pro nuda Patris virtute haberi. Nam persona quæ testatur, & virtus per quam testatur est unus testis. Non potest igitur Spiritus, si virtus tantum Dei esset, ut testis tertius primo & secundo jungi. Quam absonum enim est dicere, Deum Patrem & virtutem ejus esse duos mundi creatores, tam absurdum est asserere, Deum Patrem & virtutem ejus esse duos testantes in cœlo.

TESTIMONIA QVÆDAM VETERVM.

De Divinitate Christi.

JEsus Christus ante Secula genitus fuit apud Patrem, Deus verbum, unigenitus Filius. *S. Ignatius epist. ad Magnesianos.*

Christum προϋπάρχειν πρὸ τῶν αἰώνων, Θεὸν ὄντα. *Justinus Mart. Dial. cum Tryphone.*

Non desipimus, ô Græci! neque nugas vobis narramus, Deum sub hominis forma natum pronunciantes. *Tatianus lib. contra Gent.*

Neque Dominus, neque Spiritus S. neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus. *Irenæus lib.* 3. *cap.* 6.

Hunc ex Deo prolatum dicimus & prolatione generatum & idcircò Filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ. *Tertull. Apologet. cap.* 21.

Gustate & videte! Quod Christus est Deus, fides introducet, experientia docebit, Scriptura instituet. *Clemens Alexandr. Orat. Exhortat. ad Gentes.*

Divinitas Christi non subjacet exordio. *Origines Homil. in Lucam.*

De Divinitate Spiritus S.

TVm Patrem & Filium, qui ab eo venit, & nos hæc docuit — tum Spiritum illum Propheticum colimus & adoramus. — Vnde Deum quidem solum adoramus. *Justinus Mart. Apol. II.*

Filium & Spiritum S. consortes esse substantiæ Patris. *Tertull. adversus Praxean cap.* 3.

Non deest unquam Patri Filius, nec Filio Spiritus; sed immutabilis & inalterabilis semper est una eademque Trinitas. *Gregor. Neocæsar. in Confess. quæ in Syn. V. Oecumen. habetur.*

Ejusdem naturæ est cum Patre, & à Filio Divinitate non differt. *Didymus Alexandr. lib. I. de Spiritu S.*



ITa ergò patet, hos tres, Patrem Filium & Spiritum Sanctum esse verè subsistentes sive quemlibet horum esse personam per se ultimò subsistentem. Verùm diximus anteà, hos tres verè quoque & realiter esse inter se distinctos, ita ut alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus S. Hoc olim negarunt hæretici nonnulli, *Patripassiani* dicti inde, quod confusionem trium personarum introducentes Patrem quoq; passum dicerent, admittentes quidem, Patrem esse personam Divinam & Filium talem personam esse, nec minus Spiritum S. sed unam tantùm, non distinctas personas, sic, ut eadem persona quæ est Pater sit Filius & Spiritus S. & hæc non nisi tria nomina sint unius personæ: sicut cum audio, Marcus Tullius Cicero, sub tribus nominibus unam personam intelligo. Hæresin istam Seculo III. primus in Ecclesiam invexit *Praxeas*, quòd non caperet, quomodo cum unitate essentiæ consistere possit Trinitas personarum, sive ut Judæorum palato doctrinam Christianam aptaret. Non quidem Christo aut Spiritui S. divinitatem abrogavit, nec personalitatem etiam Filii aut Spiritus Sancti inficiatus est, sed distinctionem personarum sustulit & unam ex his tribus personam constituit trinominem. Hunc Tertullianus peculiari libro refutavit, ex quo, quid prisca Ecclesia de Trinitate crediderit & professa fuerit, apertè cognoscere licet. Praxean secutus deinde est *Noëtus*, quem Theodoretus Smyrnæum dicit, Epiphanius Ephesium, & hanc ejus à Presbyteris reprehensi vocem atque excusationem profert: Τί κακὸν πεποίηκα; ἕνα Θεὸν δοξάζω, ἕνα ἐπίσταμαι καὶ οὐκ ἄλλον πλὴν αὐτοῦ, γεννηθέντα, πεπονθότα, ἀποθανόντα. *Quid mali feci? Unum Deum glorifico, unum novi, &, præter eum nullum alium, natum, passum, mortuum.* Noëto discipulum dat Philastrius *Sabellium* (cujus jam suprà meminimus) Pentapolitanum, cujus errores, quos à Noëto & Praxea hauserat, in hunc modum exponit Theodoretus: *Dicit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam esse personam, quæ tria habeat nomina, & eundem aliquando vocat ut Patrem, aliquando ut Filium, aliquando autē ut Spiritum Sanctum: & in Veteri quidem Testam. ut Patrem tulisse legem; sed in Novo, ut Filium, hominem esse factum, & ut Spiritum Sanctum, ad Apostolos venisse.* Contra hos itaque ulterius demonstrandum, Patrem,

Realem Personarũ Divinarũ distinctionem negantes.

trem, Filium & Spiritum S. revera inter se distingui, ut Pater alius sit à Filio, & ab utroque alius Spiritus S. Demonstratur autem id iisdem ferè Scripturæ locis, quibus personalitatem Spiritus S. modò probatam dedimus. Et I. quidem *ex baptismo Christi*, ubi manifestò alius est Filius, qui baptizatur: alius Spiritus Sanctus, qui in specie columbæ descendens super Christo requiescit, alius Pater cœlitus testans hunc suum esse Filium. II. *Ex institutione nostri baptismi*, ubi, quod in nomine, non in nominibus baptizari jubemur, unitatem indicat essentiæ: quod verò in Patris *&* Filii *&* Spiritus S. nomine, addita bis copulativa particula, id fieri præcipitur, subsistentiam trium notat, cùm de uno supposito ita loqui non possimus sine ταυτολογία, qualis videlicet foret, si epistolæ Ciceronis à Marco *&* Tullio *&* Cicerone scriptæ dicerentur. III. Cumprimis etiam ex illo loco 1 Joh. V, 7. ubi luculentissimè *tres* dicuntur *testificantes, Pater, Verbum, & Spiritus S.* Si tres, non igitur una persona. IV. Denique ex eo, quod ipsa Scriptura ad literam dicit Patrem alium à Filio, Joh. V, 31. Si ego testor de meipso, inquit Christus, testimonium meum non est firmum: *alius* est qui testatur de me: nempe, qui misit me, *Pater*, ut mox sequitur v. 37. Similiter Spiritum S. vocat alium à Filio. Sic enim rursus Christus Joh. XIV, 16. Ego, inquit, rogabo Patrem & *alium Paracletum* dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, Spiritum nempe veritatis. Ubi autem alius atque alius est, ibi vera utique & realis est distinctio ac minimè una persona. Nam de una persona non rectè diceremus: Alius est Marcus, alius Tullius, alius Cicero. Notabis hîc verò, Patrem, Filium & Spiritum S. dici alium & alium atque alium: non aliud & aliud atque aliud. Quod Gregorius Naz. sic effert: *In Trinitate alius & alius est*, ne personas confundamus: *non tamen est aliud & aliud*, quoniam tria illa quoad Deitatem unum & idem sunt. ep. ad Cledonium seu Orat. LI. Utraque assertio ex Scripturis patet, in quibus habetur & quod Pater sit alius à Filio, ceu ostensum; & quod Pater ac Filius unum sint Joh. X, 30. Confer 1. Joh. V, 7. Unum scil. in essentia & sic non aliud atque aliud: sed tamen alius & alius in persona. Si objicias, non rectè etiam dici alium & alium, cum Scriptura disertè testetur, quod *non sit alius in Deitate præter unum* Deut. IV, 35. XXXII, 39. Esa. XLV, 21, 22. Resp. id ita intelligi, quod non sit alius præter unum Deus: est interim in una simplicissima Deitate Filius alius à Patre h. e. alia à Patre persona. Hæc duo autem multum differunt: alius Deus & alia persona. *Rectè* & secundùm Scripturam dicimus: *Filius est alius à Patre*, intelligendo aliam personam. *Non* autem dicimus: *Filius est alius à Patre Deus*, quia per hanc additionem vocis *Deus* diversitas natu-

Ea probatur.

naturæ ſignificatur. Huc ſpectat illud Auguſtini: *Una eſt Patris & Filii & Spiritus S. eſſentia, in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. quamvis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.* l. de Fide ad Petrum, c. 1.

Quid verò impedit, quò minùs hoc quoque argumentum pro diſtinctione perſonarum in Divinis addamus: Qui ab alio producitur, neceſſariò ab eo diſtinguitur realiter. Sed Filius producitur à Patre & Spiritus S. ab utroque. Ergò inter ſe realiter diſtinguuntur.

Et hoc ipſum ſanè præcipuum eſt, quin unicum *fundamentum diſtinctionis perſonarum in Divinis, quod una perſona ab altera emanat ſive originem ducit*: quæ origo ſtatim etiam diſtinctas importat notiones, relationes atq; proprietates. *Notiones*, quarum videlicet ratione perſonæ Divinæ innoteſcunt & una ab altera dignoſcitur, numerantur quinque: I. ἀγεννησία ſeu Innaſcibilitas, quæ Patri tribuitur, eſtque nihil aliud quam negatio originis. II. Paternitas. III. Spiratio activa. IV. Filiatio. V. Spiratio paſſiva ſeu ſpecialiter ſic dicta Proceſſio. *Relationes* quatuor: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio paſſiva. *Proprietates* ſaltem tres: Paternitas, Filiatio & Spiratio paſſiva ſive Proceſſio. Quoniam enim ἀγεννησία, quæ inter notiones prima eſt, Patrem non ſatis diſtinctè facit innoteſcere, quippe qui Pater dicitur, non quod ipſe à nullo ſed quod alius ab ipſo ſit: quoniam inſuper Spiratio activa, quæ & notionibus & relationibus annumeratur, non ſoli Patri ſed & Filio competit; hinc ex quinque illis notionibus & quatuor relationibus non niſi tres emergunt proprietates ſive notæ genuinæ & characteres ſeu τρόποι ὑπάρξεως, quibus, propriè & accuratè loquendo, conſtituuntur & diſcriminantur perſonæ. *Eſſentia* ſignificatur in Divinis *ut Quid*: *perſona, ut Quis*: *proprietas, ut Quo.* v. g. Si quæras: Quid eſt Pater? dico, eſt Deus, quod formaliter eſt nomen eſſentiæ. Quis eſt? eſt perſona in ordine prima. Quo eſt? Paternitate eſt, hac enim conſtituitur Pater. Sic conſequenter Flius Filiatione eſt & conſtituitur: & Spiritus S. Spiratione paſſiva ſive proceſſione. His tribus ergò proprietatibus etiam diſtingui dicimus tres perſonas. Idem enim quod conſtitutivum eſt, eſt etiam diſtinctivum. Ipſum autem primum tum iſtarum proprietatum, tum, quæ ſecundum eas aſſignatur, diſtinctionis perſonarum fundamentum, eſt, ut dixi, in origine, quam in æternitate ineffabili una perſona tribuit, altera trahit. Ita v. g. Paternitas fundatur in generatione activa, quæ generatio dicitur Origo, item Actus notionalis. In univerſum *Origines in Divinis* ſunt quatuor: *duæ activæ, duæ paſſivæ. Activæ* ſunt,

De Notionibus, Relationibus & Proprietatibus Divinis.

quæ efferuntur verbis activis, ut *Generare & Spirare*, dum dico: Pater generat, Pater & Filius spirant. Dicuntur aliàs *Actus notionales*: Ab aliis *Opera ad intra* dicuntur, sed minus congruè: *propriè enim illa tantùm, quæ extra essentiam suam in creaturis Deus operatur, dicuntur opera. Quæ verò intra essentiam agit, rectiùs actus dicuntur quam opera: imò nec actus sunt in rigore, quia sine motu & mutatione fiunt*, uti pleniùs dicemus in seqq. *Passivæ Origines* sunt, quæ verbis passivis efferuntur, ut *Generari & Spirari*. Intellige ergò passionem non Physicam, sed, ut Scholastici loquuntur, *Grammaticalem*, qua fit, ut de Filio & Spiritu S. dicamus in forma passiva; Filius gneratur, Spiritus S. spiratur. Hæ adeò Origines sunt fundamentum proprietatum personalium, & per consequens, distinctionis personarum, quam per proprietates diximus fieri.

Porrò *dicimus personas* proprietatibus illis verè ac *realiter distingui inter se. Inter se*, inquam, vi proprietatum realiter distinguuntur personæ. Qualis enim est distinctio illarum proprietatum, talis quoque est distinctio ipsarum personarum. At proprietates realiter distinguuntur inter se: Paternitas nempe à Filiatione, & Paternitas ac Filiatio conjunctim sumtæ à Processione. Ergò. Quò pertinet, quod diximus esse in Deitate personaliter ἄλλον & ἄλλον. Jam quicunq; distinguuntur ut ἄλλος & ἄλλος, illi inter se sunt realiter distincti. At personæ Deitatis distinguuntur ut ἄλλος & ἄλλος. Ergò inter se realiter sunt distinctæ.

Haudquaquam verò distinguuntur personæ *ab ipsa essentia realiter*, sed potiùs identificantur cum ea & in re idem sunt quod essentia. Etenim I. Quæ de se invicem verè prædicari possunt, illa realiter non differunt. Atqui essentia & personæ de se invicem verè prædicari possunt. Dico enim; Tres personæ sunt una essentia. Et, una Divina essentia sunt tres personæ: ac seorsim de Patre, Pater est essentia Divina, & inverso quoque modo, Essentia Divina est Pater. Ergò essentia & personæ Divinæ non differunt realiter. II. Vel maximè huc pertinet receptum axioma Theologicum: *In Divinis omnia sunt Unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui inter essentiam & personas v. g. inter essentiam Divinam & Patrem nulla est oppositio relativa; qualis aliàs est inter Patrem & Filium. Ergò essentia & personæ unum sunt, nempe realiter.

Unde simul patet *differentia inter Attributa Dei & Personas Divinas.* Attributa, ut superiùs exposuimus, nec ab essentia nec inter se differunt realiter. *Personæ autem ab essentia quidem realiter non distin-*

guuntur, sed tamen inter se. Hoc facit oppositio relativa, quam habent inter se personæ Divinæ: quam non habent inter se attributa Divina. Ubicunque in Divinis illa oppositio occurrit, ibi est discrimen reale. Ubi autem talis oppositio abest, ibi nec discrimen reale intercedit. Hinc igitur nec attributa inter se, nec personæ ab essentia differunt realiter.

Distinguuntur tamen personæ *ab essentia* τῷ λόγῳ *seu ratione*, quod sic demonstratur: Quæ de se invicem affirmari sine contradictione possunt, & tamē contradicentia habent prædicata, illa distinguuntur λόγῳ. Jam verò essentia & personæ de se invicem affirmari sine contradictione possunt, velut ostensum est; ac nihilominùs invicem contradicentia habent prædicata: Essentia enim dicitur communicabilis, persona non communicabilis; essentia non dicitur ad aliud, unaquælibet autem persona dicitur ad alteram, nempe Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus S. ad utrumque ceu Spiratorem. Ergò personæ & essentia distinguuntur λόγῳ seu ratione. Et quidēm *non* ratione, ut vocant, *ratiocinante* distinguuntur, cujusmodi distinctio à nuda intellectûs operatione pendet: *sed* ratione *ratiocinata*, seu ita ut occasio distinguendi, qua ratio moveatur, & fundamentum aliquod distinctionis in reipsa inveniatur. Reipsa enim & præcisa omni mentis operatione essentia est communicabilis, persona incommunicabilis, essentia est quid absolutum, quælibet persona aliquid respectivum: Adeoq́ue ratio nostra inter hæc distinguit non pro lubitu suo sed necessariò, quia ad distinguendum movetur per fundamentum aliquod ex rē sumtum, dum scil. essentiam & personam, licet actu non discrepent, virtute tamen & eminenter distincta continere animadvertit. Unde distinctio illa personarum ab essentia *Virtualis* etiam usitatē dicitur.

Ex quibus omnibus hoc tandem colligitur, *discrimen personarum in Divinis oriri ex emanatione* seu processione *unius personæ ab altera, & positum esse in distinctis proprietatibus*, quas processiones illæ important.

Inde porrò fluit *Ordo personarum*: nempe uti una alteram vel cæteras producit, vel ab altera aut cæteris originem accipit, ita vel prænumeratur vel postnumeratur. Pater itaque est prima persona, quippe à nullo alio habens originem: Altera, Filius à Patre genitus: Tertia, Spiritus S. procedens ab utroque. Primo, inquam, loco inter personas numeratur Pater, tanquam origo cæterarum & producens tantùm: secundo Filius, qui est producens, in respectu ad Spiritum S. simul tamen etiam productus, per generationem à Patre: tertio Spiritus S. qui est productus tantùm, non producens. Cæteroqui omnibus tribus una est Divinitas, æqualis gloria & coæterna majestas. De Ordine Personarum Divinarum.

Sed

Sed & hoc ex dictis intelligere eſt, *diſcrimen perſonarum, ſtrictè loquendo, omne eſſe ad intra.* Proprietates enim illæ tres, Paternitas, Filiatio, Proceſſio, quibus perſonas ab invicem diſcerni pronunciavimus; & Origines tam activæ quam paſſivæ, ſuper quibus proprietates illæ fundantur, ſunt interni quid. Ad innuendum hoc internum diſcrimen vulgò dicitur: *Opera Trinitatis ad intra ſunt diviſa*, i. e. actus notionales, qui ſunt intra eſſentiam Divinam, ſeorſim uni perſonæ vel certè duabus competunt, & unam illam à cæteris vel duas ab una diſcernunt; omnibus autem tribus non ſunt communes. Terminus diviſionis videtur aliquantò incommodior. Nulla enim inter Patrem generantem & Filium genitum, ſicut nec inter Spiritum & Patrem ac Filium ſpirantes eſt diviſio, ſed intima trium perſonarum περιχώρησις, ut Filius in Patre ſit & Pater in Filio, Joh. XIV, 10. 11. Interim ſenſus illius vulgati probus eſt, quod ſc. *actus notionales non ſint aſſignandi tribus perſonis in communi*, ſed peculiariter hic actus huic, alius alteri perſonæ, ad ſummum duabus, ne confuſio fiat perſonarum.

De Operibus Trinit. ad intra.

De ejusd. operibus ad extra.

Ad extra autem in iis nempe operibus, quæ in creaturis contingunt, extra eſſentiam Divinam, non ſolet Eccleſia diſcrimen perſonarum conſtituere. Quin, ut habet altera regula Theologica, *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*: h. e. quæ opera Divina ſunt *externa* tùm *inchoativè* tùm *terminativè*, tribus peroſonis ex æquo competunt, ut non liceat hoc opus huic, illud alteri perſonæ attribuere: ſed omnia ea opera omnibus perſonis in communi accepta ſunt referenda. Idque I. propter eſſentiæ unitatem, quia tres hi, Pater, Verbum & Spiritus S. unum ſunt; Ergò etiam in unum teſtimonium (quæ ſpecies eſt operis externi) conſpirant, uti colligit Apoſtolus 1. Joh. V, 7. II. propter potentiæ identitatem: Quia enim Pater & Filius unum ſunt ut eſſentia ita quoquc potentia, hinc cuſtodia ovium (quæ itidem opus externum eſt) utrique communiter adſcribitur Joh. X, 28. 29. 30. Et nominatis duabus perſonis circa hujusmodi opera, tertia quoque ſubintelligitur. III. propter operationis paritatem. Quæ enim facit Pater, ταῦτα eadem illa Filius etiam facit ὁμοίως eodem modo Joh. V, 19. ut ſit in operibus ταυτότης, in modo agendi ὁμοιότης. Nempe ut Pater omnia agit *virtute propria, voluntate liberrima & in ſui ipſius gloriam*: ſic pariter Filius omnia agit ut אל גבור *Deus fortis* Eſa. IX, 6. & ὁ παντοκράτωρ, Apoc. I, 8. virtute propria: nec non voluntate liberrima *quos vult vivificat* (quod iterum eſt opus ad extra) Joh. V, 21. eoque ſui ipſius gloriam manifeſtat, Joh. II, 11. *ut omnes honorent Filium*.

lium, sicut honorant Patrem, Joh. V, 23. Similiter & Spiritus S. non minùs quàm Pater efficit in fidelibus τὰ πάντα, 1. Cor. XII, 6. 11. & quidem virtute propria, ceu *Spiritus roboris & virtutis*, Esa. XI, 2. voluntate liberrima, καθὼς βούλεται, l. d. 1. Cor. XII, 11. & in sui ipsius gloriam, quippe qui est *Spiritus gloriæ*, 1. Petr. IV, 14. Interdum tamen (quod notandum) opus aliquod externum peculiariter adscribitur uni personæ, sed eo ipso nil derogatur cæteris. Principalissimum omnium externorum operum est Creatio: Hæc omnibus quidem personis est communis, Patri, Gen. I, 1. Filio, Ebr. I, 10. & Spiritui Sancto, Hiob. XXXIII, 4. Sed interim peculiariter Patri vindicatur in Symbolo Apostol. non ad excludendas reliquas personas à consortio hujus operis, sed vel ideò, quia Pater fons est & principium Deitatis, vel (quod magis placet) *quia Pater in hoc opere sese potissimùm manifestavit.* Potest etiam ratio hujus rei capi *ex appropriatione essentialium attributorum*, juxta quam opera potentiæ & providentiæ Patri, opera sapientiæ Filio, amoris ac bonitatis opera Spiritui S. præcipuè solent attribui. Jam potentia Divina maximè sese exseruit in Creatione. Hinc Pater peculiariter dicitur Creator. Nihilominùs reliquis personis idem opus competit, & secundùm illam etiam ὁμοιότητα, quam modo indicavimus. Quibus ita explicatis restat unicè, ut de singulis in specie personis adhuc paucula adjiciamus.

Horum aliquod interdũ peculiariter uni personæ tribuitur.

DE DEO PATRE.

OBservetur I. Nomen Patris in Scriptura dupliciter capi: *Notionaliter seu personaliter*, prout soli competit primæ personæ in respectu ad Filium unigenitum, quem sibi consubstantialem ab æterno intra essentiam Divinam produxit Pater æternus, qui idcircò dicitur sæpissimè in epistolis Apostolicis Pater Domini nostri Jesu Christi, Rom. XV, 6. 2. Cor. I, 3. XI, 31. Eph. III, 14. 1. Petr. I, 3. & *Essentialiter*, prout omnibus tribus personis ea apellatio est communis in respectu ad creaturas, quarum Pater est tota Sanctissima Trinitas extra suam essentiam in tempore ob creationem Malach. II, 10. & gratiosam adoptionem aliaque innumera beneficia ipsis præstita Deut. XXXII, 6. Esa. LXIII, 16. Matth VI, 8. 9. 2. Cor. VI, ult. 1. Petr. I. 17. Nam Pater, Filius & Spiritus S. est unus creator rerum omnium, ut toties jam dictum est. Et sicut per Patrem, ita per Filium quoque & Spiritum Sanctum adoptionem gratuitam ad æternam Filiorum Dei hæreditatem sumus consecuti. Unde Filius appellatur *Pater æternitatis*, quia

Vocis Patris homonymia.

æternitas ut pars beatitudinis fidelium ab ipso tanquam benigno parente pendet, Esa. IX, 6. & *Spiritus S. Pater* esse *fidelium* arguitur, quia regenerationis ipsorum autor est. Sunt enim nati ex Spiritu, mediante aqua, & hinc ab autore spiritualis nativitatis suæ ceu parente Sanctissimo denominantur *spiritus* seu spirituales, quemadmodum antè *caro* dicebantur à parentibus obnoxiis affectibus carnalibus, juxta illud Christi: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est*, Joh. III, 6.

Quæritur autem, utra significatio hujus vocabuli Deo principaliùs competat? Resp. breviter, *priorem illam notionalem acceptionem, secundùm quam Pater refertur ad Filium unigenitum, Deo principaliter & propriè competere*: respectu autem creaturarum saltem secundariò, impropriè ac per analogiam & similitudinem quampiam ipsum Patrem appellari. Idque evincit propria fundandi ratio. Ut aliquis propriè dicatur Pater, ad id sanè requiritur propriè dicta generatio, quippe quæ proximum fundamentum est Paternitatis. At dici non potest, Deum creaturas genuisse & Filios adoptivos, propriam & univocam intelligendo generationem. Hæc enim fit ex substantia gignentis. Creatio verò facta est ex nihilo. Adoptio per se excludit generationem propriè dictam. Filium autem coessentialem propriè genuit Pater, dum ex sua substantia eum produxit. Accedit, quod *hunc etiam genuit non liberè ut creaturas & Filios adoptivos, sed necessariò*, ut non potuerit non gignere; sponte id quidem & non invitè aut coactè, sed naturaliter tamen & ita ut generatio hæc non voluntatis sit, sicut illa Jac. I, 18. ubi Bezæ versio videatur, sed naturæ sive de intrinseca natura & perfectione æternæ essentiæ Divinæ, quam subsistere aliter impossibile est, nisi ut sit intra eam gignens & genitus, adeoque Pater & Filius. Ab hac ergò generatione, quæ est ab æterno intra essentiam Divinam, Deus propriè & principaliter denominatur Pater.

Pater Principium potest dici Filii & Spiritus Sancti.

II. Cum nomine Patris convenit vox Principii. *Principium autem in Divinis itidem dicitur dupliciter*: *Notionaliter* sive ad intra, quomodo Pater est principium reliquarum personarum; & *Essentialiter* sive ad extra, quo pacto omnes tres personæ sunt principium creaturarum. Neque tamen principii nomen notionaliter acceptum ita proprium est solius Patris, ut non etiam Filius sit principium Spiritus Sancti: Quare etiam Doctores nonnunquam melioris distinctionis gratia *Patrem vocant principium sine principio*, *Filium autem principium de principio*, quia oritur & procedit à Patre & unà cum ipso est principium notionale Spiritus Sancti.

Interim & Filius & Spiritus S. æquè ut Pater, carent principio essentiali, à quo in suo esse pendeant: imò ab ipsis essentialiter pendent creaturæ. Unde filius non minùs Ens primum est & principium omnium rerum creatarum quàm Pater: nec Spiritus S. minùs quàm Pater & Filius.

III. *Sicut Pater intra essentiam Divinam rectè dicitur principium reliquarum personarum, ita Causa earum dici aut personæ procedentes Principiata appellari non consueverunt.* Nomen causæ ideò huc non convenit, quia causa, definientibus Metaphysicis, est principium per se influens esse in aliud i.e. communicans alteri esse distinctum à suo esse. Ita Philippus Macedo dedit esse Alexandro M. non suum, sed aliud à suo distinctum. Jam Pater æternus est quidem principium influens esse in alium i. e. aliam personam, sed non in aliud h. e. non dat essentiam à sua essentia distinctam, sed eandem singularissimam essentiam, quam ipse habet, largitur Filio, & uterque eandem Spiritui Sancto. Unde hìc cessat ratio causæ & obtinet solummodo ratio principii. Sanè quidem *Græci Patrem frequenter vocant* αἰτίαν & αἴτιον; *nec tamen in stricta significatione causæ*, quatenus propriè dicit influxum in aliud, nempe in effectum (ipsi enim negant Filium esse factum & esse aliud quid à Patre) sed prout saltem dicit originem unius personæ ab alia. Hoc ipsis potest relinqui. Cæterum Latini Doctores à vocula Causæ semper abstinent & tantùm nomine Principii utuntur, idque sine dubio longè rectiùs: cum ad causam requiratur, ut esse peculiare producat & id alteri comunicet, id quod minimè obtinet in Divinis; ad principium autem sufficiat, ut det esse, sive illud idem sit sive aliud & diversum. *Principium itaq; in sua latitudine excedit limites causæ*, importans solùm ordinem aliquem & processionem, atque sic magis commune est & abstractum à re naturali. *Quanto autem aliquod nomen est communius, tantò convenientius assumitur in Divinis: quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ*, ut optimè ait Thom. p. I. q. 33. a. I. Terminus *Principiati* ideò in Divinis exulat, quia vergere videtur ad minus quoddam & inferius. Equidem principium omne dicitur respectu principiati. Si igitur Pater est principium Filii & Spiritus Sancti, & hi ab ipso sunt ut à principio, consequenter erunt principiati, vi relatorum. Atque hinc rursum Græci eos αἰτιατοὺς expressè vocant. Veruntamen quia Latina Ecclesia hunc quoque loquendi modum veluti incommodiorem refugere constanter est solita, nos pariter eum lubentes facimus missum, *ut vitetur omnis erroris occasio*, dicente iterum Thoma l. c. Posset enim quis per principiatum facilè intelligere aliquid factum aut certè non æternum. Hæc de Patre notanda veniunt.

Sed non causa eorum.

DE FILIO.

OBſerventur tria nomina, quæ ipſi in præſente Aphoriſmo tribuuntur eorumq́ ſignificatio. Appellatur enim I. Filius. II. Λόγος & III. Imago æterni Patris. Ad hæc tria nomina poſſunt referri omnia, quæ porrò de ſecunda perſona conſiderationem ſingularem merentur.

Secunda Divinitatis perſona vocatur I. Filius Dei.

Quod I. attinet nomen Filii, illud ideò alteri perſonæ tribuitur, quia eſt genita à Patre. Hoc ſenſu nomen illud unà cum re illo nomine ſignificata & in V. & in N. Teſtam. legitur expreſſum. In V. locus illuſtris eſt *Pſ. II, 7.* ubi Pater Filium affatus: *Filius*, inquit, *meus es tu. Ego hodiè genui te.* Hunc Pſalmum de Chriſto loqui, patet per ſingulas ejus partes. Initium legitur impletum Act. IV, 25. Medium, quod poſitum eſt in his ipſis citatis verbis, Filius meus es tu, Chriſto accommodatur Act. XIII, 33. Ebr. I, 4. 5. Finis, *Oſculamini Filium*, &, *Beati omnes qui confidunt in eo*, Chriſto itidem congruit. Hic ergò eſt Filius ille, cui Pater dicit ילדתיך genui te. Non ita verò ſimpliciter ipſi dicit, genui te, ſed, היום *hodie* genui te. היום propriè eſt dies hæc. Hoc verò loco non notat certum aliquem diem ſed nudam præſentiam, æternitatis indicem, in qua, ut Auguſtinus inquit, *nec prateritum quicquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantùm.* T. 8. *in enarr. hujus Pſ. Ubi enim dies nec heſterni fine inchoatur, nec initio craſtini terminatur, ſemper hodiernus eſt*, inquit idem T. 3. Enchir. ad Laur. c. 49. Talis ergò Filius hìc intelligitur, quem hodie i. e. in immutabili æternitate ſemper & perpetuò ſine ſucceſſione & innovatione ac fine Pater genuit. Nec ſine cauſa ad τὸ hodie additur *Genui*, in præterito, non Gigno, in præſenti, ùt ſignificetur, quamvis generatio illa æterna Filii ſemper hodieque ſit ſemperque futura ſit, non minus tamen perfectam eſſe, quàm ea, quæ apud nos non ſunt ampliùs ſed præteriere dudum. Generationis itaque actus eſt indeſinens, & hac ratione poteſt Filius Dei dici *ſemper naſci* citra imperfectionem; quemadmodum radii ſolares in natura ſemper & inceſſanter, nec imperfectè tamen, generantur & emanant. Quo ſenſu Auguſt. ſcripſit: *Semper gignit Pater & ſemper naſcitur Filius.* Ep. 174. p. 786. T. 2. Sed tamen, ut rectè monet Thomas, *melius eſt* (addo ego, & allegatis ipſius Patris æterni verbis convenientius) *quod dicatur ſemper natus, ut τὸ ſemper deſignet permanentiam æternitatis, & τὸ natus perfectionem geniti.* p. 1. q. 42. a. 2.

Miche-

Micheas de æterna hac Filii generatione verba faciens potissimùm exprimit carentiam termini à quo, dum c. V, 1. ait : *Egressiones ejus* sive nativitates ejus (In Ebr. מוצאת à Rad. יצא quæ ad nativitatem passim applicatur, v. g. Jud. VIII, 30. 1. Paral. II, 53.) *ante principium, ante dies seculi*, sc. sunt sive extiterunt. Ebræus textus habet: מקדם מימי עולם quod alii reddunt, ab initio, à diebus seculi. Sed præfixum מ additum nominibus temporum potius significat Ante, ut notat Glass. Phil. S. l. 4. tr. 1. Obs. 4. Hoc igitur vult dicere Propheta: eminentissimam & perfectissimam illius in Israële dominatoris generationem, quæ à nativitate in Bethlehem distincta, alia nisi Divina esse nequit & ob summam excellentiam suam in numero multitudinis effertur, quod more Ebræorum aliàs quoq; fit in vocibus אורים ותמים Exod. XXIIX, 30. חכמות Prov. I, 20. מעזים Dan. XI, 38. esse inde ab omni æternitate. Nam *quod est ante principium, ante dies seculi, id Scripturæ sensu æternum est*. Ita enim unius veri Dei æternitas describitur Esa. XLIII, 13. מיום Ante diem ego ipse i. e. antequam esset dies vel ullum tempus.

Atq; adeò habemus in V. etiamnum T. *Filium Dei* expresse nominatum: habemus etiam ibi ejus egressionem seu generationem à Patre, quæ cum nec creatio sit, fatentibus Photinianis, nec impropriè dicta nativitas seu adoptio, relinquitur, quod sit ex ipsa Divina essentia emanatio: à qua dum Micheas removet principium scil. temporis, Psalmista successionem & finem, hoc ipso eam æternam esse apertè dicunt.

In N. autem T. quid frequentius, quam Christum *Filium Dei* appellari? & quidem non ita nudè eo nomine venit, sicut alibi Angeli dicuntur Filii Dei Job. I, 6. XXXIIX, 7. & Magistratus, Psl. LXXXII, 6. & omnes credentes, Gal. III, 26. sed multò significantius de eo Scriptura loquitur, quod sit *Filius ille* Dei vivi Matth. XVI, 16. nempe singularis ille & unicus Filius Dei. Unde & alibi *unigenitus* dicitur Joh. I, 14. 18. III, 16. i. e. naturalis: nam adoptivi multi sunt; & *proprius* Rom. VIII, 32. h. e. genitus ex substantia Patris. Alium enim Filium, servato plano verborum sensu & sermonis proprietate spectata, haud fas est intelligi.

Ac vel hinc peti potest argumentum pro Deitate Christi satis validum. Qui enim est proprius & unigenitus Filius Dei, is naturam & essentiam Dei Patris referat oportet, eritque adeò per naturam Deus: quemadmodum si quis diceret : Hic est proprius & unigenitus Filius Pauli, intelligeremus utique ejusdem naturæ participem filium ac verum adeò & substantialem hominem. Ubi hoc probè perpenderetur, nos non à solo nomine Filii, sed ab appellatione *unigeniti* & *proprii* argumen-

gumentari ad concludendam æternam Christi Deitatem; sic enim statim vis consequentiæ apparebit. Quin ipse Apostolus hoc præcipuè argumento utitur ad demonstrandam dignitatem imò divinitatem Christi Ebr. I, 5. *Nam cui* (quærit ibi) *dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu*? Negat Angelos unquam vocari Filios Dei; cùm tamen bis ea appellatio ipsis tribuatur apud Jobum: ac proinde intelligi vult Filium propriè dictum, qui sit Patri consubstantialis, non adoptivum & ὁμωνύμως dictum. Illo modo sanè Angeli nunquam dicti sunt nec dici possunt Filii Dei, sed solus Christus quà Deus isto nomine gaudet. Nempe quemadmodum perfecta & propria Divinæ Paternitatis ratio reperitur tantùm intra complexum indivisæ Deitatis ac in sola quidem prima persona: ita ratio Filiationis respectu Dei perfectissimè ac in gradu eminentissimo, quin propriè, reperitur tantùm intra eandem Deitatem inque sola altera persona. Fundamentum & hujus & illius est generatio: Paternitatis, activa; Filiationis, activa & passiva simul. Qualis generatio, talis Paternitas, talis Filiatio, & contrà. Generationem igitur illam nunc tandem dilucidiùs ut explicemus, res ipsa flagitat.

De Divina Generatione.

Strictè loquendo importat *generatio*, prout perfectissimo modo est in viventibus, *communicationem ejusdem essentiæ*. Et hujusmodi communicatio est de ratione intrinseca & formali generationis propriissimè dictæ, quam univocam aliàs vocant, ut cum homo hominem generat, equus equum. Sin latius accepto vocabulo æquivocam simul velis inclusam, qualis est, cum sol muscas & ranas generat, tum de ratione generationis simpliciter est, *dare esse & accipere esse*; modo intelligatur, Esse illud dari & capi non è nihilo: nam talem productionem Philosophia naturalis ignorat.

Jam applicando hæc ad supernaturalem generationem, quam Sancta Theologia proponit, habetur ibi id, quod importatur in termino cùm latè tùm strictè accepto. Pater enim in Divinis dat esse Filio: Filius esse à Patre accipit: imò communicatur Filio à Patre eadem essentia, id quod maximè propriam & perfectam generationem arguit. Cùm ergò id, quod formaliter importatur in termino Generationis, Deo conveniat, nullum est dubium, Generationem Filii à Patre in Divinis esse veram ac minimè metaphoricam generationem. Quæ præter dictam rationem formalem reperiuntur in generatione humana & naturali, ea defectum ac imperfectionem involvunt & proinde ad statum creaturæ pertinent, neque adeò Generationi Divinæ leges naturæ longissimè excedenti debent applicari.

Sunt

Sunt nimirum *quædam, quæ generationem humanam in natura antecedunt*: quædam, *quæ eam proximè consequuntur*: aliquid verò est, *quod eam intrinsecè constituit.* Antecedit eam tempus, quo nondum fuerit id quod est genitum; & in tempore motus contrarius agentis & patientis, dispositio item materiæ & deductio potentiæ in actum: quod postremum mutationem secum vehit necessariò. Unde & generatio describitur in generali parte Physices, quod sit mutatio substantialis à non esse ad esse. Hæc verò omnia à Divina generatione sunt remotissima. Quippe hanc non antecessit tempus, quo Filius nondum fuerit, quoniam ea non in tempore fit sed in æternitate, in qua Filius *semper fuit, semper genitus est*, quorum illud τὸ esse Filii vel subsistere, hoc modum subsistendi dicit, qui ab essentia & subsistentia ipsius est inseparabilis. Unde *nec Filius Patre generante posterior* est nisi origine & ordine, non verò *tempore*: quomodo nec radii à Sole geniti sunt tempore posteriores Sole. Imò *nec naturâ* posterior est, quia licet Patrem habeat *principium* suæ productionis ad intra, non tamen principium illud est *effectivum*, communicans esse â suo distinctum; cujusmodi principium cum causa coincidit, quæ sanè naturâ prior est effectu: sed ratio causæ & effectûs hîc deficit, & hinc prioritas quoque ac posterioritas naturæ nulla hîc datur. Ambo igitur, Pater & Filius, ab omni æternitate subsistunt: Pater in hoc, quod generat; Filius in hoc, quod generatur.

Nec verò dum ille generat, hic generatur, cogitare debemus motum contrarium agentis & patientis. Passionem Physicam in naturam Divinam non cadere per se liquet. Sed nec nisi abusivè Actionis nomen huc trahitur. *Fit enim generatio in Divinis sine prævia actione per simplicem emanationem*, uti Sol emittit lumen non agendo aliquid & operosè efficiendo sed solùm spargendo illud de se; ita, ut in re ipsa generatio, quam vocant, activa nihil sit aliud quam Paternitas ad modum actionis significata.

Sed *& materiam hîc nullam requiras aut reperias, ex qua sufficienter disposita fiat generatio.* Nam esse Divinum respuit materiam, & quamvis Filius dicatur *natus ex Patre*, Symb. Nic. quin *ex ipsa Patris substantia genitus*, Symb. Athanas. & Ephes. non tamen indicatur materia sed fit potius ad excludendam materiam & ponendam ὁμουσίαν Patris & Filii, inprimis ad evitandum errorem Arii, qui Filium dicebat è nihilo ortum. Facile insuper intelligitur, *non opus hic esse deductione potentiæ in actum*, quæ excluditur hoc ipso, quod Filium Patri coæternum dicimus. Origo igitur ejus concipienda est talis, quæ nunquam non actualissimè fuerit & necessario, quamque non præcesserit negatio

aut

aut privatio. Demùm ergò *nec mutationi locus hic est*, quem habet saltem in iis viventibus, quorum vita procedit de potentia in actum, nempe in rebus à non esse ad esse promotis. Æterna autem ut semper & necessariò sunt, ita mutationis sunt expertia.

Ea *quæ consequuntur generationem Physicam humanam, sunt duo*: I. Assimilatio quæpiam inter generantem & generatum: generatus enim quoad naturam similis est generanti. II. Relativa distinctio inter utrumque: est enim impossibile idem à seipso generari. Hæc duo deprehenduntur sanè in divinis, sed cum discrimine tamen admodùm notabili. Est ibi similitudo naturæ inter Patrem & Filium: non verò solùm secundum speciem, ut in humanis & quibuslibet creatis univocè gignentibus, sed *secundum identitatem naturæ*, dum in eâdam individua essentia conveniunt Pater & Filius; cujusmodi assimilatio non datur in tota rerum natura. Omne quidem perfectè generans intendit producere sibi simile, quantum fieri potest. Sed finitæ causæ non possunt ulteriùs progredi quam ad ὁμοιουσίαν, nempe similitudinem speciei. Homo v. g. generat hominem eundem specie. In Deitate autem infinita resultat ex generatione talis similitudo, quæ sit simul identitas. *Propter hanc summam assimilationem generatio Divina perfectior etiam est & magis propriè talis, quam qualibet alia in natura.* Manifestum est enim quod generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati, & quantò hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior & perfectior est generatio. Hinc generatio univoca est perfectior quam non univoca. Illa ergò Divina, quæ plane ad ὁμουσίαν etiam & unitatem naturæ pervenit, est omnium perfectissima & maximè propria.

Dein verò super hac generatione fundatur etiam relatio & distinctio. Ita enim in Divinis est identitas, ut sit quoque distinctio. Scilicet alius est Pater in Divinis, alius Filius, qui ambo etiam relativè se invicem respiciunt. *Neq;* duo hæc, *Identitas & Distinctio in Divinis sibi adversantur* aut se mutuò tollunt. Nam Pater generans Filum generat eundem in substantia, alium in persona. Non generat Pater alium Deum, alioqui periret naturæ identitas & unitas, sed tamẽ alium generat qui est Deus, & sic retinetur Genitoris & Geniti distinctio. Distinctio, inquam, nullatenus autem divisio, quæ in humanis distinctionem comitatur, hìc obviat. Equidem inter homines Filius à Patre ita est distinctus, ut sit divisus etiam & extra illum: *Sed Deus Filius à Patre licet distinctus sit, divisus tamen nequaquam est, sed est in Patre & Pater in ipso. Unde generatio hac potest immanens dici.*

Ex quibus sic satis patet, quid de sublimi hoc mysterio sentiendum, quomodo de eo sobriè loquendum, quæve imperfectiones generationem physicam ac præcipuè humanam tum antecedentes tum consequentes sint à mystica illa, quam Scriptura proponit, removendæ. Dicto itaque modo *terminus Generationis priùs ab immersione defectuum physico generandi modo adhærentium repurgandus, ac tum, quod remanet formaliter importatum in termino, unicè & perfectissimè Deo tribuendum.* Id verò est, ut diximus, dare esse & accipere esse, universaliter loquendo (quò autem universaliùs sumuntur voces, eo commodiùs adhibentur in Divinis, ut itidem jam ante dictum est) vel, magis strictè loquendo, est communicatio ejusdem essentiæ. Quæ communicatio in Deitate est intima & arctissima, adeò, ut una prorsus & eadem individua essentia, quæ est in Patre, communicetur Filio per generationem producto.

Hinc porrò quædam Consectaria deducimus. I. Si eadem individua essentia, quæ in Patre est, communicatur per generationem Filio, *Ergò tota ipsi communicatur*, quandoquidem Divina essentia non solùm spiritualis sed planè infinita est. Proindeque omnis divisionis in partes incapax, cum divisionis causa sit materia & finitas rei. Nec Pater interim eâ exuitur aut essentia multiplicatur, sed una in ambobus est, in utroq; tota. Dixeris, hoc videri impossibile. Dixero vicissim, impossibile videri, ut eadem Divina essentia simul sit in omnibus locis & in singulis tota, citra sui multiplicationem vel divisionem; nec id tamen licet negare.

Πορίσματα doctrinæ de Generatione Divina.

II. Si una & eadem est in Patre & Filio essentia, *Filius igitur habebit, quicquid perfectionis habet Pater.* Nam essentia Divina hoc ipso, quod infinita est, omnes in se perfectiones continet. Filius itaque dum subsistit in una illa infinita essentia, habet communes cum Patre omnes perfectiones: cum non possit dari ulla perfectio, quæ non includatur in essentia Divina, quam essentiam Filius quoque totam habet. Propterea dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, Joh. XVI, 15. Usque adeò *Paternitatem quoq; habet Filius, non formaliter quidem & ut ordinatur ad actum generationis, sed materialiter tamen, quatenus cum essentia ipsa unum est.*

III. Si eadem simpliciter est utriusque essentia, *Ergò Filius propriè & in rigore non dependet à Patre.* Dependere enim est habere esse peculiare ab esse alterius quasi fluens. *Hoc est*, inquit Suarez, *propriè pendere in esse suo ab alio, habere scil. esse distinctum ab illo & participatum seu aliquo modo fluens ab esse illius.* Disp. Met. XII. sect. 2. n. 4. In Divinis autem esse unius personæ non fluit ab esse alterius, quia non sunt plura Esse, sed est unum Esse idque à Patre Filio communicatur.

Dependere quid?

Quare nulla hujus ab illo dependentia. Dixi autem propriè & in rigore: interdum enim τὸ dependere latiùs extenditur.

IV. Si eadem est essentia Patri & Filio, *Ergo nulla Patris præ Filio ἐξοχὴ, sed summa utriusq; æqualitas.* Filius tamen, inquies, accipit Esse à Patre, & hoc accipere ipsi commune est cum creaturis. Non est ergò æqualis Patri. Resp. *Accipere esse est quidem commune Filio cum creaturis, sed non secundum univocationem, verùm secundum similitudinem admodum remotam.* Ille enim accipit esse de substantia Patris: hæ è nihilo. Ille idem esse accipit, quod habet Pater, nam Pater dat ipsi esse suum idque non universale & specificum sed singulare: Creaturæ autem sunt aliæ ab ipsius essentia. Ille accipit esse ab æterno, hæ in tempore. Unde in his τὸ accipere conjunctum habet τὸ incipere sive novitatem essendi. Filius autem quanquam accepit esse à Patre, non tamen incepit esse, quia in eadem cum Patre Deitate ante mundum conditum substitit. Instas: sed nihil tamen Filius habet à se, omnia à Patre. Quomodo ergò æqualis Patri? Resp. Habet sanè omnia à Patre, sed ob id non redditur inæqualis Patri: imò hoc ipso æqualis est, quod habet omnia, quæ Pater, & habet ea *non voluntate Patris ut principio*, aut precariò, sed naturaliter & necessariò perque generationem & sic per naturam. Quare observandus hîc Canon, quem ponit Lucas Trelcatius: *Qui omnia habet & habet à natura, non à gratia, non est inferior eo à quo habet: inæqualitatis enim alterutra ratio tantùm dari potest.* Instit. L. C. p. 43. Photiniani ad incitas redacti non habent quo hæresin suam pallient, nisi hoc, quod Filius omnia acceperit à Patre: id verò lubentes admittimus sine detrimento æqualitatis ipsius; &, quod non aliter Deus sit quam communicatione Deitatis: id quod etiam largimur, sed totius Deitatis, non ex parte, sed ejusdem, non diversæ, sed naturæ, non dominii saltem Divini, sed ab æterno, non in tempore & per generationem, non per donationem & gratiam, denique tanquam is qui nunquam ea caruerit, non qui substiterit aliquando citra eam.

Qualis Filius in Divinis.

Ut compendium fiat verborum, si quæras: Qualis Filius in Divinis? respondebo: æternus, sine initio, successione & fine, absque ulla vel decisione vel divulsione vel multiplicatione vel quacunque passione, motu & mutatione, absque defluxu, incremento aut decremento: semper integrè natus ex Patre, non ex nihilo procreatus, à Patre distinctus, sed indivisus eidemq; simillimus, quin eâdem planè natura & essentia singularissima ipsi junctus, eâque tota & cum complexu omnium perfectionum, quas ea in infinitate sua includit, absolutè independens, & per omnia Patri æqualis ac prorsus ὁμοούσιος, adeoque pro-

priè

priè & exquisitè dictus ac verè naturalis Filius, non communi quidem naturæ lege progenitus, sed naturaliter tamen sive necessariò, non *voluntate* nisi *comitante* Patris & secundum similitudinem imò verò identitatem naturæ, quæ est in Patre, ortus & productus. Atque hæc de nomine Filii.

Alterum nomen est Λόγος, quo peculiariter usus est S. Johannes distinctis vicibus, quater in Evangelio c. I, 1. 14. bis in prima epistola c. I, 1. V, 7. & semel in Apoc. c. XIX, 13. Vox ipsa in Græca lingua est πολύσημος: significat enim rationem, orationem, definitionem, ratiocinationem &c. *In præsenti autem vel Sermonem vel Verbum*: nam utroque modo & veteres & recentes Scriptores eam hîc exprimunt. Et verò *causæ sunt complures, quarum ratione Filius dicitur* Λόγος. *Duæ tamen primariæ.* Prior concernit ipsum Deum: posterior nos homines. Prior est ad intra; posterior ad extra. Prior personam & æternam generationem: posterior officium Messiæ manifestat. Priore respectu Λόγος in Divinis convenientiam habet cum λόγῳ nostro, qui dicitur ἐνδιάθετος, quem non nulli πρὸς ἑαυτὸν appellant. Quemadmodum enim verbum mentale & quivis conceptus ac notio à mente gignitur immaterialiter sineque motu ac passione ulla, & in mente manet, unde manat: Ita Filius est à Patre genitus sine motu ac mutatione modo immateriali & incorporeo, semperque est & manet in Patre, à quo procedit. Qua de re ita Basilius, Serm. super verba Joh. In principio. *Verbi*, inquit, *potestatem ac sensum diligentius investiga. Cur* (dicitur) *Verbum? ut, quod ex mente procedat, ostendatur. Cur, inquam, Verbum? quoniam sine motu genitum est.* Tom. 1. p. 200. mihi 375. Et Fulgentius: *Cum mens cogitat & cogitando verbum intra se generat, de se generat verbum, & sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. Sic Verbum Divinum in ipso Patre manet, à quo gignitur.* lib. 3. ad Monimum. Sicuti autem verbum mentale fit vocale, dum assumit &, ut sic dicamus, induit sibi vocem & sonum, ac tum mentem hominis etiam aliis notam facit ejusque sensa indicat & interpretatur: ita æterni Filius Patris humana carne indutus sensibilem se hominibus reddidit, ac voluntatem Patris, à quo prodiit, nobis enarravit ac revelavit. Atque posteriore hoc respectu Verbum Divinum assimilatur nostro λόγῳ, qui dicitur προφορικὸς & πρὸς ἕτερον. Quò spectat illud Epiphanii: *Verbum nominatur, quoniam interpres est voluntatum Dei.* hær. LXXIII. p. 280. Utrumque respectum breviter simul & nervosè complexus Gregor. Naz. *Sermo*, inquit, *dicitur* (*Filius*) *quod ea sit ipsius ad Patrem ratio*, II. Λόγος

 quæ

quæ sermonis est ad mentem: neq; tantùm διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, *propterea quod sine passione genitus sit,* ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς, *sed & quia perpetuò Patri junctus est, sicut verbū intimè suæ menti,* καὶ τὸ ἐξαγγελτικὸν *& propter munus revelandi ac interpretandi, quod gerit.* Orat. de Filio II. p. 164. Negari tamen non debet, *priorem respectum, qui ad intra est, esse potiorem,* & ab hoc dependere posteriorem, qui in revelando & annunciando consistit. Siquidem in omni denominatione id quod rei intrinsecum, proprium & inseparabile est, id idem est primarium & potissimùm attenditur: extrinsecum verò, commune & separabile quod est, id idem secundarium habetur. Jam revelatio Divinæ voluntatis est opus ad extra, omnibus tribus personis commune. Adscribitur enim Patri, Matth. XVI, 17. Filio, Matth. XI, 27. Joh. I, 18. & Spiritui Sancto. 1. Cor. II, 10. Et de hoc etiam tertia vice dicitur τὸ ἀναγγέλλειν, Joh. XVI, 13. 14. 15. Non potest ergò inde peculiariter Filius denominari Λόγος. Gigni autem intra Deitatem ad modum verbi mentalis, Filio soli & propriissimè convenit. Hoc ergò erit præcipuum appellationis τοῦ Λόγου fundamentum. Et idcircò etiam nec Pater nec Spiritus S. ullibi eo nomine indigitantur in Scripturis, sed est nomen hoc personale æquè ut Filii Dei, &, ut Cyrillus loquitur, *quasi proprium & ipsius esse Filii maximè significativum,* l. VII. Thesaur. c. 1.

Ex quo sponte sua consequitur, *frustra esse omnes, quotquot Chaldaicum* מימרא *exactè respondere volunt nomini* Λόγος *apud Johannem*: cùm hoc nomen Græcum sit personale, uni Filiò congruens, illud autem Targumistæ vagum sit & mox animam i. e. personam ipsius Patris, tanquam aliquid à Filio distinctum, Esa. XLII, 1. mox Spiritum quoque Domini, Es. XLVIII, 16. communissimè quippiam Deo in essentia considerato intimum, puta beneplacitum, decretum aut simile quid, præciso personarum discrimine, designet, veluti observant ex modernis eruditiores.

Id quoque ex dictis colligitur, *pro* Λόγος *etsi rectè dicatur Sermo, rectiùs tamen dici Verbum*, eò quod præcipuè nominetur Verbum Divinum à similitudine conceptus mentis, qui aptiùs propter suam simplicitatem Verbum dicitur mentis quàm Sermo, eaque vox melius etiam in ὑποδόσει convenit simplicitati naturæ Filii Dei, estq; generalior, quæ externo respectui inservire quoque possit, ut quacunque ratione Filium dicas Sermonem, eàdem & Verbum dicere possis, non contrà.

Præterea constare hinc puto, *absq; causa offensum esse Flacium phrasi illa Philippo* nostro in Exam. & LL. p. 300. atque alibi aliis frequen-

quentata, quod Filius cogitatione à Patre ſit genitus, uti de Flacio referunt J. Gerhard.. Exeg. Loc. 4. § 76. p. 1198. & Caſp. Eraſm. Brochmand. Syſtem. T. 1. de Deo Patre, q. 4. p. 146. Ecquæ enim alia reddi poteſt ratio principalior, cur proprium hoc & peculiare ac perſonale ſit Filio, ut dicatur Λόγος, quam quod æternus Pater ſuprema illa mens ſeſe intuendo & perfectè cognoſcendo, cogitatione iſta genuerit eum, ſui imaginem? Omne enim verbum eſt quiddam cogitatione genitum ac mentis ſoboles & imago. Alterum externum reſpectum in revelando & annunciando poſitum, juxtaque cum Filio Patri quoque ſuo modo ac Spiritui Sancto (quorum neuter tamen Λόγος dicitur) communem admittunt etiam ac ſolicitè & ſolitariè urgent Photiniani. Illa autem prior ratio, quam Philippus non primus, ſed antiquiores Patres ſecutus protulit, terrori eſt hæreticis. *Olim quidem Servetus* Λόγον *videbatur pari modo interpretari cogitationem in mente Patris: ſed negavit ejus hypoſtaſin*, ut ſupra docuimus: quem errorem exſertis verbis damnat Autor noſter in Locis p. 303. cum quibus confer T. 1. f. 386. Nam hoc ipſum intercedit diſcrimen inter verbum noſtrum & Divinum illud, quod noſtrum verbum eſt accidens menti inhærens adeoque ἀνυπόστατον & conſequenter diverſæ naturæ à mente eâque producente poſterius tum natura tum tempore, quin plane inanimum & fluidum: quæ & alia hujusmodi in Verbum Divinum nullo modo quadrare manifeſtum eſt. *Agnoſcenda hæc diſſimilitudo: ſed non neganda interim ſimilitudo & convenientia*, quam ex Philippo, conſentiente puriore Antiquitate, aſſignavimus, non ad modum Generationis Divinæ præcisè determinandum, ſed ad myſterium hoc duntaxat aliqualiter illuſtrandum. Benè Baſilius: *Si dixiſſet* (Johannes) *In principio erat Filius, appellatione Filii cogitatio de paſſione generationis ſubiiſſet: quoniam apud nos genita & tempore & paſſione generantur. Idcircò de induſtria Verbum dixit, vanis hominum ſuſpicionibus occurrens*. l. d. p. 375. *Nil itaq. aliud intenditur iſto nomine, niſi ut excludatur materiata & corporea generatio*, quæ in humanis etiam abeſſe ſolet à mente, dum gignit in ſeipſa efformatque nunc has, nunc illas notiones & cogitationes. Ad ſuam hæc ergò revocent mentem, eamque ſaltem diligentiùs excutiant, qui ut primùm in Divinis arcanam audiunt Filii generationem, ſtatim ad principia phyſica abrepti de materia cogitant & de paſſione ac mutatione, indeque dogma fidei, imperitè dicam an nefariè? oppugnant. Quaſi quod in generatione phyſica invenitur, id univerſaliter omni generationi attribuendum ſit. Liberaliores fuimus anteà, applicando formale generationis phyſicæ ad æternam genera-

nerationem Filii Dei: *cum non necesse sit, omnem generationem esse Physicam, aut ad ordinem illius exigi, quandoquidem datur etiam Metaphysica ac mentalis generatio*, cui in ipsis Scripturis assimilatur illa Divina & singularis. Nec verò cum mentali etiam illâ per omnia convenit hæc quæ in Divinis est, sed, ut ostendimus, discrepant in multis. Nisi discreparent, ne quidem Filium appellare liceret illud paternæ mentis genimen, cum nostrum verbum mentale non sit utique Filius noster. Nimirum isto tandem pacto discamus, modum mysterii silentio venerari, quod in re tam abstrusa omnium & facillimum est, ut à quovis docto & idiota possit præstari, & tutissimum. *Non magni quid esset*, ait rectè & piè Nazianz. *hæc generatio, si abs te perciperetur, qui ne propriam quidem generationem cognitam habes, vel quiddam hujus ita exiguum percepisti, ut dicere etiam sit pudor — Imò verò ut maximè tuam noris, non continuò Dei quoq; generationem cognitam habes. At si ne tuam quidem, quo pacto Dei? — Dei ergò generationem cum silentio veneremur. Magnum quid tibi sit intelligere, quod sit genitus: quo autem modo, id ne Angelis quidem cogitandum.* Orat. de Filio I. p. 110. 111. 112 In eandem sententiam S. Ambrosius: *Licet*, inquit, *scire quod natus sit: non licet discutere quemadmodum natus sit.* l. 2. de Fide c. 5. Tantum etiam de nomine Λόγος.

Modus Generationis Divinæ silentio venerandus.

III. Imago Dei.

Tertium nomen est Imago Dei, quod desumtum est ex illo Pauli Col. I, 15. *Qui est imago Dei invisibilis.* Idem habetur II. Cor IV, 4. Intelligitur autem imago non accidentalis, cujusmodi refulsit in homine primùm condito, sed *essentialis*, quæ cum eo, cujus est imago, conveniat in eadem natura & essentia. Ita Filius in Divinis, quoad ipsam essentiam, quam in Patre eandem habet, est imago Patris eumque perfectissimè per omnia repræsentat, ut nihil sit de essentia Patris, quod non commune cum Patre habeat Filius. Sicut tamen *imago distinguitur à suo exemplari*: Ita quoque Filius utut similimus Patri in essentia, secundum personam tamen à Patre distinctus est. Imagini hoc etiam propriè convenit, ut sit deducta & expressa ab eo, cujus dicitur imago: Quoniam ergò à Patre Filius est & non vice versa, ideò *Filius dicitur Imago Patris, non vicissim Pater Imago Filii.* Et hæc hactenus de Filio.

DE SPIRITV SANCTO.

Appellationes Spiritus Sancti.

OBservetur ratio cùm appellationis tùm processionis. *Appellationes ejus* in Scripturis sunt variæ. Mox enim *Paracletus* dicitur Joh. XIV, XV, XVI. mox *Arrha*, 2 Cor. I, 22. mox *Arrhabo hæredita-*

ditatis Eph. I, 14. quod certiores nos faciat de donata nobis in Christo hæreditate & vita æterna. *Donum* item *Dei*, Act. VIII, 20. & *promissum Patris* Act. I, 4. Communissima autem ejus appellatio est, quod dicitur *Spiritus*, & cum addito, *Sanctus*. Non rarò nomini Spiritus alia quoque adduntur epitheta, vel ab essentia vel ab officio & effectibus ejus desumta, utpotè cum dicitur Spiritus Elohim Gen. I, 2. Spiritus Adonai, Jehovæ 2 Sam. XXIII, 2. Esa. LXI, 1. Matth. III, 16. 2 Cor. III, 17, & in prima persona *meus*, quando Deus ipse loquitur, Gen. VI, 3. Esa. XLIV, 3. *Spiritus* item *bonus*, Ps. CXLIII, 10. *Spiritus gratiæ & precum*, Zach. XII, 10. *Sapientiæ & Intellectus, Consilii & Fortitudinis, Scientiæ & Pietatis.* Esa. XI, 2. *Sapientiæ & Revelationis*, Eph. I, 17. *Potentiæ, Dilectionis, & Sobrietatis*, Rom. I, 7. *Veritatis*, Joh. XVI, 13. *Sanctificationis*, Rom. 1, 4. *Adoptionis*, Rom. VIII, 15. Omnium autem frequentissimè Sanctus Spiritus dicitur. Et *Sanctus* quidem tum propter substantiam, tum propter officium. Est enim ejus substantia, sicut & cæterarum personarum Divinitatis, sanctissima. Ipse verò unà cum Patre & Filio est ter Sanctus ille Dominus Deus Zebaoth, Esa. VI, 3. Act. XXVIII, 25. Deinde est fons sanctitatis, efficiens sanctos motus in cordibus credentium, juxta illud Apostoli: Sanctificati estis per Spiritum Dei nostri, 1 Cor. VI, 11. *Spiritus* autem dicitur non tàm ob Deitatem, quam cum Patre Filioque unam & eandem obtinet, quomodo Christus ait: Deus est Spiritus h. e. essentia spiritualis & incorporea, Joh. IV, 24. Nec solùm ob effectum, quod efficaciter moveat hominum corda, ac spirituales & novos motus in illis accendat, quomodo rursum inquit Christus Joh. III, 6. Quod natum est ex Spiritu, spiritus est h. e. spirituales sentit motus, inclinationes & desideria habet spiritualia, agitur Spiritu Dei, Rom. VIII, 14. Sed primò & potissimùm ideò, *quia à Patre & Filio velut quidam oris ipsorum halitus spiratur.* Hac spiratione supposita, accommodantur ei postea in Scripturis illi Divinæ naturæ in creaturis effectus, qui afflatum quendam Divinitatis important, ut sunt, vivificare, afficere mentes hominum, sanctificare, docere, illuminare &c. Unde nomen Spiritus convenit ei quidem ratione hujusmodi effectuum, qui ei in creaturis appropriantur, eò quod per hujusmodi effectus quasi spirat, movet & afficit creaturas: sed propriè tamen & principaliter id nominis ei tribuitur ratione illius peculiaris, quæ intra Deitatem est, spirationis passivæ. Sicut enim intra eandem ab activa spiratione, quæ est actio spirantis, nomen est Spiratoris: ita à spiratione passiva, quæ illius activæ est terminus, dicitur Spiritus.

Et hæc jam ipsa (passiva spiratio) est *ratio Processionis*. Circa quam dicendum explicatiùs, an, & quomodo ea Processio à Generatione dif-

differat, quo nomine veniat, & num à solo illa sit Patre, an verò à Patre & Filio simul. Agite, expediamus hæc tribus assertionibus.

De Pro-cessione Spiritus S.

I. *Processio Spiritus Sancti differt à Generatione Filii ex Patre, quamvis ratio differentiæ nobis exactè non constet.* Differt utique, estq; id de fide ex Scriptura, in qua non solùm Filius distinguitur à Spiritu S. & huic commune saltem attributum *procedentis*. Joh. XV, 26. illi etiam *geniti & Filii* tribuitur, Psal. II, 7. Ebr. I, 5. sed apertè etiam mentio fit *unigeniti Dei Filii*, Joh. I, 14. 18. III, 16. Quod si unigenitus est Filius Dei, Ergò nec plures filii, nec plures geniti, nec plures generationes. Idem constat ex omnibus Symbolis. Nam in Symb. Apostolorum dicitur unigenitus Filius. Similiter in Nicæno. In Athanasiano Symb. expreßè dicitur Spiritus S. à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idem docent SS. Patres, qui constanter negant, Spiritum S. esse Filium aut natum seu generatum. Quo verò modo Generatio Filii & Processio Spiritus Sancti invicem distinguantur, si quæras, dicam cum Augustino: *In illa coæterna, coæquali & incorporali & ineffabiliter immutabili atq; inseparabili Trinitate difficillimum est Generationem à Processione distinguere.* l. XV. de Trin. c. XXVII. Scholastici tamen, ex eodem Augustino subtiliùs alicubi disputante, hanc assignant differentiam, quod Filius generetur per intellectum, Spiritus S. procedat per voluntatem. Et sanè quod Filius propriè ex intellectu seu mente Patris prodeat, id ipsum indicatur nomine Λόγος. Omne enim verbum ad intellectum sive mentem propriè pertinet, præsertim λόγος ἐνδιάθετος, cui potissimùm assimilatur Filius Dei. Spiritum autem in Divinis procedere per voluntatem, id inde constare videtur, quod sicut Filius est verbum Patris, ita Spiritus est amor & charitas utriusque: hæc autem ad voluntatem pertinent. Idque rursum Scriptura innuit, dum per Spiritum S. charitatem Dei diffundi in cordibus nostris testatur, Rom. V, eod. Legatur de hoc discrimine elegans discursus apud nostrum Philippum T. 1. in enarr. Symb. Nic. f. 403. & T. 2. p. 228. Si cui verò ista aut subtiliora videntur, aut necdum satisfaciunt, ei inculcamus illud Greg. Nazianzeni: *Audis generationem; quo ea pacto fiat, argutè ne inindagato. Audis, Spiritum S. esse, qui procedat; quo id pacto fiat, curiosè ne perscrutator.* Orat. III. de recta doctrinæ sent. p. 93. 94. Et vel huc maximè referri meretur pium illud hymni veteris:

Digni loqui de Personis,
Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia:
Quid sit gigni, quid processus,
Me nescire sum professus,
Sed fide non dubia.

Hoc ergò primum est assertum circa processionem Spiritus.

II. *Processio Spiritus S. rectè dicitur tùm spiratio, tùm absolutè Processio.*

cessio. Ratio prioris est, quia quævis processio rectè denominatur à suo termino: cum ergò hæc sit Processio Spiritus, non immeritò vocatur Spiratio. Sicut scil. vocabulum Spiritûs sufficit juxta Scripturam ad denotandam tertiam personam: ita vocabulum Spirationis aptum fuerit ad designandam processionem ejus. Filio ideò tribuitur generatio, quia Filius est: Filio enim convenit generari. Spiritus S. autem non dicitur Filius, sed hoc solo nomine, quod Spiritus dicitur, à Patre & Filio discernitur. Processio igitur ejus non malè dicetur Spiratio. Posterius ex eo declaratur, quod Scriptura ipsa non alio quàm Processionis nomine Spiritûs S. originem exprimit. Joh. XV, 26. Quare etiam Athanasius in Symbolo verbis citatis aliiq; Patres absolutè Processionis nomine utuntur, ad specialem Spiritui S. propriam procedendi rationem significandam, nomen commune uni rei singulari, uti sæpè fieri solet, appropriantes: ideò, quod ea res proprio nomine, ab initio ad hanc rem propriè significandam imposito, careret. Cujus rei rationem benè assignat S. Thomas: *Deum*, inquit, *nominare non possumus, nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, Processio in Divinis non habet proprium vel speciale nomen, nisi generationis* (illa scil. quæ est generatio) *Unde Processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine: sed potest nominari Spiratio, quia est Processio Spiritûs.* Ita S. Thomas q. 27. a. 4. Utrum verò Processionis nomen generaliter, an specialiter usurpetur, ex subjecta materia & circumstantiis colligendum relinquitur.

III. *Processio Spiritus S. non solùm est à Patre sed simul à Patre & Filio.* Quod à Patre procedat, dicitur exsertis verbis Joh. XV, 26. Quod verò à Filio quoque procedat, colligitur I. ex illis verbis Christi Joh. XVI, 15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* & Joh. XVII, 10. *Omnia tua mea sunt.* Sicut ergò Pater hoc habet, quod de ipso procedat Spiritus, ita quoque hoc habet Filius: alias non omnia, quæ Pater habet, essent Filii. II. ex collatione locorum, quibus idem Spiritus vocatur *Spiritus Patris* Matth. X, 20. Rom. VIII, 11. & *Spiritus Filii* Gal. IV, 6. ac *Christi*, Rom. VIII, 9. *Spiritus* item *oris Domini* Pf. XXXIII, 6. & *Spiritus oris Christi* 2. Thess. II, 8. *mittendus à Patre* Joh. XIV, 26. & *mittendus à Filio* Joh. XV, 26. In divinis autem nemo est alterius, nec mittitur ab altero, quin ab eo quoque sit. III. Ex abundanti hoc addimus argumentum: Si Spiritus S. non procedit à Filio, non distinguitur à Filio: quia personæ non distinguuntur aliquo absoluto sed relationibus oppositis; quoniam in Divinis non datur actu distinctio realis, nisi inter ea, quæ relativè opponuntur. Quare Filius & Spiritus S. ut realiter distinguantur, debent habere relationes originis oppositas. Cùm

verò Filius non sit à Spiritu Sancto, necesse est, Spiritum S. esse à Filio. Confirmatur hoc ita: In Patre sunt duæ relationes reales, Paternitas & Spiratio activa; & tamen cùm non opponantur relativè, non constituunt duas personas, sed spectant ad unam personam Patris. Si igitur in Filio & Spiritu non essent duæ relationes oppositæ, Filius & Spiritus non essent duæ personæ distinctæ. IV. Idem constat ex antiquis Symbolis. In Constantinopolitano enim sic dicitur: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.* Particula *Filioq;* primitùs quidem non fuit adjecta: sed id propterea contigit, quod Macedoniani, contra quos Synodus Constantinopoli fuit habita, concederent, à Filio esse Spiritum Sanctum, negarent autem esse à Patre. Subsecutis verò temporibus visum fuit addere illam particulam ulterioris declarationis causa. Huc accedant veterum testimonia Græcorum, ac duorum nunc saltem in tota antiquitate probatissimorum. Unus est S. Athanasius, in cujus Symbolo *Spiritus S.* dicitur *à Patre & Filio* non factus nec creatus nec genitus sed *procedens.* Alter, Cyrillus Alexandrinus, qui in Symbolo Ephesino sive epistolâ X. nomine Synodi ad Nestorium scripta ita hac de re: *Spiritus*, ait, *appellatus est Veritatis, Christus autem Veritas est, Unde &* προχεῖται παρ' αὐτοῦ *procedit ab isto perinde, atq; à Deo & Patre.* Posteriores autem Græci in hunc usque diem huic assertioni contradicunt: sed errant sine dubio. Nec juvat eos, quod Scriptura solùm dicit, Spiritum procedere à Patre, loco toties allegato Joh. XV. non enim exclusivè dicitur, quod à solo Patre procedat: quin dicitur inibi etiam *mitti à Filio*, non utique per imperium, sicut servus à Domino; nec ita saltem, ut ejus dona nobis largiatur Filius, nam alioqui Patrem quoque mittere dicendus esset, quia æquè largitur nobis *omne donum à Patre luminum descendens* Jac. I, 17. sed per æternam productionem sive processionem. Dolendum est interim, ob hanc controversiam, Græcam Ecclesiam à Latina divelli: quod schisma inde à seculo XI. etiamnum durat. De qua re plura proferre nunc non vacat.

Lubet potiùs, doctrinam de augustissimo TRINITATIS mysterio obsignare verbis Augustini: *Fides nostra est, Patrem & Filium & Spiritum S. unum Deum credere & confiteri; nec tamen eum, qui Filius est, Patrem dicere, nec eum, qui Pater est, Filium, nec eum, qui Spiritus Patris & Filii est, aut Patrem aut Filium nuncupare.* T. 2. ep. 174. p. 782. Hanc fidem teneamus inconcussam, pro hac pugnemus, hanc confitentes fraternè complectamur, & hîc gradum figamus.

APHO-



APHORISMUS V.

pag. 305.

In Christo nato ex Virgine Maria sunt duæ naturæ, λόγος & humana natura, sic unitæ, ut Christus sit una persona.

PRoximum à Sanctissimo Trinitatis mysterio locum sibi vendicat mysterium Incarnationis Filii Dei. Nec immeritò. Nam sicut ad salutem nosse oportet, unum esse Deum, qui sit Pater Filius & Spiritus Sanctus: ita non minus necesse est credere & novisse, Filium consummato tempore hominem factum descendisse in hunc mundum & carnis ac sanguinis participem redditum sua morte nos æternæ morti devotos redemisse ac Deo reconciliasse. Quæ doctrina ut hauriatur pleniùs, supponi oportet I. duas naturas in Christo. II. earum unionem. De utroque puncto agit præsens Aphorismus.

De duabus naturis in Christo. p. 9.

Dualitatem naturarum quod attinet, non potest ea rectiùs probari, quam ex eo, quod Christus in Scripturis & *Deus* & *Homo* dicitur. Deum dici & cum addito etiam *verum Deum*, *magnum Deum*, *Deum in secula benedictum*, superiùs jam est ostensum. Eundem appellat hominem S. Paulus 1. Tim. II, 5. *Unus*, ait, *Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Quò pertinet, quod dicitur *Semen mulieris*, Gen. III, 15. *Filius Davidis*, filius *Abrahami* (habito respectu ad promissionem utrique horum factam de Messia ex ipsius semine nascituro) Matth. I, 1. *Fructus ventris Mariæ* Luc. I, 42. Idem seipsum hominem esse declarat, quoties se vocat *Filium hominis*. Matth. VIII, 20. *Vulpes lustra habent & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* IX, 6. *Ut sciatis, Filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata, dixit paralytico: Surge, tolle lectum.* XVI, 13. *Quem dicunt me esse homines, Filium hominis?* Ubi Petrus paulò post respondet: *Tu es Christus ille, Filius Dei viventis.* Qui lo-

cus aperte indicat, eundem esse Filium Dei & Filium hominis h. e. Deum & hominem. Est enim modus loquendi Ebræis familiaris בן אדם Filius hominis, pro homine. Tertull. IV. adv. Marc. *Filium hominis nominans hominem nominat* p. 234. Vide Ezech. II, 1. III, 1. Dan. VII, 13. Sunt qui putant, Christum ideò Filium hominis appellari, quod unius hominis nempe Mariæ Filius sit. Sed hoc stare non potest, quia intuitu matris Mariæ Christus dicendus fuisset υἱὸς τῆς ἀνθρώπȣ, non τ̃ ἀνθρώπȣ.

Hæretici humanã Christi naturam impugnantes.

Vix dilucidiùs autem ostenditur veritas humanæ Christi naturæ quam ex opposita falsitate hæreseon eam impugnantium. Consensu veterum, autor omnium hæreticorum, ipso adhuc I. Seculo, & Petro Apostolo etiamnum superstite, erat *Simon Magus*, cujus Act. VIII. mentio fit, qui ajebat, se esse Christum & hominis figuram assumsisse duntaxat & passum in Judæa putatum, cum non esset passus: de qua hæresi Irenæus l. I. c. XX. Eodem Seculo, cum in vivis adhuc esset S. Johannes, prædicarunt *Ebion & Cerinthus*, Christum non ex virgine præter rerum seriem natum, sed naturali modo ex viro & femina, Josepho & Maria, generatum esse: quod similiter Seculo II. asseruit *Carpocrates*, ut antehac diximus. p. 93.

Cum ætate Ecclesiæ posteà creverunt hæreses, aliæ quidem earum totam humanam naturam, aliæ partem ejus necessariò requisitam Christo derogantes. Totam *Basilides*, *Cerdon*, *Marcion*, Seculo II. exorti sustulerunt, docentes, Christum non habuisse veram hominis substantiam, sed specietenus solùm & quasi per umbram ac in phantasmate mortalibus apparuisse, visum fuisse hominem, cùm nihil humani haberet, & visum pati, nullatenus autem passum, quin nec omninò natum esse, ceu narrant Epiphanius hær. 24. Tertull. l. de præscript. adv. hær. c. 51. Theodor. l. I. de hær. fab. Idem dogma Seculo III. resuscitavit *Manes*, qui famosam illam Manichæorum sectam condidit, Christo itidem non nisi simulatam tribuens speciem carnis, quam præbuerit ludificandis humanis sensibus, uti non solum mortem verum etiam resurrectionem mentiretur, velut est apud August. l. de hæres. c. 46. Disertissimè de his hæreticis Theodoretus: *Dominum* (nostrum) *nec animam assumsisse dicunt, nec corpus*. l. I. sub finem.

Partem humanæ Christi naturæ vellicarunt Seculo II. *Valentiniani*, à Valentino dicti, *aliàs* exinde, quod sibi arrogarent quandam sublimem scientiam, *Gnostici* appellati, de corpore Christi sentientes, id fuisse cœlitus delatum & Christum per Mariam natum esse, sicut unda per tubum vel fistulam transit, nihil inde assumendo, uti rursum Tertull.

tull. refert: l d. c. 49. Cum his faciebat ſub idem tempus *Apelles*, Marcionis alioqui diſcipulus, itidem negans, corpus Chriſti ex Maria eſſe aſſumtum, nec tamen etiam in phantaſmate fuiſſe, ſicut Marcion volebat, ſed ex mundi ſubſtantia ſive ex quatuor elementis & ſiderea quadam materia compactum dicens, & in aſcenſione ad ſua rediiſſe principia, aëream partem ad aërem, cœleſtem ad ſidera, igneam ad ignem, ut adeò nec in his terris ex carne & ſanguine corpus Chriſti conſtiterit, & in cœlis nunc planè nullum ſit ſed ſolus ipſius ſpiritus, teſtibus iterum Tertulliano l. d. & Auguſtin. l. de hæreſ. c. 23. Alteram eamque potiorem hominis partem, Animam abſtulerunt Chriſto, Seculo IV. *Ariani* & hos ſecutus *Apollinaris*. Illi quidem corpus eum prorſus inanime aſſumſiſſe contenderunt: hic verò animam vegetativam ac ſentientem ipſi reliquit, cæterùm mentem ſeu animam rationalem eum aſſumſiſſe inficiatus eſt, in hujus vicem ſubſtituens Divinitatem, quæ præſtaret eadem in Chriſto, quæ conſulit & operatur in nobis mens ſeu ratio. Tradit hoc de Arianis Theodor. l. IV. hær. fab. & de Apollinari Auguſtin. hær. LV.

Falſiſſima autem & abſurdiſſima hæc ſunt omnia, pleraque etiam confutatione indigna. Certè *Simoni* Samaritano Mago non opus eſt quidquam opponere. Notetur ſaltem in occaſione exitus vitæ ejus. Cum enim in omnibus Servatori par eſſe contenderet, & fiducia vaniſſimæ artis Magicæ potentiæque diabolicæ in urbe Româ per aëra devolaret, velut in cœlos aſcenſurus, precibus à Petro Apoſtolo in genua procidente conceptis, miſerabiliter dejectus fractis cruribus periit, fabula vulgi factus. Fidem rei geſtæ conciliat ſcriptor antiquiſſimus Arnobius, præ aliis recentioribus audiri dignus, qui aliquando etiam quam alii copioſius hæc memorat: *Viderant Romani currum Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas & nominato Chriſto evanuiſſe: Viderant, inquam, fidentem Diis falſis & ab iisdem metuentibus proditum pondere præcipitatum ſuo cruribus jacuiſſe præfractis, poſt deinde perlatum Brudam cruciatibus & pudore defeſſum ex altiſſimi culminis ſe iterum præcipitaſſe faſtigio.* Hæc ille lib. II. adv. Gentes: quæ hæreſi Simonis redarguendæ ſufficiunt. Refutantur.

Quod verò Chriſtus ſecundum humanam naturam è pura & illibata Virgine citra congreſſum viri natus ſit, *contra Ebionem & Cerinthum atq; Carpocratem* teſtimonio confirmatur Angelico, Matth. I, 20. ibidemque de Maria exponitur prophetia Eſa. VII, 14. Ecce virgo concipiet & pariet filium.

Baſilidi, Cerdoni, Marcioni, Maneti ſtatuentibus, Chriſtum ſaltem ſchema & figuram, non veram ſubſtantiam hominis habuiſſe, contraria-

riatur tota historia Evangelica, quam falsam & confictam esse oportet, si, quod illi dicunt, verum est. Et hinc sanè factum, ut Ebionem & Cerinthum, quorum ille solo Matthæi, hic solo Marci Evangelio utebatur, imitati libros N. T. plerosque omnes rejicerent ac spurios substituerent, cùm inde tam manifestè refellerentur: præter Evangelium enim Lucæ & aliquot particulas epistolarum Pauli nil recipiebat Cerdon. Similiter Marcion ex eodem secundùm Lucam Evangelio & epistolis Pauli, quæ volebat, auferebat. Nec aliter Manes N. Testamenti Scripturas pro arbitrio accepit, rejecit, apocryphas etiam nonnullas genuinis antepoſuit. Sed nimirum ab Apostolo Johanne dudum hi & similes nomine impostorum & pseudoprophetarum sunt notati, & priusquam nati condemnati, Canone illo infallibili: *Quicunq; Spiritus non profitetur, Jesum Christum in carnem venisse, non est ex Deo.* 1. ep. IV, 3. *Hic est ille impostor & Antichristus*, II. ep. v. 7. At profectò quidem in carnem revera non venit Jesus Christus, h. e. non verè incarnatus & homo factus est, si veram carnem & substantiam hominis non habuit, sed saltem simulachrum ejus. Dicitur quidem *in similitudine hominum factus* Phil. II, 7. verùm non in apparente vel accidentali, sed substantiali, secundùm quam omnes homines dicuntur similes specie. Thom. suppl. q. V. a. 1. ad 1. Dicitur etiam *missus in similitudine carnis peccati* Rom. VIII, 3. Ubi sanè apparentia innuitur, quæ tamen non ad ipsam carnem simpliciter, sed ad carnem peccatricem quà talem est referenda, sive ut Tertull. loquitur, *ad peccati titulum pertinet, non ad substantiæ mendacium* l. V. contra Marc.

Valentino & Apelli, corpus æthereum & cœleste Christo attribuentibus, idemque *Arianis & Apollinaristis*, animam Christo adimentibus refragatur penitùs istud Apostoli: *Oportuit eum per omnia fratribus similem fieri.* Ebr. II, 17. quod cumprimis de natura & proprietatibus humanis est intelligendum. Oportuit ergò eum corpus habere non æthereum, sed terrestre, ejusdem cum nostro rationis, constans carne & sanguine; animam item tum vegetativam & sensitivam, tum rationalem; cæteroqui planè dissimilis fratribus fuisset futurus.

Ac in specie corpus carne & sanguine constans ibidem de ipso enunciat Apostolus: *Quoniam*, inquit v. 14. *pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundem.* Idque corpus ex Maria eum assumsisse, patet contra Valentinianos, &, qui hodiè errorem eorum renovant, Anabaptistas, quia dicitur *Filius Mariæ*. Luc. II, 7. At quomodo Filius, si nihil ex genitricis substantia assumsit? Imò verò *semen mulieris* dicitur Gen. III, 15. Ex semine igitur Mariæ natus corpulentam inde assumsit substantiam, non illam è

cælo allatam per corpus Mariæ veluti canalem transire fecit. Sic ratione termini à quo remotioris dicitur quoque *factus ex semine Davidis secundùm carnem*, Rom. I, 3. & amplius adhuc *fructus ventris ejus*. Ps. CXXXII, 11. *fructus lumborum ejus*. Act. II, 30. At si cœlitus carnem suam secum detulit, nihil ea ratione de Davidis carne, ventre, lumbis participat, nec potest adeò secundùm carnem ex semine Davidis factus aut fructus ventris & lumborum ejus dici.

Nec obstat, quod aliàs negatur esse ex semine viri ortus. Isthac enim negatione removetur solùm *causa efficiens* & modus communis conceptionis humanæ. Illa verò priore affirmatione Apostoli indicatur familia Christi & convenientia ejus cum Davide cæterisque Patribus *respectu materiæ*. Nihil quidquam etiam assertæ veritati officit locus, qui hodienum objicitur, 1. Cor. XV, 47. 48. *Primus homo è terra, terrenus: Secundus homo, ipse Dominus è cœlo. — Ille cœlestis.* Potest hoc vel ratione Deitatis accipi, vel ratione corporis. Neutro modo aliquid efficitur. Non priore; quia non sequitur: Christus est de cœlo, sicut etiam legitur Joh. III, 13. 31. Ergò quicquid habet, est de cœlo vel cœlestis naturæ sive de cœlo delatum; perinde uti nec de primo homine, quem Apostolus nominat, licet asserere, quicquid ille habuit, fuisse terreum, quum præter corpus habuerit & animam, quæ non erat è limo desumta. Nec posteriore quoque modo, si maximè de corpore interpretemur, statim consequitur, corpus Christi esse cœlitus illatum in uterum Mariæ, sed vel cum Augustino *Cœlestem dico hominem Christum, quia non ex humano conceptus est semine*. Dial. LXV. Quæstionum, q. 4. T. 4. vel, quod textui magis quadrat, de qualitatibus cœlestibus corporis Dominici post resurrectionem, cui nostra quoque futura sunt in illa glorificatione conformia, id intelligo.

Porrò illam ipsam carneam corporeamque substantiam, quam semel è matre assumsit, non deposuisse eum, postquam resurrexit & ascendit super omnes cœlos, *contra Apellem* indicium faciunt duo Angeli viris Galilæis dicentes: *Hic Jesus, qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita suo tempore ad judicium veniet, quemadmodum vidistis eum proficiscentem in cœlum*, in vero sc. & substantiali atque aspectabili corpore humano. Act. I, 11. Habet ergò adhuc illud corpus. Quod Apellem negare non est mirum, quia ipse quoque Scripturas solebat pro lubitu circumcidere *& solo Paulo Apostolo utebatur, sed Marcionis i. e. non toto*, ut Tertull. ait. Nobis, qui toto utimur, facile est ex 1. Cor. X, 16. cognoscere, *panem*, quem in S. Cœnæ mysterio *frangimus*, *esse communicationem corporis Christi* adhuc utique superstitis.

Sed

Sed & animam eum habere nostræ similem, *contra Arianos & Apollinarem* docemus inde, quod aliàs ne homo quidem esset, aut veram carnem haberet. Caro enim & cæteræ partes hominis per animam speciem sortiuntur: unde recedente anima non est os aut caro, nisi æquivocè, ut patet per Philosophum 2. de An. t. 9. 7. Met. t. 31. Inprimis huc facit, quod annos pueritiæ egressus *crevit sapientia*, Luc. II, 52. quodque moriturus Patrem inclamat: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. XXIII, 46. quorum neutrum nec corporis nec Deitatis ratione intelligi potest, sed ad animam Christi eamque rationalem pertinet. Quod si animam rationalem habet Christus, corpus igitur ejus non est πανλὶ ἄψυχον, ut Ariani voluerunt (qui id statuerunt hoc fine, ut τὰ πάθη, quæ in Scripturis Christo tribuuntur, possent referre ad Ἰὸν Λόγον, ac proinde negare, Christum esse verum Deum) & ob eandem rationem præditus est etiam facultate vegetativa ac sensitiva, quia in homine tres illæ facultates, vegetativa, sentiens & rationalis sunt una anima, ex communi Philosophorum sententia, ut ineptissimus sit, qui priores duas facultates absque tertia in Christo ponat cum Apollinari. Ex cujus sententia Christus si mentem non assumsit, necessariò naturam bruti aut embryonis assumsisse dicendus est.

Frustrà hìc opponitur illud Joh. I. 14. *Verbum caro factum est.* Ubi quidem solius carnis, non animæ, mentio fit: Sed quis nescit usitatissimam hanc in Scripturis Synecdochen, ut Caro, pars hominis, pro toto homine accipiatur. Esa. XL, 5. *Videbit omnis caro salutare Dei* i. e. omnis homo. Rom. III, 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, i.e. nullus homo. Sicut etiam altera pars hominis, Anima, pro toto itidem homine ponitur. Ezech. XVIII, 4. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Rom. XIII, 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Inde Ecclesia Catholica dictum Johannis explicavit in Symbolo; *Et homo factus est.* Johannes verò hominem Verbo i. e. infimum summo jungens de industria carnem dixit; partem abjectiorem & infirmiorem, ut appareret, quantus Deus quantum nos dilexerit & dignatus sit propter nos tantillus homo factus.

Quoad *veritatem* ergò & *integritatem* humanæ naturæ Christus assumsit veram hominis substantiam, non phantasma: animam veram & perfectam, omnibus quæ homini debentur facultatibus plenè instructam: corpus non divinum aut cœleste aut ex materia elementari sed verè humanum, omnibus constans partibus, quæ ab anima humana informari solent, ut sunt caro, ossa, nervi & similes, quæ substantialiter per-

pertinent ad corporis constitutionem, nec est major ratio de assumtione unius partis integrantis, quam de alterius. In contrarium sequetur: *Si non veram Christus sumsit naturam nostram, ergò nec verè redemta est: si non totam & integram, ergò nec tota per eum servata.* τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτόν ἐστι, ut piè Greg. Nazianz. ait & ex eo repetit Damascenus.

Addo nunc de naturæ nostræ defectibus & imbecillitatibus, quas unà cum natura Christus tam in corpore quam in anima suscipere non respuit. Eos dico defectus, qui *naturales* sunt i. e. toti naturæ lapsu corruptæ communes, tum verò etiam *inculpabiles*, quique officio, cui destinabatur Christus, inservire poterant, vel saltem non repugnabant & impedimento erant. Cujusmodi sunt in corpore quidem, *fames, sitis, frigus, æstus, defatigatio, sudor, somnus, fletus, gemitus, ærumna, mortalitas ac ipsa mors*: quibus nos necessitatis conditione & ob peccatum primi hominis, in quo omnes peccavimus, subjacemus; Christus iis ultrò & pura voluntate se submisit, ad tempus usque, dum sc. à mortuis resurgeret: cui per se integrum erat carnem, ut absque culpa, sic absque omni infirmitate assumere, nisi aliter visum esset. In anima verò sunt, *Tristitia, desiderium, dolor, tremor, horror, ira, fremitus* & similes affectus, quibus mortales nascimur obnoxii: qui affectus in nobis quidem non sunt absque vitio, in Christo autem omni vitio carebant & ferebantur absque motu inordinato & immoderato semperque legitima de causa ac fine optimo, tantum scil. distantes à nostris passionibus, quantum aqua pura & illimis tranquilloque tractu fluens à turbidis lutosisque spumis differt. Et hoc est quod ait Apostolus: *Habemus Pontificem — tentatum in omnibus similiter absq. tamen peccato*, Ebr. IV, 15. Peccatum enim non assumsit, quia ut deleret venerat: sed nec ignorantiam nostram, quia Doctor noster esse debuit: nec morbos corporis, quia individuorum ii, non totius naturæ sunt, & impedimento τῇ οἰκονομίᾳ fuissent. Succinctè Lombardus: *Omnes defectus nostros suscepit Christus præter peccatum, quos ei conveniebat suscipere & nobis expediebat.* L: III. Dist. XV. C.

Quales defectus Christus assumserit.

Quid ergò assumserit Filius Dei, quid non assumserit, ita liquet. Et hæc de dualitate naturarum in Christo, quorum summa hoc argumento continetur:

Qui est verus Deus & homo, in eo sunt duæ naturæ, Divina & humana.

Sed Christus est verus DEUS & homo.

Ergò in Christo sunt duæ naturæ, Divina & humana.

De Unione Naturarum in Christo.

Illæ verò ambæ naturæ non seorsim existunt, sed unitæ sunt. Unio itaque earundem deinceps consideranda.

Ad probandam illam unionem complura suppetunt Scripturæ loca. Nos hîc duo saltem proferemus & elucidabimus, quæ potissima sunt.

Unus locus est Joh. I, 14. *VERBUM CARO FACTUM EST.* Ubi maximè ad delectum verborum, cui studet S. Johannes, respiciendum est. Non dicit, *Deus* caro factus est, ne cum Patripassianis Pater aut Spiritus S. intelligeretur incarnatus: neq; ait, *Christus* factus est caro, quia ante carnis assumtionem non erat formaliter Christus (nam Christus est concretum totius personæ constantis Deitate ungente & humanitate uncta, secundùm illud Athanasii: Χριστὸς τὸ συναμφότερον νοεῖται, Orat. V. contra Arianos, Tom. I, 321.) Sed adhibet nomen Λόγος, quod soli Filio, non Patri nec Spiritui Sancto in Deitate competit, & formaliter non est concretum personæ compositæ sed notat personam Divinam simplicem assumentem humanam naturam. Quare ulterius hîc observant Interpretes, *Johannem, postquam dixerat,* ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, *non ampliùs appellare Filium Dei* Λόγον *in toto suo Evangelio,* sed adhibere ejusmodi nomina, quibus totum ὑφιστάμενον ex utraque natura compositum exprimitur, utpote Messias, Christus, Jesus &c. propterea nimirum, quia vox Λόγος formaliter non est concretum totius personæ, sed exprimit Filium Dei à Patre ab æterno genitum, personam simplicem ἀσύνθετον, quæ in tempore demùm caro facta sit, & jam, postquam caro facta est, in duabus naturis subsistat. *Non dicit* Evangelista, Verbum *in carnem mutatum est*, sicut baculus Aaronis factus est serpens, & aqua in nuptiis Canæ facta est vinum per transmutationem substantialem: Talis enim mutatio non cadit in Deum vel Unigenitum Dei, qui manendo quod erat assumsit quod non erat, uti indicat Greg. Magnus: *Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim sua mysterio unigenitus Patris nostra auxit, sua non minuit.* l. IX, ep. LXI. *Itaq;* (pergimus cum Chrysost.) *cum audieris, Verbum caro factum est, ne perturberis, neve titubes: non enim substantia transivit in carnem; hoc etiam cogitatu impium est: sed eadem permanens servi formam accepit. — Quemadmodum enim cum inquit* (Scriptura) *Christus nos redemit ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum, non intelligit substantiam ejus à propria gloria separatam in maledictum versam — Sed quod pro nobis maledictum suscipiens non sinit nos ampliùs maledictos esse: Itidem hoc in loco carnem inquit ipsum factum esse, non quod mutaverit car-*

ne ſubſtantiam ſed quod carnem accepit, nulla parte coinquinata ſubſtantia. Iſta Chryſoſt. hom. X. in Joh. T. III. 789. *Nec* verò etiam ſaltem dicit Johannes: Verbum *carnem accepit* vel *aſſumſit* aut ſibi conjunxit & copulavit (licet hæc rectè aliàs dicantur) ne vulgaris unio cenſeretur, ſed, quod amplius eſt, inquit, ἐγένετο, factum eſt caro. Quod aſſumimus, habemus quidem, ſed non mox hoc idem ſumus, v.g. cum vir aſſumit mulierem, opifex inſtrumentum. Quod quisque factus eſt, hoc eſt & eſſe dici poteſt. Jam caro non ſimpliciter eſt aſſumta, ſed eſt facta Filii Dei caro, & ſic in unam perſonam ab aſſumente Λόγῳ translata. Exemplum ſimilis propemodum enunciationis erit, ſi dicas: Aaron factus eſt Pontifex, David factus eſt Rex: ut ita & naturarum differentia, &, ac *potiſſimùm* quidem, unitas perſonæ hoc dicto ſignificetur: Sicuti in allato exemplo David & Rex non ſunt duæ perſonæ ſed una, licet interim diverſæ formæ ſint natura humana & dignitas regia. Verbum ἐγένετο omninò reddi debet, *Factum eſt*, quemadmodum aliis locis, quibus quid ſit carnem fieri explicatur, dicitur Chriſtus γενόμενος *factus eſt ſemine Davidis ſecundùm carnē*, Rom. I, 3. & γενόμενος ἐκ γυναικὸς, *factus ex muliere*, Gal. IV, 4. Smalcius autem qui noviter reddidit: *Verbum erat caro, aliter* ſanè *quàm hactenus alii omnes Chriſtiani converterunt, qui ſuam in hunc laborem operam impenderunt* (quod de ſe ipſe jactat Homil. 8. ſuper init. c. 1. Joh. p. 86.) non meretur, ut ab ullo Chriſtianorum hîc audiatur. Valeat potiùs illud B. Auguſtini: *Cum lego, Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, intelligo verum Dei Filium, in carne agnoſco verum hominis Filium, & utrumq; ſimul in una perſona Dei & hominis ineffabili gratiæ largitate conjunctum.* L. XIII. de Trin. c. 19. Ad unitatem perſonæ ſignificandam ſuo quoque modo facit, quod *non dicitur*: Verbum *homo factus* eſt, ne fors crederetur aſſumſiſſe perſonam hominis: Homo enim nomen eſt, æquè ut Λόγος, connotans ſuppoſitum; ſed *caro factum eſt*, quæ vox naturam denotat vel proximè ſaltem naturæ humanæ partem, altera tamen parte, ut ante diximus, non excluſa. Atque adeò talis innuitur unio, qua ὁ Λόγος carnem, h. e. non ſimpliciter natura naturam, nec perſona perſonam, ſed perſona Trinitatis ſecunda naturam propria perſonalitate carentem aſſumſit & hypoſtaſeos copula ſibi aſſociavit. Et in vocula carnis clarè fundata eſt Eccleſiaſtica vox Σάρκωσις, *Incarnatio*, quæ, ut ipſa dictio carnis, unde deſcendit, *plus itidem ſignificat quam exprimit.* Exprimit enim quidem ex ſua notione ac vi nominis tantùm carnis aſſumtionem: ſed juxta conſuetum uſum loquendi Theologorum & SS. Patrum ſignificat il- Unde deſcendat vox Incarnationis, & quid ſignificet.

lud reconditum mysterium, quo Filius Dei totam humanam naturam sibi hypostaticè univit, inque unam cum illa personam coiit, ita ut ipse in duabus naturis Divina & humana subsistens sit una persona, verus Deus & homo. De qua re Athanasius Orat. de Sanctiss. Deipara ait: *Incarnationis & assumtæ humanitatis speciem sub una voce simul prædicamus, neq; solùm incarnationem annunciamus sed unà cum incarnatione* καὶ ἐνανθρώπησιν *& assumtam humanitatem* (quasi dicas *inhumanationem*) *ne videamur cum impiis hæreticis inanimatam menteq; vacuam & irrationalem incarnationem statuere, sed ex eo quod dicimus incarnationem & humanitatem simul assumtam, & carnem credimus & animam rationalem ac mente præditam significamus. Ideoq; & eos qui dicunt solam naturam Dei verbi incarnatam, neq; addunt eam animatam esse & rationalem & mente præditam, non admodum recipimus, nisi resolvant & exponant, quid iis verbis sentiant.* T. 1. 817. Eadem ratio est de voce ἐνσωμάτωσις, quæ Hilario est *corporatio*, prolog. super Psalm. ac præstat omninò pleniorque est ἐνανθρώπησις, *inhumanatio*, licet non ita sit in usu.

Alter locus principalis est 1. Tim. III, 16. *DEUS conspicuus factus est in carne. Quibus profectò verbis dispensatio pro nobis assumtæ carnis exprimitur*, ut Chrys. ait hom. XI. in I. ad Tim. T. 4. 249. Disertum hic namque testimonium habemus utriusque naturæ in Christo, & unionis, quæ inter utramque intercessit. Divina natura notatur voce Deus, quæ subjecti locum tenet. Humana, voce *carnis*. Unio inter utramque naturam significatur, cum unus idemque esse traditur, qui cum Deus esset, manifestatus fuit in carne. Cumque hoc omnem humanum captum superet præmuniens Apostolus: Ὁμολογουμένως μέγα, inquit, h.e. *in confesso, citra controversiam magnum* & indubitatum scil. fidelibus, è quorum numero erat & ipse, est hoc *pietatis* sive pium sanctum & religiosum *mysterium. Animadverte*, ait l. d. Chrysost. *mysterium, & venerationis horrore moveberis.* Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. *Deus*, nempe Dei Filius, *manifestatus est in carne* i. e. incarnatus & ex invisibili visibilis factus est.

Eodem modo de Incarnatione loquitur S. Johannes: εἰς τοῦτο, ait, ἐφανερώθη, *Ad hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* 1. Ep. III, 8. Et quod apparitio illa in carne sit facta, idem docet seq. c. IV, 2. *Quicunq; spiritus confitetur, Jesum Christum* ἐν σαρκὶ *in carne venisse, ex Deo est.* Non potest autem ullus Scripturæ apex à Photinianis ostendi, ubi Patri tribuatur φανέρωσις ἐν σαρκὶ. Imò verò de solo Filio hoc dici, quod sit manifestatus in carne, arguunt, quæ ibidem

dem subnectit Apostolus, prædicata immediatè cohærentia: *Justificatus in Spiritu* h.e. justus declaratus (uti Luc. VII, 29.) & Messias ac Filius Dei comprobatus per virtutem Spiritûs seu Divinam sibi propriam, qua miracula patrabat, & seipsum ex mortuis excitabat, Rom. I, 4. Spiritus enim h. l. dicitur, quicquid in Christo divinum erat ac supra hominem: sicuti 1. Petr. III, 18. Substantia, inquam, Deitatis, secundum quam *Christus quoniam corpus non est, utiq; Spiritus est*, dicente Augustino ep. 99. p. 443. C. *Visus Angelis*, quos in admirationem rapiebat tantum hoc mysterium, in quod propterea ipsi quoq; gestiebant introspicere, 1. Petr. I, 12. suoque ministerio incarnationem, nativitatem, tentationem, passionem, resurrectionem & ascensionem Dominicam prosequi: *Prædicatus gentibus* non minùs quam Judæis, juxta illud: *Nos prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem offendiculum, Græcis verò* seu gentibus *stultitiam*, 1. Cor. I, 13. *Fide receptus in mundo*, in quo passim Christus, non obstante, quod Evangelium ipsius plerisq; stultitia videretur, suos tamen habuit sectatores, qui in ipsum crederent & doctrinam ejus amplecterentur, Col. I, 6. *Susceptus* denique *in gloriam, dum scil.* ut rursum Christus ait, *in nubibus ferretur in cælum*, quod postremum contigit equidem ante publicam prædicationem Evangelii, hîc verò ultimo loco ponitur per ὑστερολογίαν Scripturæ usitatam. Nihil his omnibus clarius. Et Smalcius tamen hîc denuò supra omnes Christianos insipidè sapiens, de Deo Patre ac voluntate ejus hominibus manifestata hoc dictum intelligit. Nimirum *Deus est conspicuus factus in carne*, idem ipsi, ac, *Divina voluntas est manifestata per Apostolos, qui erant caro* h. e. *imbecilles, miseri & afflicti homines*. Vel, omissa planè voculâ Deus, ex versione vulgata ita vult legi: *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*, sive per infirmitatem aut cum infirmitate tam Christi quam Apostolorum. Quid hoc nisi mera depravatio? nam nec ullus profertur a Smalcio Scripturæ locus, in quo vox Deus præcisè voluntatem Dei denotet: nec insigniter adeò magnum hoc esse ac Novo Test. reservatum dici potest mysterium, quod operâ hominum fragilium Deus sit usus in promulganda voluntate sua, quales homines & Prophetæ erant sub V. T. nec Græcus codex ullus repertus est hactenus, qui non habuerit nomen Θεὸς: nec ullo denique pacto prædicatio Evangelii potest dici recepta in gloriam. Linquatur igitur Smalcius, & utrisque manibus preciosum hoc nostræ salutis testimonium, in quo tam planis verbis duæ ponuntur, distinguuntur, uniuntur naturæ, retineatur.

Sciendum autem ulteriùs, *Unionis vocabulum* accipi posse vel *pro actione uniendi* sive, ut alii loquuntur, inchoativè, & pro effectiva uni- Vocabulũ Unionis dupliciter accipitur.

unitione, vel *pro termino actionis* seu terminativè. Cum priore modo accipitur, productionem humanæ naturæ dicit & ejus cum Divina conjunctionem effectivam. Atque ita est opus Divinitatis ad extra, quia ad externum aliquod tendit: ac propterea non ad unam sed ad omnes tres Divinitatis personas est referendum. Omnes enim hæ ad producendam humanam naturam concurrunt & omnipotentia suâ ut principio efficiente revera eam producunt, secundùm vulgarem Theologorum regulam superius traditam: *Opera Divinitatis ad extra sunt indivisa.* Hoc modo in ipsis Scripturis Pater & Spiritus S. partes suas hîc egisse dicuntur; *& Deus* Pater quidē *misisse in plenitudine temporis Filium suum*, Gal. IV, 4. *Spiritus S. verò supervenisse in* beatissimam Virginem *Mariam* Luc. I, 35. *in qua quod erat genitum, de Spiritu S. erat*, Matth. I, 20. Ubi vero pro termino unionis accipitur, tum sicut solius secundæ personæ est, terminare humanam naturam, sic quoque solius ejus est Unio quà talis: opus enim tum est ad intra, quod non ad externum aliquod sed ad personam terminatur. Et *hac unionis significatio indigitatur per vocabulum Assumtionis*, quando Filius Dei assumsisse dicitur humanam naturam. Nam assumere eam non esse efficere, sed personalitate sua terminare, &, ut ita nunc loqui liceat, supposita-re. *Declararunt hanc rem elegantissima similitudine ab actu vestiendi sumta* Scholastici. Sicut enim si tres sint, qui vestem induant, & unus tantùm ex illis eâ induatur, omnes possunt dici vestientes, unus verò tantùm vestitus: Ita in Incarnatione Filii Dei omnes tres Divinitatis personæ producunt humanam naturam, eamque ad hypostasin applicant, sed tamen una tantùm ex iis, secunda persona, eâ induitur, & habet eam personaliter, terminando eam ad suum ipsius suppositum sive ad propriam hypostasin. Neque enim argumentari hîc licet: Si Divina natura humanæ est unita, omnes Divinitatis personas esse unitas, quia nempe Divinitas sit indivisibilis. Est enim in Divinitate distinguendum, ut rectè monet Chemnitius, inter personam & essentiam. Si *Incarnatio* sive hoc modo accepta Unio ad essentiam terminaretur, omnes personæ essent incarnatæ. Verùm *non ad essentiam, sed ad personam terminatur.* Nam Filius substantialiter complet humanam naturam, non essentiâ sed personalitate sua, quæ cum ipsi sit propria, Incarnatio quoque ejus solius erit. Ad hoc denotandum significantiùs dicemus limitatè, naturam Divinam ἐν μίᾳ ὑποστάσεων esse unitam carni sive incarnatam, & quidem ἐν ὑποστάσει τοῦ Λόγου, sive, quod eodem recidit, naturam Verbi incarnatam esse, quod tantundem est, ac, Verbum esse incarnatum. Nam φύσιν τοῦ Λόγου λέγοντες αὐτὸν τὸν Λόγον σημαίνομεν, inquit Damasc. l. 3. O.F. c. 6.

Quid hic significetur per assumere,

Ver-

Verbum igitur, inquam, verè & ſubſtantialiter ſibi habet unitam humanam naturam. Jam *id, in quo natura Verbi & humana natura conveniunt atq; uniuntur, vel erit natura vel perſona.* Prius eſſe nequit: Sic enim ex duabus naturis fieret una, alterâ abolitâ: cùm tamen Scriptura etiam poſt unionem Chriſtum eſſe verum Deum & hominem doceat, eidemque utriusque naturæ proprias operationes attribuat. Remanet ergò poſterius, quod unio ſit facta ſecundum perſonam. Ac *in hoc ſanè poſita eſt formalis ac propria hujus unionis ratio, quod humana natura conjungitur cum Divinâ, mediante perſonalitate Divina*, ſive quod medium, in quo extrema, ambæ ſcil. naturæ, conveniunt, eſt perſona τ̃ Λόγȣ. Atque *illud eſt hoc in loco myſterium, quod cum humana natura ſibi relicta ultimum exiſtentiæ complementum ſive ſubſtantialem terminum ex ſe habere potuiſſet, impedita tamen eſt atq; in conſortium perſonalitatis Divinæ aſſumta.* Habet equidem Chriſtus veram eſſentiam hominis, ſive id, quod primò concipitur de Homine & exprimitur definitione: tale quid enim in quacunque re eſſentiam dicimus, nempe id, quod in qualibet re primò concipitur & definitione exprimitur. Habet etiam Chriſtus propriam exiſtentiam hominis, quæ exiſtentia nihil eſt aliud quàm actualis eſſentia, & ſic ſola ratione ab eſſentia differt, prout hæc extra ſuas cauſas in actu conſtituitur. Nam v. g. Petrum actu eſſe, & Petrum exiſtere, in re idem ſunt. Solet aliàs de eſſentia & exiſtentia in Metaphyſicis afferri exemplum de Roſa, cui abſolutè etiam in hyeme ſuam tribuimus eſſentiam, quatenus eo tempore intellectui poteſt objici & eſſentialiter definiri: exiſtentiam autem ſive actualem eſſentiam h. e. entitatem extra cauſas & nihilum poſitam non in hyeme habet ſed in vere. Hoc obiter. Perſonalitas, ſive generaliore voce, Suppoſitalitas, vel, adhuc generaliùs, Subſiſtentia, ut vocant, eſt modus quidam exiſtendi competens ſubſtantiis. Ipſa per ſe eſſentia itemque exiſtentia ſubſtantiis juxta atque accidentibus communis eſt. Modus autem eſſendi & exiſtendi variat. Subſtantiæ per ſubſiſtentiam, Accidentia per inhærentiam eſſe ſuum in natura rerum tuentur. Τὸ eſſe itaque vel exiſtere modificatur per ſubſiſtere & inhærere. Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, ut Homo, Lapis. Accidens eſt ens alteri tanquam ſubjecto inhærens, ut Albedo, Nigredo, quæ non poteſt exiſtere niſi vel in nive, vel in lacte, vel in charta, veſte aut alio aliquo ſubjecto, quo veluti fulcro innitatur. Ut jam redeamus ad humanam Chriſti naturam, ea ſanè ſubſtantia eſt adeoque ens per ſe ſubſiſtens ſive tale quid, quod ad ſui naturalem exiſtentiam non requirit ſubjectum inhæſionis. Niſi ita per ſe ſubſiſteret, accidens foret. Veruntamen fieri poteſt, ut ſubſtantia completa, quæ ad illum mo-

Ratio myſterii Incarnationis.

dum ens per ſe ſubſiſtens dicit, nihilominùs ab alio in exiſtendo ſuſtentetur, non quidem tanquam à ſubjecto inhæſionis (quod accidentibus peculiariter convenit) ſed tanquam ab ultimo termino ſubſtantiali, quo velut ultimo complemento ita terminatur ſubſtantia, ut actu per ſe ultimatè ſubſiſtat nec ab alio ſuſtentante dependeat. Quare *neceſſe eſt nomen ſubſiſtentiæ ab æquivocatione liberari.* Vel enim ſubſiſtentia notat talem actualem eſſendi modum, qui opponitur modo eſſendi in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis, cujusmodi ſubſiſtentia in ipſa definitione & eſſentiali conceptu cujusvis ſubſtantiæ, ut talis, includitur: vel magis ſtrictè dicit ultimum terminum ſubſtantialem, quo omnis ſubſtantia individua in exiſtendo ita completur, ut per ſe & ſine omni alio ſuſtentante actu exiſtat, qualis ſubſiſtentia in ratione ſubſtantiæ non actu ſed aptitudine tantùm includitur: ad ſuppoſitum autem neceſſariò requiritur, à quo non aliter differt, niſi ut abſtractum à concreto, atque hinc dicitur etiam Suppoſitalitas, &, ſi in natura ſit intelligente, Perſonalitas. Priore modo humana Chriſti natura hoc ipſo, quod ſubſtantia eſt & non accidens, habet ſuam ſubſiſtentiam: nec enim exiſtit in Verbo, ut ſubjecto, cui inhæreat ad modum accidentis, quia poteſt eſſe ſine eo. Poſteriore verò modo humana Chriſti natura caret ſubſiſtentia, ſive, quod h.l. idem, perſonalitate propria, & eatenus, nempe ultimò & hypoſtaticè eſt incompleta. Breviter, *ſubſtantia humanitatis Chriſti eſt ens per ſe ſubſiſtens, ſed non ultimò. Potuiſſet quidem ex ſe habere ultimum ſubſtantialem gradum, ſive propriam & naturaliter ſibi debitam hypoſtaſin ſeu perſonalitatem ſuam: nam aptitudo non defuit: ſed impedita fuit per aſſumtionem in hypoſtaſin Verbi, idq́; ideò, ne duæ perſonæ eſſent in Chriſto.* Hinc ne uno quidem inſtanti relicta eſt ſibi, ut per ſe ultimò ſubſiſteret, ututita ſubſiſtere apta eſſet: quemadmodum ſanè omnis ſubſtantia eſt in potentia ad complementum illud ultimum, ſimiliter ut res terminabilis eſt in potentia ad ſuum terminum. Verùm in ipſa ſtatim humanæ naturæ creatione potentia hæc fuit inhibita, atque in Mariæ utero ita efformata & concepta Chriſti caro, ut non poſteà demùm aſſumtio ejus & ſic tandem unio ſequeretur, ſed ut *hæc omnia ſimul contingerent*, juxta illud videlicet Damaſceni: ἅμα σὰρξ, ἅμα Θεοῦ Λόγου σὰρξ, ἅμα σὰρξ ἔμψυχος λογική, l. 3. O. F. c. 2. Nec igitur ullo momento vel ſibimetipſi relicta, vel planè abſque omni ſubſiſtentia eſt relicta Chriſti humanitas, ſed in hypoſtaſin Verbi ſtatim recepta, ſicque carentia perſonalitatis propriæ compenſata per hypoſtaſin alienam & eam quidem Divinam. Quapropter *nec imperfectior ob id cenſeri debet humana natura, quæ in Chriſto, quàm quæ in nobis eſt*, quod illa deſtituatur modo illo, unde proximè

Vox Subſiſtentiæ ambigua.

con-

constituitur persona humana. Non enim is ipsi deest propter imperfectionem aut defectum & impotentiam quandam, sed propter assumtionem in longè præstantiorem imò eminentissimam personalitatem, Divinam sc. & increatam. Multò verò minùs cum hodiernis Photinianis dicendum, impossibile esse, ut is sit per naturam homo, cui deest personalitas humana. *Sufficit, naturam subsistere quacunq; personalitate, quia personalitas terminat quidem naturam intelligentem, sed non est de essentia ejus, eademq; ratio est cujuslibet subsistentiæ ultimo actu naturam terminantis, quæ est puncti terminantis lineam.* Sicut nempe punctum terminat lineam, sed non est pars ejus essentialis: ita subsistentia v.g. humana terminat naturam hominis, quæ vel absque ea sortitur suum complementum essentiale ex unione animæ cum corpore. Quamprimum anima rationis particeps unitur corpori organico, ex eo essentialiter est completa humana natura. Ideoque Christus per hoc, quod habet animam rationalem & corpus, constituitur verus & essentialis homo. Subsistentia, licet compleat humanam naturam ultimò & hypostaticè, non tamen *definitionem Hominis* ingreditur, quæ est, *quod sit animal rationale*, sive, ut alii Cardanum secuti malunt, *corpus animatum intelligens*: quæ definitio Christo quoque competit. Verus is ergò per naturam homo est, licet per se ultimò non subsistat. Et quid habent in contrarium, quod nobis opponant, Sociniani? Unica nituntur misera ac elumbi collectione seu inductione singulorum hominum: Quia Socrates, Plato, Aristoteles aliique homines individui sua propria subsistunt personalitate, hinc efferunt generalem conclusionem: Omnis homo singularis seu individuus propria subsistit personalitate humana; eamque è Naturæ circo in Scripturæ mysteria, sublimitatem eorum Deiq; potentiam nil morati, inferunt. Atqui perinde hoc est, *ac si ex inductione singularum fæmellarum, Evæ, Rebeccæ, Hannæ & aliarum omnium* communiter non nisi amissa virginitate parientium hanc *conficias maximam: Quæcunq; parit, virgo non est*; eamque dein virginitati Mariæ matris Domini negandæ accommodare tentes. Enimverò nimium fuerit, vel pro Philosophico placito id venditare, quod illi in Theologiam magno hodie nisu intrudunt. Etenim subsistentiam propriam nec ad individuæ substantiæ essentiam pertinere, nec essentialium ejus proprietatum unam esse, sed aliquid ab illa & istis distinctum, quin separabile etiam, *anima nostra argumento sit*, quæ sibi relicta est in potentia ad habendam propriam subsistentiam, eamque reipsa habet soluta corpore sive in statu, ut vocant, separato, ubi per se ultimò subsistit & peculiarem personam costituit, non minùs ac quilibet Angelus, juxta Lomb. l. III. d. 5. E. Quamdiu autem corpori con-

juncta est, impeditur ejus propria hypostasis, ut non per se ultimò, sed subsistentiâ compositi subsistat; nec adeò in statu illo conjuncto persona sit sed natura tantùm. Et eadem, ut in corpore est & hypostasi subsistit totius, non differt essentialiter à seipsa ut extra corpus est & propria hypostasi subsistit, sed una prorsus manet, neutrubi nequicquam læsâ ejus essentiâ. Illæsâ igitur etiam essentiâ humanitatis Christi, poterit subsistentia creata, quam humanitas illa per se habere apta est, per omnipotentiam Dei impediri, & de Christo, quod sit homo essentialiter completus, nobis consubstantialis, individuus atque singularis, verificari, absque subsistentia humana, dum interim negatio propriæ subsistentiæ compensatur per alienam.

Unde homini Christo singularitas?

Unde verò, inquies, homini Christo singularitas, si ea non provenit ex peculiari hypostasi humana?

Resp. *Singularitatem, prout idem est ac unitas transcendentalis & opponitur naturæ specificæ, habet humanitas Christi ex eo, quod una singularis & individua à Filio Dei producta & producendo assumta est*, talis scil. quæ multis ut inferioribus sibique subjectis communicari non potuit. Cæterùm hypostasin seu personalitatem ob id per necessariam consequentiam non habet. Ut enim singularitas transcendens aliquod est, nec ab ulla re existente separari potest; Ita è contrario personalitas, quæ modus quidam singularitatis est, separari rectè à singularitate potest: quemadmodum in exemplo jamjam allato anima humana, v. g. Petri, singularis est, quippe singulariter ab agente producta extra suas causas, cum non nisi singularia producantur; propria tamen, dum in corpore hospitatur, hypostasi caret, & personalitate compositi subsistit, eò quod hypostasis ejus propria impeditur, quamdiu corpus informat. Unde apertissimè patet, singularitatis principium non semper esse peculiarem subsistentiam. Sic ergò *& humana Christi natura habet singularitatem, nec ultimam tamen subsistentiam*, impedita à fortiore principio, in quod assumta est. *Singularitatem habet à* Λόγῳ, qui illam extra suas causas producendo singularem produxit: *Subsistentiam habet in* Λόγῳ, qui illam assumendo in seipso fecit subsistere, & à se, ut sustentante, dependere in unitate personæ.

De termino Sustentationis.

Termino hoc sustentandi utimur in præsenti mysterio orthodoxè cum nostro Philippo, qui multoties ita loquitur. In Exam. ad quæst. *Quæ persona assumsit humanam naturam?* respondet: *Filius, qui est coæterna imago Patris & nominatur* Λόγος— *Talis est autem assumtio, ut huic personæ soli, quæ est* Λόγος, *hæc massa humanæ naturæ assumta sit, unita unione hypostatica i. e. ut sit unum* ὑφιστάμενον, Λόγος

susten-

sustentans hanc massã & ipsa massa naturæ humanæ. Postea: *Sicut*, inquit, *anima hominis & corpus sunt unum* ὑφιςάμενον *completum, & corpus dissolvitur desertum ab anima: Ita* Λόγος *& assumta natura sunt unum* ὑφιςάμενον *& redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur & sustentaretur à* Λόγῳ. Rursum enarr. Symb. Nic. part. 2. *Humana*, ait, *natura in Christo non habet rationem personæ per sese*, sicut Petrus aut Paulus aut cæteri homines, *sed dependet singulari ordine ad hanc Divinam personam, ut ab ea sustentetur & conservetur & rationem personæ cum Divina natura accipiat.* Post aliqua ibidem: *Cum igitur humana natura in Christo sustentetur à Divina, ita ut non esset humana, nisi sic sustentaretur, non sunt duæ personæ Divina & humana, sed sunt unica persona, & Divina sustentatrix terminat ordinem alterius naturæ, ut jam sint unica persona.* T. I, f. 441. a. Eadem habet T. II. p. 220. ac fortè etiam alibi.

Quæ ut rectè & ex mente ejus intelligantur, dicimus, *sustentationem unius ab altero capi, quantum ad præsens*, posse dupliciter: I. *Efficienter.* II. *Formaliter.* Ratione efficentiæ Λόγος dici potest sustentare massam assumtam, quatenus eam in esse suo conservat, ne in nihilum redigatur, non futuram aliàs aut perstituram, nî ab ipso sustentaretur & gestaretur. Verùm hæc sustentatio in actu secundo sive operatione & effectione posita est extrinseca Filioque communis cum Patre & Spiritu S. æquè ut productio assumtæ humanæ naturæ, quin communis etiam omnibus creaturis, *quæ in Deo sunt, vivunt & moventur* Act. XVII, 28. *quasq;* non minùs, quam Pater aut Spiritus Sanctus, *sustinet Filius verbo virtutis suæ*, Ebr. I, 3. Præcisè hoc igitur sensu non existimandus est Philippus ad unionem duarum in Christo naturarum hunc terminum accommodare: Sed *accipit eum potiùs*, quod ipsiusmet verba plenè apprehensa docent, *formaliter*, ita ut Λόγος, seipsum naturæ humanæ per modum termini & complementi communicando, intrinsecè istam naturam sustentet in unitate personæ. *Quæ sustentatio activa quidem est, sed non actu secundo*, sicuti manus sustentat baculum, verùm actu primo, ad istum modum, quo Totum partes sustentat intimè sibi conjunctas Ac in tali profectò sustentatione consistit forma hujus, de qua loquimur, Unionis: Quæ hinc dicitur hypostatica seu personalis, quia terminus ejus ad quem est persona τȣ̃ Λόγȣ intrinsecè comunicans se naturæ assumtæ ac terminans dependentiam ejus non per aliquam operationem externam sed seipsâ immediatè, nempe per actum primum subsistendi sibi proprium in esse completo persona-

Cur Unio dicatur hypostatica.

li eam constituens, ut nunc ipsa *consustentata natura* (quo nomine eam appellat Damasc. l. III. de orth. F. c. IV.) nec per suam ipsius nec per ullam aliam quam solam æterni Verbi hypostasin in ratione personæ seu esse substantiali ultimo atque incommunicabili subsistat.

Verbum Divinum non est mutatum per Incarnationē.

In occasione hîc monemus, quoniam humana natura sustentatur sive in subsistendo dependet à Divina persona Verbi, non contrà persona Verbi ab humanitate, Verbum itaque Divinum *non esse mutatum* (ut non nemini possit videri) *per incarnationem, sed quicquid mutationis, quicquid novi hic contigit, id in humana natura esse*; quæ educta è potentia passiva in actum, cœpit in Verbo subsistere & per hoc noviter existentiam ac subsistentiam adipisci, cum Verbum jam ante ab æterno fuisset nec aliquid hoc pacto de novo acquireret, quod prius non sive formaliter haberet sive eminenter. *Deus enim eminenter includit perfectiones omnium creaturarum & sic etiam humanæ naturæ rationem.* Dum igitur Filius Dei homo factus, ipsi omnes in se perfectiones includenti ab assumta humana natura, cui intimam suam perfectionem personalem communicavit, nihil perfectionis accessit, & propterea non est illa conjunctione mutatus: quia mutatio propriè dicta requirit, aliquid è potentia passiva in actum deduci, & acquiri vel adjici illi perfectionem aliquam, quæ prius non aderat. *Ex quo sibi quidem univit Filius humanam naturam, nunc enunciatur de eo, quod sit homo, quod priùs de eo verificari non poterat*: Sed per hoc non mutatur magis, quam Deus mutatur universa hæc creando, unde noviter Creator, & sustentando creaturas, unde Conservator in tempore dicitur. Estque mutua hîc quidem σχέσις nova inter personam Divinam, & naturam humanam, ut quemadmodum dico: *Natura humana est assumta à Verbo*, sic pariter dicam: *Verbum assumsit naturam humanam*, quorum neutrum ante Incarnationem dici poterat. Sed hoc interest, quod in priore prædicatione humana natura habet ordinem ad Verbum, à quo sustentatur & ultimò dependet, non verò in posteriore Verbum ordinem istiusmodi habet ad humanam naturam, cùm Deus sit extra omnem ordinem creaturarum propter inæqualitatem. Hinc *prior propositio mutationem importat, non item posterior.*

Probè discernendæ sunt Natura & Persona.

Præcipuum, quod in hoc mysterio considerari debet, est, ut *accuratè discrimen observetur inter naturam & personam.* Naturæ in Christo duæ sunt, eæque distinctissimæ, persona saltem unica & indivisa. Unde duarum naturarum unio dicitur personalis, quia in una persona ambæ naturæ conveniunt. Quod si insurgat Photinianus: *Ubi duæ naturæ intelligentes, ibi duæ personæ.* In Christo sunt duæ naturæ intelligentes, Divina & humana; Ergò duæ quoque personæ: necesse habet,

bet, ut probet sufficienter Majorem, quam firmare aliunde non potest, quàm quia contrarium exemplum nullum in natura deprehendatur quoad communem rerum seriem. Sed annon hoc est aperto Marte invadere mysteria, & evacuare Fidem Christianam universam? Si enim nihil credas, quod præter & supra naturalem rerum seriem sit, jam tota tibi periit religio Christiana. Ex dictis autem facilè refellitur illa Major. Potest enim altera natura impediri, ne personam constituat. Quippe *personalitas est terminus naturæ, non pars, & competit substantiæ intelligenti nec in primò nec secundo modo per se*, h.e. nec (ut ante dictum) ad essentiam ejus pertinet, (aliàs definitionem ingrederetur) nec est proprium ejus essentiale, quorum illud ὀυσιῶδες hoc ἐπουσιῶδες à Philosopho solet appellari. Potest ipitur salvâ essentiâ abesse à natura substantiali, & per Dei inprimis potentiam, quominùs actualiter ipsi naturæ competat, impediri: additâ subsistentiâ perfectiore. Quæ enim talia sunt, ut nec essentiam rei constituant nec constitutam necessariò insequantur, ea separari à re, integra manente essentia ejus, possunt.

Non solùm autem contra novos hæreticos Photinianos, sed contra veteres etiam, cum Nestorianos tum Eutychianos, hoc discrimen Naturæ & Personæ usum habet insignem. Notum est enim, *Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum Seculo V.* discerpsisse unam Christi personam in duas, docendo, alium esse Filium Dei, alium Filium Mariæ: eum, qui ex Maria natus est, esse purum hominem quiq; non solùm naturam sed & personam humanam habeat, Dei Filium autem esse Deum, & proinde B. Mariam non esse Θεοτόκον vocandam, h.e. Deiparam, sed χριστοτόκον, Christi genitricem, nec Deum crucifixum esse sed hominem. Hæ namque erant impiæ ipsius voces: *Non peperit Maria Deum, ô optime, sed hominem Deitatis organon. Verbum Dei non est caro* (seu homo) *sed hominem assumsit. Ego bimestrem aliquem & trimestrem nunquam Deum confitebor. Noli gloriari Judæe: Non enim Deum sed hominem crucifixisti.* Unionem ergò hypostaticam sustulit: ne nihil tamen videretur relinquere, pro ea accidentalem substituit, quia Filium Dei unitum esse Filio hominis asserebat quatuor potissimum modis: I. *Secundum inhabitationem*, ut Filius hominis, persona creata, templum veluti quoddam esset & habitaculum Filii Dei personæ increatæ. II. *Per unionem affectûs, voluntais & dilectionis*, quod idem sit utriusque nolle, idem velle. III. *Secundum operationem*, quia Christus homo fuerit instrumentum, quo uteretur Verbum in operibus miraculosis. Et IV. *Secundum participationem nominis & dignitatis*, quod homo ille à Verbo assumtus vocetur Deus & Dei Filius, atque ab omnibus creaturis adoretur, cum non ipse, sed qui eum assumsit, Deus sit & ab omni-

De Nestorii & Eutychis erroribus.

bus adorandus. Hanc hæreſin ex profeſſo refutarunt particulariter *S. Cyrillus* XII. Capitulis ſive Anathematiſmis (qui omnibus meritò noti eſſe debent) libroque de Incarnatione Domini, & *Caſſianus* libris de Incarnatione VII. Univerſaliter autem exploſa eſt *in Concilio Epheſino, ſub Theodoſio Juniore*, ubi illa XII. capitula Cyrilli ab Orthodoxis communiter recepta & poſtea tanquam Concilii totius ſententia deciſiva habita ſunt.

Vix autem ſopita hac hæreſi, & paucis eodem Seculo annis interjectis, dum Neſtorii charybdim vitare conatur *Eutyches*, Monachus & *Archimandrita* (quem Abbatem poſteà dixere,) *Conſtantinopolitanus*, nimio in Neſtorium zelo accenſus ſed eo non ſecundum ſcientiam, in ſcyllam incidit & hæreſin longè tetriorem ac ſuperiore fœdiorem, aſſerens ut unam perſonam, ſic unam naturam Immanuelis noſtri poſt unionem; idque uno ex tribus modis, Vel I. *per converſionem Deitatis in carnem*, quò trahebat illud Johannis: *Verbum caro factum* h.e. ipſo interprete, in carnem mutatum, &, ut loqui Theodoreto annotante amabat ridiculè, *inconvertibiliter converſum eſt*: Vel II. *per converſionem carnis in Deitatem*, & per conſumtionem carnis, ſic videlicet, ut caro à Divinitate velut gutta vini ab Oceano abſorpta, & conſequenter non ſolùm (quod Apollinaris ſentiebat) mentis, quæ quidem humanitatis portio eſt præcipua non tamen tota humanitas, ſed corporis quoque & carnis, ſummatim totiùs humanitatis loco Divinitas eſſet: Vel III. *per commixtionem duarum* naturarum aut certè concretionem utriusq; *in unam tertiam*, ſicut ex anima rationali & corpore reſultat tertia natura, nempe humana. Et hæc maximè propria videtur Eutychis fuiſſe ſententia. Sic enim vox ejus & Confeſſio apud Evagrium: *Confiteor Dominum noſtrum ex duabus naturis fuiſſe ante unionem*: *Poſt unionem verò unam naturam confiteor*: quia ſcil. volebat, duas in unam tertiam coaluiſſe. Idque eò extendebat, ut nec poſt unionem illam factam alia Divinitati, alia humanitati propria eſſe concederet, ipſamque Divinitatem natam, paſſam, mortuam diceret. *Ex qua proprietatum confuſione rectè arguebatur confuſionis ipſarum naturarum, utut hanc in ſpeciem negaret*. Scripſerunt contra eum ex inſtituto SS. Patres. *Leo Magnus*, Epiſcopus Romanus, Ep. X. ad Flavianum: *Theodoretus* in Dialogis, Inconfuſus, Immutabilis & Impatibilis: *Vigilius* Martyr libris V. & *Gelaſius* uno de duabus naturis. Communi quin etiam ſuffragio damnata eſt ea hæreſis *ſub Imperatore Marciano in Concilio Chalcedonenſi*, ubi illa inprimis epiſtola Leonis publicè confirmata & approbata eſt.

Fons autem utriusq́; erroris ille extitit, quod neuter nec Eutyches nec Neſtorius diſcernere noſſet inter naturam & perſonam, quaſi fieri impoſſibile ſit, ut perſona & natura numero diſcrepent. Neſtorius itaque falsò colligebat: Si duæ ſunt naturæ, duæ quoque perſonæ. Falsò item è contrario Eutyches: Si una perſona, una quoque natura. Uterque propoſitionem aliquam ponebat in antecedente, quæ vera erat: ex ea autem falſum inferebat conſequens. Cauſa autem falſæ illationis erat, quod ſtatuerent, pro ratione naturæ ſe habere etiam perſonam, & vice verſa. Unde alter pro multiplicatione naturarum multiplicavit perſonas: alter pro contractione perſonalitatis contrahendam quoque putavit naturam. Sed præſtat hæc explicare verbis antiqui Scriptoris, Severini videlicet Boëthii, quàm noſtris: *Eutychis error, inquit, ex eodem, quo Neſtorii, fonte prolabitur. Nam ſicut Neſtorius arbitratus, non poſſe eſſe naturam duplicem, quin perſona fieret duplex, atq́; ideò cum in Chriſto naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit eſſe perſonam: ita quoq́; Eutyches non putavit naturam duplicem eſſe ſine duplicatione perſonæ; & cum non confiteretur duplicem eſſe perſonam, arbitratus eſt conſequens, ut una videretur eſſe natura. Itaq́; Neſtorius rectè tenens duplicem in Chriſto eſſe naturam, ſacrilegè confitetur duas eſſe perſonas: Eutyches verò rectè tenens, unam eſſe perſonam, impiè credit, unam quoq́; eſſe naturam.* Hæc ille l. de duab. nat. c. 4. Paria habet Damaſc. l. III. O.F. c. 3. Τȣτό ἐςι τὸ ποιȣ̃ν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην, τὸ αὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν καὶ τὴν ὑπόςασιν. His gemella ſunt, quæ utroque horum vetuſtior D. Vigilius Martyr annotavit his verbis: *Neſtorius duas intuendo naturas duas putavit eſſe perſonas — Eutyches reſpiciens unam perſonam, unam cenſuit eſſe naturam — Et quia eſt in Chriſto & naturarum proprietas & perſonæ unio, Neſtorius proprietatem attendendo naturarum, à perſonæ excidit unione & duos putavit Chriſtos, unum paſſibilem, alterum impaſsibilem eſſe. At Eutyches unam intuendo perſonam, à naturarum proprietate deſcivit, & ipſam Divinitatem aſſeruit paſſam.* Ita Vigilius l. II. p. 38. Neuter ergò nec Eutyches nec Neſtorius intellexit diſcrimen inter Naturam & Perſonam: ſcil. perſonalitatem diſtinctam eſſe ſuo quopiam modo à natura. Prælucere ipſis & poterat & debebat *myſterium Trinitatis*: ſicut ſanè nulla eſt alia ſimilitudo myſterio Incarnationis declarando aptior. Admiſſo illo Trinitatis myſterio (quod admittebant ambo, Neſtorius & Eutyches) nullam habet difficultatem, admittere & aſſequi myſterium Incarnationis, licet oppoſito modo ſe habeant. *In Trinitate una eſſentia ſubſiſtit tribus perſonalitatibus.* Quod ſtatim indicio eſt, neceſſe non eſſe, ad modum eſſentiæ habere ſe rationem perſonalitatis. *In Incarnatio-*

Fons utriusque erroris.

natione verò duæ ſunt eſſentiæ vel naturæ, ſed una perſonalitas. Ibi ἄλλος καὶ ἄλλος: hîc ἄλλο καὶ ἄλλο. Si tamen admitto prius, nulla fuerit ratio, quare non ſimiliter credam poſterius. Par enim difficultas eſt vel apparens abſurditas, unam eſſentiam ſubſiſtere tribus perſonalitatibus, &, duas naturas una perſonalitate in ſubſiſtendo compleri. *Ratio autem tollens utrobiq; omnem impoßibilitatem & abſurditatem eſt infinitas eſſentiæ & perſonalitatis.* Quemadmodum in Trinitate una infinita eſſentia ſubſiſtere poteſt tribus perſonalitatibus: Ita in myſterio Incarnationis una infinita perſonalitas terminare poteſt hypoſtaticè duas eſſentias. Hæc inſuper habentes hæretici erroribus immerſi ſunt periculoſiſſimis, vel perſonam Chriſti dividentes, vel naturas confundentes. Catholica autem veritas in medio verſatur, & ita naturas in Chriſto duplicat, ut perſonam nequaquam dividat.

Neſtorius refutatur.

Contra Neſtorium itaque unitatem retinemus perſonæ, & unum eundemque, non alium & alium, eſſe Dei & Mariæ Filium profitemur. *Nobis enim unus Dominus Jeſus Chriſtus* 1. Cor. VIII, 6. Aut ergò naturâ unus: aut perſonâ. Non illud, annuente ipſo Neſtorio, qui naturam geminam ſemper aſſeruit: Ergò hoc. Sicuti Cyrillus approbat in ep. ad Acacium: *Quoniam unus eſt Filius & Deus & Dominus, in eadem illum perſona eſſe — dicimus.* Servator ipſe luculentum hujus rei præbet teſtimonium, quando cœco, cui viſum reſtituerat, interroganti: *Quis Filius Dei eſſet?* reſpondet: *Et vidiſti eum & is eſt qui loquitur tecum*, Joh. IX, 37. Ubi ſemetipſum, qui loquebatur & Mariæ Filius erat, vocat Filium Dei: quod non poteſt niſi de una perſona intelligi. Porrò Filius Dei quis alius quàm ipſe Deus? Unde ulteriùs contra Neſtorium licet inferre, Deum ipſum ex Maria natum eſſe, quoniam dicitur *Deus miſiſſe Filium ſuum factum ex muliere*, Gal. IV, 4. Eſto argumentum: Filius Dei eſt factus ex muliere. Filius Dei eſt Deus. Ergò Deus eſt factus ex muliere. Mulier ergò Maria Deum peperit, proindeque eſt Θεοτόκος. Simili ratione contra ipſum evincitur, Deum ipſum à Judæis crucifixum eſſe, quia dicitur *Dominus gloriæ* à principibus populi Judaici *crucifixus* 1. Cor. II, 8. Eſto iterum argumentum: Dominus gloriæ eſt à Judæis crucifixus. Dominus gloriæ eſt Deus. Ergò Deus eſt à Judæis crucifixus. Εὔδηλον! *Quisquis ergò confeſſus fuerit, quod Jeſus* (Filius ſc. Mariæ, idem ille, qui paſſus, crucifixus, mortuus eſt) *ſit Filius Dei, in hoc Deus manet & ipſe in Deo*, 1. Joh. IV, 15. Contrà *ſi quis non confitetur, carni* καθ' ὑπόστασιν *ſecundùm ſubſiſtentiam unitum Dei Patris Verbum unumq; eſſe Chriſtum cum propria carne, eundem ſcilicet Deum ſimul & hominem, anathema ſit*

cum

cum Nestorio, juxta capit. II. Cyrilli. καθ' ὑπόστασιν secundum subsistentiam Verbum carni uniri est ita uniri, ut una exinde Dei & hominis persona seu hypostasis existat. Nestorius *non apertè hoc quidem agebat*, ut Deum-Verbum & hominem duas diceret hypostases seu personas: sed interim divisit voces & locutiones, quæ de uno Christo dicuntur in Scripturis, prædicata alia soli Deo, alia soli homini attribuens. Christum Deum nominabat unigenitum Patris: è Maria solitariè Christum hominem natum pronunciabat. Hunc hominem ajebat dormivisse in cervicali, Deum imperasse ventis & mari. Indignum Dei Filio ratus, Angelo egere confortatore & clamare, *Deus meus, quare me dereliquisti? Pater, libera me ab hac hora.* Filio hominis seorsim hæc talia vindicabat. Ita verò dividere voces, est eas tribuere distinctis personis. Jam voces sunt significativæ rerum. *Quoniam itaq; duobus καθ' ὑπόστασιν distinctis illas voces attribuit Nestorius, inde convincitur duas statuere hypostases seu personas.* Partiri diversa prædicata in duas naturas, benè habet. Sic Divinæ naturæ seorsim competit, quod sit æterna, independens, infinita: humanæ seorsim, quod sit in tempore producta, dependens, finita. Sed voces alias tribuere Divinæ personæ, alias humanæ personæ, est falsa partitio, & damnata capit. IV. Cyrilli: *Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur & Evangelicis, dividit, vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso: aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit; illas autem tanquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit, anathema sit.* Non frustrà profectò. Labefactatur enim vocibus ita in duo supposita divisis unio personalis, *quam Veteres substantialem, interdum etiam naturalem & essentialem h. e. veram & internam dicunt.* Qua eversa remanet illa quidem σχετικὴ externa, habitudinalis &, ut nunc loquimur, accidentalis, quam Nestorius ponebat: *sed per illam nihil Christo peculiare tribuitur, quod non aliis etiam præter ipsum competat.* Nam I. secundum inhabitationem Deus etiam est in sanctis ut in templis suis. *An nescitis, vos esse templum Dei & Spiritum Dei habitare in vobis?* scribit Apostolus 1. Cor. III, 16. Et 2. ep. VI, 16. Deus ipse loquens introducitur: *Habitabo in eis & inambulabo*: hîc nimirum per gratiam, ibi per gloriam, quod posterius Apocal. XXI, 3. innuitur. II. Per harmoniam voluntatis Sancti Deo conglutinati cum eo sunt *unus Spiritus*, 1. Cor. VI, 17. idque multò adhuc perfectius continget in altera vita, ubi expugnata omni prava concupiscentia *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. XV, 28. ac nostram sibi voluntatem plenissimè subjectam habebit. III. Secundum operationem Deus fuit

I.

II.

III.

fuit in Apostolis ; *qui egreßi prædicarunt ubiq; Domino unà operante,* Marc. XVI, 20. nec non in aliis Thaumaturgis , juxta illud 1. Cor. XII, 6. *Discrimina sunt operationum , sed idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Sic ergò, quæ hoc triplici modo Nestorius Christo tribuit , inveniuntur omnia in Sanctis cum hujus tum alterius vitæ. At certum est ex Scripturis, planè singulari ratione & per *mysterium extra controversiam magnum* , ut Paulus loquitur 1. Tim. III, 16. Deum esse in Christo & per eum operari. *Nam in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis σωματικῶς corporaliter,* Col II,9. ita videlicet, ut in corpore substantialiter unito , nempe ut ipsius corpus suum faciat corpus, sive ut naturam ipsius humanam , pro qua integra videtur Synecdochicè corpus poni, sua personalitate compleat & substantialiter terminet, perque eam , tanquam organon non separatum , quale Apostoli erant, sed intimè sibi & hypostaticè unitum, gloriosè ac potenter quæcunque vult operetur. Usque etiam adeò inhabitat , ut dicatur *Verbum caro factum* Joh. I, 14. non alio equidem sensu , quam quod carnem cooptarit in unitatem personæ. Quo præcipuè dicto illa à Nestorio conficta accidentalis unio fortissimè refellitur. Licet enim Deus in Petro v. g. & aliis etiam Sanctis atque Beatis habitet, sive per gratiam sive per gloriam , licet operetur per eos ut per instrumenta, licet horum voluntas conformis sit ipsius voluntati , *num tamen propterea dicetur Deus factus esse Petrus aut Paulus , sicut Verbum dicitur factum caro?* Nullatenus ergo isti Johanneo explicando simplex inhabitatio, consensio voluntatum & communis operatio sufficit, sed planè unio secundùm hypostasin significatur. Nec juvat Nestorium,

IV. dixisse IV. secundùm communionem nominis & cultus æqualitatem cum Dei Verbo Filium hominis esse unitum. Si enim intelligit, Verbo seu Filio Dei Filium hominis, ac si non sit unus , connuncupandum Deum & tanquam alterum cum altero conglorificandum (sicut eum sensisse colligimus ex VIII. capit. Cyrilli , itemque ex his ipsius dicteriis : *Assumtus propter assumentem appellatur Deus. Propter invisibilem, adoro visibilem. Propter gestantem , eum, qui gestatur, veneror*) id ferri non debet : cum nec nomen Dei nec cultus & honor divinus verè homini illi congruat, si alia sit persona à persona Verbi. Nomen Dei tributum Christo homini , ut personæ à Verbo distinctæ, infert *homonymiam, qualis est , cum Angeli & Magistratus dicuntur Dii & filii Excelsi.* Cultus Dei Christo homini depensus citra personæ cum Verbo unitatem , inducit idololatriam , quia colere cultu Divino hominem per se propria personalitate subsistentem quique adeò per naturam Deus non sit, est , colere creaturam pro Creatore, & sic idololatri-

cum. Atque *hinc jam apparet, quò tendat hæresis Nestorii: nempe in Cerinthi, Ebionis, Carpocratis, Pauli Samosateni, Arii & similium blasphemiam tandem recidit, inficiantium, Christum esse Filium Dei æternum & Patri consubstantialem adeoq; naturâ Deum.* Non negat quidem Nestorius, esse talem aliquem unigenitum Dei Filium, Patri ὁμοούσιον: credit enim mysterium Trinitatis; sed Christum Mariæ Filium eundem illum esse negat, dum alium & alium facit Dei & Mariæ Filium, & eatenus illum, qui ex Maria natus est, Dominum & Redemtorem nostrum, cum dictis hæreticis, nudum hominem constituit. Mariam enim Θεοτόκον esse non admittit. Unde proximè & per immediatam ac inevitabilem consequentiam colligitur, illum, quem Maria peperit, non nisi hominem esse, minimè verum illum & æternum Deum. Is autem, quem Maria peperit, est Christus, Redemtor noster. Ergò Christus, noster Redemtor, secundum Nestorium æquè ut anteriores illos hæreticos, non est nisi homo, haudquaquam verus ac naturalis Deus, licet ὁμωνύμως Deus appelletur. Audiatur ipse, si meretur, Nestorius apud Cyrill. l. de Fide ad Theodosium: *Unigenitus,* ait, *jam inde ab initio & per se Dei omnium conditoris Filius est: at homo, quem assumsit, utiq; natura Deus non est: propter eum tamen, qui assumsit, verum Dei Filium, idem cum eo nomen obtinet.* Huc spectat, quod Christum etiam non tàm Deum dixerit quàm *hominem* Θεοφόρον *Deiferum, &* Λόγον *Deum ac Dominum Christi,* uti habent verba V. & VI. capitulorum Cyrilli. Quo magis exsecranda est hæc hæresis & contra Nestorium propugnanda acriter hypostaseos Filii Dei & Filii hominis unitas, ne labascente ea in castra abeamus illorum, qui veram ac æternam Christi Redemtoris Deitatem convellunt.

Contra Eutychen verò dualitatem naturarum etiam post unionem immotè credimus. Unica certè passionis historia humanitati probandæ abundè sufficit. Ex vulneribus enim & flagellatione dolere, crucifigi, sanguinem sudare, mori & quæ alia hîc reperiuntur, corporis veritatem evidenter demonstrant. De anima verò rationali ipse Dominus testatur, cum jam in agone constitutus eam in manus Patris sui tradit, Luc. XXIII, 46. De Divinitate videri possunt loca Rom. IX, 5. 1. Tim. III, 16. 1. Joh. V, 20. Si enim idem ille, qui ex Patribus ortus est secundum carnem, est Filius Dei vel Deus super omnia; si Deus ille, qui in carne apparuit, prædicatus fuit gentilibus & per ascensionem in gloriam susceptus: si ille, qui jam in mundum venit, Christus, est verus Deus; utique etiam post unionem, Divinam naturam in Christo remansisse oportet, eamque ab humana distinctam.

Eutyches refutatur.

Deitas in carnem non fuit conversa.

Quos Eutyches posuit unionis modos, ii ad unum omnes absurditatem impietati parem produnt. Quid enim I. vel impium magis vel absurdum, quàm statuere conversionem Deitatis in carnem? cum impossibile sit, Deum in aliquid converti & commutari, quippe qui planè est immutabilis & incorruptibilis. *Ego Dominus*, ait ipse, *non mutor*, Malach. III, 6. *Apud Deum non inest* παραλλαγὴ *transmutatio* ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα *aut conversionis obumbratio*, Jac. I, 17. Ac frustrà omninò illud Johannis: *Verbum caro factum est*, conversioni Eutychianæ prætenditur. Nam aliquid fieri alterum, non necessario importat mutationem & conversionem unius in aliud, sed sæpius accessionem solùm & associationem notat alterius, sine immutatione & interitu prioris: sicut dicitur homo factus anima vivens Gen. II, 7. Christus factus maledictum, Gal. III, 13. & quilibet alius factus Doctor, Consul, Rex, Pontifex. Non enim intelligimus, mutatum esse hominem in animam viventem, Christum conversum in maledictum, aut alium quempiam in Consulem, in Pontificem, sed cœpisse eos esse, quod non erant, non amisso eo, quod erant. Ad eundem modum dicitur & Verbum caro factum, sc. per accessionem carnis sive humanæ naturæ ad Divinam naturam, perque associationem ejus & assumtionem, absque conversione Verbi & mutatione ulla. Hinc disertè alibi Scriptura Filium Dei ita incarnatum dicit, ut carnem i. e. formam & naturam hominis acciperet & assumeret, non ut in eam converteretur, vel de esse suo pristino quidquam amitteret. Μορφὴν δούλου λαβὼν, *Forma servi* (natura hominis) *accepta similis hominibus factus est*, Phil. II, 7. *Carnis & sanguinis* μετέσχε *particeps redditus est*, dum *non Angelos assumsit* ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, *sed semen Abrahæ assumsit* h. e. naturam humanam ex Abrahami stirpe progenitam sibi univit, Ebr. II, 14. 16. Hinc etiamnum post incarnationem dicitur Deus, ut modò ostendimus. Quod si in carnem esset conversus, jam non Deus ampliùs sed caro esset, sicut aqua in vinum commutata non aqua ulteriùs sed vinum erat. Sin dicas, inconvertibiliter conversum esse Verbum in carnem, sunt hi, Theodoreto judice, καταγέλαστοι λόγοι, *sermones risu digni* & sibilo non responsione, l. IV. hær. fab.

Nec Caro in Deitatem.

Itidem II. stolidum & inconveniens est, profiteri conversionem carnis in Deitatem, aut carnis à Deitate absorptæ destructionem & annihilationem. Æquè enim ut Divinitas in aliud quid converti nequit, cum sit *incorruptibilis* omnisque desitionis incapax: sic nec in ipsam quid potest commutari, cum sit *ingenerabilis* non tantùm simpliciter, sed etiam secundum quid; ita ut omnem acquisitionem novi cujusdam

esse

esse intrinseci excludat, qualis tamen necessariò intervenire debet in termino realis conversionis. Et si ideò Verbum assumsit carnem, ut absumeret eam destrueretque, sicut oceanus guttam vini sibi injectam totaliter transmutat, ut secundùm essentiam pariter atque accidentia penitus desinat & in aquam abeat; si eo, inquam, pacto Verbum naturam nostram assumsit, quid referebat nobisque commodabat eam assumi? Nullam verò ejusmodi destructionem naturæ assumtæ contigisse, certissimum est; *quia nec in conceptione Christi tale quid contigit*: Eam enim insecuta est nativitas, circumcisio, terrena conversatio, passio & mors, quæ sunt humanitatis omnia; *nec post resurrectionem à mortuis*: Tùm enim manus & pedes discipulis suis Christus monstravit & palpandum se illis præbuit, Luc. XXIV. cumque iisdem cibum etiam & potum sumsit Act. X, 40; *nec post ascensionem*: expectatur enim inde, quò ascendit, venturus Filius hominis cum gloria sua, ut sedeat in throno gloriæ & congregentur coràm eo omnes gentes, Matt. XXV, 31. tumque videbit eum omnis oculus, etiam qui eum crucifixerunt, Apoc. I, 7. Naturam igitur humanam inde à conceptione sua habuit, &, quia in ea rediturus olim est ac propalam conspiciendus, habet etiamnum, quæ eam constituunt, mentem dico seu animam rationalem & corpus organicum, nec proinde ejus humanitas vel abolita esse potest, vel in Divinam naturam versa.

Sed & III. absonum est, cogitare duarum naturarum mixtionem aut saltem in unam tertiam naturam coitionem. *Ea quippe ratione Christus nec homo propriè nec Deus sit*, eoque nec Patri nec matri ὁμοούσιος: sicut homo simpliciter & absolutè nec anima est nec corpus, è quibus constat, sed aliquid tertium ex utroq; conflatum; & corpus mistum ex elementis nulli eorum est ὁμοούσιον, nec vel aër, vel ignis, vel aqua, vel terra vocari potest. Ita verò sentire de Christo, quod nec absolute homo sit nec Deus, & sic nec Patri in cœlis, nec in terris matri ὁμοούσιος, ut vesaniæ proximum, sic prorsus sacrilegum est. Etsi enim constet ex natura Divina & humana, non est tamen quiddam tertium ab illis differens, sed manet & Deus & homo, eoque & Divinam & humanam habet naturas, integras & perfectas, ac inter se quidem verè, non autem ab ipso, ut tertio quopiam distinctas. Distinguuntur autem inter se per propria sua, quæ dum negat Eutyches, naturas confundit. Indigno sanè modo. Cum enim anima & corpus inter se juncta proprietates suas retineant salvas & inconfusas iisque perpetuò distinguantur; quæ profana perversitas est, Divinitati & humanitati in Christo unitis distinctionem adimere propriorum, perque hoc eas confusio-

Nec mixtio naturarũ facta.

fusioni subjicere? & cum nostra anima externæ læsionis expers atque à mortis violentia immunis habeatur, Divinitatem in Christo passam, clavis affixam ac mortuam pronunciare?

Quicquid ergò horum dicatur, quæ dixit cum affeclis suis Eutyches, id omne non absurdum minùs quam impium est, ut, *quamvis æquè aliàs improbitatis reus esset Nestorius atq; Eutyches, hic tamen quàm ille longè fuisse videatur indoctior & stolidior. Et Sectatores nihilominùs,* quod non immeritò mireris, *invenit plurimos, ut vix alia hæreseon ulla propaginem habuerit numerosiorem.* Nam non vulgares solùm Doctores hoc delirio capti erant, sed primarii Orientis Episcopi, nominatim *Basilides, Sergius, Gregorius, Acatius* Patriarchæ Constantinopolitani: *Dioscorus, Theodosius, Timotheus, Gajanus, Cyrus*, Alexandrini: *Severus, Anastasius, Petrus* cognomento *Gnapheus seu fullo, Macarius* Antiocheni, eandem hanc sectam variis, ut lubuit, modis cum incrustarunt tum interpolarunt ac mitigarunt, tum verò etiam rigidiùs alicubi tutati sunt. Unde exorti, qui partim ab autoribus suis *Gregoriani, Acatiani, Theodosiani, Timotheani, Gajanitæ, Severiani*, item à Themistio Diacono *Themistiani* dicerentur, & *Julianistæ* à Juliano Halicarnasseo, & *Jacobitæ* à Jacobo quodam Syro, quo nomine etiam hodiè quidam in Ægypto feruntur superesse; partim ab argumento hæreseos *Monophysitæ* audirent, *Synchytici, Theopaschitæ, Dokitæ, Agnoëtæ, Tropitæ, Aphthartodocetæ, Monotholetæ.* Qui cum Eutyche eatenus omnes conveniunt, quod unam in Christo naturam post Incarnationem esse dictitant aut mussitant, ac eam quidem Divinam, humana vel absorpta vel in Deitatem commutata, vel absque anima rationali relicta, aut saltem propria voluntate aliarumque differentia proprietatum destituta, imò verò cœlitùs delata, nostræque naturæ dissimili, ac incorruptibili, & ab omni passione aliena existente, nec nisi simulatoriè passa, & quæ alia erant perfidiæ ipsorum commenta: de quibus singulis copiosiùs tractant Magdeburgenses Centur. VII. Hist. Eccl. c. V. p. 122. seqq. Lamb. Danæus comm. in lib. Augustini de hæres. c. 92. 93. & Hieron. Zanchius l. 2. de Incarn. c. 1. p. 70. seq.

Potest autem ex modo dictis sufficienter colligi, *quò desinat Eutychianismus præcipuè, in hæresin scilicet Simonis Magi, Menandri, Manetis, Valentini, Marcionis & similium, humanam Christi naturam attentantium:* quemadmodum Nestorianam sectam ad negandam Divinitatem Christi inclinare priùs ostendimus. Nec res indiget longiore declaratione. Posito enim, carnem Christi à Divinitate ei prævalente esse absorptam vel in hanc commutatam, aut ne quidem è Maria assumtam, nostræq; ὁμοούσιον, sed cœlitùs esse delatam, proximum erit humanita-

nita-

nitatem Christi non esse veram, imò nullam esse. Secundum illas verò superiùs enarratas hypotheses, si scil. Deitas in carnē versa adeoq; mutabilis, aut duæ naturæ in unam tertiam coalitæ credantur, omninò ipsa quoque Deitate Christus privatur. Idemque periculum est, si Deitatem dicas passam & mortuam. Erit enim tum quoque mutabilis, erit quin etiam abolita, perinde ac si in carnem versa perhibeatur. Et si impunè hoc licet effutire Eutychi, Deitatem esse passam & mortuam, quidni & Ario pridem ad orcum damnato reducere in theatrum licebit Deitatem factam & ex non existentibus ortam? Utrum enim ex his absurdius sit & magis subruat Christianæ Fidei fundamenta, vix est ut possit discerni. Parùm, inquam, vel veriùs, nihil interest, creatione mutatam censeas Christi Deitatem cum Ario, an passione & morte cum Eutyche. Sive autem cum scelesta prolē Eutychiana humanæ deroges, sive Divinæ Christi naturæ, utroque pacto salutare Incarnationis perque eam factæ Redemtionis nostræ mysterium, *quod* juxta Augustinum hær. 92. *non nisi in utraq; substantia est*, evacuatur. Et, si in cumulum addas illud de passione Christi putatitia, eheu! spes omnis Christianorum in Servatoris passione ac morte reclinata decollat. Ac *jam olim hæc ducebat via ad Muhammedismum, qui ex Eutychianismo & Nestorianismo inter se mixtis ortum traxit.* Cum Nestorio, ductu Sergii cujusdam Nestoriani, hoc commune habebat Mahomet, quod Christum è Maria natum non nisi hominem agnosceret. Ab Eutychianis verò Dokitis has in Coranum exonerandas hausit blasphemias: *Non peremtus est Christus à Judæis, ut illis tum videbatur & nequaquam eum suspenderunt, sed sui similem: Christum verò è medio illorum sublatum Deus incomprehensibilis & sapiens ad se assumsit.* Talia quippe in Corani Azoara XI. leguntur plane abominanda. Sed vel remota maximè Nestoriana hæresi, in sola hac altera Eutychis tanquam in alveo confluxus est omnium, qui circa doctrinam de Christo esse solent, errorum immanissimorum, ut, si impetere & subvertere velis junctim Divinitatem, humanitatem, passionem ac meritum Christi, id uno hoc admoto ariete effectum dare possis.

Muhammedismus ex Eutychianismo & Nestorianismo conflatus.

Integerrimè autem utramque hæresin tum declinabimus, si personam & naturam rectè dignoscentes, unam quidem Christi Θεανθρώπȣ personam, in duabus tamen distinctissimis naturis subsistentem, sive, ut habet ἔκθεσις Fidei in Concilio Chalcedonensi à plus quam DC. Episcopis edita, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ἰησȣ͂ν Χριςὸν ὑὸν Κύριον μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίςως γνωριζόμενον h. e. *unum & eundem Jesum Christum & Filium, Dominum unigeni-*

genitum, in duabus naturis inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter cognitum confessi fuerimus. Peculiariter hîc notanda vocabula: ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, contra Eutychen: ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως contra Nestorium. *Ut enim necesse est retineri unitatem personæ seu unionem hypostaticam, ita necesse est agnosci duas naturas in Christo*, monente ita Autore nostro T.I. f. 346. Et vice versa: *quanquam naturæ discernendæ sunt, & qualibet suas proprietates habet — tamen & hoc firmissime retinendum est, quod sit una persona seu unum ὑφιστάμενον*, dicente eodem, T.II.p.221. *Retinenda est igitur personæ unitas, & tamē non sunt confundendæ naturæ*, T. dicto p.322. *Ideò*, ut sua rursum verba nobis accōmodet Phil. noster, *traduntur regulæ in hac doctrina de Communicatione Idiomatum.* Et, ut præclarè statim subdit, *Diligentia digna est piis, propter concordiam loqui cum Ecclesia & non sine eruditis causis. Ecclesia vetus alios modos comprobavit, alios rejecit. Fugiamus autem studium cavillandi, & formas receptas gravi & vera autoritate retineamus.* Sequitur apud eundem: *Hæc propositio non est vera: Natura divina est humana. Sed hæc est vera: Deus est homo, Verbum est homo, Christus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex Virgine, passus: quia hæc persona, in qua unione personali unita est humana natura Divina, nascitur, crucifigitur.* L. de Filio, p. 309.

Ασυγχύτως, Ατρέπτως.

Αδιαιρέτως, Αχωρίστως

NB. Ad pag. 163. & hæc quidem Philippi verba: *Λόγος & assumta natura sunt unum ὑφιστάμενον, & redigeretur in nihilum humana natura, si non SIC gestaretur & sustentaretur à Λόγῳ — ita ut non esset humana, nisi SIC sustentaretur.*

HÆc particula SIC redundat: sublata enim specie non necesse est tolli genus. Sic sublata speciali sustentatione Dei non necesse est tolli generalem. Pone, humanam naturam ex unione illa cum Verbo delabi (quod in æternum non fiet) propterea tamen non recidet in nihilum, sed, si carendum sit ei pristina subsistentia perfectiore, sua propria imperfectiore poterit subsistere. Quemadmodum prius habere poterat propriam hypostasin, nisi persona Divina sua unione id impedivisset: ita si (per impossibile) excidere eam unione illa contingeret, illa potentia per se ultimò subsistendi, quæ prius impedita erat, tum in actum deduceretur.





B Vnione itaque duarum naturarum hactenus exposita nunc ad Communicationem, quæ illius Consequens est immediatum, transeamus, quam duplicem innuit Autor noster. Vnam Naturarum; Alteram, Idiomatum seu propriorum.

De Communicatione Naturarum & Idiomatum.

Communicatio naturarum exprimitur prædicationibus illis personalibus: DEVS est homo, Verbum est homo, Christus est homo, Christus est DEVS. Vbi Concretum unius naturæ de Concreto alterius vel utriusque naturæ verè ac realiter prædicatur. Communicatio Idiomatum designatur, quando dico: DEVS est natus ex virgine, DEVS est passus. Vbi idiomata humanæ naturæ, Nasci, Pati, attribuuntur personæ Divinæ. Sic vicissim idiomata Divinæ naturæ rectè prædicantur de persona humana v.g. Filius hominis est æternus, est cœli & terræ conditor. Et de persona composita promiscuè omnia dicuntur cùm Divinæ tum humanæ naturæ idiomata, licet inter se contraria, ut: Christus est æternus & in tempore natus, finitus & infinitus, passibilis & impassibilis, immortalis & mortuus.

Fundamentum Communicationis tum hujus tum illius est unio arctissima Divinæ & humanæ naturæ, ac mutua illa earundem, ut vocant, περιχώρησις sive permeatio, apud Damasc. inprimis celebrata, qua naturas in Christo mutuò in se immigrare unamque alteri intimè sese insinuare statuit. Observatione autem ἐν παρόδῳ opus hîc est, *mutuum illud non esse accipiendum utrinq; activè, sed ex parte Verbi activè, ex parte Carnis passivè.* Illud permeat, simili quadam ratione, qua anima, dum corpus hominis informat, totum illud informando permeat: hæc permeatur. Hinc ipse Damasc. l. III. O. F. c. VII. permeationem illam, ait, à Divina natura provenire: Sicut nimirum unitio quoque personalis sive assumtio humanæ naturæ profecta est à Filio DEI, non ab humanitate. Hoc ergò modo intellecta duarum naturarum περιχώρησις causa est talium propositionum: Deus est homo, Homo est DEVS, DEVS est natus in tempore, Homo ille est æternus.

Nempe *modum essendi sequitur modus prædicandi.* Quocirca cùm revera unitæ sint Divina & humana naturæ, revera etiam prædicationibus inter se communicant. Nam etiam in iis hoc contingit, quæ merè accidentaliter uniuntur. Ita quando albedo & dulcedo in uno subjecto reperiuntur, verè dico: Album est dulce, & vice versa. Quia verò communicant inter se illæ naturæ mediante personalitate, non absolutè sibi invicem attribuuntur, sed *vocabulis suppositum connotantibus.* Sola enim unio hypostatica in eodem supposito causa est, quod una natura de altera rectè prædicatur, & propter hanc solam, quicquid alterutri naturæ competit, vere de supposito enunciatur. Nam ad eandem rem referre oportet nomina & idiomata uniuscujusque naturæ, in qua re communicant ipsæ duæ naturæ. Communicant autem in persona: De ipsa igitur persona, non de natura prædicationem facimus. Atque ideò à Philippo definitur *Communicatio idiomatum*, quod sit *prædicatio, in qua proprietas uni naturæ conveniens tribuitur personæ in Concreto.* Par ratio est Communicationis naturarum, quæ describi potest, quod sit prædicatio Concreti unius naturæ de Concreto alterius vel utriusque naturæ. Exempla hujusmodi prædicationum in Scripturis passim sunt obvia.

Prædicationes Communicationis Naturarũ.

Communicatio Naturarum est in his enunciatis: *Germen Davidis est Jehova*, Jer. XXIII, 5, 6. *Filius hominis est Filius Dei vivi*, Matth. XVI, 16. *Christus est Filius Davidis*, Matth. XXII, 42. *Christus est Deus benedictus in sæcula*, Rom, IX, 5. Communicatio Idiomatum, in istis: *Filius hominis ascendet, ubi erat prius*, Joh. VI, 62. *Filius hominis est primus & novissimus*, Apoc. I, 13. 17. *Filius Dei est factus ex muliere*, Gal. IV. 4. *Auctor vitæ est interfectus*, Act. III, 15. *Deus proprio sanguine acquisivit Ecclesiam*, Act. XX, 28. *Dominus gloriæ est crucifixus*, 1. Cor. II, 8. *Ipsum verbum vitæ*, est Apostolorum *oculis visum, manibus contrectatum*, 1. Joh. I. 1. *Deus animam suam pro nobis posuit*, 1. Joh. III, 16. Et sic in Symbolo etiam Apostolico ipse DEI Filius unigenitus perhibetur ex Maria natus, sub Pontio Pilato passus, crucifixus, mortuus, sepultus &c. Nec insolens quoque, ipsi uni in Scripturis prædicata contraria tribui, ut: *esse Filium Abrahæ*, Matth. I, 1. *& extitisse ante Abrahamum*, Joh. VIII, 58. *esse Filium Davidis* & simul *Dominum ejus*, Matth. XX, 42, 43. *Parem esse cum Deo*, Phil. II, 6. *& Patre minorem esse*, Joh. XIV, 28.

Prædicationes Communicationis Idiomatũ.

Utræque sunt Concretivæ.

Singulæ verò hæ locutiones sunt concretivæ, habentes in subjecto nomen Personæ. Ad eundem ergò modum nos quoq; loqui oportet, ut ambas naturas earumque proprietates de persona efferamus in concreto. Personam enim vocabulo aliquo concreto notamus, ut

Deus, Homo, Filius Dei, Christus. Naturam abstracto, ut, Deitas, Humanitas, Divina natura, Humana natura. Sua, inquam, vi & modo significandi Abstractum non nisi pro natura, Concretum non nisi pro persona supponit. *Abstracta*, ait noster Philippus, *significant naturam seorsum consideratam — Persona intelligitur voce Concreti*, T. I. fol. 441. seq. Ea scilicet sola nomina supponi possunt pro persona, quæ significant essentiam ut in habente. Hoc abstracta non faciunt, sed concreta. *Eandem quidem rem significant Concretum & Abstractum, sed diversa ratione.* Abstractum significat eam per modum principii & formæ, adeoque simpliciter: Concretum, per modum habentis eam, & sic compositè. *Ob hunc itaq; diversum significandi modum non licet à Concreto argumentari ad Abstractum*, sive ideò naturæ aliquam appellationem affectionemque tribuere, quia ea de persona in Concreto dicta reperitur. Etsi enim albedo v. g. & dulcedo sunt unita in eodem supposito, ut dicere liceat: Album est dulce, de se tamen invicem duæ illæ formæ in abstracto prædicari neutiquam possunt, nec enim ullo modo valet prædicatio: Albedo est dulcedo, & ne quidem, Albedo est dulcis, aut, afficit gustum. Similiter ergò licet veræ sint hæ enunciationes: Deus est homo, Homo ille erat, antequam Abraham fieret, Deus passus est; non oportebit tamen ex iis hasce inferre: Deitas est humanitas, Humanitas Christi erat ante Abrahamum, Deitas est passa. Atque inde Lutherus *divinitùs factum esse* dicit, *ut alia sint vocabula abstracta, alia concreta*, in cap. LIII. Esaiæ.

Differentia inter Concreta & Abstracta.

Concreta verò hoc loco sunt duplicia: alia personæ, alia naturarum. Concreta personæ sunt, quæ notant ambas Christi naturas una hypostasi subsistentes, ut, Christus, Immanuel, Θεάνθρωπος. Concreta naturarum sunt, quæ formaliter denotant naturas, & suppositum simul involvunt seu connotant. Suntque vel naturæ humanæ, ut, Homo, Filius Mariæ, Semen Abrahæ, secundus Adam: vel Divinæ, ut Verbum, Deus, Filius Altissimi &c. *Ac differentia omninò est inter hac duo concretorum genera*, cum apud hæreticos, tum apud Orthodoxos. Si enim subjecti loco ponas concretum personæ, dicendo, Christus est natus è Maria, Christus est crucifixus, admittit hanc prædicationem Nestorius. Illam verò, Deus est natus è Maria, Deus est crucifixus, habentem in subjecto Concretum naturæ, negat. Sed & apud Orthodoxos in Concreto personæ admodum impropriè & abusivè dixeris: Christus assumsit humanam naturam (quoniam in subjecto, *Christus*, importatur persona composita ex Λόγῳ assumente & carne assumta; adeoque natura assumta in hoc enunciato præsupponitur ipsi assumtioni, quod ἄτοπον); rectissimè tamen apud eosdem & usitatissimè dici-

Concreta alia personæ, alia naturarum.

tur in Concreto naturæ: Filius Dei, Verbum Patris, assumsit humanam naturam. *Inter ipsa autem naturarum Concreta nulla est differentia.* Sive enim in subjecto ponas Deum sive hominem, illi humana tribuendo, huic divina, nullum planè quoad modum prædicandi est discrimen. *Et hujus*, ut optime ait Thomas, *ratio est; quia cum sit eadem hypostasis utriusq; naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusq; naturæ. Sive ergò dicatur Homo sive Deus, suppponitur hypostasis Divinæ & humanæ naturæ. Et ideò de homine possunt dici ea quæ sunt Divinæ naturæ, tanquam de hypostasi Divinæ naturæ, & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ.* Suppl. 3. part. q. 16. a. 4. Modò personam in subjecto exprimas, à Deitate eam postea, an ab humanitate denomines, tantundem est: una enim utrobique persona indigitatur.

Prædicata, ut patet, sunt itidem in his prædicationibus tàm Divina quam humana, tam excelsa quam humilia. Ne tamen, dum humana & humilia de DEO, Divina & excelsa de homine enunciamus, confusio fiat naturarum, signatè adhibentur in prædicatis, ad naturas & earum proprietates significandas, *particula distinctiva*,, juxtà, secundum, quà, quatenus, quasi, tanquam, in quantum, quia & similes. Sic enim in ipsis rursum Scripturis dicitur: *Filius Dei factus ex semine David secundum carnem*, Rom. I, 3. *Christus ortus ex Patribus quoad carnem*: c. IX, 5. *Fructus lumborum Davidis, quantum ad carnem*, Act. II, 30. *Passus pro nobis carne*, 1. Pet. IV, 1. *Crucifixus ex infirmitate* (quam propter nos assumsit homo factus) *vivens ex virtute Dei* (sibi secundum Deitatem propria) 2. Cor. XIII, 4. *Morte* deniq; *affectus carne* (in quantum caro i.e. homo erat) *vivificatus autem Spiritu* (vi & potentia sua Divina) 1. Pet. III, 18. Plurimum ad hæc loca intelligenda facit Regula Nazianzeni: *Breviter moneo, ut altiora quidem adscribas Divinitati, humiliora autem humanæ naturæ tribuas, Orat. I. de Fil.* Præclarè in eundem sensum Justinus Martyr: *Cum de uno Filio voces inter se contrarias audieris, convenienter ea, quæ dicuntur, inter naturas distribue: si quid magnum atq; Divinum, naturæ Divinæ adscribens; si quid parvum & humanum, humanæ imputans. Sic enim & verborum dissonantiam evitabis, qualibet natura ea, quæ sua sunt, recipiente, & unum Filium pariter æternum ac in tempore natum secundùm Scripturam Divinam confiteberis.* lib. de expos. fid. Contraria equidem, ut ante ostendimus, de una Christi persona sæpiùs enunciantur; sed *non contrariè* enunciari Justinus nos docet, quia non secundùm idem de persona illa pronunciantur sed secundùm distinctas naturas, in quas oportet prædicata illa, ut Justinus loquitur, vel, qui alius ejus libri autor est, *distribui*, facta naturæ, ad quam quodlibet attributum spectat, determina-

[Margin: Particulæ distinctivæ rectè hìc adhibentur.]

[Margin: De una Christi persona contraria enunciantur, sed non contrariè.]

minatione per particulas distinctivas, quæ si non expresse sunt ubivis additæ, *veniunt subintelligenda.*

Dicuntur illæ particulæ, quæ determinationis loco hic usurpantur, aliàs reduplicativæ: hoc tamen loco *non reduplicativè* accipiuntur; quæ acceptio tum habet locum, quando indicatur per eas causa, quare prædicatum subjecto conveniat, velut cum dico: Homo quatenus homo est disciplinæ capax, hoc intelligo, naturam hominis esse causam, cur ad disciplinam assuefieri possit: *sed specificativè* accipiuntur, indicantes seu specificantes partem aut proprietatem aliudve quid subjecti, secundùm quod ipsi prædicatum attribuitur, sicut dico: Homo, quatenus pedes habet, ambulat, i. e. cùm multæ sint hominis partes, non per aliam tamen earum quàm per pedes ambulat. Ita in præsenti: Christus quatenus homo passus est, Christus quatenus DEVS extitit ab æterno, habet hunc sensum: Cum persona Christi constet duabus quasi partibus, humanitate & Deitate, speciatim illius quidem ratione passus est, respectu autem hujus extitit ab æterno.

Sanè quicquid dicitur de parte, id verum est de toto: sed specificatione tamen opus est, ut, secundùm quam partem quidlibet de toto dicatur, intelligi possit. Nec enim quod toti alicui adscribitur, id ipsi secundum omnes ejus partes competere existimandum est, sed debet, ut cum Justino hîc denuò loquar, *distributio fieri in partes, & quod de toto dicitur, ad certam partem restringi, secundum quam id de toto dicatur.* In homine v. g. nihil est, quod non rectè prædicetur de toto homine, nec tantùm, quæ alterutri partium ipsius essentialium competunt, sed vel minutissima, quæ parti partis conveniunt, totum hominem denominant. Ita totus homo dicitur corporeus, totus animatus: totus eruditus, ratiocinans, volens: totus deformis, vulneratus, cæsus: quin & simus, luscus, crispus, rugosus. Sed non secundùm omne id, quod est in eo, singulas hasce appellationes sortitur. Distribuenda igitur hæc sunt prædicata in suas partes per particulas distinctivas, & determinatio conveniens ubique vel addenda vel subintelligenda' Quippe corporeus est homo, quia habet corpus: animatus, quia anima instructus est: eruditus, ratiocinans, volens, quantum ad animam: deformis, vulneratus, cæsus, quantum ad corpus: simus, solùm, quia nasum simum habet: luscus quoad oculos: crispus, quoad crines: rugosus, ob unam & alteram in facie rugam. His & harum similibus determinationibus specificari oportet, quo respectu unumquodque de homine efferatur. Ita planè toti personæ Christi rectè tribuitur, quicquid alterutri partium, ut sic dicam, ipsius, nempe vel Divinæ vel humanæ naturæ, aut alterius etiam partis parti competit. Ut, esse Creatorem, esse primum

& novissimum, ambulare, esurire, sitire, loqui, pati, mori. Non autem hæc singula secundùm omne id, quod in Christo est, ipsi toti conveniunt, sed partium diversissimarum respectu: priora quidem, Esse Creatorem, Esse primum & novissimum, secundùm Divinam; posteriora secundùm humanam naturam ac certam etiam humanitatis ipsiusque corporis partem. Non itaque licet inferre: Totus Christus est Creator cœli & terræ, totus item est passus: Ergò & qua parte DEUS & qua parte homo, est Creator cœli & terræ, ac utroque respectu passus est; nisi eodem pacto inferre velis: Homo totus denominatur eruditus, ratiocinans, volens: Ergo non solùm secundùm animam, sed & secundùm corpus talis est. Vel: Homo totus dicitur vulneratus, simus, luscus, Ergo & corpore ita est affectus & anima. Sufficit ad hoc, ut aliquid tribuatur toti, id uni partium competere, ad quam proinde debet in prædicato restrictio fieri.

Distinctio inter Principium Quod, & Quo.

Usus hic porrò esse potest distinctionis inter Principium Quod & Quo. Illud cum plures habeat formas (saltem accidentales) aut plures partes, & exerceat varias actiones, ab omnibus illis cum formis tum partibus tum actionibus denominationem rectè accipit. Sed ne confusio fiat rerum distinctissimarum, assignandum est principium Quo, cujus respectu, vi & proprietate hæc vel illa denominatio subjecto imponitur. Sic homo est principium, Quod intelligit: Principium autem, Quo, est animus hominis. Idem homo est tres ulnas longus tanquam principium Quod: principium Quo seu id, secundùm quod longitudo illa homini competit, est corpus. Similiter Christus est infinitus, ut principium Quod: Principium vero Quo sive natura illa, ex cujus proprietate Christo infinitum esse competit, est Divina ejus natura. DEUS itidem est passus, ut principium Quod: principium Quo seu id, in quo passionem sustinuit, est ejus humanitas.

Deus est passus, materialiter sumtâ voce.

Postremum hoc à quibusdam ita effertur: *Deus est passus, materialiter sumta voce*, h. e. ille qui est DEUS, est passus; non formaliter, ut est DEUS, sive in sua Deitate. Implicatur enim in hoc subjecto, DEUS, cùm materiale, tum formale. Jam ad veritatem propositionis non requiritur, ut prædicatum conveniat subjecto secundùm omne, quod significatur aut implicatur in subjecto. Sic cum dico: Hoc album (monstrato animali) currit, importatur materiale & formale. Albo autem convenit currere secundùm materiale, non formale. Solet etiam communiter dici: DEUS est passus κατ' ἄλλο secundùm aliud, nempe non in sua natura Divina sed in alia & distinctissima ab hac, verè tamen sibi unita, natura humana. Eodem modo Filius hominis est primus & novissimus κατ' ἄλλο, nempe secundùm Divinam suam naturam. In uni-

Sive, κατ' ἄλλο.

universum sive Divina de homine, sive humana de Deo enuncientur, id semper intelligendum est secundùm aliud, nempe non secundùm illam naturam, quæ formaliter in subjecto denotatur, sed quæ materialiter ac ob personæ unitatem in eodem subjecto connotatur.

Prædicationes personales & communicationis Idiomatum sunt reciprocæ.

Dum dicimus, humana de DEO, Divina de homine enunciari, innuimus (quod explicatiùs nunc monendum) *esse has prædicationes reciprocas.* Certe enim dum DEVS de homine, homo de DEO, Divina item de homine, humana de DEO dicuntur, reciproca fit prædicationis alternatio, e. g. DEVS est homo, Homo est DEVS, Filius Deus natus est ex semine David, Semen David est ab æterno. Filius Mariæ est Creator cœli & terræ, Filius Dei est vermis & opprobrium populi. Atque hinc *modus hic prædicandi dicitur à veteribus* ἀλλοίωσις, reciprocatio, *item* ἀντίδοσις, mutua attributio, qua videlicet de unâ eademque persona & Divina & humana realiter prædicantur, κατ' ἄλλο tamen καὶ ἄλλο, quod ostendunt particulæ distinctivæ, naturam illam, cujus respectu quidlibet de persona dicitur, specificantes.

De ἀλλοιώσει Zvvingliana.

Noli autem Alloeosin Zwinglianam hîc somniare, quæ pro nomine personæ substituit in subjecto propositionis nomen naturæ, ejus videlicet, cujus idioma in prædicato exprimitur. Quando v. g. Scriptura inquit Luc. XXIV, 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum; Hic*, ait Huldericus Zwinglius, *Christi nomen pro humana solummodò natura positum est: hac enim pati simul & mori poterat, Divina nequaquam.* Tom. 2. Oper. Resp. ad Luth. lib. de Sacr. p. 403. Sic & cum dicitur, DEVS est passus, id ita explicat ejus sectator Beza in Colloq. Mompelg. *Deus i.e. caro Deitati unita est passa*; transitu facto ab una natura ad aliam, *ut una quidem* (quæ loco jamjam allegato Zwinglii rursum verba sunt) *nominetur* (concreto Naturæ loco subjecti posito) *interim vero intelligatur alia.* Talis profectò Alloeosis nulli unquam Veterum in mentem venit. *Pro certissimo quidem habemus, Divinam Christi naturam non pati: num verò propterea nomen Christi supponit pro humana solùm natura, quando dicitur Christus passus?* Imò perpetuò supponit pro toto supposito, quod dicitur pati secundùm aliquid sui, nempe secundùm humanam naturam. Hinc alibi Scriptura: Christus est passus carne; limitationem addens prædicato, ut subjectum in propria sua significatione relinquatur. Assume nunc Zwinglianam Alloeosin, & dic, subjectum hoc, Christus, pro humana solummodò natura supponere, tum emerget hic Scripturæ sensus: Humana natura, vel, quod idem, caro est passa carne: quæ sunt meræ verborum ineptiæ.

Par absurditas est, si hanc, *Deus est passus*, exponas per illam: *Caro Deitati unita est passa.* Oportebat exponi: *Deus est passus carne*, invariato subjecto; non autem limitatio, ex communi lege prædicatum afficiens, totum debebat occupare subjectum ac nomen concretum permutari abstracto. Quid? quod Philosophorum omnium regula probatissima hoc pacto intringitur, quæ est, quod *actiones & passiones* sint *suppositorum*. Dicatur ergò suppositum pati, nempe Christus vel Deus, tanquam principium Quod, siveut alii vocant, subjectum denominationis; ex proprietate tamen humanæ naturæ tanquam principio Quo seu originali. Licet enim usitatè in abstracto etiam dicatur caro Christi vel humana natura passa; magis propriè tamen actiones & passiones sunt suppositorum, utpote complete & ultimo ab iis denominatorum. Et (quod probè notari volumus) *ita passio est humanæ naturæ vindicanda, ne interim naturæ opponatur persona.* Verum est: humana natura subiit passionem; quin sola etiam illa est passa in oppositione ad Divinam naturam. Minimè vero sola est passa, si eam opponas personæ. *Imò*, inquam, *si naturam velis cum persona contendere, hæc magis propriè dicetur pati quàm illa.* Evidenter inprimis passio de persona Divina concluditur per Syllogissimum expositorium:

Christus est passus.
Christus est Deus.
Ergò Deus est passus.

Idque ipsum validè contra Zwinglium jam olim ursit Lutherus in Majore de Cœna Domini Confessione: *Hoc fateri te*, inquit, *necesse est: Hæc persona (monstrato Christo) patitur, moritur. Hæc autem persona est verus Deus. Rectè igitur dicitur, Filius Dei patitur. Etsi enim una ipsius pars (ut sic loquar) Divinitas videlic. non patiatur; tamen ea persona, quæ Deus est, patitur in altera sua parte, nimirum humanitate: Revera enim Filius Dei pro nobis est crucifixus, h.e. persona, quæ Deus est Ipsa enim, ipsa, inquam, persona crucifixa est secundum humanitatem.* T. 2. Witteb. fol. 188.

Ex Alloeosi Zuvingliana enatæ successu temporis sunt prædicationes verbales. De eo scil. quod juxta Scripturas DEUS dicitur passus, Dominus gloriæ esse crucifixus, ita pronunciat Petrus Martyr: *Istas communicationes affirmo esse verbales, quod proprietates reipsa utriq; naturæ congruere nequeant.* Dial. de duab. in Christo nat. *Nos contra realissimam hanc communicationem esse asserimus, perinde ut est ipsa unio, & talem esse dicimus tum in se, tum prout in prædicatione effertur.* Quin ideò prædicationes hæ, de quibus hactenus diximus, sunt veræ & reales, quia

Prædicationes Reales.

quia illis in mente formatis respondet res in seipsa extra mentem existens, seclusa etiam omni operatione intellectûs. Absurdissimè autem infertur, illas Verbales esse ideo, quod proprietates non congruant realiter utrique naturæ. *Alterutri modò naturæ verè competant, satis id est, ut de persona verè ac realiter dicantur.* Sunt in homine duæ naturæ, una spiritualis, nempe anima rationalis, altera corporea. Illius proprietas est, intelligere: hujus, nutriri, augeri. Nulla harum proprietatum congruit reipsa utrique naturæ. Nam nec animæ congruit nutriri, augeri; nec corpori convenit intelligere. Homo tamen revera nutritur, augetur, intelligit, nec sunt hæ communicationes aut prædicationes saltem verbales. Vidit hoc Georgius Sohnius in Marpurgensi & Heidelbergensi Academiis quondam Professor: ideoq; mollissimè hæc explicans: *Communicatio*, ait, *idiomatū* verbalis *hodie à quibusdā dicta est, non quod sit fictitia aut commentitia & sine re, sed quia pertinet ad verborum & φράσεων interpretationem: ac omninò respondet reali communicationi. Nam ut propria naturæ reipsa communia sunt personæ, sic etiam verè de ea prædicantur. Rectè enim Philosophi docent, τὸ ὂν καὶ τὸ ἀληθὲς ἀντιστρέφειν. Itaq; quod est ὂν in rebus, id etiam verum est in verbis.* T. 2. Opp. p. 313. Cum Sohnio hodie, relicto Martyre, sentiunt sine dubio omnes, qui Zwinglii & Calvini partes alias sequuntur. Cœpere enim ex eo tempore in hoc puncto esse cautiores.

Meminimus autem, nos quoque superius, cum Philippo nostro, idiomatum communicationem per *prædicationem* definisse, exindeque hoc eodem prædicationis termino frequenter usos esse. Factum id verò ad imitationem veterum, qui communicationem hanc dixerunt κοινωνίαν ὀνομάτων, ἐναλλαγὴν ὀνομάτων, ἐπίζευξιν ὀνομάτων, talem intelligendo nominum & vocum attributionem, cui aliquid reale respondet. Quo sensu etiam Lutherus scripsit I. de ult. verbis Davidis: *Sicut ambæ naturæ in una persona Filii Dei copulatæ sunt & unitæ: ita & vocabula in sermone seu formis loquendi in Ecclesia receptis, quæ tribuuntur naturis, & vulgò vocantur Prædicata, conveniunt, & quasi copulantur cum iis, quæ de integra persona dicuntur. Quas formas loquendi usitatè vocant Communicationem idiomatum h. e. cum id, quod proprium est alteri naturæ, & de ea seorsim in abstracto dicitur, tamen in concreto tribuitur personæ.* Similiter in cap. XIV. Joh. *Hoc vocatur Communicatio idiomatum, quod possum dicere, Homo Christus est æternus Dei Filius, per quem omnia sunt creata; & vicissim, Filius Dei est ex Virgine natus, passus, mortuus &c. Prædicatio igitur hîc* (iterum & rectissimè quidem dicente Sohnio p. 306.) *est modus loquendi, quo Scriptura de persona &*

Quo sensu Communicatio Idiomatū per Prædicationem definiatur.

officio Christi loquens uti, atq; ea, quæ de persona & officio Christi vera sunt, enunciare solet. Itaq; quod verè & realiter inest personæ tanquam subjecto, id etiam verè & realiter de ea dicitur & prædicatur.

Vsus harum Prædicationũ.

Vsus tandem harum prædicationum est insignis contra Nestorium pariter & Eutychen. Quia enim utriusque naturæ propria tribuimus personæ, ac promiscuè humana de Deo, Divina de homine enunciamus, asserimus unitatem personæ contra Nestorium, qui voces, quæ de Christo dicuntur, ita divisit, ut non nisi humana de homine, de Deo non nisi Divina diceret, indignum Deo ratus, si is diceretur passus. Rursum, quia adhibemus particulas distinctivas naturam ostendentes, secundùm quam unumquodque de persona dicitur, nec tribuimus unius naturæ propria alteri naturæ; dualitatem naturarum servamus contra Eutychen, qui vel aboluit alteram naturam, vel utramque inter se confudit, ipsam Deitatem passam dicens. Observetur contra utrumque aurea Theodoreti regula & admonitio: *Ita de Christo verba facere convenit, ut, cum de naturis loquimur, suum cuiq; tribuamus & sciamus, quædam esse Divinitati, quædam humanitati propria. Cum autem de persona verba facimus, oportet hæc, quæ sunt naturarum propria, facere communia, & utraq; Servatori Christo tribuere.* Dial. 2. c. 16. Confer. c. 30.

Atque hunc ad modum, quem hucusque exposuimus, habet se Communicatio cum naturarum tum idiomatum. Ac idiomatum quidem communicatio, de qua hactenus egimus, dicta est Veteribus ἰδιοποίησις. Sunt autem inter ea, quæ consequuntur unionem personalem, duæ adhuc aliæ communicationes: Vna, Majestatis, quæ μεταποίησις; altera, Operationum, quæ κοινοποίησις, antiquitùs dicta est. Hodie usus obtinuit; ut posteriores hæ communicationis species veniant itidem nomine Communicationis idiomatum, & μεταποίησις alterum genus, κοινοποίησις tertium Communicationis idiomatum genus constituat. Nobis, quo quis nomine hæc appellet, perinde est, in ipsam nunc potiùs rem quàm appellationem intentis.

De Communicatione Majestatis.

Communicatio Majestatis seu μεταποίησις est, per quam humana Christi natura excellentias & dignitates planè Divinas cum nemine vel Sanctorum vel Angelorum communes consecuta est & obtinet. Non enim dona habitualia & creata duntaxat possidet, ipsi subjectivè inhærentia eamque formaliter denominantia, sed dotibus longè eminentioribus imò verè Divinis ac increatis adaucta & locupletata est ac propemodum deificata, sic videlicet, ut tota resplendeat in ea Majestas & glo-

& gloria Divina, accum ea & per eam infinita Divinitatis virtus plenè liberrimeque sese exserat.

Tantò nempe βελτίων *præstantior Angelis factus* est Filius, *quantò excellentius præ illis sortitus est nomen*, Ebr. I, 4. Intellige nomen Dei seu Filii Dei, juxta verba Angeli ad Mariam: *Sanctum, quod ex te nascetur, Filius Dei vocabitur*, Luc. I, 35. *Potenter* inprimis hic Mariæ Filius *declaratus est Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis*, Rom. I, 4. *Quia* enim *obedientem se gessit Patri usq; ad mortem crucis, ideò hic in summam eum extulit sublimitatem, ac* ἐχαρίσατο *donavit ei nomen, quod est supra omne nomen*, Phil. II, 9. hoc ipsum scil. nomen Dei vel Filii Dei, sive in genere excellentiam quavis alia majorē & augustiorem: qualis denotatur in loco parallelo, ubi Christus *à mortuis resuscitatus* dicitur *& collocatus ad dextram Dei in cœlis longè supra omne imperium ac auctoritatem & potestatem & dominatum & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo sed & in futuro*, Eph. I, 20, 21. Planissimè consecutum ex eo tempore est, quod petiit morti proximus Servator: *Glorifica me, Pater, apud temetipsum ea gloriâ, quam habui apud te, priusquam hic mundus esset*, Joh. XVII, 5. Certè *hunc Jesum, quem crucifixerant Judæi, Deus fecit Dominum & Christum*, Act. II, 36. Hic ille est *hominis Filius, cui* Daniel vidit *dari ab Antiquo dierum dominatum gloriamq; ac regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei serviant: is q; Dominatus ejus perpetuus est, qui non præterit, & regnum ejus tale, ut non intercidat*, Dan. VII, 14. In universum *omnia subjecit* Deus Pater *sub pedes ejus*, solummodò *excepto semet, qui subjecit ei omnia*, 1. Cor. XV, 27. Nam *Pater diligit Filium & omnia ei dedit in manus*, Joh. III, 35. Hinc ipse de se Filius: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Matth. XI, 26. Et ad Patrem in medio suæ humiliationis statu: *Mea*, ait, *omnia tua sunt & tua mea sunt*, Joh. XVII, 10. Rursumque ad discipulos proximè ante Ascensionem: *Ecce, data est mihi* πᾶσα ἐξουσία *omnis potestas, in cœlo & in terra*, Matth. XXVIII, 18. Quam esse descriptionem Omnipotentiæ Divinæ, patet ex 1. Paral. ult. v. 11: *Cuncta, quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt, Domine*; nec non ex Matth. XI, 25. ubi Christus Patrem suum alloquens: *Gratias*, inquit, *ago Tibi, Pater, Domine cœli & terræ*. Beza tamen ἐξουσίαν ibi non nisi *autoritatem* vertit, eamque à δυνάμει seu *efficaci potentia* distinguit. Frustrà verò; cum *Filius consederit à dextris ipsius* δυνάμεως τοῦ Θεοῦ Luc. XXII, 69. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, *cum autoritate ac potestate* (quæ ceu ἰσοδυναμοῦντα conjun-

guntur) *imperarit spiritibus malis* (idem esto de aliis operibus miraculosis judicium) Luc. IV, 36: & unà cum Patre insidente throno ipse quoq; ab Angelis habeatur *dignus Agnus, qui accipiat* τὴν δύναμιν *virtutem & divitias, & sapientiam* &c. Apoc. V, 12. Quod de sapientia hîc additur, id dudum prædictum est ab Esaia: *Orietur è radice Jessæ virga & surculus efflorescet, super quo quiescet Spiritus Scientiæ, Sapientiæ & Intellectus*, Esa. XI, 1, 2. Jam verò *Pater dat Filio Spiritum non ad mensuram*, Joh, III, 34. sed *unxit eum oleo lætitiæ præ consortibus suis* Ps. XLV, 8. & dicente Apostolo, *in Ipso omnes sunt thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi*, Col. II, 3. In quem locum Chrysostomus: *Quod* thesauros *quidem dicit, copiam ac multitudinem, quod verò addit* omnes, *nihil ab eo ignorari*; *quod autem subjungit* absconditi, *ipsum solum omnia scire declarat*. Hæc ille. Inde est, quod discipuli ipsi dicunt: *Scimus, quod omnia noris* Joh. XVI, 30. Nam & *cogitationes vidit* aliorum, Matth. IX, 4. *Spiritu* seu anima sua, Marc. II, 8. Sic dicitur etiam *plenus gratiæ & veritatis. Et de ejus plenitudine nos omnes accepimus*, Joh. I, 14, 16. *Quippe placuit* Patri cœlesti, *ut in ipso omnis plenitudo habitaret*, omnis perfectio, omnis eminentia, Col. I, 19. Ad ἐξουσίαν autem, de qua prius, spectat insuper, quod ait Christus, *Filium hominis* ἐξουσίαν *autoritatem habere in terra remittendi peccata* Matt. IX, 6. ut & quod Apostolus scribit: *Quia per hominem mors, per hominem quoq; resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, 1, Cor. XV, 21. 22. Posterius hoc Christus ipse his verbis exponit: *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso*, ut nimirum Filius voce sua & spiritualiter mortuos è letargo peccatorum, & corporaliter mortuos è sepulchris excitare possit ac vivificare, hosque sistere etiam ad suum tribunal, uti docent verba immediatè subjecta: *Et* ἐξουσίαν *potestatem dedit ei judicium etiam exercendi, quatenus Filius hominis est* Joh. V, 26, 27. Refer huc pariter, quæ vers. præc. 22. habentur: *Neq; enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio*; & attende annexam causam finalem: *Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem* h. e. ut homo ille ab omnibus Deus ac Patri æqualis agnoscatur atque ob hoc æquali etiam cum eo afficiatur honore & cultu: *ut in nomine Jesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & subterraneorum*: quibus omnibus majestas hujus hominis reverenter suspicienda est, Phil. II, 10. Adde Rom. XIV, 11.

Divina Christo data sunt ut homini.

Hæc tanta ac prorsus Divina tribuit Scriptura Christo, quà homo est. Divina, inquam. Sanè enim nomen supra omne nomen, gloria

par

par illi, quam habuit Filius Dei ante conditum mundum, omnis in cælo & in terra poteſtas, plenitudo omnis, virtus ſuſcitandi mortuos, autoritas faciendi judicii, æqualis cum Patre cultus, ſunt ἀυχήματα verè ac merè Divina. Hæc autem & quæ alia adduximus, *collata eſſe Chriſto*, non ut Deus, ſed *ut homo eſt*, inde patet, quia in tempore ipſi ſunt data & ita, ut dono ea haberet indeque præſtantior fieret. Quod in tempore ipſi ſint data, ex eo probatur, quia ea in tempore petit: *Pater, venit hora illa, glorifica Filium tuum*, Joh. XVII, 1. Expreſsè quin etiam determinatum legimus tempus apud Danielem, quando ungendus ſit Sanctus Sanctorum h. e. quando tot ac tanta dona in ipſum ſint conferenda: id enim unctione illa inter alia importatur, Dan. IX, 24. Quod dono illa omnia habeat, indicium facit verbum ἐχαρίσατο apud Paulum Phil. II. Sunt ergò χαρίσματα ſive dona gratuita. Quod præſtantior inde ſit factus, itidem habemus apud Paulum: *Tantò* βελτίων *præſtantior Angelis factus*, Ebr. I, 4. Jam certiſſimum eſt, quæcunque Chriſto data ſunt in tempore, & ita, ut obtineat ea tanquam gratuitò ſibi donata & facientia ad βελτίωσιν ac perfectionem ipſius, ea ipſi ſecundùm humanitatem data eſſe. Divinitas enim βελτίωσιν ac χάρισμα omne reſpuit, nec tale quid in tempore poteſt accipere. Accedit, quod pluries dicitur tanta gloria collata Chriſto in reſpectu ad præviam paſſionem & mortem: Conſequenter ergò reſpectu humanitatis, in qua paſſionem & mortem ſuſtinuit. Prius patet ex verbis Chriſti ad diſcipulos in via Emauntica: *Nonne hæc oportuit* pati Chriſtum & introire in gloriam ſuam? Luc. XXIV. itemq; ex Phil. II, 9. *Propter quod exaltavit eum Deus. Hinc*, ait noſter Philippus, *Ariani ſumebant argumentum: Naturâ Deus non poteſt exaltari. Reſpondent Orthodoxi ex regula de communicatione idiomatum: Eſt exaltatus ſecundùm humanam naturam.* T. 2. Opp. p. 225. Præterea quod dicitur *factus Dominus*, Act. II. id itidem Divinitati ipſius nullo modo competit, juxta quam non eſt factns, ſed ab æterno natus Dominus. Ut taceam, naturæ determinationem expreſsè addi Joh. V. *Dedit ipſi poteſtatem faciendi judicii*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, *quatenus Filius hominis eſt. Quod eſſe cœpit ex tempore, ut poteſtas ei daretur in tempore:* ſicuti hoc declarat Auguſtin. T. VI. lib. contra Serm. Arian. c. XI. p. 663. Ex quo Doctore auguſtiſſimo ſtatim etiam notetur, quomodo hoc ſit intelligendum, quod hîc & alibi Pater dicitur poteſtatem dediſſe Filio. *Non ita dicitur*, inquit, *tanquam eam ſibi & ipſe non dederit i. e. naturæ in ſe humanæ non dederit poteſtatem, illa, quæ in eo natura Divina*

Quomodo Pater Filio dederit poteſtatem.

vina est: absit hoc credere. Quomodo enim aliquid faceret Pater nisi per unigenitum Filium? nec sine Spiritu S. quia inseparabilia sunt opera Trinitatis — Sed honorificè & competenter tribuit Patri, quod etiam ipse facit ut Deus, quia de Patre est Deus. Ipse namq; Deus est de Deo: Pater autem Deus, sed non de Deo. l.d. Eodem modo illud Joh. XVII, Glorifica Filium tuum, exponit Cyrillus l. X. Thes. c. 2. *Petit accipitq; à Patre, quæ naturaliter habet ut Deus: sed quoniam homo factus est & carnem sumsit, quæ non alterius quam ipsius Filii Dei caro est, jure gloriam petit, qua natura humana eget, & accipit à Patre atq; etiam à seipso, quæ naturaliter habet ut Deus. Ipse igitur petit ut homo, & dat ut Deus unà cum Patre.*

De Subjecto Enunciationum ad Communicationem Majestatis pertinentium.

Ob hoc ipsum, quod *natura humana in Christo particeps* facta est gloriæ ac potestatis Divinæ, fit interdum, ut ea *inde denominetur in recto, atq; subjecti loco in his* prædicationibus, quæ majestatem hominis Christi concernunt, nomen abstractum nonnunquam ponatur; quanquam rariùs id fit, & ubi fit, dextrè oportet locutiones istiusmodi declarare. Sic equidem dico: Humana Christi natura est omnipotens, sicuti dixit Leo Magnus: *Forma Servi, humana humilitas, in gloriam Divinæ potestatis evecta est*, epist. 38. Sed addenda declaratio, quod Divina natura minimè suam sibi propriam potestatem effundat in humanam naturam, ut hanc postea intrinsecè afficiat hæc proprietas, aut subjectivè tanquam forma informans ipsi inhæreat: neque enim vel humana natura in Christo, vel ulla alia creatura & finita essentia eo modo omnipotentiæ Divinæ increatæ & infinitæ capax est: Sequeretur inde aperta naturarum exæquatio & confusio; sed verissima omnique exceptione major Philosophorum hoc etiam in mysterio est regula: Propria non egrediuntur sua subjecta. Est ergò permanetque in Christo una tantùm omnipotens virtus, solius Divinitatis propria. Ea verò lucet & vim suam liberrimè exserit in & cum assumta humanitate, & per eam operatur tanquam per instrumentum sibi personaliter copulatum. Hinc *omnipotens vocatur humana natura per accidens & κατ' ἄλλο, ratione sibi unitæ Divinæ naturæ, & instrumentaliter ac per denominationem extrinsecam, secundùm quoddam exercitium & usum*, dum juxta Athanasium, *Dei Sermo unitus homini edit prodigia minime segregatus à natura humana, quod ei pro sua bonitate placuerit vim suam Divinam per eam & in ea & cum ea exerere.* T. 2. Dial. V. de Trin. p. 217. Cognata huic locutio est: Caro Christi est vivifica: de qua sub anathemate ducenti Patres Concilii Ephesini pronunciant: *Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse — quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, anathema sit.* In quibus

Humana Christi natura est omnipotens.

Caro Christi est vivifica.

ipsis

ipſis verbis aliqua habetur declaratio, unde liquere poteſt, non ſimpliciter vim vivificantem carni adſcribi, quaſi per ſe ei competat, aut quod eam ſubjectivè ingrediatur, ſed quod effectivè ei communicetur à Verbo, cujus ea propria eſt facto caro in unione. *Nam quoniam*, ut ait Cyrillus, *cum vivificante Verbo caro conjuncta eſt, tota eſt effecta vivifica. Non enim ad corruptibilem ſuam naturam junctum Dei Verbum detraxit, ſed ipſa ad melioris virtutem elevata eſt. Quamvis ergò natura Carnis ut caro eſt, vivificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem ſuscepit — Nam ſimel, cum naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit, quibus immiſcetur; nonne ſtultum erit, vivificam Verbi naturam putare non dediſſe homini, in quo habitat, vivificandi virtutem?* l. IV. in Joh. c. 23.

Nil etiam prohibet dicere: Anima Chriſti eſt omniſcia. *Non enim habuit ignorantiam: nam etſi ſecundùm ſe erat naturæ futura ignorantis, attamen ſecundùm hypoſtaſin unita Deo Verbo, omnium cognitionem habebat.* Damaſc. l. 2. c. 22. Inſuper & meritò hîc, ubi de communicatione Majeſtatis tractamus, mentionem injicimus præſentiæ corporis Chriſti in his terris, eſtque inter nos certiſſimæ veritatis propoſitio: Corpus Chriſti ſedet in cœlis ad dextram Patris & ſimul eſt præſens in terris. *Quod* enim *Chriſtus per Divinam omnipotentiam ſuam corpore ſuo (quod ad dexteram majeſtatis & virtutis Dei collocavit) præſens eſſe poſſit, ubicunq; voluerit: ibiq; inprimis, ubi ſuam præſentiam illam, ut in Sacra ſua cœna, in Verbo ſuo promiſit; hoc ipſius omnipotentia & ſapientia optimè efficere poteſt, ſine transmutatione aut abolitione veræ ſuæ humanæ naturæ.* Hæc declaratio commoda eſt & ſana, in qua tuto licet acquieſcere. Sed & de cultu adorationis in abſtracto loquuntur Patres. Chryſoſtomus homil. V. in ep. Ebr. *Reverà magnum, admirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere & adorari ab Angelis & Archangelis. Hoc ſæpè mente verſans ecſtaſin patior.* Et Auguſtinus: *Ego Dominicam carnem imò perfectam in Chriſto humanitatem adoro propterea, quod à Divinitate ſuſcepta atq; Deitati unita eſt.* T. X. Serm. 58. de Verb. Domini p. 217. Pro declaratione autem ulteriore notabis, non adorari humanitatem Chriſti in ſe, prout creatura eſt, & eſſentialiter (hoc enim eſſet idololatricum) nec adæquatè & principaliter (ſic enim adoratio, perinde ut quævis alia actio & paſſio, eſt ſuppoſiti, non naturæ alicujus) ſed ſecundariò & conſequenter, quatenus in ipſa Verbi hypoſtaſi, cui cultus adorationis debetur, ſubſiſtit. *Verbum igitur tanquam ſuppoſitum adoratur primò & per ſe: Cum eo autem ſimul adoratur caro aſſumta*, propterea quod unam cum ipſo perſonam conſtituit. Propter hanc perſonæ identitatem in adoratio-

Anima Chriſti eſt omniſcia.

Corpus Chriſti eſt præſens in terris.

Caro Chriſti adoratur.

ratione nec seorsum colimus humanitatem à Verbo discriminatam, neque Verbum adoraturi carnem seponimus, sed utrumque horum, uti unum conficiunt ὑφιςάμενον, sic pariter una adoratione prosequimur. Ad hunc aut similem modum declarationem dextram adhibere oportet prædicationibus de Majestate hominis Christi, quæ in subjecto habent nomen abstractum.

De Prædicato illarũ Enunciationum.

Prædicata porrò in his enunciationibus sunt meræ ἐξοχαὶ & prærogativæ, quibus humana Christi natura gaudet, per gràtiam unionis. Non vero aliquid humile hîc prædicatur de Divina natura. *Nulla igitur in hoc prædicationum genere obtinet reciprocatio*, ut quemadmodum dico, Caro est vivifica & adoratur ab Angelis, sic liceat dicere, Deitas vulneratur & moritur. Ratio diversitatis est, quia Verbum assumsit carnem, non Caro Verbum. *Jam assumentis est dare, non assumti; & vicissim, assumti, non assumentis, provectio est.* Pulchrè itaque Augustinus: *Injuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut Majestate Deitatis glorificatam novimus carnem.* T. 6. lib. contra Felicianum c. 11. p. 783. Et hunc secutus Damascenus cum dixisset, Divinam naturam ceu assumentem permeare omnia, per ipsam autem nihil: *Et ipsa quidem* (subnectit) *proprias glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat impassibilis & perpessionum carnis expers.* l. III. c. VII. *Nec verò omnia etiam indiscriminatim Divina αὐχήματα de carne Christi prædicantur, sed quædam duntaxat. Non enim sicut sano sensu caro dicitur omnipotens, vivifica; sic etiam dici potest infinita, immaterialis, increata, æterna.* Equidem *omnis plenitudo Deitatis*, sive quicquid est de natura & essentia Divina, *inhabitat in Christo* σωματικῶς *corporaliter* h. e. realiter & substantialiter ἐν σώματι vel ἐν σαρκὶ αὐτοῦ per modum terminantis naturam. Planè etiam per hanc inhabitationem natura Christi humana possidet, omnia idiomata Divina in communicata sibi hypostasi Verbi, quin *per illa ipsa attributa subsistit, saltem secundariò.* Dum nempe in hypostasi Verbi infinita, æterna, immensa, subsistit, hoc ipso subsistit (quanquam, ut dixi, secundariò) per infinitatem, immensitatem, æternitatem; quæ & reliqua Deitatis attributa ad unum omnia cum hypostasi Verbi realiter idem sunt. Sed inde tamen non licet ea omnia enunciando efferre de humanitate Christi. Nulla namque est consequentia: Humana natura in Christo subsistit subsistentiâ æterna, infinita, immensa: Ergò ipsa est æterna, infinita, immensa; æquè ut non valet: Homo subsistit per animam immaterialem, & immortalem: Ergò ipse est res immaterialis & immortalis. *Ac possidere potest caro vel humanitas Christi singula Verbi idiomata, ut*

tamen

tamen à singulis denominationem non accipiat. Ad hanc enim non sufficit communis possessio, sed requiritur insuper usurpatio. Quippe non frustrà & otiosè inhabitat tota Deitas in carne Christi, sed ut per eam sese exserat & efficaciter operetur. Jam *quædam attributa Divina ita sunt comparata, ut in usum & operationem ad creaturas non exeant.* Ita sanè æternitate sua, ut æternitas est, Verbum per humanam naturam nil operatur ad extra, nec idioma hoc alio modo ullo respectum ad res foràs habet, ut DEUS per illud ad peculiares actus se proferat. Eadem ratio est spiritualitatis, independentiæ, infinitatis & cæterorum talium. Non enim horum est usus in operibus ad extra. Quare hæc *talia de Christo, ut homo est sive de humanitate ejus nō prædicantur, sed illa solùm, quæ* ἐνεργητικὰ dici solent, à quibus nempe emanant operationes ad extra, sive in quibus distingui inter actum primum & secundum potest. *Nec inde concludenda unius proprii ab altero separatio, sed solummodò distinctio:* quandoquidem alia ratio possessionis, ubi συνυπαρξία, ut vocant, propriorum obtinet; alia usurpationis & prædicationis, ubi cum quædam in usum & actum secundum exeant, quædam non, illa prædicantur de Christo, quà homine, hæc non item.

Particulæ distinctivæ etiam in II Genere Communic. Idiomatum.

Prædicatis in hoc genere quandoq; etiam adhibentur particulæ distinctivæ, Quia, Quatenus, κατ' ἄλλο *& similes. Sed usus earum multum diversus est ab eo, qui in superiore est Communicationis genere.* Ibi particulæ istæ specificant, ut diximus, naturam, ad quam pertinet proprietas in prædicato expressa. Quando v. g. dico: *Filius Dei est passus secundùm carnem*, sensus est, quod pati sit proprietas carnis vel humanæ naturæ. Hic specificatur ejusmodi additione natura illa, cui dignitas & eminentia in prædicato expressa dono contigit in tempore, quæ aliàs ex principiis naturæ ipsi non erat propria. e.g. cum dico: *Christo data est omnis in cælo & terra potestas, quatenus homo est*, denoto hac restrictione objectum dationis, sive naturam, cui potestas omnis gratuitò obtigit in tempore, & dico, hanc esse humanam naturam, quæ sibi relicta talem potestatem sibi non habet propriam. Vel etiam designatur causa & origo, unde talia dona habeat humanitas Christi, nempe ex unione. Ut, cum dico: *Caro Christi est vivifica* κατ' ἄλλο, innuo, quod vivifica sit non ex principiis essentialibus suæ naturæ, sed per & propter unionem personalem. Hæc nimirum unio causa est, cur Christi caro virtute vivificante, ipsi aliàs secundùm naturales proprietates suas indebita, polleat.

Quo tempore facta Majestatis communicatio.

Superest, ut de Tempore, quo facta sit hæc, de qua dictum hucusque est, Majestatis Communicatio, aliquid addamus. Facta est autem

tem hæc communicatio *in ipsa unione & primo conceptionis seu incarnationis momento.* Sicut enim tum humanitas Divinitati & genuino Dei Filio hypostaticè unita fuit; ita fieri aliter non potuit, quin statim etiam ab eo temporis puncto acciperet summam gloriam & Majestatem, absolutam in omnes potestatem, omnem scientiam & cætera hujusmodi dona, minimè aliàs ex principiis suis essentialibus, maximè autem jam vi singularis unionis hujus ipsi debita. Licet verò tum statim ista dona homini Christo sint collata, *non tum tamen confestim ea usurpavit, aut plena luce exseruit majestatem suam,* sed secretò habuit ac ferè actu primo solùm (*nisi quod, ubi gloria Dei & confirmatio doctrinæ cœlestis efflagitabat, quosdam illius insigniores radios emitteret* per actiones Divinas & miraculosas) idque eò, ut pati pro nobis & mori posset. Si namque majestatis suæ vires plenè expedire voluisset, nec à Judæis capi, nec crucifigi, nec mori potuisset. Salus autem nostra non nisi morte ipsius constare poterat. Necesse itaque erat, ut ad tempus retraheret plenum communicatæ Majestatis usum. Et hoc est, quod toties ex Irenæo inculcat noster Philippus, *Christum esse passum & mortuum quiescente Verbo* h. e. non utente sua potentiâ, non exserente suas vires. Postquam verò gloriosè resurrexit, ac supra omnes cœlos evectus & ad dextram infinitæ virtutis Dei collocatus est, tum demum Divinitas & Majestas ejus *pleno usu se prodidit ac innotuit* per Apostolorum præconium toti orbi. Huc spectat vulgaris distinctio inter *statum,* quem vocant, *Exinanitionis, & Exaltationis.* Ille complectitur curriculum, quod intercessit inter conceptionem & resurrectionem Christi. Hic à resuscitatione ejus cœpit, & dicit solennem quasi inaugurationem ad perfectam & publicam dominii secundùm humanitatem Christo collati usurpationem. Ad hunc posteriorem statum respicit inter alia illud Petrinum, *Deum* tunc Jesum Nazarenum *fecisse Dominum & Christum,* cum ex mortuis resurrexisset, & in cœlos sublatus esset, Act. II, 36. Quod non ita accipiendum, quasi ante id tempus non fuerit Dominus & Christus: utroque enim nomine statim à nativitate appellatur Luc. II, 11. & cum doceret publicè, passim Magister audiebat & Dominus. *Vos,* ait discipulis, *Magistrum & Dominum me vocatis, & rectè dicitis: Sum enim.* Joh. XIII. Cumque ad se adduci vellet asinam cum pullo, jubet rationem facti exigentibus responderi, *Domino his opus est,* Matth. XXI, 3. Sed *intelligendum partim de declaratione mysterii illius, sicut hoc Paulus Rom. I, 5. explicat: Partim de plenario dominii illius in natura humana exercitio,* quod secundùm Patris sui voluntatem tum demum exserere cœpit, & plenissimè ac omnibus numeris consummatè in extremo die exseret, sicut id ex Phil. II. & 1. Cor. XV. liquet. Tantum de communicatione Majestatis.

Status Exinanitionis & Exaltationis.

Com-

Communicatio Operationum seu κοινοποίησις est, per quam opera ad officium Christi & redemtionem nostram spectantia tribuuntur personæ non seorsum secundùm alterutram sed copulatim secundùm utramque naturam. *Hoc ita sequitur ex unione hypostatica.* Nam quia unitæ sunt naturæ in una persona, fit, ut etiam earum actiones, quas eadem persona edit, communionem inter se habeant. Sed quia naturæ unitæ veram etiamnum inter se distinctionem obtinent, fit, ut *etiam singularum actiones sine ulla confusione distinctæ maneant, quamvis ad unum & idem* ἀποτέλεσμα *concurrant.* Egregiè de hac tota re Leo Magnus axiomate illo in universa Ecclesia recepto: *Agit utraque forma* (natura) *cum alterius communione, quod cujusque proprium est, Verbo operante quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est.* ep. X. c. 4. Tenenda hîc igitur ex superiore doctrina naturarum in Christo diversitas, & personæ unitas. Illius intuitu *duas actiones in Christo adstruere necesse est;* διὰ τὸ διττὸν τῆς φύσεως, ut Damasc. loquitur. *Nam quorum*, ait, *natura est alia atque alia, horum etiam actio est diversa: & quorum actio est alia atque alia, horum etiam natura est diversa. Et rursus quorum natura est eadem, horum etiam actio eadem — Consubstantialis Patri existens secundùm Deitatem, æqualis etiam erit secundùm actionem: & consubstantialis nobis secundùm humanitatem, similis erit etiam juxta operationem.* L. III. c. 15. Ob personæ verò unitatem mutuam docemus naturarum cooperationem, ita ut ambæ naturæ indivisim agant, quod cuique competit, & una cum altera operationes suas communicet. *Ipse* nempe *Christus*, ut ad l. d. Commentator Damasceni loquitur, *non humanitùs faciebat humana i. e. secundùm solam naturam humanam: nam & illi coeffectrix erat Divinitas; neque itidem Christus Divina operatus est signa Deitùs & per solam naturam Divinam, sed cooperatrix illi erat natura humana ut Divinitatis organon.* Hinc est, quod Christum secundùm utramque naturam officium suum exsequi dicimus. *Nam*, uti rursum Damascenus, *duæ naturæ unus est Christus, & unus Christus duæ naturæ. Idem igitur est dicere, agit Christus secundùm utramque sui ipsius naturarum, & agit utraque in Christo natura cum alterius communione.* L. III. c. 19.

De Communicatione Operationum.

Christus itaque secundùm utramque naturam noster est Rex, Propheta, Mediator, Sacerdos, Redemtor, inq; munerum horum exsecutione quælibet duarum naturarum agit conjunctim cum alterius communione, quod ei proprium est. Atque ad hoc valet naturarum diversitas ac personæ unitas, ut, quod facto opus est in operibus officii Christi, si humanitatis vires excedat, præstet divina natura, aut, si Divinæ mini-

mè conveniens ſit, exhibeat humana, nec alius tamen atque alius ſed unus & idem omnia illa exſequatur. Recolenda hic diſtinctio inter principium Quod & Quo. Principium Quod eſt hypoſtaſis vel ſuppoſitum operationes quaſcunque exercens, & à Damaſc. all. c. 15. dicitur ἐνεργῶν, *agens*. Principium autem Quo eſt natura, ex qua actio prodit, & ab eodem vocatur ἐνεργητικὸν, *activum*, l. d. Accedit, ut ibidem habetur, ἐνέργεια, quæ eſt ipſa operatio ſeu efficax motus & *actio* ex natura cum hac tum illa vel proprietate naturali profecta. Sequitur ἀποτέλεσμα *actionis conſummatio* & res ipſa geſta ex communi utriusque naturæ operatione reſultans, quæ eſt illa Dionyſio ſic appellata Θεανδρικὴ ἐνέργεια ſive Θεανθρωπικὴ. Exemplo ſit homo, qui dum legit, loquitur, ſcribit, ambulat, eſt ἐνεργῶν, & denominatur hinc legens, loquens &c. tanquam principiũ Quod vel ſuppoſitum. Principia Quibus ſeu quorum beneficio hæc præſtat, ſunt corpus partim, partim anima: per hæc duo enim operationes ſuas edit. Dum legit v.g. ſcriptũ aliquod, facit id oculis & intellectu, quorum utrumque eſt ἐνεργητικόν. Ἐνέργεια oculorum eſt, videre: intellectûs, cognitas habere & ritè combinare noſſe litteras ac ſyllabas. Poteſt inſuper locum habere miniſterium oris, ſi alii legentem ac pronunciantem audire debeant. Ἀποτέλεσμα ex partialibus his intellectus & oris & oculorum actibus inter ſe junctis proveniens eſt ipſa lectio, ad quam ſingulæ iſtæ, quas dixi, hominis partes indiviſim concurrunt. Sic ergò in præſenti etiam Chriſtus in unitate perſonæ Filius Dei & Filius hominis exiſtens eſt principium Quod, ſive ille ἐνεργῶν, qui patrat miracula. e. g. Chriſtus ſuſcitat è mortuis Lazarum. Principia Quibus ſunt ambæ ejus naturæ cum Divina tum humana. Horum extremorum utrumque eſt ἐνεργητικόν. Divinitatis ἐνέργεια eſt morti imperare ac vitam reſtituere. Humanæ naturæ ἐνέργεια eſt ſublata voce clamare: Lazare veni foràs. Ἀποτέλεσμα eſt ipſa reſuſcitatio tanquam effectum ex utriusque ἐνεργείας communione ſuboriens. Hoc apotelesma promiſcuè dein enunciari poteſt, & de Filio hominis, dicendo: *Filius hominis excitavit Lazarum per Deitatem ſuam*; & de Filio Dei, ut dicamus: *Filius Dei excitavit Lazarum voce ſua*; & de voce etiam Chriſti, hoc pacto: *Vox Chriſti excitavit Lazarum*, ceu inſtrumentum videl. Divinitati perſonaliter junctum. Similiter res ſe habet in officio Mediatorio & Redemtorio. Mediator dicitur Chriſtus ob interceſſionem: Redemtor, propter ſatisfactoriam oblationem. Utrobique Chriſtus, perſona ex duabus naturis compoſita, eſt ἐνεργῶν. Τὰ Ἐνεργητικὰ ſunt duo extrema, in uno perſona-

Ἐνεργῶν, Ἐνεργητικόν, Ἐνέργεια, Ἀποτέλεσμα.

1. In patratione miraculorum.

2. In Mediatione & Redemtione.

sonali termino copulata, Deitas & humanitas. Hujus ἐνέργεια, pati, mori, intercedere. Illius, vim salutarem ac infinitum pondus passioni, morti, intercessioni addere, quò expientur totius mundi peccata & Deus nos ad se rursum admittat. Nisi homo fuisset Redemtor & Mediator noster, non potuisset se pro nobis patiendo & moriendo offerre in sacrificium (nam *Sacrificium humanæ conditionis officium est*, ait Ambros. l. 3. de Fide c. 5.) nec Deo supplicare & humiliter eum pro nobis orare (hoc enim parti inferiori competit, non ei, qui alteri æqualis est.) Rursus nisi Deus simul esset, non posset tanti precii esse ejus oblatio & mors ac intercessio, ut nobis plenam reconciliationem, vitam & salutem pareret. A sola persona Divina, ut tali, est passionis, ac intercessionis hujus precium ac meritum. Quod autem à Divinitate personæ Christi est, id etiam à Divina ejus natura est, prout ea in ista quidem persona subsistit. *Nullus hic quidem à parte Divinitatis est influxus Physicus: est interim efficientia moralis, quæ itidem vera ἐνέργεια est seu operatio,* Nam non otiosa fuit Divina natura in opere Redemtionis, sed de suo contulit robur, ac salutaria effecit, quæ in eum finem præstabantur. Hæc verò omninò est aliqua operatio, & hoc nomine à Damasceno quoque dicitur: *Quod*, inquit, *operatio illa carnis per omnia salutaris existat, id non humanæ ἐνεργείας operationis est, sed Divinæ*. l. 3. c. 19. Unde omnes etiam Christi perpessiones non minùs posse actiones quam passiones appellari rectè censet, eoque citat c. præc. 15. verba Chrysostomi ex Serm. 2. in Act. Apost. *Qui passionem ejus, actionem vocet, non aberrarit: dum enim omnia patitur, rem illam magnam & admirabilem effecit, qua mortem destruxit & cætera omnia operatus est.* Hæc nosse refert ad decisionem controversiæ, quæ agitatur inter nos & Pontificios de Christo secundùm unam vel alterutram naturam Mediatore, satis intricatæ.

Omnes Christi perpessiones non minus possunt Actiones, quàm Passiones vocari.

Admittunt hi quidem, ipsum suppositum, sive principium Quod operabatur illa opera, non fuisse Deum solum vel hominem solum, sed utrumq; simul h. e. Verbum incarnatum, nec potuisse hæc aliter perfici, nisi persona esset simul DEUS & homo. Principium tamen Quo illa opera fiebant, fuisse naturam humanam, non Divinam, cum hæc pati, obedire, supplicare non possit, contendit Bellarminus l. V. de Christo c. 1. *Nos verò naturam Christi Divinam etiam, tanquam principium Quo, influere in redemtionem & mediationem nostram,* non patiendo quidem, obediendo, supplicando, (quæ sanè soli humanæ naturæ conveniunt,) attamen dignitatem infinitam his actibus impertiendo, *quæ est moralis, non Physica, vera interim & proprie dicta ἐνέργεια,* jam ostendimus. Ponamus insuper, Regem quem-

Christus secundùm utramque naturam mediator est.

piam agere aut loqui aliquid: dignitas personæ regiæ non physicè quidem in illum laborem aut sermonem influit (quod Bellarmino lib. dict. c. 5. unicè hoc urgenti lubentes concedimus) moralem tamen influxum habet, adeò efficacem, ut alloquium Regis possit subditis obedientiam imperare, quam nunquam eliciet sermo alicujus privati. Eodem modo influit dignitas personæ Filii Dei, & mediante hac etiam ipsa Divina Filii natura, in opus redemtionis & mediationis moraliter: *scilicet, quatenus imprimis etiam Divinum suppositum, atq; adeò natura quoq; divina valuit ad efficaciam ejus functionis*: quæ ingenua Gregorii Valentiani confessio est T. IV. Comment. in S. Thom. disp. 1. q. 22. punct. 3. Nec abludit Adamus Tannerus, qui non veretur principium etiam morale indigitare Divinitatem Filii: *Talia*, inquit, *opera, esse redemtorem humani generis, esse mediatorem perfectum inter Deum & hominem &c. necessariò utramq; naturam requirunt; humanam, veluti immediatum principium efficiens operum Redemtoris &c. Divinam, veluti principium morale conferens eisdem operibus valorem. Vnde*, ait porro, *non rectè dicitur Christus mediator ut homo tantùm, vel ut Deus tantùm, sed ut homo — Deus.* Hactenus rectè, & hîc oportebat ipsum subsistere. *Tamen*, illicò addit, *non dicendum, Christum esse mediatorem secundùm naturam humanam & divinam, sed absolutè secundùm humanam.* T. IV. Theol. Schol. disput. 1. q. 6. dub. 2. Reg. 9. Ecce! ad contradictiones delabitur disputator, dum studium partis, cui litat, veritatis amori antefert. Nec enim alia ratione inductus postrema hæc verba adjicit: quæ cum prioribus collata sine contradictione intelligi nequeunt. Si namque Divina natura Christi est principium morale conferens his operibus valorem, & opera hæc, ut Dub. seq. 3. n. 121. denuò largitur, *specialem ac proprium influxum moralem Verbi* à Divinitate utique ejus manantem *requirunt*: si item Christus non ut homo tantùm vel ut DEVS, sed, ut homo — DEVS, mediator noster rectè dicitur: quidni idem dicendus sit mediator noster secundùm Divinam pariter & humanam naturam? Quod enim ipsi ut homini — Deo competit, id secundùm utramque naturam ipsi competere, ac in quem effectum Divinitate sua Verbum influit, illum effectum meritissimè Divinitati Verbi assignari, quivis sanæ mentis intelligit. Sed hinc tandem colligitur, *controversiam hanc non tàm esse de re, quàm de vocabulis.* Ab utrâque enim parte conceditur & humanæ Christi naturæ cruenta mors, & vis precii pendens à Divina natura. Magis autem rem ipsam labefactarunt superiore seculo errores Andreæ Osiandri unus, alter Franc. Stancari Mantuani, quorum ille Christum secundùm solam naturam Divinam nostrum esse Redemtorem, hîc naturam ejus Divinam

cum

cum opere redemtionis & mediationis nihil prorſus commercii habere aſſeruit. Sed illorum errorum ſemina dudum ſunt extincta & ipſi hodiè Pontificii in contrarium disputant, ut nil opus ſit erroribus illis oppugnandis nos fatigari. Fecit id cum aliis ſua ætate contra Stancarum ſtrenuè noſter Philippus, uti teſtatur ejus reſponſio de controverſiis Stancari in ipſo fine Corporis Doctrinæ, lectu ſanè digna. Itaq; duplex omninò *ἐνέργεια* eſt ut in effectione miraculorum, ſic & in officio Mediatorio & Redemtorio: una humanitatis, ſubire paſſionem & mortem, nec non ſupplicare & interpellare: altera Deitatis, tribuere actionibus paſſionibusq; valorem ac pondus infinitum. Ἀποτέλεσμα ex binis his humanitatis & Deitatis operationibus exſurgens eſt ipſa Redemtio, ipſa Mediatio, quæ conjunctim utrique naturæ vindicantur, cùm neutra agat ſine altera. Hinc ut prius de miraculorum patratione, ita nunc de Redemtione quoque licet promiſcuè dicere: *DEVS acquiſivit Eccleſiam proprio ſuo ſanguine*, Act. XX, 28. &, *Chriſtus obtulit ſeipſum immaculatum Deo per Spiritum æternum* i. e. in virtute æternæ Divinitatis ſuæ, Ebr. IX, 14. imò in abſtracto etiam: *Sanguis Filii DEI emundat nos ab omni peccato*, I. Joh. I, 7. De Mediatione quidem Paulus pronunciat: *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, I. Tim. II, 5. ubi non niſi hominis mentio fit, cui τῆς μεσιτείας apoteleſma tribuitur. Sed inde non licet concludere: Chriſtus homo eſt Mediator: Ergò quatenus homo; multò minùs, ſecundùm humanam naturam ſolùm. Patet falſitas illationis, ſi in ſimili dicas: Chriſtus homo condidit cœlum & terram. Hîc certè non licet colligere: Ergò quatenus homo ea condidit; nedum, ſecundùm humanam naturam ſolùm. Non tamen ſine ratione addidit Paulus vocem *Homo*, indicans, Chriſtum *non potuiſſe munere Mediatorio defungi, niſi haberet humanam naturam.* Nam *qua ratione Mediatoris veritatem impleret, niſi in forma Dei æqualis Patri, in forma ſervi particeps eſſet & noſtri?* quærit Leo Magnus *de Incarnat.* Jam verò aliunde conſtat, non potuiſſe eum has partes obire, niſi Divina etiam eſſet perſona adeoq; naturam Divinam haberet. Imò, inquit Theophylactus in h. l. Apoſtoli, *quod DEVS ſit* (Chriſtus) *vel inde liquet, quod mediator ſit: Mediator enim duorum quorundam medium eſt, ac utriusq; debet eſſe particeps. Quia igitur Filius Dei & hominum Mediator eſt, amborum eſt particeps, quippe qui Deus ſit & homo, idemq; duabus naturis conſtans: neq; Deus nudus: non enim ſuscepiſſent eum, quibus eſſe Mediator debebat: neq; homo nudus: apud Deum enim cauſa agenda erat.* Ita ille, ad utramque naturam ἀποτέλεσμα hoc referens.

Ipſum

Ipsum (ut ex dictis patet, sed specialiter tamen moneri meretur) *per se ἀποτέλεσμα est una numero actio, quæ θεανδρικὴ dicitur: ad quam tamen concurrunt duæ specie differentes energiæ*, una humanæ, altera Divinæ naturæ, distinctim operantium sed indivisim: non secùs ac lectio, quæ semel fit, est una numero actio, ad quam tamen visus & intellectus per actiones specie differentes cooperantur. Elegantissimè hoc porrò ostenditur à Damasc. in exemplo gladii igniti incidentis simul & adurentis. *Sicut enim*, inquit c. 19. *unam incisam adustionem & adustam incisionem ignitæ machæræ dicimus, & aliam interim operationem incisionem & ustionem vocamus, alius item atq; alius naturæ, ignis quidem ustionem, ferri verò incisionem: sic etiam unam Christi divino humanam operationem asserentes duas operationes duarũ naturarum intelligimus, Divinæ quidem Divinam, humanitatis autẽ humanam.* Ibidemq; hunc modum loquendi propterea appellari ait Περίφρασιν *Circumlocutionem*, quod complectatur duo quædam dictione unicâ. In resuscitatione, sanatione, redemtione hominum per Christum factâ res est manifesta. Singula hæc semel facta sunt actio numero una, & dictione etiam una exprimuntur; ita tamen, ut secundùm distinctas formas & naturas, ex quibus agit suppositum, concurrant distinctæ & specificam differentiam habentes *energiæ, quæ vel respiciunt se in genere agentium principaliter & instrumentaliter*, quemadmodum fit in operibus miraculosis, ubi Divina natura est agens principale, quod utitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti: *vel in genere causæ physicæ & moralis*, quarum utraque potest esse principale agens, ut in opere mediatorio contingit, ubi humana natura est immediatum principium physicum voluntariæ passionis ac intercessionis, Divina autem immediatum principium morale in infinitum efficacem reddens ac salutarem cùm passionem tùm intercessionem. Quo pacto manent in Christo duæ distinctæ operationes secundùm duas distinctas naturas, & dum unaquælibet tamen naturarum cum altera operationes suas communicat, unum inde confit apotelesma θεανδρικόν. Tale est etiam illa administratio & gubernatio Ecclesiæ ac totius universi. Ad hanc itidem concurrit utriusque naturæ ἐνέργεια. Nec enim Christus tantùm ut Deus sed & ut homo dominatur omnibus, cunctaq; regit & gubernat. *Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit & revixit, ut & mortuis ac viventibus dominetur*, Rom. XIV, 9. quod de ipso ut homine debere intelligi, ipsa verba loquuntur. Hinc de humana Christi mente Damascenus: *Communicat*, ait, *operanti Divinitati Verbi & totum hoc universum administranti & gubernanti, intelligens & cognoscens & dispensans*.

3. In administratione & gubernatione Ecclesiæ ac totius universi.

pensans, non ut nudi hominis mens sed ut Deo secundùm hypostasin unita & Dei mens existens, alleg. jam sæpius c. 19. Tantum etiam de Communicatione Operationum.

Cæterum quæ dicta sunt hactenus de patratione miraculorum, de redemtione nostra & mediatione, itemque de regimine hujus universi, ea nobis insinuant triplex officium Christi, Propheticum, Sacerdotale & Regium, de quibus nunc antequam finem imponamus huic Aphorismo, pauca quædam supersunt dicenda.

Officium Christi Propheticum. Officium Christi Propheticum est, quo nobis revelavit Dei voluntatem de nostra salute, Joh. I, 18. Hoc munus obiit Christus post susceptum à Johanne baptismum *per triennium & quod excesserat*, docendo atque erudiendo populum Judaicum Matth. XXVI, 55. idque cum ἐξουσίᾳ & autoritate, Matth. VII, ult. in specie, Evangelium prædicando & miraculis doctrinam Evangelicam confirmando, Matth. XI, 5. Luc. IV, 18, 43. legem itidem ab humanis traditionibus repurgando, Matth. V. aliasque doctrinæ corruptelas reprehendendo, XV, 3. XVI, 6. Scripturas de se vaticinia continentes interpretando, Luc. XXIV, 27. insectando insuper mores pravos, Matt. XXIII, per totum; quin & occulta cordium cognoscendo & aperiundo IX, 4. Joh. II, 24. ac nonnulla etiam futura annunciando, Matth. XXIV, 2. Luc. XVIII, 32, 33. XIX, 43. Joh. VI, 61. denique Apostolos in scholam suam adsciscendo & instruendo, quorum nomina leguntur Matth. X, 2, 3, 4. Hinc disertè etiam *Propheta* dicitur Deut. XVIII, 15. Luc. VII, 16. Act. III, 22.

Officium Sacerdotale, constans Officium Christi Sacerdotale est, quo sese medium inter Deum & homines peccatores ponens hominibus Deum reddidit propitium, pro iis in universum omnibus oblatione unica plene satisfaciendo, pœnas peccatorum nostrorum sufferendo & Deum pro nobis interpellando ac orando: *Duæ itaq; hujus officii partes:* Vna, Satisfactio, quæ & Redemtio: altera, Mediatio, quæ & Intercessio dicitur.

I. Satisfactione, quæ vera. *Circa satisfactionem observanda I. Illius veritas. II. Ejusdem Quantitas.* Veritas ejus adstruitur omnibus ferè paginis N. Testamenti, nec de ea quisquam Christianorum dubitavit unquam, donec XII. Ecclesiæ seculo Petrus *Abailardus* quidam in Gallia exortus, qui eam negaret, Bernhardi cumprimis scriptis tum refutatus: quem hodie post quadringentos annos, quibus dogma illud cum inventore exstinctum erat, catervatim sequuntur *novi Photiniani*, eam non inficiantes tantùm, sed & blasphemam, puerilem, ridiculam, si Ostorodum in Instit. suis audimus, proclamantes. Notat autem, ut hoc primùm dicamus, *Satisfactio de se nihil aliud, quàm debiti solutionem, ac propriè quidem talem,*

lem, quam exigit creditor secundùm justitiæ rigorem, Jam cum varia sint debita, de eo solo hîc sermo est, quod nascitur ex delicto sive Divinæ legis transgressione, & offensa dicitur. Cujusmodi debitum est, tum quod peccando contraxit & in omnes generatione transfudit *primus parens*, tum quod *quisq;* peccando sibi ad illud adjecit. Per hoc ipsum, quod peccavit primus homo & nos omnes in eo, perque hoc, quod plerique peccatum antiquum novis subinde accumularunt hodieque accumulant, factus est homo mortis æternæ debitor, quam interminatus est Deus legis suæ prævaricatoribus, Gen. II, 17. Rom. V, 18. Deinceps itaque exigebat justitia Dei, ut vel homo in æternum periret atque ipsemet pœnam suam luendo pro se satisfaceret seu potiùs satis pateretur: vel aliquid æquivalens ab alio pro eo persolvetur. *Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant*, dicente Augustino T. 6. l. 26. contra Faustum c. 3. Verùm si homo pro se satisfaceret, nunquam liberaretur à morte æterna. Non enim aliter pro se satisfacere poterat, quàm ipsam commeritam mortem æternam sustinendo. Nec aliam etiam ullam rationem, quâ per alium justitiæ Divinæ iniquitate læsæ fieret satis, suopte ingenio perspicere & excogitare poterat, in summis ob id angustiis ipsaque desperationis via constitutus. At Deus pro ineffabili bonitate sua nostri misertus hoc admirandum & omnem sapientiam humanam excedens remedium constituit, ut intercedente Filii sui unigeniti in carnem missi passione & morte genus nostrum à debito mortis æternæ liberaretur, insimulque hoc pacto rigori justitiæ suæ compensatio fieret. Et verò hac Filii Dei incarnati passione & morte nos verè redemtos nostrique loco justitiæ Divinæ plenissimè satisfactum esse, ut in gratiam rediremus cum Deo, id nunc contra Socinianos probamus argumento ex manifestis Scripturis deducto:

Quicunque id totum, quod peccatis nostris meriti eramus, exsolvit, ita ut effectus etiam istius solutionis in nos redundet, ille eo pacto pro nobis verè satisfecit.

Atqui Christus omne id, quod peccatis nostris meriti eramus, exsolvit passione ac morte sua, ita ut effectus etiam istius solutionis in nos redundet.

Ergò Christus verè pro nobis passione ac morte sua satisfecit.

Major per se patet. Minor probatur. Ita enim ipse de se: *Quæ non rapui, rependo*, Ps. LXIX, 6. Et clarius in N. T. Matth. XX, 28. *Filius hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret, detq;* τὴν ψυχὴν αὐτȣ̃ λύτρον *animam suam in redemtionis precium pro multis.* Sol-

vit ergò pro nobis, quantum ex tenore justitiæ suæ Deus exigebat, ut nos liberaremur. Ideò dicitur animam suam dedisse precium. Solent Photiniani, quando Redemtionem per Christum factam audiunt, nudam fingere liberationem absque interventu precii, qualis erat, quando Deus redemit populum suum ex Ægypto, Exod. XV, 13. At h. l. fit expressa mentio λύτρου à Christo persoluti pro nobis, nec adeò simpliciter quæpiam assertio, sed satisfactoria vi precii soluti compensatio debet intelligi. Unde alibi dicimur *empti precio*, 1. Cor. VI, 20. Néve qualecunque impendium intelligatur, quo ad liberandum nemo movetur (huc enim ulterius delabuntur novi hæretici) cavit Petrus, sanguinem Christi comparans auro & argento, tanquam majùs quoddam, eo ipso, quà precium est 1. ep. I, 9. Solet autem aurum & argentum esse verè precium, non figuratè. Quare & sanguis Christi æquè, ac multò etiã magis verè sit precium necesse est. Quin non tantùm λύτρον dicitur, sed &, quod adhuc significantius est, *dedit Mediator Dei & hominum semet ipsum ἀντίλυτρον pro omnibus*, 1. Tim. II, 6. i. e. simile quiddam subiit malo, quod imminebat nobis per ipsum liberandis. Hanc enim emphasin particula ἀντὶ in compositione involvit. Nos commeriti eramus maledictionem in lege intentatam: *Christus pro nobis factus maledictum liberavit nos à maledicto legis*, Gal. III, 13. Nobis castigatio debebatur severissima: At *castigatio pacis nostræ* (per quam nobis pax conceditur) *imponitur Ei*, Esa. LIII, 5. Attraxeramus nobis æternam mortem: *Ille pro nobis mortem subiit, temporalem eam quidem, ob infinitam tamen personæ Divinæ eam subeuntis dignitatem, supplicio æterno nobis infligendo æquivalentem*: eoq; nomine fructus etiam solutionis per hanc passionem & mortem factæ in nos abundantissimè redundat. *Reconciliati enim sumus Deo per mortem Filii sui*, Rom. V, 10. *livore ejus sanati sumus*, Esa. LIII, 5. *& per mortem suam abolevit eum, qui mortis habebat imperium, h. e. diabolum*, Ebr. II, 14. in cujus potestatem nos veneramus per peccatum, indeque eximendi eramus Act. XXVI, 18. ac omninò etiam inde *erepti sumus*, Col. I, 13. *Christo exsolvente pro nobis precium non ipsi quidem fraudulenter nos detinenti lictori & carnifici infernali, sed Deo ut actori & justo judici*, cujus servus, quantum ad subjectionem voluntatis, homo esse desierat, inque eam proinde servitutem, quæ vera demùm libertas est, iterum erat pretio adsciscendus, quod Christus solvit, ut ostensum, æterno nostro commodo. Nec verò, ut Photinianis videtur, hinc sequitur, redemtionem nostram non esse gratuitam. Nam maximè *gratuita profectò est respectu nostri & meriti humani*, quia nobis obtigit sine ullo nostro precio, licet interim Christus pro nobis precium dependerit: quod adeò

non tollit gratiam redemtionis, ut duo hæc immediatè conjungantur in illustri illo Apostoli textu Rom. III, 24, 25. *Justificamur gratis ipsius gratia per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem statuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad declarandam justitiam suam &c.* Ex quo loco palmario novum insuper argumentum necti potest pro Catholico dogmate de satisfactione Christi. Nam

Qui effuso sanguine præstitit nobis redemtionem & placationem coram Deo, eamque talem, in qua demonstretur justitia Dei, ille ea ipsa sanguinis effusione pro nobis iræ justitiæque Divinæ verè satisfecit.

Atqui Christus talem effuso sanguine suo sive passione ac morte sua redemtionem ac placationem nobis præstitit, quæ notam faceret Justitiam Dei, quod vehementer scil. irascatur peccatis eaque sine omni precio non remittat: cum alioquin peccata illa, quæ antecesserunt preciosam sanguinis Christi effusionem, videri possent dissimulata & præterita esse in illa, de qua ibidem Apostolus ait, tolerantia.

Ergò Christus ea ipsa sanguinis effusione h. e. passione ac morte sua iræ justitiæque Divinæ verè pro nobis satisfecit.

Quid manifestius? *Num verò patiendo solùm, an verò præter hoc etiam axactissimè legem implendo Christus pro nobis peccatoribus satisfecerit* (de quo olim Joh. Piscator subdubitavit, ratus illam vitæ innocentiam in Christo &, ut vocant, activam obedientiam fuisse duntaxat conditionem ad subjecti dignitatem non ad meriti valorem requisitam: asseclas autem, quod equidem norim, nullos invenit:) *Num item Christus in passione sua dolores, ut ajunt, infernales pro nobis ad tempus sustinuerit* (quos in tantum asserit Philippus, ut dicat, eum etiam luctatum cum tentatione de abjectione, L. de Filio in ipso fine;) id utrumque cum parùm aut de longinquo solùm faciat ad capitalem illam, quam cum Socinianis habemus, controversiam expediendam, intactum hic relinquimus, sic satis assertam à nobis Satisfactionis veritatem confisi.

Et universalis.

Ejusdem nunc porrò Quantitas contra Calvinum & ejus sectatores confirmatur ex locis, quibus *Servator* disertè *pro omnibus traditus* dicitur, Rom. VIII, 32. 1. Tim. II, 6. *pro omnibus mortuus*, 2. Cor. V, 15. *propitiatio esse pro peccatis totius mundi*, 1. Joh II, 2. & ne quid desit, etiam *mortuus pro iis, qui pereunt* sive ex infirmitate Rom. XIV, 15. 1. Cor.

VIII, 11. sive quod præfractè eum abnegent 2. Petr. II, 1. Ebr. X. 29. Nec his apertissimis locis nebulam offundunt alia, quibus Christus dicitur dedisse animam suam λύτρον pro multis, Matth. XX, 28. tulisse peccata multorum, Esa. LIII, 12. ejusque sanguis effusus pro multis Matth. XXVI, 28. *Multitudo enim secundùm se non opponitur universalitati, sed habet se ad eam ut genus, & significat ingentem numerum.* Quemadmodum igitur genus non opponitur speciebus, sic nec Multi opponuntur Omnibus: quin universalitas in se comprehendit multitudinem, sicut species in se continet genus. Ad oculum hoc patet ex Rom. V, 15. *Saltem distinctio hic notetur inter beneficii hujus acquisitionem & applicationem.* Respectu illius meritum Christi est universalissimum, ad omnes omninò homines cùm ob sufficientiam suam, tum vel maximè ex prima intentione Dei se extendens. Hoc namque fine *dedit Deus Filium suum mundo, ut salvetur mundus per eum.* Joh. III, 16, 18. Posteriore autem respectu fit beneficium hoc particulare, culpâ hominum, qui id sibi non applicant per media à Deo ad hunc finem consequendum ex parte ipsorum instituta. Nempe hac conditione Deus dedit Filium suum mundo, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed* &c. l. d. Vbi particula Omnis, nota universalitatis, ad certam restringitur universalitatis speciem, ad omnes scil. credentes. Cum autem plurimi incredulitati suæ, quam deponere debebant & poterant, vel improbitati etiam, cum qua fides, quæ sit Evangelio conformis, stare non potest, indulgeant, inde nec omnes potiuntur salute sibi aliàs à Deo oblata & per Christum parta. Hæc hactenus circa Satisfactionem erant notanda.

Intercessio seu Mediatio altera pars est officii Sacerdotalis, de qua loquitur Scriptura Rom. VIII, 24. *Quis est, qui condemnet* (electos Dei?) *Christus is est, qui mortuus est, imò verò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et 1. Joh. II. 1. *Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, J. Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Nimirum ideò est advocatus noster & interpellat pro nobis, quia ipse pro peccatis nostris passus est, & victima, qua Deus placaretur, factus. *A priore itaq; officii Sacerdotalis parte pendet hæc posterior.* Hinc alibi etiam Mediatio & Oblatio Christi conjunguntur 1. Tim. II, 6. Quamvis enim non patiatur ampliùs pro nobis, eò quod semel mortuus & resuscitatus ampliùs non moritur Rom. VI, 9: quamvis etiam non in genua provolutus coram Patre jaceat atque sic prostratus oret pro nobis, uti in diebus carnis suæ sese humilians pro nobis precationes obtulit cum multis lachrymis Ebr. V, 7; *advocatum tamen agit & patronum nostrum, dum*

II. Intercessione.

patri suo sanguinem suum ut lytrum pro nobis semel solutum repræsentat, dum item nostram humilem confessionem ad eum defert & suas preces, quales statui exaltationis conveniunt, nostris adjungit, tam efficaces, ut serventur perfectè, qui per ipsum accedunt ad Deum, Ebr. VII, 25. Et ita habet se munus Sacerdotale, à quo *Sacerdos* dicitur Christus, Ps. CX, 4. & *Pontifex*, Ebr. V, 4. VIII, 1.

De Officio Christi Regio.

Officium denique Regium est, quo Christus omnia in cœlo & in terra administrat, imprimisque Ecclesiam suam gubernat ac protegit. Vnde *Rex* appellatur Jer. XXIII, 5. & cum addito, *Rex Israël,* Joh. XII, 43. quin *Rex Regum & Dominus dominantium* Apoc. XIX, 16. Non dominatur autem ut Rex mundanus aut terrenus: Nam *regnum ejus non est de hoc mundo* Joh. XVIII, 36. sed ut Rex spiritualis & cœlestis, agendo in ipsos hominum animos eosque flectendo Matth. XXI, 3. Apostolos ac Doctores constituendo, Eph. IV, 11. quid observare docendi sint homines, præscribendo, Matth. XXVIII, 20. fidem in nomen suum sub pœna condemnationis mandando Joh. XIV, 1. Marc. XVI, 16. Sacramenta instituendo 1. Cor. XI, 23. perque Evangelium salutem potenter operando, Rom. I, 16. Ecclesiam porrò suam per Spiritum suum in omnem veritatem perducendo Joh. XVI, 13 per lavacrum aquæ emundando, Eph. V, 26. donis suis implendo Eph. IV, 8. & contra hostes sua assistentia defendendo ac conservando Matt. XVI, 18. XXVIII, ult. in quorum medio dominatur Ps. CX, 2. ipsos tandem aliquando cum imperio judicaturus & aboliturus, tumque pios ac fideles, quos hîc habuit, ad regni sui consortium gloriosè vocatos æternum beaturus Matth. XXV, 34. 1. Cor. XV, 24.

Vnum quidem hoc est regnum: modus tamen administrandi in hac & futura vita variat. Vnde quod pro præsenti Christus administrat, dicitur Regnum potentiæ & gratiæ: quod verò olim post mundi finem inchoabit, gloriæ Regnum dicitur: *non quod aliud & aliud sit regnum, sed aliter & aliter,* ut inquit B. Lutherus T. 1. Lat. f. 394. Nam, ut est apud eundem Tom. II. ep. ad Spalatinum f. 203. *Idem Christi regnum hîc & in futuro: hîc in fide inchoatum, in futuro consummandum per gloriam.*

Tantum etiam de Officio Regio. Pedem hîc figere possemus, nisi ex promisso, quod dedimus in Prooemio hujus loci, addendum esset caput ultimum de usu hujus totius doctrinæ de Deo.

Esto igitur

APHO-

APHORISMUS VI.

pag. 316.

Doctrina de tribus personis in invocatione quotidie proferatur, in qua certè hoc primùm omnium ardentissimè petendum est, ut Deus pectora nostra regat, ut rectè de ipso sentiamus ac verè eum invocemus, nec ab eo aberremus, ut Ethnici, recentes Judæi, Mahometistæ, hæretici, &c.

QVemadmodum tota Theologia est disciplina practica, & quicquid in ea principaliter traditur, ad acquisitionem alterius finis extra se tendit: ita etiam primarium hoc doctrinæ Christianæ caput de Deo, licet per se cognitu dignum sit & intellectum perficiat, non hoc tamen fine in & è Scripturis proponitur, sed propter praxin, nempe propter cultum & adorationem veri Dei; ut discernatur verus Deus ab idolis, cum quibus non vult se confundi sed agnosci & coli talis, qualẽ se patefecit. Patefecit se autẽ, ut hactenus docuimus, quod sit unus, isq; Pater, Filius & Spiritus S. Vt unus ergò colendus, juxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, Matth. IV, 10. Sic tamen, ut cuilibet personæ suus quoque honos distinctè tribuatur, nec minus honoris Filius accipiat & Spiritus Sanctus, quàm Pater. Nempe secundùm illud Anastasii Antiocheni, *Vnum Deum glorificamus non numero personarum sed naturâ*, l. 1. de rect. dogm. Atque per hoc, quod unum naturâ Deum colimus, segregamur à Gentilibus, quos Apostolus pronunciat πολυθεΐα sua *servire iis, qui naturâ non sunt Dii*, Gal. IV, 8. In eo verò, quod sub unitate essentiæ atque naturæ non tantùm Patrem sed Filium pariter ac Spiritum Sanctum veneramur, discernimur non solùm à Gentilibus τοῖς χωρὶς Χριστοῦ, Eph. II, 12; sed simul quoq; à Judæis recentibus & Turcis seu Mahumedanis, qui unum equidem Deum Patrem Creatorem cœli & terræ invocant, veruntamẽ Filium non honorant, sicut Patrem. Jam verò *qui non honorat Filium* (repete ex antecedd. καθὼς τὸν πατέρα) *is nec Patrem honorat, qui misit illum*, Joh. V, 23. Pa-

De Invocatione Trinitatis.

23. Patri ergò genua se nostra flectant non saltem ut creatori, sed ut Patri Domini nostri Jesu Christi, Eph. III, 24. Nec minùs & ad nomen Jesu omne se genu flectat, Phil. II, 10. & sicut Patrem inclamamus morituri: *In manus tuas commendo spiritum meum*, Ps. XXXI, 6 ita filium quoque similiter invocare par est cum Stephano: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*, Act. VII, 59.

De Adoratione Christi, contra Photinianos.

Moderni hæretici hæc de cultu & invocatione Christi faciles admittunt. *Audis*, inquit ad verba ex Joh. V, 23. citata Socinus, *Deum velle, ut Christus honoretur, sicut ipse honoratur: ex quo apertè intelligitur, Christum eo honoris genere afficiendum esse, quo ipso Deus afficitur*, Miscel. p. 268. Sed, heus Socine! debebas id quoque intelligere, Christum esse verum, naturalem & æternum Deum. Si enim adoras, quem naturâ Deum esse non credis, idololatra es. Animadvertens hoc Franc. Davidis, non posse supremam potestatem Divinam & honorem adorationis ac invocationis Divinum consistere cum abnegatione supremæ Deitatis Christi, maluit illa Christo quoque derogare, cum insigni S. literarum perversione, quàm hanc ipsi adscribere cum universa Ecclesia. Si Christus, ajebat, est adorandus & invocandus ut Deus, ergò cum Papistis dicendum erit, Christum esse unum Deum cum Patre, & oportebit restituere Trinitatem, quam hactenus impugnavimus. Si item, inquiebat, Christus non est verus Deus & tamen invocari potest, ergò etiam Spiritus Sanctus imò & Maria & Angeli & Sancti cæteri invocari poterunt. Quorsum igitur hactenus Papistas accusavimus idololatriæ, quia Sanctos invocabant? In contrarium tum temporis pugnarunt Georgius Blandrata & Faustus Socinus, utque Franciscum Davidis ab errore suo retraherent, omni ope nitebantur. Sed frustra. Nec enim ejus argumentis poterant satisfacere, quippe quod non absque contradictione potestas summa ei tribuatur, qui summus Deus non est, neque salva Scriptura adorari & invocari Divina ratione possit, qui Deus ille unus non est. Sanè *an prisci Photiniani cum hodiernis in adoratione Christi paria fecerint, dubitari haud immeritò potest*. Nam à priscis Christum instar Dei adoratum fuisse, nusquam legimus. Arianorum nonnulli eum adorarunt, & poterant id potiore jure facere, quoniam per Christum omnia condita esse fatebantur. Hinc in sermone eorum, qui inter opera Augustini reperitur Tom. VI. hæc ipsorum leguntur verba: *Filius ut Sacerdos adorat Deum suum, & ab omnibus adoratur ut Deus & creator omnium*, p. 654. Cæterum Photinianos olim adorasse Christum, nulla Ecclesiastica historia nos docet. Et profectò si non adorarunt, ut verosimile est prorsus, opinioni suæ magis consentaneè egerunt, quàm hodierni. Clamat enim

enim Jeremias Propheta: *Dii qui cœlos & terram non fecerunt* (ac nihilo seciùs adorantur) *pereant è terra & è regionibus sub cœlis ipsi*. c. X, 11. At secundùm Photinianos Christus cœlos & terram non fecit. Planè ergò non adoretur ab illis, quod volebat Fr. Davidis: aut potiùs summus cum Patre Deus esse credatur eoque deinceps nomine adoretur, quod vult Ecclesia, non quæ Papistica saltem est, sed universa. Enimverò ex quo Filius ut persona a Patre distincta prodiit è sinu Patris & incarnatus ac homo factus est, idque mysterium prædicari fecit ubiq; gentium, incumbit inde omnibus, qui Christiano nomine censentur, necessitas colendi & invocandi Christum suum. Vsque adeò *invocatio nominis Jesu proponitur in Scripturis, ut infallibilis nota & certissimum Christianorum* τεκμήριον Act. IX, 14. 1. Cor. I. 2. 2. Tim. II, 9. & confirmatur exemplo Stephani antè producto, Act. VII, 59. Qui ergò Christum non invocant, quales olim Fr. Davidis & ejus socii, destituuntur genuina imò principali Christianorum nota, atque hoc ipso esse ac haberi Christiani desinunt, quorum hæc praxis propria, Christum colere. *Quando vero colitur omninò, debet praxis ista dirigi secundùm veram doctrinam de Deitate Christi in articulo Trinitatis inclusam.* Quam cum repudient Sociniani, & Christum tamen identidem hodie adorent (nam Socini autoritas & sententia unicè obtinet inter hodiernos, explosâ altera illa Fr. Davidis (inde praxis eorum in idololatriam degenerat nil quidquam meliorem idololatriâ Gentilium servientium iis, qui natura non sunt Dii. *Nec unquam profectò tantum idolum fuit in orbe, quantum Christus est, si is afficiatur cultu Divino, cum Deus per naturam non sit.* Nam reliqua Gentium idola constiterunt intra certos populos, qui cultum iis exhiberent in hoc aut illo mundi angulo. Christo autem se submisit hactenus orbis universus omniumque adeò hominum animos unum hoc idolum occupavit sibique obstrictos habet. Existimandum itaque fuerit, Christianam religionem, quæ credita aliàs est secundùm oracula Divina Esa. II, 18. Zach. XIII, 2. ab idolorum cultu revocare homines, insigniter totum orbem in novam idololatriam abduxisse, à gentium scil. idolis, quæ Dii naturâ non erant, ad cultum alterius idoli, videlicet Christi, qui & ipse naturâ Deus non est, ex Photinianorum mente.

Invocatio nominis Iesu est τεκμήριον Christianorum.

Apud Veteres olim de Spiritus Sancti potissimum adoratione agitata est controversia cum Macedonianis. Hi enim ex Ario propullulantes Spiritui Sancto eam denegarunt. *Da testimonia, ubi adoretur Spiritus Sanctus, ubi ei cœlestia & terrestria & inferna genu flectant*, ait Maximinus Arianorum Episcopus apud August. T. 6. p. 692. Dedimus nos testimonia superius ex visione Prophetica Esa. VI. & baptismi formula

De Adoratione Spiritus S contra Macedonianos.

mula Matth. XXVIII. Notanter de hoc posteriori Basilius Magnus: Δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν, ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ, ὡς πεπιστεύκαμεν, Πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. h. e. *Oportet nos baptizari, sicut accepimus; credere verò sicut baptizamur; colere verò & glorificare, sicut credidimus, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* Tom. II, epist. 78. Hinc ab antiquo semper cecinit Ecclesia in fine Psalmorum hanc δοξολογίαν: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto!* ut esset publica professio cultus æqualiter tribus personis debiti. Postea cum Macedoniani obtenderent novitatem dogmatis de adoratione Spiritus Sancti, adjecta sunt suasu Hieronymi sequentia isthæc, nobis unà cum prioribus jam satis ex usu Ecclesiæ nostræ cognita: *Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum.* Imò Amphilochius integrum librum scripsit de Spiritu Sancto, quòd Deus sit & quod adorandus; ætate modò memorati Hieronymi, qui id testatur T. 1. Catal. Script. Eccles. Vt *mirum sit, Remonstrantes hodie probationem hujus adorationis petere in Apol. sua.* Quibus vel unum hoc debebat sufficere, quod juxta nobiscum confitentur, Spiritum Sanctum esse Deum Patri Filioque coæqualem: Æquali igitur cultu quoque prosequendus illis est, si maximè nec præceptum nec exemplum illius cultus extet in Scripturis; quod tamen secùs esse jam ostendimus.

Denique *in adoratione sejungamur oportet à Nestorianis*, qui, ut itidem jam supra diximus, Trinitatem admittebant eamque adorabant, Christum autem dividebant in duas personas, & utrumque seorsum venerabantur, Deum ac hominem. Quaternitatem igitur adorabant, dumque Christum hominem colebant sejunctum à Deo Verbo, idololatriam insuper committebant. Nos Christum Θεάνθρωπον in unitate personæ colimus: id quod uberiùs & solidiùs pridem exposuit Collegii nostri Theologici Senior venerandus, Vir Excell. Dn. D. König, Vind. Sacr. Cent. I. Loc. XC. quò remittimus Audd. nostros. *Neque hic quaternitatem adoramus, sed Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum:* quæ sunt verba Pauli Emiseni apud Liberatum in Breviario c. 31. quibus totam hanc de Deo tractationem cum Deo concludimus.

ΤΗ ΕΝ ΜΟΝΑΔΙ

ΠΑΝΑΓΙΑ ΚΑΙ ΥΠΕΡΑΡΡΗΤΩ ΤΡΙΑΔΙ

ΔΟΞΑ ΚΑΙ ΧΑΡΙϹ.



LOCVS II.

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

APHORISMVS I.

pag. 318.

DEVS æternus, Pater Domini nostri Jesu Christi unà cum Filio coæterno & Spiritu Sancto condidit ex nihilo cœlum & terram, Angelos & homines, & omnia reliqua corpora.

Doctrinæ de DEO commodè subjicitur doctrina de DEI operibus, Creatione videlicet & Conservatione ac gubernatione universi: quemadmodum in ipso Symbolo Apostolico factum videmus, ubi post verba: Credo in Deum Patrem omnipotentem; statim sequitur: Creatorem cœli & terræ. *Creare* autem h. l. notat, ex nihilo Divina & infinita potentia aliquid producere. Adhibetur etiam deinceps, ubi res sive substantiæ ex materia aliqua per potentiam Divinam produci scribuntur. Quin imò non modo quando substantia aliqua divinitùs produci, sed ubi etiam aliud quiddam singulari Dei consilio vel potentia fieri aut constitui scribitur, creandi vocabulum adhibetur. Ex reipsa autem, de qua verba fiunt, intelligi potest, quantum à primaria significatione illa vocabulum deflectat. Vide Esa. LVII, 20. Psal. LI, 12. Eph. II, 10.

Vocis Creare varia acceptio.

In præsente Aphorismo tria traduntur de Creatione: I. Quod Pater unà cum Filio & Spiritu S. res condiderit. II. Quod res omnes, quæ in mundo sunt, cœlum & terra, Angeli & homines sint creaturæ Dei. III. Quod omnia illa sint condita ex nihilo.

Causa efficiens Creationis. De primo manifesta loquuntur Scripturæ dicta, quæ Creationem adscribunt & Patri 1. Cor. VIII, 6. & Filio Joh. I, 3. & Spiritui S. Job. XXXIII, 4. ac egimus jam tum hac de re, ubi in probanda Filii ac Spiritus Sancti Divinitate occupati eramus. Hîc illud adhuc quæritur: *An hæ tres personæ sint causæ creationis sociæ?* quod Goclenius aliquando asseruit. *Negamus nos:* quia causæ sociæ sive partiales concurrunt ad effectum producendum potentiâ minimùm numero saltem diversâ, ut, quando duo equi trahunt currum, duæ in ipsis sunt virtutes trahendi numero distinctæ. Sed in tribus personis Divinitatis non sunt tres distinctæ virtutes. Potentia creandi in Patre non est distincta à potentia creandi, quæ est in Filio, sed sicut trium personarum eadem & una est essentia, ita eadem simplicissima vis & potentia creandi. Dicis: Vbi sunt tres distinctæ personæ, ibi sunt tres distinctæ virtutes. Atqui in Deitate sunt tres distinctæ personæ. Ergò. Resp. ad Maj. *Vbi sunt tres distinctæ personæ & distinctæ causalitates, ibi sunt distinctæ creandi virtutes.* Jam N. Min. II. Si personæ Divinitatis essent causæ sociæ creationis, sequeretur, *tres esse Creatores, quod absurdum, quia nomina essentialia non possunt tribui tribus personis in plurali numero.*

Quæri etiam potest, an *Filio & Spiritui Sancto unà cum Patre æqualiter competat opus creationis?* Affirmamus, quia quæ facit Pater, ταῦτα eadem illa ὁμοίως similiter facit & Filius Joh. V, 19. nempe, ut
p. 128, antehac exposuimus, virtute propria, voluntate liberrima, & in sui ipsius gloriam, perinde ut Pater, Filius quoq; agit & Spiritus Sanctus. Sed videtur obstare præpositio διὰ, quam Scriptura usurpat de Filio Joh. I, 3. Eph. III, 9. Ebr. I, 2. ubi PER Filium dicuntur omnia condita. Erit ergò Filius causa solùm instrumentalis. Resp. Neg. ex præpositione διὰ tale quid sequi. *Promiscuè enim de Patre & Filio ea usurpatur: & promiscuè etiam utriq; Creatio in casu recto adscribitur.* Quemadmodum verò de Patre in casu recto dicitur, quod crearit cœlum & terram; ita similiter de Filio, quod sit *conditor omnium*, asseritur Ebr. I, 10. Rursum uti de Filio dicitur, omnia per ipsum facta esse, sic & de Patre vocula PER usurpatur 1. Cor. I, 9. Gal. I, 1. Vnde conficitur, æquali ratione ab utroque creationis opus, & reliquas, quæ ad extra sunt, operationes proficisci.

Inquies: Sic tamen Pater per Filium omnia condidisse perhibetur, ut non vicissim Filius per Patrem. Resp. *Hoc non ad inæqualitatem*

tem essentiæ aut potentiæ, sed ad prioritatem ordinis & originis est referendum. Est omninò Pater prima in ordine persona, Filius secunda. Ille principium rerum sine principio; hic principium de principio. Hinc Pater per Filium agere dicitur, non vice versa Filius per Patrem; designando ista præpositione non instrumentum, sed causam mediam sive principium de principio. *Vel etiam, juxta Scholasticos, designatur habitudo formæ,* per quam agens operatur, sicut dicimus, quod artifex operetur per artem. Vnde sicut sapientia & ars appropriantur Filio, ita & ista loquendi ratio, *per quem.* Juxta Basilium M. rerum creatarum omnium causa προκαταρκτικὴ est Pater: δημιουργικὴ æternus Filius: τελειωτικὴ Spiritus Sanctus; ut voluntate quidem seu decreto Patris omnia extiterint, Filii verò ceu sapientis opificis efficaciâ ex nihilo facta, & præsentiâ Spiritus Sancti perfecta sint. T. 1. Lib. de Spiritu S. c. 16. Notabis causam προκαταρκτικὴν hîc non esse eam, quam aliàs impulsivam seu lacessentem dicimus, sed sumi h. l. pro causa inchoante aliquid sive originali. Ita æternus Pater dicitur causa προκαταρκτικὴ, quia est ἀρχὴ & πηγὴ fons & origo operum Divinorum. Hæc de primo.

De secundo, quod res omnes, quæ in mundo sunt, cœlum & terra, Angeli & homines sint creaturæ Dei, itidem testatur Scriptura, historicam operum creationis recensionem his verbis obsignans: *perfecti sunt itaq; cœli & terra & omnis exercitus eorum*, Gen. II, 1. *Exercitus cœli* dicuntur Angeli, 1. Reg. XXII, 19. Ps. CIII, 20, 21. Luc. II, 13. Deinde ita appellantur Stellæ cœli Deut. IV, 19. *Exercitus terræ* accipitur pro iis, quæ terra profert quæque in ea vivunt. Vt ita per exercitum cœli & terræ denotentur omnes res, quæ in cœlo & terra conspiciuntur, Exercitus dictæ, cum propter multitudinem & admirabilem ordinem suum, tum quod tanquam in militiæ statione collocatæ sint, ut ad nutum summi Imperatoris omni momento præstò sint eique militent. Dico, quæ conspiciuntur in cœlo & in terra. Nam de Angelorum creatione nulla apud Mosen expressa fit mentio, non quod ipsi creati non sint, sed quod mundi aspectabilis tantùm creationem Moses populo Judaico, ut rudi & doctrinæ de Spiritibus minùs capaci, describendum censuerit. Alibi namque omnia simpliciter dicuntur à Deo condita. Ps. CXLVI, 5, 6. *Beatus, cui auxilio est Deus — qui fecit cœlos & terram, mare & quicquid est in eis*; nempe & Angelos, qui in cœlis sunt, & pisces, qui in mari, & homines ac reliqua corpora cum animata tum inanimata, quæ sunt in terra. Esa. XLIV, 19. *Ego Jehovah facio omnia.* Act. IV, 24. *Domine, tu es Deus ille, qui fecisti cœlum ac terram.*

Effecta Creationis.

Sunt etiam Angeli.

rum, maria & omnia quæ in eis sunt. Rom. XI, 36. *Ex eo & per eum & in eum sunt omnia.* 1. Cor. VIII, 6. *Nobis unus est Deus Pater, à quo omnia & nos in ipso: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* Seorsum de Filio Johannes Evangelista c.I, 3. *Omnia per ipsum facta sunt*; scilicet quæcunque facta sunt in creaturis, omnia omninò, quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper & quæ moventur in universa natura rerum, omnis omninò creatura — *ab Angelo usq; ad vermiculum*, interprete S. August. T. 9. Tr. 1. in Joh. p. II. Et ne putares, quæcunque Moses dixit, ea duntaxat Johannem intelligere, infert: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* h.e. eorum, quæ creata sunt, *sive visui sive intellectui tantùm subjecta*, nihil sine Filii virtute productum est vel conditum, annotante S. Chrysostomo hom. IV. in Joh. *Quæris de cœlo & terra? facta sunt. Quæris de his, quæ sunt in cœlo & terra? utiq; multò magis & ipsa facta sunt. Quæris de spiritualibus creaturis, de Angelis, de Archangelis, Sedibus, Dominationibus, Virtutibus, Principatibus? & ipsa facta sunt*; velut rursùm loquitur Augustin. l. d. p. 7.

Ac quod Angelos attinet, disertè isti inter creaturas Dei collocantur Ps. CXLVIII, 2. Col. I, 16. Et quidem *creaturæ istæ immateriales Angeli, ut & corpora cœlestia incorruptibilia planè immediatè à Deo sunt in ipso statim initio facta, & quoad speciem & quoad numerum:* Materialia autem & corruptibilia non sunt immediatè à Deo facta quoad numerum sive secundùm individua omnia, sed mediante generatione hodie producuntur, cujus δύναμις est à conditore Deo inde à primordio rerum, actusque promovetur indies per efficacem Dei concursum. Quoad speciem tamen pleraque etiam ista sunt à Deo immediatè, ea nimirum omnia animalia atque viventia, quæ ex solo semine aut germinatione generationem habent, cujusmodi sunt homines, equi, leones, nuces, pyra & similes species. At verò mulos & alia ejusmodi animantia, quæ diversarum specierum commixtione nascuntur, metalla item, quæ Solis virtute gignuntur ex terra & aqua, & ea sive animalia sive plantas, quæ putrescentiâ quadam generari possunt, non par necessitas est ut Deus fecerit ab initio: poterant enim ista posteà ex rebus aliis naturaliter oriri, velut nunc gignuntur mures & vermes, ubi nulli anteà fuerint. Verè interim *omnes species generabiles dicuntur factæ à Deo in illo mundi initio, licet non omnes eodem modo factæ sint, sed aliæ quidem ipsæ per sese, aliæ in suis principiis:* illæ sic, ut actu tùm fuerint, hæ ita, ut potentia in aliis animalium speciebus & materiæ habilitate latuerint, inde temporis successu modis variis producendæ.

Non

Non solùm autem substantiæ generabiles sed & *quæ arte fiunt, sunt à Deo, & inter entia creata numerantur.* Solus enim Deus est increatus: cætera entia omnia sunt creata, nam increatum est αὐτόθεον: hoc verò soli Deo competit. Reliqua, quæcunque veram essentiam habent, sive generatione eam acceperint sive arte, à Deo dependent tanquam à causa prima & suprema, præbente influxum causis secundis, cùm generantibus, tum ex habitu artis circa opus aliquod efficiendum occupatis. Et quid illa *omnia* in cœlo & in terra, quorum factor Deus celebratur, significant, nisi quæcunque per veram entitatem extra nihil sunt? aut quid est, *Absq; eo factum est nihil, quod factum est*, nisi quodcunque factum sive generatione sive arte, modò verè factum sit & per efficientiam aliquam productum, absque eo productum non esse? Ab eo ergò omnia illa dependent in fieri & esse: & per consequens creaturæ ejus sunt. Nam dependens, creatum, finitum, Ens per participationem, potentiale, contingens, in reipsa & materialiter idem sunt.

Porrò non omnia solùm materiata sunt creaturæ Dei, sed *& ipsa materia est creata*, quia & ipsa est in numero Entium: existit enim, & non est Deus: creatura sit igitur oportet. *Rectiùs tamen concreata quàm creata dicitur*, quia non per se & seorsum sed sub forma & composito creata est, adeoque non ut terminus creationis adæquatus & completus habetur, sed ut partialis & incompletus. Denique *accidentia tanquam entia accessoria sequuntur suum principale.* Si ergò in genere substantiæ, quicquid est diversum à Deo, initium ortùs sui habet per creationem, idem initium & accidentia habebunt. Quanquam ipsa etiam, æquè ut materia, *propriè non creari sed concreari dicenda sint*, si in rigore loqui velimus, qui obtinet in canone illo Philosophico: Actiones & passiones sunt suppositorum.

Summatim omnis res præter Deum, sive substantia sit sive accidens, & inter substantias cum immateriatæ tum materiatæ, & hæ cum generabiles, eæque vel in se vel in suis principiis spectatæ, tum arte factæ ipsaque adeò materia ac universum quicquid non est Ens primum ac independens, in censu est creaturarum & dicitur creari, significando illam dependentiam, per quam aliquid constituitur diversum à Deo.

De anima humana aliquid hic in peculiari annectendum. Creaturam quidem Dei eam esse, nemo ambigit, cum idem Deus, cujus figmentum sunt caro & ossa nostra, Job X, 8, 9, seqq. sit etiam *Deus Spirituum universæ carnis*, Num. XVI, 22. Sed utrum anima nostra sit in numero earum rerum, quas diximus immediatè à Deo creari, an verò inter species generabiles sit, quarum individua mediatè a Deo hodie

De Origine animæ humanæ.

hodie creari docuimus, & à Parentibus generantibus traducatur in sobolem, id diu jam & acriter quæſitum eſt inter Philoſophos & Theologos. Nos nil tergiverſati iis adſtipulamur, qui *animas humanas* non generari, ſed *immediatè à Deo creari* ſentiunt. Rationibus ducimur potiſſimùm duabus. I. Quicquid fit per generationem, id de interna vi corruptioni eſt obnoxium, quod confirmatur experientià quotidiana. At anima noſtra eſt immortalis naturà ſuà & nulli ſubjecta corruptioni, atque hoc ipſo differt ab animabus brutorum. Non ergò fit per generationem. Eſt, qui ad hoc argumentum reſpondere nititur, dicendo, Majorem eſſe tantùm veram in iis, quæ per ſe generantur: animam autem humanam, tanquam formam & incompletam ſubſtantiam, generari per accidens, non per ſe. Reſp. Erit ergò per accidens corruptibilis, ad iſtum modum, ſicut animæ brutorum, quæ & ipſæ formæ ſunt & per accidens generantur, nec minùs tamen corrumpuntur & intereunt, atque ipſa animalia, quibus per ſe generari datum eſt. Abſit verò ut dicamus, animam hominis ſive per ſe ſive per accidens interitui eſſe obnoxiam. Stat ergò firmo adhuc talo noſtrum argumentum.

II. Si non creatur anima ſed generatur, omninò aliquam materiam agnoſcat oportet, è cujus potentia educatur. In hoc enim diſcriminantur generatio & creatio, quod illa fit ex materia, hæc ex nulla præſuppoſita materia, nec tertium datur inter hos duos producendi modos, quippe qui ad terminos contradicentes facilimè poſſunt redigi. Illa materia autem, è qua anima produci ſtatuitur, vel eſt ſemen aut alia aliqua corporea natura ex ſemine formata, vel eſt ipſa ſpiritualis ſubſtantia, anima ſc. Parentum. Neutrum eſſe poteſt. Non ſemen aut ulla corporea ſubſtantia: Quia nulla virtus activa in natura agit ultra ſuum genus. Atqui anima intellectiva excedit totum genus corporeum, quippe ſubſtantia incorporea & ſpiritualis: igitur eam nulla virtus corporea producere poteſt. Quare impoſſibile eſt, eam produci virtute ſeminis.

Sed nec anima animæ materia eſſe poteſt. Nam *vel ex unius vel utriusq; Parentis animâ traducetur anima filii.* Si ex utriusque, neceſſe erit, ut duæ animæ in unum coaleſcant & miſceantur. Si ex unius, nempe Patris, reddatur ratio, cur anima matris non traducatur quoque in filium? Sive autem ex utriusque ſive unius, tum *vel ex tota* utriusque, aut alterius Parentis anima, originem habebit, *vel ex portione quadam ejus.* Si ex tota, tum vel ipſæ Parentum animæ de priſtina ſede migrabunt in filios, & ſic peracta generatione Parentes erunt exanimes, vel una numero eademque erit filiorum & Parentum anima. Si ex quadam portione: Ergò ex partibus conſtabit anima, quæ ſpiritus

ritus

ritus eſt, & diviſibilis erit: quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Nullo modo ergo anima noſtra eſt ex materia: & proinde neceſſe eſt, eam à Deo produci ex nulla præſuppoſita materia h.e. immediatè creari.

Non ita tamen immediatè creatur hodie à Deo, ſicut immediatè ab ipſo ſunt creati Angeli & corpora cæleſtia, vel ſicut immediatè ab ipſo reſuſcitabuntur mortui; quæ Divinæ actiones nullum planè ordinem & reſpectum habent ad intervenientem aliquam actionem hominis. Aliter ſe habet creatio animæ: *Eſt enim in iſta productione quadam quaſi ordinatio ad hominem, quatenus generat.* Si namque homo non daret operam generationi, nullas Deus crearet animas. Neceſſe eſt, hominem vi generativa & ſeminali diſponere materiam ad ſuſcipiendam animam. *Parentes* itaque non *ſimpliciter excludantur, quando dicitur anima immediatè à Deo creari*: Sunt enim in cauſa, ut anima uniatur cum corpore. *Quemadmodum qui occidit hominem, eſt cauſa diſſolutionis animæ à corpore: ita Parentes, dum generant, ſunt cauſa conjunctionis animæ cum corpore.* Quippe Deus in creatione rerum ſic conſtituit, ut creaturæ ſuo concurſu nunquam deeſſe velit. Actio itaque Parentum ſuo velut jure, ſi ita loqui licet, ſeu potiùs primævæ inſtitutionis vi, efflagitat ſibi concurſum Dei, per quem corpus animetur. Alioqui non perfecta foret generatio, ſed eſſet actus hominis fruſtraneus. Ac idem concurſus requiritur, & præſtatur etiam nunc poſt lapſum, ſi natura debeat propagari; hoc ſaltem intercedente diſcrimine, quod animæ in primo ſtatu Deus ſuam concreaſſet imaginem, quam hodie non vult nec tenetur ampliùs concreare. Qui defectus imaginis Divinæ (ut hoc ſtatim addam) eſt illud, quod vocamus, peccatum originis: cujus cauſa ſunt Parentes ex corruptione carnis generantes. Ab his enim ceu cauſis ſecundis determinatur Prima, ut ad modum ipſarum concurrat, permittendo eas deficere. *Quodſi actio Dei creantis animam abſoluta eſſet ab omni ad agentem creaturam reſpectu, ſicut creatio mundi fuit, & reſuſcitatio in noviſſimo die erit, tũ nullus utiq; defectus reperiretur in anima.* Jam verò actio Dei reſpicit generationem hominum, quæ cum poſt lapſum ſit carnalis & peccato contaminata, hinc non debetur ipſi alius concurſus divinus, quam qui permittat generantes deficere in agendo. Vnde ſicut aliàs communiter in actionibus cauſarum ſecundarum, ad quas Deus concurrit, ita non minùs hîc in hominis generatione, defectus eſt à cauſa proxima, nempe ſecunda, non à Prima, quæ remotior eſt.

Summatim dicendo & ad priora redeundo, ubivis & in omni ſtatu ad complendam generationẽ hominis, neceſſarius ac ſuo modo debitus eſt concurſus Dei, fœtum in utero conceptum animantis. Etenim ita

materiam disponunt Parentes, ut corpus sit habile domicilium recipiendæ animæ & secundum naturæ cursum exposcat in se creari animam. Sed illam tamen dispositionem non consequitur anima rationalis ex virtute generantis, cum non educatur è potentia materiæ, sed solus Deus immediatè agit in ipsam animam: homines generantes sua actione & per virtutem seminis ne quidem instrumentaliter attingunt animam; non, ut quidam solent objicere, ob imperfectionem aliquam, quod homines sint deteriores brutis & plantis, quæ producunt animas sibi proprias, sensitivam sc. & vegetativam: sed *ob nobilitatē hominis, quæ tanta est, ut ad formā ejus producendam ob excellentiam ipsius nulla vis creata possit pertingere.* Hoc itaq; sensu *immediatè solus Deus* animam corpori sufficienter disposito dicitur infundere, seu, si ita mavis, in corpore ad illam unionem habili creare. Nam *terminus* infundendi *licet satis tritus, non satis scitè tamen actionem Dei exprimit.* Propriè enim infunduntur ea, quæ jam antè existunt. At verò anima ante actum generationis non existit, aut ita extra corpus producitur, ut opus sit eam posteà nova actione cœlitus (quæ olim Platonis erat sententia) introduci in corpus, sed peractâ generatione *producitur à Deo in ipso corpore* ad illam conjunctionem habili & disposito.

Cæterum præter allatas duas rationes possumus proferre ipsius quoque Scripturæ testimonium pro nostra sententia haud obscurum. *Convertetur*, inquit Ecclesiast. c. XII, 7. vel 9. *pulvis* (sive corpus ex terra pulverulenta primitùs factum) *in terram suam, unde sumtus est: & spiritus* (sive anima intelligens, quæ non quidem ordine temporis priùs fuerat apud Deum quàm in corpore existeret, naturæ tamen ordine, antequam informaret corpus, in manu quasi erat ipsius Dei eam producente in corpore) *revertetur ad Deum* (ut non ampliùs sit in corpore, sed in manu Dei) *qui dedit illum*; nempe, per seipsum immediatè. Aliàs non esset ratio, quare Deus peculiariter spiritum dicatur dare, cum etiam corpus det mediante origine terrea, in quam ultimo etiam resolvitur. Sed ideò nim. quia spiritus non habet originem aliam, nisi à Deo, dicitur præcisè Deus eum dare, à quo videl. & ad quem immediatè proficiscitur. *Ex quo proinde* (judice S. Hieronymo in hæc verba commentante) *satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri, & non à Deo sed à corporum parentibus generari. Cùm enim caro revertatur in terram & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum patrem animarum esse, non homines.* In eo, quod Hier. dicit ex aliorum sententia, *non à Deo sed à corporum parentibus generari* animas, notabis I. terminum *generandi* relatum ad Deum accipi generaliter pro quacunque origine, sicut etiam in Scri-

pturis nonnunquam accipitur, ut Gen. II, 4. ubi primordia cœli & terræ *generationes cœli & terræ* dicuntur. II. Dici genitores nostros *parentes corporum*, in oppositione ad alteram partem, nempe animam, cujus parentes illi non sunt. Nihilominus totius compositi parentes rectè vocari possunt, licet animam non generent; &, stante Hieronymi sententia, homo omninò dicendus adhuc est generare hominem: haud secus, ac ipse Christus, in oppositione ad animam, eos qui in alios sæviunt, *solùm corpus occidere posse* pronunciat Matth. X, 28; nec eo tamen obstante homo hominem (totum compositum) dicitur interficere. Ratio superiùs est assignata, quia ille qui generat, est causa unionis; hic, qui occidit, causa dissolutionis partium totius compositi. Hinc totum compositum ab hoc occidi dicitur, ab illo generari. In eundem planè sensum Lutherus disputat Lib. de Conciliis contra Nestorium, pronuncians, matrem solius corporis genitricem esse, non animæ, Die Seele des Kindes / inquit & rectissimè ita dictum pertendit, ist nicht von ihrer Natur oder Geblüt / sondern anderswoher / als von GOtt eingegossen; & dicendam tamen genuisse totum hominem, qui ex matre natus sit unus personâ non duo, ob er gleich / ut rursum ait, zwo Natur hat / Leib und Seele / Leib von dir / Seele von GOtt allein. T. VII. Jen. f. 248. 249. Hæc de Origine animæ hic inserenda erant, quæ pro præsenti possunt sufficere.

Illud adhuc observandum circa hoc secundum membrum, quod diximus, omnes res præter Deum esse creaturas Dei. Hoc ipso, quod dicimus, omnes res, *excluduntur privationes rerum*, ut mors & peccatum, quæ non sunt res sive realia entia, sed formaliter privationes seu non-Entia privativa ut notum est. Non ergò censeri possunt inter creaturas Dei. Excluduntur etiam, & multò adhuc magis, *negationes rerum sive non-Entia negativa*, quippe quæ plane non sunt in natura rerum. Quomodo igitur sint creaturæ Dei? Id ergò solùm dicitur à Deo creatum & factum, quod extra essentiam Divinam est Ens, res, aliquid, positivum: hæc enim Synonyma sunt; sive, quod ponit aliquid in re, quod præter Deum veram habet essentiam, quod per veram entitatem extra nihil est, ita, ut non sit nihil negativum aut nihil privativum. Quod enim nihil est, quomodo potest dici factum? Jam negationes sunt revera nihil, & planè simpliciter ac ubiq; non Entia. Privationes verò ut mors, peccatum, cæcitas, non ita quidem simpliciter & ubique sunt non-Entia, sed habent quandam in certo subjecto existentiam, sicut cœcitas v. g. est revera in oculo, citra mentis operationem; quia tamen existentia illis non formaliter competit sed tantùm fundamentaliter, quatenus scil. existit subjectum, cui suo modo

conveniunt: suo modo, inquam: nempe, non per positionem sed per remotionem alicujus & destructionem; ideò & ipsæ dicuntur nihil esse: h. e. ut paucis dicamus, *non sunt entia realia, licet sint privationes reales.* Quare non nisi impropriè quoque dici possunt factæ (nec enim nisi Entia realia propriè fiunt) & non habent propriè causam efficientem sed deficientem potiùs. Tantum abest, ut reducere eas oporteat ad primam rerum causam efficientem, quæ est Deus, sed oriuntur a quavis causa proxima, quæ in agendo deficit.

De Entibus introductis.

Est tamen, qui non dubitat entitatem realem attribuere peccato & morti eaque pro positivis venditare, & quidem pro formaliter talibus, cumque nec sint increata Entia nec creata, vocat novo nomine Entia introducta, *quæ scil. à diabolo & homine introducta sint in hunc mundum.* Sed hæc illius opinio uti prorsus nova est & ab omni ævo inaudita, ita (fas sit verum profiteri) palàm est absurda. Æquè, ac si dicas: esse quoddam animal, quod nec rationale sit nec irrationale sed quadrupes aut claudicans. De hoc enim postremo recurrit quæstio: Utrum sit rationale vel irrationale? cùm hæ duæ species immediatè sibi opponantur & totum genus animalis dividant. Sic pariter de Entibus illis introductis quæstio redit, Vtrum sint aliquid increatum an creatũ? nam & hæ duæ species exhauriunt totam latitudinem Entium. Quin sicut irrationale & quadrupes sese compatiuntur ac uni speciei convenire possunt: sic & creatum atque introductum simul stant sub una specie. Siquidem quæ creata sunt à Deo, ea utique per ipsam creationem sunt introducta in mundum. Malè ergò inter hæc duo instituitur divisio, cum, juxta receptum Canonem, membra divisionis legitimæ debeant opponi, non commeare. Dixerit autem hujus divisionis autor, intelligi debere non quod introductum est simpliciter, sed quod *introductum est ab homine vel diabolo*: hujusmodi introductum divinitùs producto sive creato opponi. Dico vicissim, etiam qui hodiè generantur homines & omnia entia arte facta introduci in hunc mundum ab homine, per generationem scil. & per artem; nec opponi tamen Entibus crreatis sed sub illis comprehendi, quia totum esse eorum in causam primam, à qua vis operandi secundis data est, referri debet, non minùs quàm eorum esse, quæ immediatè à Deo creata sunt: ex doctrina superiùs tradita. Dicò porrò, aut diabolum & hominem introduxisse hæc Entia ita, ut in solidum ab ipsis Entia illa in suo esse dependeant; aut sic, ut esse eorum & introduci, sicut alii effectus reales, ad Deum ceu causam primam sit referendum. Si hoc, cum totum eorum esse & introduci malum sit, Deus erit causa mali verè efficiens, à quo tanquam à principio reali dependeat esse rei per se penitùs malæ. Sin

illud,

illud, erunt complures præter Deum causæ primæ seu rerum principia, à quibus in solidum res secundùm esse suum dependeant; imò quoniam solius Dei hoc est, rebus esse atque existere ita largiri, ut secundùm se totas ab uno sese & solo dependeant, diabolus verè erit Deus, quippe producens & introducens effectum realem per veram efficientiam, quæ ab alio quam à se uno, quod istam quidem producendi & introducendi actionem attinet, sit indepedendens. Idem honor suo modo habendus erit etiam homini, sed principaliter tamen diabolo, tanquam qui primus omnium tale Ens introduxit. Hæc autem via rectà ducit ad Manichæismum, cujus evitandi, velut Augustini monitis & exemplo discimus, alia nulla est ratio, nisi ut omnis res, quæ verè est, in quantum est, à Deo esse; peccatum autem & omne malum ratione sui ac formaliter non res, sed privatio ac defectus & non-Ens esse perhibeatur. Id quod satis hucusque est assertum, exigente ita secundo nostri Aphorismo membro.

De Tertio, quod omnia sint condita *ex nihilo*, vix suppetunt manifesta Scripturæ loca, quæ rem evincant. Inprimis huc non facit verbum Ebræum ברא aut Latinum *Creavit*, quod est Gen. 1, 1. Latiùs enim & in hoc cap. & alibi hæ voces sumuntur. Certè LXX. Ebræam vocem reddiderunt per ἐποίησεν, quod non aliud quam *Facere* significat. Et ipse Moses verbum עשה, quod Interpretibus sonat *Fecit*, haud raro cum priore indifferenter usurpat Gen. 1, 7. 16. 31. Quin prius illud ברא habetur etiam ℣. 21. de productis piscibus, & ℣. 27. de productione hominis Quibus tamen locis non describitur immediata productio ex nihilo sed ex materiâ ante factâ. Quocirca *non videtur admodùm urgendum vel Ebræum hoc vocabulum, vel Latinum illi respondens, ut præcisè per illa effectio ex nihilo significetur. Potest genericè capi utrumq;, ut sit idem, quod* Produxit. Etsi enim revera ex nihilo omnia facta sint, non est necesse tamen, id hac voce significari. Meliùs id significatur per hanc vocem conjunctam cum præcedenti בראשית *In principio.* Nam cum dicitur Deus creasse in principio cœlum & terram, h. e. cum adhuc rerum præter Deum nihil esset, satis indicatur, non fuisse factum cœlum & terram ex materia aliqua præexistente. Argumentum possit esse tale: *Aut cœlum & terra ex essentia Dei sunt facta, aut ex nihilo:* quia præter Deum nihil erat aliud in principio. Non autem illud: aliàs essent Deus vel Dii, quod absurdum. Ergò hoc. Addi potest hæc quoque ratio ex eodem fonte hausta: *Creatio, prout à Mose describitur & ab aliis productionibus differt, est emanatio omnium in tempore prima, sive productio totius esse rerum.* Ergò nullum esse præsupponitur ad creationem (nisi solùm causæ efficientis)

Omnia ex nihilo condita.

adeóque est productio simpliciter ex nihilo. Consequentia probatur: quia in nulla productione præsupponitur id quod fit, sed potiùs privatio seu negatio ejus quod fit. Sic enim homo fit ex non-homine, album ex non-albo. Cùm ergò totum esse rei per creationem producatur, necesse est, ut prorsus nihil ipsius rei præsupponatur. Proinde creatio rectè dicitur esse constitutio substantiæ ex nihilo. Et ita communiter ex Scaligero solet definiri, in pressa scil. hac significatione, quam habet hodie ex usu Scriptorum Latinæ Ecclesiæ. Ex usu, inquam. Nam à primis Latinæ linguæ autoribus (quibus *Magistratus* & *Vrbes* dicuntur *creari*) hæc sanè significatio non est deducta, ut quibus res ipsa, quam nobis creationis vocabulum importat, haud fuerit cognita. *Potuisset quidem certè cognita esse ratione naturali.* Nec enim effugere datur progressum in infinitum, si dicas ex materia aliqua factum esse mundum. De illa namque materia rursum statim quæritur, unde ea sit? & sic deinceps; donec aut ex increato aliquo, quod est ipse unus Deus, aut ex nihilo mundum dicas conditum. Quorum prius nemo ratione sua rectè usus dixerit. Ad hoc ergò posterius, quod ex nihilo res sint primitùs ortæ, ipsa ratio naturalis nos ducit. Quæ tamen in nullo seculi hujus Sapientum sive Latinorum sive Græcorum, quantum nobis constat, actu ipso sese circa hoc punctum exseruit. Interim hoc jam liquet ex dictis, *quoniam creatio ex nihilo potest citra Divinam autoritatem rationibus demonstrari, eam non esse strictè articulum fidei*, ac proinde nec multum referre, licet tam clara Scripturæ dicta, quibus adstruatur, non sint ad manus. Disertissime tamen indicatur 2. Macch. VII. 28. ubi mater septem filiorum suo natu minimo: *Peto à te*, inquit, *fili, ut in cœlum suspiciens terramq; & omnia quæ in ea sunt, contemplans agnoscas Deum ea effecisse ex iis quæ non erant, eodemq; modo hominum genus procreasse.* Accomodari postmodò huc potest, si generaliter accipias in occasione speciali prolatum, illud Pauli de Deo: *Qui vocat* τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *ea quæ non sunt tanquam sint* Rom. IV, 17.

Creatio mundi non est strictè articulus fidei.

Ex nihilo condi, quid?

Quid sit autem propriè illud, ex nihilo condi, nunc quæritur, & facilè itidem ex dictis patet. Denotatur videl. hac locutione non habitudo causalitatis, quasi nihilum causa sit materialis, unde res sint constitutæ, *sed negatio materiæ* (ex nihilo i. e. non ex aliquo) *ac tantùm habitudo ordinis cujusdam secundùm nostrum intelligendi modum*, quatenus non-esse rei præintelligitur ante esse ipsius, sicut cum dicitur: post mane fit meridies. Ita cum nihil præexisteret rebus, quod ad illarum constitutionem faceret, postea res sunt conditæ ex nihilo, h. e. simul cum omnibus suis principiis productæ, sive, ut suprà diximus, secun-

cundùm totum esse suum, vel, quod idem, secundùm se totas effectæ, ut essent, quæ antea prorsus non erant, nisi in potentia efficientis (nullatenus materiæ.)

Vbi & hoc quæri potest ulteriùs, quomodo à nobis ex nihilo dicantur condita esse omnia, nempe non solùm ea, quæ primo creationis die facta sunt, licet illis hoc propriissimè competat, sed & ea, quæ posterioribus quinque diebus, tametsi facta ex materia, quæ primo jam die erat creata? Hoc nimirum sensu illa posteriorum etiam dierum opera dicuntur è nihilo facta, quia illis diebus productæ sunt novæ rerum species non ex causis seminalibus præcedentibus, sed per omnipotentiam Dei instituentis naturam & semina rerum; *& producta quidem ex ea materia, quæ paulò antè eodem Deo autore ex nihilo facta fuerat.* Agentia aliàs naturalia & ipsa res producunt ex materia: sed materiam illam non producunt. At Deus ita ex materia rem efficit, ut ipsius simul materiæ autor sit: quæ materia cum sit primitùs facta ex nihilo, hinc res ex ea subseqq. diebus factæ non incommodè possunt itidem dici ex nihilo esse. At nos hodie, inquies, qui generamur à parentibus, non sumus ex nihilo creati. Concedo respectu materiæ proximæ: sumus autem utique respectu primæ illius, quam constat ex nihilo creatam esse immediatè, & ex ea posteà varias effectas species. Quomodo omnia ex nihilo condita?

Quid isto vero pacto fiet axiomati Philosophico: *Ex nihilo nihil fit*? Verum id est in ordine naturæ nunc constituto taliter, ut aliud ex alio generetur & fiat. Non igitur primæ productioni debet opponi, sed de ordine in natura jam creata instituto accipi: Vel etiam de iis, quæ fiunt ab hominibus; quo pacto rursum non debet creationi opponi, quæ est a Deo. Nam, ut S. Irenæus ait, *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum: quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere sed de materia subjacente. Deus autem quàm homines melior, eò quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit.* lib. II. advers. hæres. c. 11. Tantum de tribus Aphorismi nostri membris. Addenda autem ad pleniorem hujus articuli cognitionem tria adhuc alia membra, quorum accurata notitia non fas est quenquam nostrum destitui. Etenim Obj.

Quartò id constare debet, mundum esse *in tempore* conditum. Atque hoc ipsum propriè est articulus fidei, nec rationibus naturalibus, ut illud, ex nihilo eum esse conditum, sed ex sola Scriptura innotescit. *Potentiam quidem in tempore res creandi quod attinet, potest illa suo modo ex media Philosophia demonstrari*: quoniam Deus est causa libera, quæ potest agere vel actionem suspendere. *Sicut vicissim etiam potentia res ab æterno creandi rationibus itidem Philosophicis probari & vindicari* Mundum in tempore esse conditum, est articulus fidei.

dicari potest, cum talis productio non queat ullius contradictionis, quam implicet, evidenter ex lumine naturæ convinci. *Habuisset nimirum mundus initium, non sanè temporis, attamen creationis suæ.* Sicut enim si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium, quod à calcante factum nemo dubitaret: Sic & mundus potuit semper fuisse, semper existente qui fecit. Nempe si actio sit instantanea, non est necessarium, faciens esse prius facto duratione, sicut patet in illuminatione. *Et fuisset nihilo seciùs solus Deus æternus*, ad istum modum, quo æternitatem absolutè sic dictam alibi definivimus, quod sit duratio interminabilis, indivisibilis & independens. Licet enim mundus ab æterno extitisset, tamen I. successionem motus habuisset, & sic duratio ejus fuisset divisibilis. II. fuisset interminatus, non tamen interminabilis & prorsus independens: atque ita *ab æterno quidem, non absolutè tamen æternus.* Aliud quippe, æternum esse: aliud, ab æterno, vel etiam in æternum. Videatur Metaphysica Viri undequaque doctissimi Christ. Scheibl. l. 2. c. 3. n. 641. seqq.

Vtrum verò actu ipso jam inde ab æterno creatio contigerit, an verò in tempore, id ex nullo principio naturali liquidò perspectum est, sed debetur soli revelationi Scripturarum. Ibi habetur planissimè, quod mundus non semper fuerit sed aliquando esse cœperit. *Per fidem intelligimus, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας, aptata esse secula* i.e. tempora & omnia temporaria, idque *verbo* seu nutu *Dei*, inquit Apostolus Ebr. XI, 3. Intelligitur autem secundùm plerosque Interpr. veteres & recentiores ex prima statim vocula Geneseos בראשית *In principio*, ubi principium Temporis intelligi volunt Basilius hom. 1. de opere 6. dierum, Ambros. l. 1. ejusd. argumenti c. 5. & August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 1. Quamvis ego quidem nolim multum roboris in hac dictione collocare. Rectiùs enim poterit exponi de principio Ordinis, sensu adverbiali; *In principio* i. e. *primitùs, ante omnia, omnium primo*, sic, ut nihil antè; quomodo eadem locutio accipitur in illo exordio Johannis: In principio erat verbum i. e Verbum erat omnium primò, sic ut nihil fuerit ante Verbum. Ita ergò & hoc exordio Geneseos significatur, Deum primo omnium creasse cœlum & terram, ita, ut nihil ante ea creaverit. Qui sanè sensus non est idoneus ad probandum durationis mundi initium.

(Margin: Gen. I, 1. *In principio.*)

Disertiùs alibi hujus initii mentio fit. Ps. XC, 1. *Domine tu perfugium fuisti nobis in generationem & generationem, cum nondum montes editi essent aut formasses terram orbemq́; habitabilem.* Prov. IIX, 22. *Dominus possidebat me principio viæ suæ ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ, cum nulla essent abyssi, edita eram, cum nulli essent fontes graves aquis.* Joh.

XVII.

XVII, 5. *Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus esset.* Quomodo & Apostolus dicit Eph. I, 4. *Nos electos in Christo ante jactum mundi fundamentum.* Et Col. I, 17. *Filium Dei esse ante omnia.* Et 1. Petr. I, 20. *Christum ante mundi constitutionem praecognitum.* Huc quoque facit, quod in Symb. Nic. dicitur *Filius Dei ex Patre natus ante omnia secula.* Quae loca tam sunt clara, ut non admiserint ullius in Ecclesia haeretici animum fluctuare inque contrariam inclinare sententiam. *Omnium, qui revelationem accipiunt, unanimi consensu, mundus est conditus in tempore. Accipiendus autem hic terminus negativè, ut in tempore sit idem, quod non ab aeterno.* Si positivè accipias, supponis tempus ante creationem, quae suppositio falsissima est. Non enim tempore jam existente mundus creatus est, sed ita, ut tempus fuerit concreatum. Quo pacto *rectius cum tempore quam in tempore mundus dicetur conditus,* velut August. disputat l. XI. de C. D. c. 6. In sensu tamen negativo non malè quoque dicitur in tempore conditus, quatenus non ab aeterno. Et sic ipsa etiam materia, ex qua constat, in tempore orta est, primo illo die, qui erat mundi natalis, à quo subsequas aetates, secula & annos ipsosque sex praecipuè dies, quibus perfecta est rerum creatio, dinumerare incipimus. Nam ut ad alia pergamus, id quoque

In tempore, negativè accipiendum.

Quintò nosse refert, *successivè* res esse productas & intra quidem sex dierum spacium. Unico sanè eoque primo instante individuo, à quo tempus universum fluere coepit, fundamenta orbis jacta sunt: *sed distinctio & exornatio certo dierum numero definita fuit.* Et hoc quoque totum *est de fide*, ac in solidum ex Mose discitur, qui sex dierum mentionem facit in Decalogi recitatione Exod. XX, 11. ac sigillatim dierum illarum opera recenset Gen. I. per totum. *Sed ita tamen hoc membrum non in confesso est apud omnes in Ecclesia, sicut proximè antecedens.* Philo namque Judaeus rusticanae tantùm simplicitatis id esse putat, si quis credat, mundum sex distinctis diebus creatum esse, & ait, senario illo dierum numero perfectionem mundi significari. Similiter Procopius dicit, Mosen docendi tantùm causa & propter tarditatem Judaeorum dies distinxisse. Neque abludit ab ea sententia ipse Augustinus l. IV. de Gen. ad lit. à c. 22. usque ad finem. Ex recentioribus quoque ita statuit Cajetanus ad verba, *Fiat lux;* qui ideo vult dici sex diebus omnia creata esse, ut intelligatur omnia esse ordine condita, tanquam sex diebus producta fuissent. Et videtur ipsa Scriptura ei rei favere, cum Gen. II, 4. ait: *In die illo, quo fecit Dominus coelum ac terram.* Item cum Siracides c. XVIII, 1. inquit: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Sed haec sententia manifestò falsa est, & communiter

Res successivè sunt productae.

niter tam à Patribus quam expositoribus recentibus rejicitur. Si enim omnia sunt uno momento producta, falsum sit, animalia & hominem ex terra conditum, cum eo pacto omnia facta essent ex purè nihilo: falsum item, tenebras fuisse ante lucem in superficie abyssi, aut terram initio extitisse inanem & vacuam; quæ cuncta tamen textus disertè affirmat.

Nec per illud, *In die illo*, intelligitur aliud quidquam, quàm, tempore illo seu die illa, ut Latini de tempore indifferenter loquuntur. Sicut aliàs etiam in S. literis *dies* absolutè ponitur pro tempore. Vt, Num. VIII, 17. ביום *In die, quo percussi omne primogenitum* i. e. tempore illo. Nam alioqui non die sed noctu percussio illa facta est. Ita & Christus Joh. VIII, 56. inquit: *Abraham gestiit videre diem meum* i. e. tempus, quo versaturus eram in his terris. Siracides autem hoc vult, Deum creasse omnia, nulla prorsus re excepta: ut ita *in ea sententia adverbium* simul *non determinet verbum* creavit, *sed nomen* omnia, neque adeò de momento temporis sermo sit, sed de rerum universitate. Vel si omninò tempus denotari velis, non tum tamen negatur temporis successio sed solùm interruptio. Sic omnia *simul i. e. opere continuo* creata dici possunt, quia non sunt condita alia nunc, alia intermissis aliquot mensibus aut diebus septimanarum. Nec pluribus opus est hæc persequi. Plana enim & simplex narratio Scripturæ non sinit nos de successiva productione dubitare: ut vel ad gentilem quis provocare queat, qui, si legerit, aliter hac de re non judicabit, nec alium sensum inde eliciet. Intelligimus in ea narratione Mosis per cœlum, cœlum: per terram, terram: per aquam, aquam. Cur non ergò per diem, diem; & per sex dies, totidem verè sic dictos dies sibi invicem ordine succedentes? Idque ita placuit rerum opifici Deo, qui uno equidem momento omnia in esse suo ultimo & completo potuisset constituere, sed data opera dies aliquot ea omnia architectando voluit insumere, ut distincta esset creatio ipsius materiæ ab informatione corporum mundi, quæ ex ea constant, nosque sapientiam conditoris in tanto creationis apparatu studiosiùs contemplemur, nec quicquam temerè aut casu extitisse nobis persuaderi patiamur.

Sed agite, quid quolibet die novi effectum sit, specialiùs paulò lustremus.

Opera primi diei.

Primo die creata asserit Moses Cœlum & terram: deinde lucem. Chrysost. in illis verbis: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, prolepsin esse vult, & universim compendio Mosen referre totum opus creationis mundi, quod sex diebus consummatum est: posteà demùm ordine exponere, quid quôque die factum sit. Sed hanc explicatio-

nem

nem non patiuntur ea quæ ſequuntur: *Et terra erat inanis & vacua,* quæ præſupponunt, terram jam tum factam, antequam nimirum lux cæteraque à Moſe deinceps enarrata producerentur. Nec verò aliàs patet, quando facta ſit. Id quidem adhuc videtur ſententiæ Chryſoſtomi patrocinari, quod firmamentum cœli ſecundo demùm die factum dicatur; ut ita cœlum ſtatim in principio creatum eſſe nequeat. At dici nihilominùs poteſt, *Deum cœlum & terram initio creaſſe quoad ſubſtantiam* & eſſentiam ſuam, *ſed illud informatum ſecundo demùm die expandiſſe. Sub terra autem hic etiam intelligitur elementum aqua*, ut ex ſeqq. conſtat, ubi Moſes, quod paulò ante terram dixit, dicit aquas. *Spiritus*, inquit, *Domini agitabat ſeſe ſuper aquas.* Erant nimirum terra & aqua inter ſe confuſæ & commixtæ, ita tamen, ut quod magis terreum erat, ob pondus ſubſideret: quod magis aqueum, in ſummo emineret. Sive terra itaque ſive aqua vocaretur, parum intererat; nam utrumque erat. Imò *generatim ſub nomine cœli & terræ tota ſubſtantia corporea cum cœleſtis ſive æthereæ, tum elementaris intelligenda venit,* quæ erat materia ac ſeminarium totius mundi. Quoniam autem inter elementa maximè terra nota eſt & noſtris ſenſibus expoſita, ideò potiſſimùm nominatur, reliquis interim ſubintellectis. Planè itaque conditus fuit primo die mundus univerſus ſecundùm ſubſtantiam ſuam, quæ tamen etiamnum chaos quoddam cenſeri potuit, præſertim quod partem & regionem attinebat elementarem, quæ absque certa facie & diſtinctione rerum, confuſa quadam congerie, univerſum illud ſpacium, quod eſt à centro mundi ad concavum usque imæ ſphæræ æthereæ ſive orbis lunaris occupabat. Idque eſt, quod Moſes dicit: *Terra erat vacua* h. e. rudis ac indigeſta moles, diſtinctione, ornatu, incolatu deſtituta, atque informis, non omni quidem forma penitus carens, ſed ea tamen, quam ultimo eſſet acceptura, ac præterea lucis expers, maximi omnium rerum ornamenti, velut porrò ſequitur: *Et erant tenebræ in ſuperficie abyſſi* vaſtæ illius & indiſtinctæ, in quam quaſi chaos quoddam conjecta erant rerum elementa. *Tenebras autem accipe non tam privativas quam negativas.* Vt enim à nihilo negativo, non autem privativo ad eſſe poſitivum per creationem eſt progreſſus, ita quoque à tenebris non privativis ſed negativis ad *lucem*, quam *è tenebris Deus juſſit ſplendeſcere*, ut dicitur 2. Cor. IV, 6.

Quod ipſum erat alterum primæ diei Θεὸεργημα, de quo Moſes: *Dixit Deus: Fiat lux; & facta eſt lux.* Vbi quidam per lucem intelligunt Angelos, ut Auguſtin. l. XI. de C. D. c. 7. & 9. . Alii qualitatem per ſe ſolam & citra ſubjectum ſubſiſtentem, quam ſententiam arripiunt multi ex Pontificiis ad palliandum dogma transſubſtantiationis,

camque tribuunt, jure an injuria non facilè dixeris, Basilio hom. 6. in Gen. Gregorio Nazianz. orat. de novo die Dominico, & Theodor. qu. 14. & 16. Nos cum Beda in hexaëm. *lucem hanc interpretamur corpus quoddam lucidum & nubis instar densum, quod in cœlo adhuc liquido de se lucem spargeret debilem primùm ac minutam, quarto autem die, insigniore & efficaciore illuminandi virtute accepta, Sol fieret & diceretur.* Cur enim dicamus, vel qualitatem lucis tres integros dies sine subjecto extitisse? Id quod sine magno miraculo fieri non poterat: Miracula autem nec aliàs sine necessitate sunt ponenda, & multò minùs hîc, ubi ipsa rerum natura producitur, temerè excogitanda sunt; vel lucem spiritualem, cujusmodi sunt Angeli, denotari, qui sensus non historicus, sed mysticus est, & præter sententiam textus, è cujus verbis liquet, talem lucem hîc non intelligi. *Vt enim tenebræ, quæ ante lucem istam in superficie abyssi erant & luce hac dissipabantur, corporales erant: ita & lux* talis fuit, præsertim cum primum triduum & trinoctium juxta illam numeretur. Vnde communiter de corporali luce id accipiunt Interpretes. *Rem ipsam tamen haud improbabilem judicamus, Angelos scil. primo hoc die, quo lux est oborta, esse conditos,* ut cum luce cœperint *Angeli lucis* 2. Cor. XI, 14. licet id Moses non dicat. Aliunde enim maximè verisimiliter colligitur, quoniam *astra matutina* dicuntur, *quæ dilaudarint Deum in ipso operum suorum primordio*, Hiob. XXXVIII, 7. Ea itaque occasione hîc simul pauca de iis attingemus.

De Angelis. Et quidem I. *Angelos esse, non est articulus fidei: nam & extra Scripturam id constat, secundùm quosdam demonstrativè, secundùm alios probabiliter.* Efficacissimum argumentum est, quod à posteriori ducitur, nempe ab effectibus, quos videmus in arreptitiis & obsessis, qui, cum idiotæ sint, loquuntur variis linguis, & miris insuper modis catenas frangunt uno impetu ac si filum rumperent: quæ vis exseri nō posse videtur nisi per Angelos. An tamen hoc argumentum probabilitatem excedat, judicent alii. *Illud equidem, quod vulgò à gradibus creaturarum petitur, infirmum esse nullus dubito*, cum in Dei potestate sit, addere talem Spirituum gradum vel minùs: cui facile est, creaturas in ampliori etiam quam sunt Angeli collocare gradu. Quin imò in infinitum perfectio universi extensivè loquendo augeri potest. Ast minimè tamen perfectio illa sibi requirit omnes species possibiles. Vnde non nisi levi conjectura nititur hoc argumentum multis aliàs usurpatum. Certum interim est, Socratem, Platonem, Aristotelem existentiam Angelorum, quos ipsi Genios, Dæmonia, Intelligentias vocant, naturaliter habuisse cognitam, quocunque medio ad istam cognitionem pervenerint. Hinc dicimus, per se ipsam existentiam Angelorum

non

non esse de fide: Sed *nosse discriminis rationem inter bonos & malos, de fide est.* Nec verò illos ab istis natura, sed sola voluntatis malitia discernit.

II. Naturâ omnes Angeli sunt *incorporei*, ut habet communior sententia, à qua sine errore quidem fidei contrario, non sine tamen temeritatis nota post tot seculorum consensum potest recedi. Profectò in ipsis Scripturis expressissimè dicuntur *Spiritus* Ebr. I, ult. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* Quod si dicas, etiam tenuiora corpora, ut aërem & ventum, dici Spiritus, adeoq; nil certi ex hac quidem voce posse concludi; *sequetur inde, etiam de anima humana ex Scripturis incertam probationem fore, quod Spiritus sit, ex eo quod ita appelletur: eo deniq; modo de ipso pariter Deo res foret incerta* ex iis Scripturis, quæ Deum Spiritum esse pronunciant. Quis autem hoc sibi persuaderi patietur? Imò verò cum anima nostra spiritualis & immaterialis esse credatur, multò magis Angelos, quorum excellentior est natura, tales esse fatendum erit. Idque inter alia complura inde quoq; colligere est, quod Luc. VIII, 30. tota legio dæmonum unum hominem obsedisse legitur: quod non video, quomodo secundùm oppositam sententiam explicari possit. Plurimum autem momenti hæc adfert ratio. *Si namq; Angeli essent corporei, tum quoties è cœlo in terram mittuntur vel in cœlum redeunt, aut dividi cœlum oporteret, aut fieret penetratio dimensionum: quorum utrumq; per naturam est impossibile.* Quare motus Angelorum in cœlum vel è cœlo nunquam esset sine miraculo, sicque miracula essent quotidiana & quasi perpetua: quod nullo modo credendum est, maximè quia etiam dæmones sic moventur & terras penetrant usque ad imum. *Qui verò ex Patribus subtilia corpora tribuerunt Angelis, ii vel à Pythagoricis & Platonicis id hauserunt, ut Origenes: vel prorsus ipsum Deum & animas pro substantiis corporeis absurdè habuerunt, ut Tertullianus: vel demq; corpus impropriè pro substantia finita & mutabili acceperunt, non propriè & strictè pro substantia ex materia & forma composita & quantitativè extensa.*

III. Sunt tamen *compositi Angeli ex essentia & existentia, ex natura & subsistentia, ex genere & differentia, ex potentia & actu, substantia & accidente.* Ratio generalis est, quia de Angeli essentia non est existentia nec subsistentia, nec ipse est extra omne genus, nec purus actus aut omninò immutabilis: movetur enim loco, & nunc hoc nunc aliud intelligit & vult: mutatio autem quantacunque sit est ab accidentibus, ut notum est.

IV. *Ex natura sua hoc habent Angeli, ut nulla potentia creata naturali possint corrumpi vel destrui.* Nam si animæ humanæ id compe-

tit, quantò magis Angelis? Hinc dicuntur naturâ incorruptibiles. Subjiciuntur interim Deo perinde ut omnes creaturæ, ita ut possint ab eo pro arbitratu destrui & annihilari. Vnde Cyrill. Alexandr. *Quæ naturis*, inquit, *præcipuè insunt, ea respectu Creatoris Dei nihil sunt. Quare sicut ignis combustivus quidem est, sed non Deo* (qui nim. facere potest, ut is non comburat) *sic & Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Solus enim Deus propriè immortalis est, quia naturaliter id habet: cætera per gratiam, sicut creaturæ.* l. VIII. Thes. c. 2. At verò hoc nil prohibet, quo minus Angelos quoque dicas naturaliter immortales, licet dependenter & participatè: cum non habeant potentiam naturalem ad sui destructionem, sed obedientialem tantùm, quæ non est realis aliqua potentia in natura, sed nuda non-repugnantia. Atque illam (inquies) non-repugnantiam naturâ suâ habent Angeli (prout substant generi creato) Ergò naturâ non sunt incorruptibiles. *Largior, non ita esse naturâ simpliciter incorruptibles, sicut Deus est*, qui per nullam planè potentiam desinere potest, cùm non indigeat influxu causæ superioris, ut in esse suo perduret: nec plus ex Anteced. potest inferri. Manet interim natura Angeli perpetuò talis, ut supposito saltem generali concursu causæ primæ citra additionem specialis gratiæ, nec ipse per se ab intrinseco principio corrumpi, nec etiam extrinsecùs vi creata interimi possit: quod sufficit ad hoc, ut dicatur naturâ incorruptibilis vel indestructibilis.

V. *Intellectus* in mentibus Angelicis est eximius: & cognoscit naturaliter quilibet Angelus cum seipsum; alioqui minoris esset perfectionis in intelligendo quàm anima nostra: tum alios Angelos, quippe concives in ead. Republica: tum etiam Deum, in quantum ex natura potest cognosci; quod iterum concluditur ex proportione ad intellectionem humanam. De futuris quædam intelligunt certò, ea nempe, quæ ex causis suis proveniunt ex necessitate, cujusmodi Solis ortus & eclipsis: quædam per conjecturam, ut ea quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ita evenire solent, quomodo Medicus prævidet sanitatem aut mortem infirmi; quo in genere tamen nolim negare, Angelo multa esse determinatè cognita, quæ Medico ita certò perspecta non sunt. Nonnulla autem alia tantùm per conjecturam colligunt, nempe dependentia ex libertate arbitrii causæ secundæ, aut ex naturalibus quidem causis procedentia, sed talibus, ut, quantum est ex ipsarum natura, impediri possint: quæ utraque tamen ne sic quidem norunt, nisi suppositis dispositionibus in agente. Quædam autem planè nesciunt, quæ scil. sunt prorsus casualia & fortuita, ut, ædes esse incendio perituras aut turbine collapsuras. Porrò quod occultas cordium cogitationes attinet, nec illas

illas percipiunt, nisi per actum aut saltem signa quædam externa, ubi sola immutatio vultûs ipsis potest sufficere.

VI. Modus intelligendi Angelicus convenit cum nostro, tum quod utantur Angeli non in sui quidem aut Dei intellectione, uti nec nos, sed aliâs tamen specie intelligibili, cujus beneficio ipsorum intellectui, non minùs quam nostro, repræsentantur ea, quæ secundùm substantiam suam ab iis absunt: tum quod quandoque intellectus ipsorum sit in actu, quandoque in potentia, & procedat à notiori ad minùs notum, à signis v.g. externis ad cogitationem cordis. Vnde *necesse est locum apud ipsos habere discursum.* Solus Deus simplici apprehensione omnia intelligit, cui singula ex æquo nota sunt ac præsentissima. Intellectui Angelico sociata *Voluntas* per naturam suam est libertate prædita, ut & nostra Voluntas. Nec enim voluntas aliqua sine libertate necessitati opposita esse potest. Et patet id ex eo insuper, quod quidam Angelorum peccarunt, quidam in sanctitate perstiterunt, utrique liberè profectò.

VII. *Vi & potentia* agendi naturali itidem pollent insigni; non solùm inter sese, producendo species intelligibiles ac mutuò sibi imprimendo, quo medio loquelam invicem instituunt ac sua quisque sensa alteri insinuat: sed etiam in res corporeas, *idq; vel immediatè*, nempe movendo eas & asportando de loco in locum, sicut Habacuco & Philippo per Angelum contigit Dan. XIV, 32. Act. VIII, 39. jactando item in altum inq; ignem abjiciendo & in aquas Marc. IX, 18.22. tum etiam humores in corpore & spiritus animales turbando, aut membrorũ vincula distrahendo rursumque membra contrahendo, unde morbi oriuntur & dolores acerrimi: quin & prorsus interimendo, velut in castris Assyriorum una nocte percussit Angelus 185000 virorum, 2. Reg. XIX, 35. *Vel mediatè* per agentia naturalia à se rebus admota, quo pacto multas sæpiùs edunt præstigias & morbos sanant. Hæc de natura Angelorum.

VIII. Cum natura verò statim etiam in ipsa creatione acceperunt Gratiam, per quam Deum cognoscebant supernaturaliter, eumque supra omnia sanctè poterant diligere, ac legem ejus exactè servare, perq; hujus observationem vitam æternam consequi. In hoc statu gratiæ aliquantisper positi erant, non diu tamen. Nam antequam homo conditus erat, jam tum quidam Angelorum erant lapsi in peccatum: quidam autem in obedientia sua erga Deum perseverarunt. Atque ita non diu in via substiterunt sed mox pervenerunt ad terminum; illi ita, ut propter peccatum (quod *verisimile est fuisse superbiam*) rejicerentur

à Deo

à Deo ad tenebras inferni, hi ita, ut perseverantiæ suæ præmium acciperent gloriam ac beatitudinem æternam.

IX. Communis omnium sententia est, *Angelos bonos esse in bono confirmatos*, sive id obedientia erga Deum & observantia sua consecutos, ut in bona sua voluntate sint roborati, adeo ut peccare jam omninò non possint aut felicitate sua excidere. Et est verissima sententia, ac in Scripturis fundata, utut hoc posterius in dubium vocetur ab Arminio ejusque sequacibus. At enim indubiè constare debebat Arminio ex glorificatione, quam adepti sunt Angeli, per quam illis collata fuit clara ac intuitiva visio Dei; in hac namque posita est gloria non secùs bonorum Angelorum quam beatorum hominum. Asserit hoc Servator ipse Matth. XVIII, 10. *Angeli*, inquit, *eorum semper* (etiam cum ministerium suum in his terris obeunt) *vident faciem Patris cœlestis*. Faciem autem Patris cœlestis videre, est Arminio quidem, assistere throno Dei ac jussa Dei expectare. Sed sensus ille non convenit textui, in quo faciem Patris dicuntur videre semper. At verò quando λειτȣργίαν suam exsequuntur in his terris, quomodo tum vident faciem Patris consistendo ante thronum ipsius? Potior nobis igitur sit autoritas aliorum omnium Scripturæ interpretum, qui phrasi hac idem Angelis dicunt in præsenti attribui, quod nobis præmii loco expectandum promittitur Matth. V. *Beati mundo corde; quoniam videbunt Deum* & 1. Cor. XIII, 12. *Nunc videmus per speculum in ænigmitate: Tunc verò à facie ad faciem*; ut *faciem Patris cœlestis videre, sit, Deum per essentiam videre*. Essentia verò Dei est ipsa essentia bonitatis. Visio itaque faciei Patris est Summi Boni contemplatio & fruitio. Jam qui summum & incommutabile bonum sicut est intuetur, non potest, quam diu boni illius contemplatione gaudet, aliquid velle, quod illi bono repugnet: nam summum clarè visum bonum summè movet voluntatem. Oportet igitur, ut qui bonum illud semel adeo degustavit, id unicè amet, & alia non nisi in ordine ad ipsum; ac proinde in eo statu peccare non potest. *Dices*: hinc tantùm sequi, Angelos esse confirmatos in bono, quamdiu vident Deum per essentiam; non autem, quod in æternum cadere non possint. ℟. Vnum horum necessariò secum trahit alterum. Nam quamdiu Deum vident, non peccant, ut ostensum est. Quamdiu autem non peccant, nulla est causa, ob quam Deus ipsis subtrahat præmium, quod semel dedit. Nec enim subtractio illa fit, nisi propter peccatum & culpam: quæ cum nulla sit nec esse possit in Angelis semel glorificatis, inde nec subtractio beatudinis, qua semel potiti sunt, ipsis ullo modo est formidanda. Quin nisi boni perpetuò retinendi securitatem habeant post acceptam gloriam & ab ipsis absit omnis formido

mido mali, beatitudo, quæ ipsis tribuitur, nihil minùs fuerit quam vera beatitudo: hæc enim arcet omnem metum mali & satietatem ejus, qui eam possidet, in æternum explet: sicut sanè gloria beatorum in Scripturis passim describitur nomine Vitæ æternæ, ut Matth. XXV, 46. Confer. Apoc. III, 12.

X. *Etsi verò faciem Dei videant beati Angeli, non tamen libera Dei decreta vident, quæ terminantur ad creaturas*; inde est, quod diem extremi judicii planè ignorent, Marc. XIII, 32. Sed & illa mysteria, quæ intellectui ipsorum hodie patent, ut sunt Incarnatio Filii Dei, redemtio generis humani, prædicatio Apostolorum, conversio gentium, institutio Sacramentorum & similia non inde à principio, simul ac faciem Dei videre cœperunt, sed demùm successu temporis illis innotuere, *per Ecclesiam*, ut inquit Apostolus Eph. III, 10. h. e. per ea, quæ subinde gesta sunt in Ecclesia, per manifestationem sc. mysteriorum, per vocationem gentium, per successum Evangelii, *in qua*, ut Petrus loquitur, *desiderant introspicere Angeli*, 1. ep. I, 12. Cæterum in facie Dei vident ea omnia, quæ *in* Deo necessaria sunt, ut essentiam, proprietates, personas, non minùs ac completè beati. Judicium hinc potest fieri de invocatione Angelorum, quam lubrico huic fundamento superstruunt Pontificii, quod videant in Deo, tanquam in speculo, ea, quæ circa creaturas fiunt. Falsum hoc esse, evincit ignoratio extremi diei & mysteriorum reapse nondum peractorum. Ac vel apud Scholasticos quoque certum hoc est, essentiam Divinam ejusdemque claram visionem nullum ponere ordinem aut relationem realem ad creaturam. Itaque præcisè ex eo, quod clarè conspicitur essentia Divina, non potest, quid circa creaturas fiat, intellectu percipi.

XI. Porrò *nil quicquam per visionem beatificam imminuitur libertas voluntatis in Angelis.* Videri quidem possit imminui, quoniam beati Angeli non, ut antea in statu gratiæ se habebant, indifferenter amplius sese habent ad utrumque oppositorum, bonum sc. & malum: ita enim nunc in statu gloriæ bona agunt, ut contrarium nec agere nec velle possint. Verùm *concedimus sanè, liberum arbitrium esse ad opposita: sed dicimus, hæc opposita non esse necessariò bonum & malum, ut libertas versetur inter benè & malè agere.* Potest enim satis se exserere in genere boni: sicut Deus, qui non nisi benè agit, agens nihilominus est liberrimum. Potest enim creare & non creare; quorum utrumque bonum: potest item hoc vel illo modo bonitatem suam liberè communicare. Ita beati Angeli possunt liberè hoc vel illud medium inserviendi Deo & hominibus eligere & non eligere: quod sufficit ad arbitrii libertatem.

XII. Dum tamen servitium atque ministerium suum præstant inter homines, *non sunt dicendi ministri hominum*, sed ministri & nuncii Dei ad homines & propter hominum salutem.

Opus secundi diei. Postquam ad hunc modum primo die conditus fuit mundus secundum substantiam suam, quæ tamen quoad elementarem potissimum partem adhuc valdè erat indistincta, nunc porrò secundo die ad distinguendum eum sive ad quasq; ejus partes in suum locum reponendas accedit omnipotentissimus & sapientissimus Conditor. Terra quidē maximam partem nativo suo pondere aquas findebat & ad fundum penetrabat, atq; adeò infimum locum aut jam occupaverat, aut erat occupatura. Aër autem & aqua inter se comixtæ & comissæ quasi luctabantur, occupantes spatium, quantum erat à terra ad regionem usq; ætheream. Vt igitur opus suum perficeret Deus & confusionem tolleret, *dixit: Esto Rakiah in medio aquarum, distinguens inter aquas unas & alteras*, superiores nempe & inferiores, ut habetur. Gen. I, 6.7. Ebraicum רקיע LXX. reddiderunt στερέωμα, quod Latini exprimunt nomine *Firmamenti:* quo nomine communiter Ebræi & Doctores nostri Cœlum tantùm intelligunt. Vnde & cum apud Mosen dicantur aquæ supra Rakiah positæ, illi aquas certas supra cœlum existere statuunt, quas istud ab aquis nostris disjungat. Dictum autem firmamentum ajunt, quòd cœlum ex aqua fluida in tam solidum corpus compactum sit: Verum cum Ebraica vox רקיע propriè expansum sive extensum denotet, recentiores nonnulli sub hac appellatione aërem accipiunt, & diffusum quoddam corpus aëris extensionem illam interpretantur; præsertim cum explicari non possit, quomodo & qua de causa aquæ naturaliter supra cœlum detineri possint: *per aquas verò illas superiores intelligunt nubes*, quæ passim in Scripturis aquæ cœli appellantur, sicut ipsa etiam aëris regio, cœlum. Ita Gen. VII, 11. legitur, *Cataractæ cœli apertæ sunt & facta est pluvia super terram.* & Deut. XXVIII, 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, ut tribuat pluviam terræ suæ in tempore suo.* Sed cum illi vix rectè exponere possint, quomodo infra dicatur Deus Solem & Lunam in firmamento posuisse, quod certe non aër sed cœlum est, probabilius fuerit *non tantùm aërem* רקיע *sed & cœlum ipsum intelligi*, adeoque totum illud expansum & pellucidum ex aëre & cœlo constans: nam utrumque in Scripturis vocatur cœlum, Ebraicè שמים, quasi aquas ibi esse dicas. Quoniam enim cœli, qui aquas continent, nobis propiores sunt & notiores nostrisque oculis adspectabiles, idem igitur vocabulum ad denotandum remotiores & æthereos, in quibus tamen quomodo sint aquæ vel usum aliquem præstare possint, non apparet, translatum est. Rectissimum ita-

itaque fuerit, Rakiah in quadam latitudine capi pro tota machina cœlesti cum ætherea tum aërea; *sic tamen ut id, quod dividat aquas ab aquis, dicatur solus esse aër una sui parte & regione.* Notum enim est, tres esse aëris partes, supremam, mediam & infimam regionem. *Harum ultima*, videlicet *infima expansi & diducti aëris regio, distinxit in prima creatione aquas unas & alteras*, nempe aëreas tenuiores, vaporosas, pluviales, quæ erant super expansum sive in parte ejus superiore, & aquas spissas graviores sub expanso sive in regione infima expansi circa terram collectas. Ac proinde quando *aquæ supra cœlos* memorantur Ps. CXLVIII, 4. illas ipsas nos intelligimus aquas cœlorum aëreorum, cum Scripturæ textus non cogat aliter accipi; aquas, inquam, quæ sunt supra expansum terris proximum: nam hoc quoque vocatur, ut in confesso est, cum Rakiah, tum Schamajim. Certè Gen. I, 20. *aves* dicuntur *volare* על־פני רקיע השמים *in superficie expansionis cœlorum.* At aves non volitant circa cœlos æthereos, sed pone seu juxta nubes, eademque ratione *Volucres cœli* dicuntur, ubi cœlum pro aëre sumi nemo inficiatur. Ita secundo die segregatæ sunt aquæ ab aquis, sive aër & aqua in suas utrumque elementum regiones distinctum & repostum est: nondum autem aqua inferior & terra ab invicem disjunctæ.

Tertio itaque die, ut ista ambo habitationi hominum & animantium idonea fierent, aquæ inferiores antea tenues & per totam terrarum superficiem diffusæ, *congregatione facta* incrassatæ, & ad speciem salsarum condensatæ sunt, *inq; locum*, ut Moses ait, *unum*, h. e. à terra arida separatum (nam alias multa & distincta sunt fluminum, lacuum & marium loca) redactæ, unde exire ac terram inundare naturaliter nequeant, magnis insuper scopulorum, montium ac littorum repagulis objectis, quibus intra limites suos coërceantur. Jamque partes integrantes totius universi non tantum conditæ sunt, sed ab invicem etiam certo ordine distinctæ, nempe cœli, aër ejusque regiones, aqua & terra. Superest nunc, ut excolantur & exornentur singulæ. Opera tertii diei.

Eodem itaq; tertio die accedit Creator ad decora & ornamenta terræ, jubens eam, licet cœlesti virtute & solis calore nondum fœcundatam aut rigatam pluviis, producere germen, herbas seminiferas, arbores fructiferas, singulas secundum proprias species suas, quibus etiam insit semen sive propriè dictum sive aliquid ei analogum, quo species istæ propagari & conservari possint. Non intelligendum autem terram ipsam vel naturaliter, vel, ut Cajetanus vult, supernaturali quadam & ei à Deo indita virtute herbas omnes & arbores simul ac semel produxisse: prius enim fieri prorsus nequit, posterius autem sine maximo mira-

miraculo poni non poteſt. Senſus autem eſt, *Deum ipſum illa verbo ſuo produxiſſe, terrâ materiam tantùm ſubminiſtrante.* Vnde expreſsè Gen. II, 4. 5. ſcribitur, *Deum feciſſe cœlum & terram & omne virgultum agri & omnem herbam.* Terra igitur protulit iſta, ut cauſa materialis, DEVS, ut efficiens.

Opera quarti diei.

Quarto die ætherei cœli exornati ſunt. Erat quidem primo jam die Lux condita, quam diximus imperfectum quendam fuiſſe Solem. Quin cùm omnis illa incorruptibilis cœleſtium corporum ſubſtantia primo die condita ſit, aliquid fortè lucis tum quoque inditum fuit reliquis corporibus, quæ poſteà cœperunt eſſe Luna & ſtellæ. *Hoc quarto verò die ſingula illa, quibus anteà non niſi diminuta & imperfecta lux erat, plenam ac perfectam recipiunt*, atq; augmentum proportionatum unicuilibet eorum ſuperadditur, ſecundùm diverſas ipſorum differentias, aliis copioſiùs, aliis parciùs. Vnde cùm à luce habeant, quod aſtra ſint, hoc die plenitudinem ac pulchritudinem ſuam ſortita, cœperunt aſtra ac ſidera eſſe & dici. Duo præ cæteris, Sol & Luna, quæ maxima viſibus humanis apparent & magnam quoque efficaciam obtinent, unum in præfecturam diei, alterum in præfecturam noctis, quod nocte vim ſuam potiſſimum exſerat, condita memorantur à Moſe, ac Luminaria magna dicuntur. Porrò *luci diſpenſandæ cùm ſit neceſſarius motus, idcircò ſingulis illis corporibus vis indita eſt variè ſeſe movendi*: ex quo cœperunt menſes & anni, & annorum quadripartita tempora, & dierum noctiumq; variantium inæqualitas. Exinde factum quoque, ut ſidera peculiari efficacia inpoſterum polleant & in inferiora variis influxibus agant effectusque producant, qui in iis tanquam in ſuis cauſis prævideri & præſciri poſſunt, unde hoc ipſo haberi merentur *ſigna tempeſtatum aliorumq; naturalium effectuum.* Naturalium, inquam: nam quæ talia ſunt, ex poſitu aſtrorum & ſiderum præcognoſci & prædici poſſunt ac videri in ſuis cauſis naturæ neceſſitatem habentibus. Secus verò eſt de contingentibus & pendentibus ab hominum voluntate, quæ neceſſario non ita eveniunt, ac proinde nec certò prævideri ac prædici poſſunt ex ſitu aſtrorum.

Opera quinti diei.

Quinto aquæ piſcibus replentur & cœli aërei volatilibus. Nempe animalia, quæ in aquis & aëre degunt, utpote *terreſtribus minùs perfecta*, ovipara & vivipara, ante animantia terras calcatura uno die pariter creantur. Nam magna quoque, quoad motum præſertim, utriſq; caudâ iter ſuum dirigentibus intercedit ſimilitudo, ut non inſcitè *piſces dici poſſint aves aquaticæ, & aves aërei piſces.* Iisdem *ut creſcant*, non magnitudine quidem, quam juſtam acceperant, ſed *numero*, ut multiplicarentur ſcil. & ſpecies eorum perdurarent, inditur naturalis appetitus, quo diverſi ſexus, mas & femina, impulſi ardent invicem con-

convenire & conjungi ad genus suum generatione multiplicandum & propagandum. *Benedixit enim illis DEVS h. e. benefecit & supra plantarum ordinem evexit*, indendo iis non modò vim & potentiam producendi sibi simile, ut, quoniā ipsa secundùm se individua perennare nequeunt, perennent saltem in suis fœtibus, verùm etiam appetitum generandi speciemque suam conservandi. Et hæc benedictio *ad bruta quoq; terrestria* seq. die condita pertinet. *Homini autem seorsum, & propria confertur benedictio. Nam in homine munus generandi non modò naturale est, sed & voluntarium.* Vnde quod in aliis nec virtutis nec vitii capax est, in homine tamen laudem vel vituperium potest mereri.

Sexto demùm die terrestria producuntur animantia inque terram habitandam immittuntur, quorum tria facit genera Moses: *Jumenta*, quæ mansueta sunt & cum hominibus conversari gaudent eosque juvant qualitercunque, ut sunt equi, boves, oves: *Reptilia*, quæ non habent pedes, vel habent breves, quibus parùm elevantur à terra, ut sunt serpentes, locustæ: & *Bestias*, quæ feræ sunt ac seorsum degunt in sylvis & campis, ut leones, ursi. Opera sexti diei.

Sanctius his animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.

Ad hoc ipsum producendum majore cum apparatu & quasi consulto accedit Creator eodem die sexto. *Faciamus*, inquiens, *hominem ad imaginem & similitudinē nostram*. Gen. I, 26. Verbo plurali *Faciamus* pluriū in una Divina essentia personarum indicium fieri, non est dubitandum. Ita nempe Divinæ personæ unius & inconfusæ istius essentiæ se invicem, ut ita loqui liceat, cohortantur & excitant ad tantum opus reliquis, quæ jam condita erant, visibilibus omnibus futurum præstantius & divinius. Angelis hæc Deum dixisse, ut Philo & Judæi alii contendunt, prorsus absurdum est, cùm *Angeli ad creationem, quæ infinitam potentiam requirit, concurrere non possint*, nec unquam iis creatio hominis in tota Scriptura tribuatur. Quin è vestigio subjungitur, *creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Hinc fit argumentum: Qui *creavit hominem, & ad cujus imaginem* homo est *factus*, *illum Deus hîc alloquitur:* qui non creavit & ad cujus imaginem homo factus non est, eum non alloquitur. Sed Angeli hominem non creaverunt &c. Ergò. At nec Deus ita locutus est more Principum & Magnatum. Nam sicut rectè Theodor. qu. 30. super Gen. notat, si hoc ita se haberet, vel semper, vel plerunque ita locutus esset. At communiter de se loquitur in singulari. Quapropter plurali hac loquendi formula multitudo Divinarum personarum indigitatur. Vt enim ejus mysterii in opere creationis & quidem in prænobili opere, nempe creationis humanæ,

 indici-

indicium aliquod fieret, omninò conveniens erat, *ad pressius innuendam effectus tàm eximii causam efficientem.*

Materia, ex qua formavit Devs hominem, erat pulvis terræ. Vnde etiam, quia ex humo formatus est, *homo* Latinis, sicut Ebræis ab אדמה, quæ vox terram rubicundam notat, dicitur *Adam, quod nomen speciei commune, primo individuo factum fuit proprium.* Sic quidem corpus è pulvere terræ sive terra pulverulenta factum est. At verò animam rationalem, quæ est forma essentialis hominis, per quam in esse humano constituitur, Deus ipse è nihilo creavit immediatè. Quod apud Mosen est: *Inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ*, Gen. II, 7. *per spiraculum* enim anima, cujus respiratio effectus & signum est, intelligitur. Hanc *Deus dicitur inspirasse, ut intelligatur, non ex terrea materia, ut corpus, sed ex nihilo illam excitatam, nec corpoream sed incorpoream*, atque hoc ipso immortalem esse, adeoque materialibus brutorum animabus longè præstantiorem. Quis enim ausit asserere, materiam intervenire, quando Devs spirare dicitur? Spiraculum autem *vitæ* dicitur h. e. vitale seu vivificans, quia homo, quamdiu ejus potitur, spirat, & ubi spirare desinit, animam simul & vitam ponit. Dicitur *in nares* inspiratum, quoniam respirationis evidens signum in naribus. *Totum itaq; est* ἀνθρωποπαθῶς *dictum, quicquid de forma hominis essentiali est apud Mosen.*

Ad ejusdem essentialem pariter & accidentalem formam pertinet imago & similitudo illa, ad quam Devs se hominē conditurum dicebat, quam & Moses subseqq. inculcat. Gen. I, 27. *Itaq; creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum.* Orig. l. 3. περὶ ἀρχῶν c. 6. Basil. hom. X. in Gen. Ambros. l. 6. hexaëm. c. 7. Greg. Nyss. hom. de creat. hom. Eucherius l. 1. comm. in Gen. h. l. Theodor. in qu. & Rupertus l. 2. de Trinit. c. 3. quos sequuntur Lombardus & Scholastici communiter, discrimen ponunt in vocibus *Imaginis* & *Similitudinis*, ac per Imaginem hîc intelligi censent dona primi hominis naturalia, nempe intellectum, voluntatem & liberum arbitrium; per Similitudinem autem supernaturalia, sic dicta, quia nec constituunt naturam nec ex constitutæ principiis immediatè fluunt, licet perficiant naturam cumque ea fuissent propagata: quo nomine ipsis veniunt justitia primæva, innocentia & sanctitas. Sed si hoc ita est, cur Moses in verbis modò citatis unam tantùm vocem Imaginis repetit, altera prætérita? Dicamus igitur, *utrumq; vocabulum idem significare*, & unum alterius explicandi gratia addi, ut per figuram, quæ *Hendiadys* dicitur, imago & similitudo ponantur, pro imagine quàm simillima, sicut Jerem. XXIX, 11. dicitur, *Dabo vobis finem & expectationem*, sive finem expectatum.

Imago & Similitudo idem significant.

In

In reipsa autem continebat utiq; imago & similitudo illa, ceu aggregatum quid, partim naturalia dona, partim supernaturalia, licet utraque unâ dictione, nempe istarum Imaginis & Similitudinis alterutrâ, sint comprehensa. *Naturalibus* dotibus accensemus I. quod animus hominis spiritualis est. II. Quod intellectu, voluntate & libero arbitrio prædìtus, & propterea III. Sapientiæ, Prudentiæ & virtutis moralis capax est homo, quodque IV. per vocem omnibus animalibus cæteris præcellit, & naturaliter eis, non absque cura tamen & industria, dominatur. *Supernaturalia* consistebant I. in sublimiore cognitione Dei, de qua Paulus Col. III, 10. loquitur. II. In justitia & sanctitate, ut Eph. IV, 24. scriptum est. III In corporis immortalitate, quæ ante lapsum erat, & IV. in perfecto in creaturas & absoluto, cui vel solus nutus sufficiebat, dominio. Et imago quidem ac similitudo, prout in posterioribus istis & principalibus dotibus consistit, per lapsum perdita est: quatenus autem priora illa continet, mansit. Vnde *respectu illorum naturalium etiamnum post lapsum homo dicitur conditus ad imaginem Dei* Gen. IX, 6. Jac. III, 9. Ac præcipuè in animo ea invenitur imago, sed ita, ut refulserit etiam in corpore: quod alii sic exprimunt, *formaliter eam in illo, significativè autem in isto extitisse.* Ideò enim corpus ipsum erectum factum est, ut animus cœlum intueretur, immortale item, ut domicilium animæ incorruptibile esset, sicut ipse ejus hospes immortalis est.

De Sexu demum subjicitur Gen. I, 27. *Marem ac feminam creavit eos*, nempe marem quidẽ ex terra, uti dictum: feminam autem ex costa viri, ut deinceps narratur c. 2. Cajetanus hoc non literaliter sed parabolicè explicandum censet. Quod si enim verè id factum sit, costam illam vel superfluam fuisse, vel minus. Si prius dicatur, Adamum monstrosum creatum esse: Sin posterius, monstrosum deinceps fuisse, cum costa una ademta esset. Sed hoc argumentum tanti ponderis non est, ut propterea narratio historica in mysticam transmutari debeat. Et sanè *si h. l. vera Evæ productio non describitur, nusquam descripta fuit, quod absurdum est. Deinde nec ante nec post ademtam costam Adamum monstrosum fuisse*, argumentatio Cajetani evincit. Non ante, utut detur, costam eam fuisse superfluam: quia esse superfluum non statim monstrosum facit, præsertim quod ad certum finem est destinatum: nam etiam semen animalium ex superflua portione sanguinis generari Philosophi docent: Nec post: quia cum ædificasset jam Deus ex Adami costa mulierem, carne hiatum explevit. Respondet femina Viro naturâ & specie (utut sexu ab ipso distincta) ac primitùs etiam respondebat imagine Divina, sicuti conceptis verbis asserit Moses.

Cajetani sententia de costa Adami.

Cui

Cui non contrariatur Paulus 1. Cor. XI, 7. dicens : *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est; Mulier autem gloria Viri.* Vbi videtur imaginem Dei in solo mare ponere. Enimvero *propriè & absolutè loquendo uterq; sexus ad Dei imaginem conditus est: secundùm quid autem differentia aliqua intercedit.* Mas enim simpliciter ad Deum referendum & repræsentandum factus est: Femina autem & ad illud, & ut maris adjutorium esset. Idque statim Paulus subjungit, cum ait: *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*

Creatio quomodo & successiva & instantanea actio dici possit?

Et hæc hactenus de eo, quod condiderit Deus omnia successivè intra sex dierum spacium. Sub finem quæras: quomodo hæc productio successiva conveniat cum eo, quod dicitur creatio esse actio instantanea, quæ in puncto fiat? ℞. Non malè convenire. *Si enim quasvis rerum species seorsum spectemus, non longo temporis tractu, sed uno momento singula in suo genere perfecta condita sunt.* Quo momento enim dixit Deus, *Fiat lux*, illicò facta est: quo momento dixit, *Esto expansum dividens inter aquas, herbescat terra, fiant luminaria, producat terra animantia &c.* mox omnia in ejus conspectu steterunt omnibus partibus absoluta. *Quod si verò totum mundi systema simul spectemus & uno complexu consideremus, non subitò aut uno momento, sed intra sex dies mundum creavit Deus & perfecit.* Ex qua distinctione lucem quoque accipit illud a Mose sæpius repetitum: *Et factum est vespere & mane dies primus, secundus, tertius &c.* Sic enim dicit Moses, non quod Deus totum diem in fabricando hoc aut illo occupatus fuerit: in instanti quippe singula extiterunt; sed quod illo die nihil aliud fecerit, idque ubique sic intelligendum est.

De causa finali creationis.

Sextò & ultimò, quem in *finem* res à Deo conditæ sint, dispiciendum est. Est autem finis alius ultimus, alius intermedius. *Vltimus & supremus est ipsius Creatoris gloria, ut ea à creatura rationali agnoscatur & celebretur.* A rationali, inquam, creatura. Nam reliquæ creaturæ sunt tantùm σιγῶντες κήρυκες i. e. muti præcones, qui celebrant Deum *non effectivè sed objectivè*, nempe monstrantes vestigia Dei & hinc laudis materia existentes. Hoc pacto *cæli enarrant gloriam Dei*, ut dicitur Ps. XIX, 1. quod Theodoretus sic exprimit: *Cælum incurrens in oculos & cum magnitudinem tum pulchritudinem ostendens ac tecti utilitatem hominibus præbens* σιγῶν κηρύττει τὸν ποιητήν, *tacitus præcò est Conditoris, & omnium linguas ad celebrationem invitat.* Orat. IV. de Provid. Non autem voluit Deus tantùm habere mutos præcones, sed etiam intelligentes & loquentes. Quare inter creaturas collocavit

vit Angelos & homines, à quibus bonitas, sapientia & potentia ejus posset agnosci, & mente pariter ac lingua deprædicari. *Bonitas*; quod ipse nullius extra se rei indigus voluit iis, quæ non erant, aliquam felicitatis suæ partem communicare, & inexhausti fontis tam largos in creaturas deducere rivulos. *Sapientia*; quod tam multiplicia adeò bono ordine & usu condidit. *Potentia*; quod sola voluntate, jussu ac verbo suo, ex nulla præjacente materia, sine mora & absque fatigatione res produxit. Breviter, sed significanter Bernhardus: *Potentissimè ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignißimè utilia sunt creata*, Serm. III. in die Pentec. Ob hæc igitur quis non exclamet cum Psalte? *Jehova Domine noster, quam magnificum est nomen tuum in universa terra*! Ps. IIX, 1. Conf. Apoc. IV, 11.

Proximus deinde ac intermedius Creationis finis est, ut hominum usui & commodo singula inserviant: qui finis nos ad laudes Deo cantandas acriùs adhuc exstimulare potest. Si namque totam hanc mundi compagem animo perlustremus, quædã inibi ad humanæ vitæ necessitates & commoditates faciunt, alia ad gaudia & delectationes, nonnulla ad præsidia sanitatis & morborum remedia aliquid conferunt, multa insuper ad exemplum & imitationem sunt proposita. Qua de causa postremo loco homo formatus, ac pulcherrimum & absolutissimum rebusque ad ornatum, ad usum, ad jucunditatem pertinentibus instructissimum universi theatrum priùs constructum est, quam in illud introduceretur homo, ut, quibus abundè frueretur, statim præstò ipsi essent. Sanè, quæ Basilii verba sunt, *exortæ sunt unà cum iis, quæ alunt, & ipsæ etiam exitiales herbæ venenosæq́ue, cum frumento cicuta, cum esculentis cæteris elleborus, aconitum, mandragora atq́ue papaveris succus*. Veruntamen hæc ipsa etiam in usum hominis cedunt, licet non proximè ac præcisè in usum ventris. *Aut enim*, ut inquit porrò Basilius, *nonnullis animalibus expertibus rationis sunt pabulum*, (quæ animalia posteà in cibum hominum destinantur) *aut & nobis ipsis ex his in nonnullis morbis ab arte medendi remedia comperta præstantur*: id quod pluribus diducit magnus Cæsariæ Episcopus in Hexaëm. hom. V. p. 51. 52. Idem sentiendum de venenosis, quæ creatæ sunt, bestiis. Nec malè huc quadrant, quæ habet S. Thomas p. 1. q. 47. a. 2. ad 1. ubi, quomodo omnia sint bona condita à Deo, & nihilominùs una creatura alterâ melior sit, in hunc modum exponit: *Optimi agentis est, producere totum effectum suum optimum, non tamen quamlibet partem totius facere optimam simpliciter, sed optimam secundùm proportionem ad totum. Tolleretur enim bonitas animalis, si qualibet pars ejus oculi haberet dignitatem. Sic igitur & Deus totum universum constituit optimum secundùm*

Omnis creatura bona est, & in usum hominis creata.

motum creaturæ: non autem singulas creaturas, sed unam aliâ meliorem. Et ideò de singulis craturis dicitur Gen. I. Vidit Deus lucem, quod esset bona. Sed de omnibus simul dicitur: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.

Nunc, ô bone Conditor, ad Te suspiria mittimus, quæ Augustini quondam erant Soliloq. c. XI. devotissima: *Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua — Illa caritas tua, Domine Deus meus, quæ Te ad creationem coëgit, ipsa quæso modò cogat Te ad regendum — Ipsa Te vincat caritas ad salvandum, quæ Te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, quia ipsa caritas Tu ipse es, qui semper idem es!*

TESTIMONIA VETERUM,

Quod creatio competat non minùs Filio DEI & Spiritui S, quàm Patri.

SEd neque homo merus est (Christus) per quem & in quo facta sunt omnia. Omnia enim per ipsum facta sunt. Quando faciebat cœlos, unà ipsi aderam, & ibi aderam illi coaptans singula. *Ignatius epist. ad Tarsenses.*

Idoneum & sufficiens est ad formationem omnium proprium ejus (Dei Patris) Verbum, quemadmodum & Johannes Domini discipulus ait de eo, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* In omnibus autem est & hic qui est secundum nos mundus. Et hic ergò à Verbo ejus factus est, sicut Scriptura Geneseos dicit, Omnia quæ sunt secundùm nos fecisse Deum per Verbum suum. *Irenæus lib. 2. adversus Hær. c. 2.*

Sed Filius Dei est Sermo Patris, in idea & efficacia: ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, quum Pater & Filius unum sint. *Athenagoras Apol. pro Christianis ad M. Antoninum Philosophum & Commodum Impp.*

Per Spiritum S. est regeneratio, καθάπερ καὶ ἡ πᾶσα γένησις. Πνεῦμα γὰρ Θεοῦ ἐπεφέρετο τῇ ἀβύσσῳ. *Clemens Alexandr. in Eclogis ex Prophet. Oraculis.*

Adest ei (Deo Patri) semper Verbum & Sapientia, Filius & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & sponte fecit, ad quos & loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Irenæus l. 4. adv. Hær. c. 37.*

APHO-



APHORISMUS II.

pag. 319.

Statuendum eſt, non ſolùm conditas eſſe res à Deo, ſed etiam perpetuò ſervari & ſuſtentari à Deo rerum ſubſtantias.



Poſtolus Petrus 1. ep. c. IV, 19. Deum eſſe *fidelem Creatorem* pronuncians, non tantùm Conditorem cœli & terræ Deum conſtituit, ſed etiam eorum, quæ condidit, ſuſtentatorem & gubernatorem, qui omni fide curam creaturæ ſuæ gerat, ei ſua providentia præſit ac proſpiciat benigniſſimè. Doctrinam igitur de Creatione juſto ordine excipit doctrina de Conſervatione & Gubernatione univerſi; ut verbo dicam, de Providentia. Licet enim nomen Providentiæ ſit à verbo providere, quod idem ferè, *Homonymia vocis Providentiæ.* ac prævidere h. e. rem à longè, antequam fiat, videre; uſus tamen obtinuit, ut ſicuti Ebræa radix ראה vidit, notat providere, procurare Gen. XXII, 8. *Dominus* יראה *providebit ſibi agnum* i. e. procurabit: ita Latinum quoque *providere* ſit quaſi pro altero videre, & *Providentia ſit cura, quæ pro altero peragitur, ut conſervetur permanenter & gubernetur ſalutariter atq; etiam prudenter*: quo pacto inſuper Providentia coincidit cum prudentia, ut in illo Ciceronis l. 2. de nat. Deorum: *Dico providentia Deorum mundum & omnes mundi partes & initio conſtitutas & omni tempore adminiſtrari.* E quo loco ſimul patet, *Providentiam Divinam naturâ notam eſſe.* Igitur Theologo quà tali non incumbit probare, quod ſit, ſed accipitur ab eo, ut præſuppoſitum: quid ſit autem propriè, & quomodo ſit comparata, intimiùs ſcrutandum ipſi relinquitur; ſicut & Deum eſſe, in Theologia non probatur, ſed ſupponitur: quid ſit autem Deus, ibi traditur accuratiùs. Ac *magnam hæc duo, eſſe Deum & eſſe Providentiam Divinam, inter ſe affinitatem habere*, jam olim ipſe rurſum Cicero agnoſcens: *Non ſane*, ait, *mul-*

multum interest, utrum quis Deos esse neget, an eos omni procuratione atq; actione privet. Mihi enim, qui nihil agit, esse omninò non videtur. Huc respiciens etiam Clemens Alexandrinus l. V. Strom. sub initium: *Sunt*, inquit, *quæstiones quædam digna quæ puniantur: cujusmodi est, quærere probationes* (animo sc. dubitandi) *An sit Providentia &c. cum sit manifesta Divina Providentia ex aspectu omnium quæ videntur effectorum, quæ arte & sapientia constant.*

Vocabula Providentiæ duo involvit. Hac igitur missa quæstione, id observari hic primò volumus, *duo apud Theologos Providentiæ vocabulo designari. Vnum est decretum vel statutum Divinum*, inde ab æternitate factum, conservandi & gubernandi quæcunque, & ad suos quodlibet fines perducendi. *Alterum, executio hujus decreti in tempore facta.* Prior acceptio nomini Providentiæ aptissimè quadrat. Propriè enim Providentia est actus Dei immanens & æternus, sicut & *Prædestinatio*. Vnde plurimi ex Scholasticis & Pontificiis locum illi dant inter attributa Dei, ubi de Divinis tractatur decretis, quæ sunt aliquid immanens in Deo seu mente Divina. Tumque duo rursum alii actus involvuntur in hac actione decretoria. Vnus est actus intellectûs, ut ratio ordinandi res in fines suos ab intellectu concipiatur. Alter voluntatis, ut ab ea approbetur, quod intellectu cognitum & ordinatum est, atque constituatur suo tempore exsequendum. Vbi hoc quoque notabis, hanc ordinis rerum præcognitionem in mente Divina nullam rebus ipsis imponere necessitatem, licet infallibilitatem inducat. Aliud quippe est, *fieri certò* & infallibiliter: aliud, *fieri necessariò* & inevitabiliter. Quæ Deus præscit contingentia futura, illa fiunt infallibiliter; cum præscientia Divina falli non possit: & certò; non autem necessariò. Sed & posterior acceptio æquè, si non magis, est recepta, inter Theologos, ut Providentiæ appellatio importet actum Dei transeuntem in tempore ad extra, sive in creaturas. Et hoc modo sumitur terminus ab iis præcipuè, qui in doctrina de Operibus Dei, cujusmodi est *Creatio*, simul tractationem suscipiunt de Providentia, uti & nos facimus. *Nobis hîc igitur Providentia sonat executionem decreti Divini in rebus conservandis & gubernandis seu dirigendis per certa media in fines congruos, præcipuè ultimum, qui est gloria Dei.*

De Conservatione. Conservari res omnes à Deo & ipsius veluti manu sustentari, ne, quod in creatione acceperunt esse, deperdant, habetur manifestè in nostro Aphor. & per se aliàs patet. Esse enim participatum necessariò & essentialiter pendet ab eo, quod est ens per essentiam. Non igitur solùm pendet creatura à Creatore, ut primò incipiat esse, sed etiam ut in illo duret & persistat. *Neq; ejusmodi conservatio à productione realiter*

liter differt, sed tantum connotatione quadam. Productio enim dicit effectionem rei, connotando quod antea non fuerit. Conservatio dicit eandem effectionem, connotando quod res antea fuerit, atq; adeò nihil aliud est, quam continuata quædam productio, sine qua res collabi & desinere oporteret. Sap. XI, 26. Cum enim omnia à Deo dependeant, si negaret hanc dependentiam, suumque influxum tolleret, confestim interirent omnia, quæ dependent, & in nihilum, unde orta sunt, reciderent, secundùm illud Jobi: *Vtinam placeret Deo, conterere me, solveret* sive remitteret *manum suam & conficeret me*, c. VI, 9. Per solutionem itaque & retractionem manus Divinæ, sive, quod perinde est, cessationem influxus Divini tenentis & sustentantis naturam rerum, confici derepente omnia & annihilari necesse est, *cujus tamen nullum in orbe hactenus est exemplum. Omnia igitur in ipso consistunt* Col. I, 17. *& sustinet omnia verbo virtutis sua*, Ebr. I, 3.

Conspicitur hæc rerum Conservatio in creaturarum partim permansione, partim successione. Priore modo conservantur incorruptibilia, ut Angeli, & animæ humanæ. Ambæ hæ spirituales essentiæ Deo sustentante eædē semper permanent quoad singula individua, ac esse durabile habent in æternum, absque ullo interitus metu. Ipsum quoque Cœlum, Sol, Stellæ, Terra Divino arbitrio in suo statu perseverant, in quo sunt primitùs condita, nec statu illo dimoventur in seculum, quoad naturæ cursus pertenditur, Ps. CXLVIII, 6. Eccl. I, 4. Posteriore modo Conservatio Divina perspicitur in iis, quæ corruptibilia sunt, ut sunt animalia, quorum licet individua intereant, species tamen constanter persistunt, dum individua nova iis, quæ interierunt, subinde Divina benedictione succedunt. Gen. I, 22. VIII, 16. 17. Sir. XIV, 19. Sic etiam partes anni per mutuam successionem usque ad mundi finem æquabili tenore jubente Deo perdurant, Gen. VIII, 22.

Sicut igitur creatio tribuit primum esse rebus: ita conservatio esse illud continuat subinde dando esse. Atque adeo *non debet creatio rerum concipi ut architectura, ita, ut discedat Deus à rebus creatis, sicut architectus aut cæmentarius à domo, sed concipienda est ut illuminatio à Sole profecta.* Vti enim Sol spargendo radios lumen procreat & continuata sparsione ista lumen conservat, nec reapse est alia actio, qua Sol primitùs gignit lumen & qua postea idipsum conservat, sed est una continua actio, quæ tamen inadæquatè & ad modum duarum à nobis apprehenditur: Ita Deus bonitatis suæ radios in nos spargendo initium essendi nobis largitur, illudque esse postmodò per continuationem influxùs nobis prorogat, nec duplex hic est influxus sed unus continuus, per conceptus tamen inadæquatos à nobis apprehensus, quatenus pri-

mò ortum rei, & postea quasi seorsum durationem ejus & perpetuitatem mente concipimus. *Vnde distinctio manat rationis, nullatenus ipsius rei.* In re idem sunt ortus ac duratio creaturarum, & utrumque denotat esse: sed distinguuntur ratione per diversas connotationes, dum illud inchoationem, hoc permanentiam in essendo connotat.

De Gubernatione, cujus duæ partes

Gubernatio, quæ est quasi altera pars Providentiæ Divinæ ad extra prodeuntis in tempore, continet cùm Motionem, tum Directionem rerum in suos fines.

I. Cooperatio sive Concursus.

Motio, quæ & Cooperatio solet dici, spectatur in actionibus creaturarum, *ad quas singulas cum naturales tum morales tum spirituales Deus concurrit concursu simultaneo & concomitante.* Notanter ita dicimus. Concedunt omnes, Deum ad actiones quascunq; creaturarum concurrere aliquo modo, quia creaturas produxit & agendi virtute instruxit, &, dum agunt, in esse conservat. Sed omnes non admittunt, Deum in qualibet actione creaturarum simul agere, & per se cum quovis creato agente ad eandem numero actionem tendere, v.g. cum ignis calefacit, negat Durandus, etiam Deum calefacere aliqua actione, sive eâdem cum actione ignis, sive diversa, adeò, ut ignem sibi relinquat & agere sinat, ipse interea ferietur. Hæc vero Durandi sententia, quæ nonnullorum etiam fuit tempore Augustini, ut videre est l.V. de Gen. ad lit. c. 20. communiter ab omnibus pro erronea in fide habetur, & contrarium docet *Scriptura ac recta ratio.*

Scriptura quidem, dum ait, *Deum operari omnia in omnibus*, 1.Cor. XII, 6. sicut & Christus inquit: *Pater meus usq; nunc operatur & ego operor*, Joh. V, 17. Et Paulus: *In ipso* (Deo) *vivimus, movemur & sumus* Act. XVII, 28. Non igitur solùm esse nostrum, sed etiam vivere nostrum, & moveri nostrum ab ipso & per ipsum est. *Quod si hoc opus suum* (hunc suum concursum) *rebus subtraxerit, nec vivemus nec movebimur nec erimus*, dicente Augustino l.IV. de Gen. ad lit. c. 12. Omnis itaque vitalis actio, omne quod per motum in nobis fit, aut ipsi agimus, à Deo est. Atque hinc Scriptura passim operationes causarum secundarum Deo autori tribuit, ut ostendat, eas principalius à Deo, quam à causis secundis proficisci. Sic sanè *ipsa natura opera Deo adscribuntur*, ut e.g. astrorum motus, Job. XXXVIII, 31. 32. germinatio herbarum, Ps. CIV, 14. Matth. VI, 30. formatio hominis in utero materno, Job. X, 8. 10. productio pluviarum, Job. V, 10. Jer. V, 24. XIV, 22. tonitruum & fulgurum, Job. XXXVIII, 25. Jer. X, 13. Nec minùs *hominum actiones in Deum autorem referuntur. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, inquit Esaias c. XXVI, 12. qui aliàs etiam hominem facit comparatione Dei tanquam securim comparatione artificis.

cis, c. X, 15. *Publicæ item calamitates*, quæ causas habent naturales, ut sunt sterilitas, pestes, inundationes &c. *Imò & corda dicitur inclinare, quò vult*, Prov. XXI. 1. Ita ergo Concursus & Cooperatio Divina ex Scripturis ostenditur.

Idem ratio docet. Quia enim Deo non agente tollitur esse creaturarum, ut priore membro probatum est: Ergò & actio earundem tolletur per solum non-concursum sive cessationem influxus Divini. Et qui non cessent causæ inferiores cessante superiore? Sic ignis Babylonicus ideò non ussit, quia Deus concursum suum denegavit. Erat profectò ignis iste potentia urendi naturaliter præditus: quod verò actu tum non usserit, in causa fuit cessatio concursus Divini. Sic & tempore passionis Christi Sol non luxit, ideò, quia Deus influxum suum subtraxit. Et Luc. IV, 30. *ipse* Christus *cum transisset per medium eorum* (Judæorum, qui in Synagoga congregati fuerant) *profectus est*, quò voluit, ita sc. ut eum Judæi non viderent, Deo nempe concursum suum denegante vel Christi corpori, ne diffunderet speciem sui, vel oculis Judæorum, ne viderent eum.

Dices: Si Deus cum creaturis concurrit ad earum actiones, concurret vel mediatè vel immediatè. Non immediatè: influit enim (ex hypothesi) cum creaturis, ita, ut Deus & creaturæ simul agant. Neq; mediatè: quia cum Deus rebus omnibus sit præsentissimus, non indiget medio quodam (quocunque id nomine veniat) per quod in aliud agat, sed per se immediatè potest effectum attingere. Resp. *Omninò Deum immediatè influere in singulas creaturarum actiones, & quidem immediatione, ut vocant, cum suppositi, tum virtutis*. Suppositi; quia Deus essentiâ suâ omnibus rebus intimè præsens est, nec inter ipsum & actionem, ut est ab ipso, mediat aliud suppositum, à quo actio immediatius proficiscatur. Virtutis; quoniam virtute quoque ac potentia sua ad cujusvis actionis & effectûs esse proximè pertingit. Vnde hac ratione dicitur Deus *esse in omnibus per essentiam & potentiam*. Nec valet objectio: Deus unà cum creaturis influit: ergò non immediatè. Sicut enim agere immediatè immediatione virtutis, non excludit virtutem agendi subordinatam in causis secundis: ita nec agere immediatè immediatione suppositi, excludit suppositum agens subordinatum. Alioqui, quantum ad prius, Deus rarissimè ad actiones creaturarum, nec ad aliam ferè, nisi ad generationem hominis complendam, concurreret immediatione virtutis, in producenda nimirum anima, cujus productionem, nulla concurrente causa secunda, per solam Divinam virtutem fieri, superiùs evictum est. Quantum ad posterius, consequens esset,

Deus concurrit ad actiones creaturarũ immediatione virtutis & suppositi.

esset, si duæ lucernæ idem lumen producant, neutram agere immediatione suppositi; quod in Philosophia non admittitur.

Quocirca manet hoc, quod Deus immediatè cooperetur actionibus creaturarum. Et propter hunc concursum immediatum primæ causæ ad actiones & effecta secundæ, *una censetur actio utriusq;*: quia nim. concursus ille intimè ac per se includitur in ipsa actione creaturæ, & per se ac immediatè tendit ad eundem terminum, ad quem tendit actio creaturæ; *licet interim diversa sint utriusq; actionis principia & ordine naturæ una præcedat aliam.* Sic v. g. dum homo scribit, concurrit Deus. Hîc natura Divina & natura humana sunt diversa principia: actio tamen una est; nam eadem numero scriptio est, quam homo perficit, & ad quam Deus concurrit. Isto quippe concursu suo non producit Deus novam actionem, sed promovet scriptionem hominis. Dei igitur ac hominis unus idemque est terminus & effectus productus, adeoque una utriusque reputatur actio, quæ, ut est ab homine, dicitur Scriptio: ut verò est à Deo, dicitur Concursus generalis intimè in actione hominis inclusus. Prout tamen ille concursus ab homine ceu causa secunda determinatur ad scriptionem, etiam scriptio dici potest, homine pro libertate sua hunc sibi potiùs concursum exigente quam alium. Et hæc de Motione sive Cooperatione Divina.

II. Directio rerũ in suos fines.

Superest Directio rerum in suos fines, quæ cum Motione cohæret & potissimam Providentiæ rationem habet, qua fit, ut motus creaturarum ad certum finem à Deo præstitutum decurrat. Vbi supponimus ex 2. Phys. Arist. c. 5. *universam naturam rerum propter finem agere.* Eum verò cum non intelligant omnia agentia, ut e. g. vegetabilia & inanimata, utique à superiore intellectu ad eum diriguntur, sicut sagitta ad scopum emissa. Vel si omninò percipiant finem, saltem materialiter, sub ratione boni & convenientis, ut animantia bruta, v. g. cervus, qui ex siti ad frigidam aquam fertur, aut planè etiam formaliter præcognoscant finem sub ratione finis, ut homo; à supremo nihilominùs agente, quod est Deus, ad finem illum obtinendum diriguntur, & ab ipso media quoque consequendo fini facientia accipiunt.

Omnia, licet dispari gradu, Divinæ gubernationi subjacent.

Sicque adeo *præter Deum omnia subjiciuntur gubernationi* ipsius, qua rebus providet de mediis, quibus ad fines quæque suos perducantur. Solus Deus ejusque perfectiones & actus interni eximuntur ab objecto hujus Providentiæ. Sicut enim Deus ipse, & quicquid in Deo est, nullum habet finem, ad quem ordinetur: ita nec est capax ordinationis passivæ ad finem, qualis ad Providentiam pertinet. Vno igitur Deo excepto, reliqua omnia, quæ per creationem obtinent veram ac positivam essentiam, sunt Divinæ Providentiæ, sigillatim cuilibet media

dia in ordine ad ſuum finem procurantis, objecta: *ſic tamen, ut diſtincti inter hæc ipſa dentur gradus, ac potiore ratione provideatur uni quam alteri.*

Subjacent nempe (1.) generatim Divinæ Providentiæ omnes res à Deo creatæ: (2.) magis vero propriè ſubſtantiæ creatæ: (3.) propriiſſimè ſubſtantiæ intelligentes; (4.) excellentiſſimè homines juſti & electi. Probatur & declaratur quoad ſingulas partes.

Prima quidem probatur: quia providere alicui generatim nihil aliud eſt, quam illud, juxta conditionem & capacitatem ſuæ naturæ dirigere in ſuũ finem. At verò omnis res creata hoc ipſo, quod certum ſibi finem à Deo vel natura præfixum habet, eſt capax directionis ſeu ordinationis paſſivæ in finem, in quem etiam reipſa à Deo dirigitur. Ergò generatim loquendo rebus creatis omnibus hoc pacto providetur à Deo. Præclarè in hanc rem liber Sapientiæ, VI, 8. *Parvum & magnum ipſe fecit*, ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων *& pariter providentiam habet de omnibus.* Ac iterum inferius XII, 13. *Non eſt Deus præter te, cui curæ ſunt omnia.* Confer. Pſ. XXXVI, 7. CIV, 25. 27. CXLVII, 8. 9. Matth. VI, 26. 28. 30.

Secunda pars probatur: quia accidentia uti per ſe non habent eſſe, ita per ſe etiam non habent finem à ſubſtantiis, ad quas ordinantur, diverſum, qui per Providentiam illis procuretur: ſed ipſa potius velut media procurantur vel conferuntur ſubſtantiis, in ordine ad ſuum finem.

Tertia pars ſumitur ex illo Chriſti Matth. VI, 26. *Pater veſter cœleſtis alit* volucres: *nonne vos multò præſtatis eis?* quod diſcipulis non quà talibus, ſed quà hominibus dictum cenſeri debet. Cui convenit illud ejusdem Servatoris, Matth. X, 29. ſeqq. *Nonne duo paſſerculi aſſario væneunt? &c. Ne igitur timete, Vos multis paſſerculis præſtatis.* Vnde & Apoſtolus 1. Cor. IX, 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* tanta ſc. ac talis, quanta & qualis eſt de hominibus. Ratio eſt: quia providere alicui, ſtrictè eſt, in proprium alicujus commodum propria voluntate utendum aut fruendum aliquid alicui procurare; ſeu quod idem eſt, dirigere in finem propria voluntate aquirendum: quod ſolùm convenit habentibus dominium ſui actus & capacibus culpæ ac pœnæ ſeu virtutis & præmii, ut rectè notavit S. Thomas p. 1. q. 22. a. 2. ad 5. Providere alicui, ſtrictè quid ſit?

Quarta pars ſumitur ex illo Rom. VIII, 28. *Diligentibus Deum omnia conferunt ad bonum* Ac benè rurſum declaratur à Thoma l. d. ad 4. *Hominum*, ait, *juſtorum quodam excellentiore modo Deus habet providentiam quam impiorum, in quantum non permittit contra eos evenire*

nire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum. Id quod de Electis intelligendum est. Huc refer illud quoque Pauli I. ad Timotheum IV, 10. *Deus est Servator omnium hominum* (quibus ubertim benefacit, Act. XVII, 28. etiamsi mali sint, Matth. V, 45. Act. XIV, 17.) *maximè verò fidelium*, (quos ad finem fidei, quantum in se est, perducit, salutem nempe animarum, 1. Petr. I, 9.)

Omnes ergò res creatæ, dispari licet gradu, subsunt Providentiæ Divinæ, quatenus hæc, definiente Thoma, est ratio ordinis rerum in finem. Cum enim ex dictis constet, omne agens agere propter finem, necesse est, ut *non minùs latè se extendat ordinatio rerum in finem, quam causalitas ipsius primi agentis: hæc autem extendit se ad omnia & singula creata:* Ergò & illa.

Quare nec *monstra & defectus naturales cæteri aut quæcunq; casu & fortuitò accidunt* objectum excedunt Divinæ Providentiæ: quia, ut dixi, Providentia Dei ad omnia porrigitur, ad quæ pertingit actio ipsius: hæc verò concurrit ad omnia creata, etiam ad ipsa monstra progignenda: quandoquidem Deus, saltem communi concursu, applicat causas oppositas, quarum interventu monstra generantur & easdem proposito suæ voluntatis moderatur; quod nemo in dubium vocaverit. Et licet fortean necesse non sit, asserere, omnes ejusmodi defectus naturales esse à Divina Providentia intentos: satis namque videri possit, omnes in particulari esse prævisos & ob debitum finem permissos; negari tamen non potest, *aliquos etiam particulatim à Deo nonnunquam esse directè intentos ac procuratos*, uti Scriptura docet Sap. IV, 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut dolus deciperet animum ipsius.* Sic. Joh. IX, 3. *natus esse cæcus* dicitur, *ut manifestentur opera Dei in illo.* Et in eundem sensum Sir. XI, 14. generatim dicitur: *Bona & mala, vita & mors, paupertas divitiæq; sunt à Domino.*

Ac consentientibus omnibus, utut aliquid casuale & fortuitum esse possit respectu causæ particularis, eò quod hæc ad certum tantùm aliquem & particularem effectum feratur, qui præter ejus intentionem ab alia causa particulari potest impediri; *respectu tamen Dei nihil potest esse fortuitum, nec æternam ejus præscientiam, dispositionem & ordinem ulla causa particularis potest impedire vel subterfugere.* Omnia igitur, etiam casu & fortuito contingentia, sunt à Deo provisa. Annon casuale, quod *securis fugiens de manubrio lignatoris occidit transeuntem?* & dicitur tamen *Deus* hoc modo interemtos *objecisse manibus percussorum*, Exod. XXI, 13. Deut. XIX, 5. Annon fortuitum, quod *sors projicitur in sinum*? & tamen *à Jehova* est *judicium ejus*, Prov. XVI, 33. Ita nec *venationis* eventus ab objecto Providentiæ excipitur, ut videre

Respectu Dei nihil est fortuitum.

est Gen. XXVII, 20. Imò ne *capillus* quidem de capite nostro in terram fortuitò aut casu decidit respectu Divinæ Providentiæ, cum & hos Deus numerarit Matth. X, 29. Luc. XXI, 18. Vix ullum autem insignius in hanc rem exemplum extat mirabili illa *exaltatione Josephi in Ægypto*: quæ planè equidem fortuita erat respectu fratrum Josephi mercatoribus eum divendentium: nihil enim minus animo volvebant, quàm illius sublimationem, quem modis omnibus deprimere tentabant, ac ob id peregrinis vænum exposuerant. At enim respectu Dei ab æterno erat decreta, & in tempore ministerio malevolorum fratrum procurata, inque eum finem directa, ut & Patri & fratribus aliquando benè faceret Josephus: quod ipse affirmat, dicens: *Nequaquam vos estis, qui misistis me huc, sed Deus*, Gen. XLV, 8. Confer. L, 20. En notabile exemplum fortunæ, respectu hominum, & providæ gubernationis, respectu Dei! Eundem itaque eventum, qui causæ particulari est fortuitus, causæ universali esse provisum, nil prohibet: cum *& in humanis tale quid de facili contingat*, si v. g. herus plures ab se famulos ignaros consilii ad unum locum ablegarit ita, ut in via sibi invicem occurrere necesse habeant, iste occursus, etsi sit fortuitus respectu servorum, est tamen provisus à Domino.

Vbi statim etiam obiter notetur, quomodo appellatione Fortunæ nobis Christianis utendum sit: Sæpius allegatur illud S. Augustini 1. Retract. 1. *Non mihi placet, toties me appellasse Fortunam — cum videam homines habere in pessima consuetudine, & ubi dici debet, Hoc Deus voluit, dicere, Hoc voluit Fortuna.* Sanè si Fortunæ nomine intelligatur *Numen cæcum & Dea volubilis, eventuum humanorum procuratrix*, plerasque res ex libidine sua agitans, quo pacto à Gentilibus ipsi olim cultus fuit exhibitus, merito Fortunam detestamur Christiani, ipsumque adeò nomen cum Augustino facimus missum, cum sciamus, moderatricem omnium, quæ mortalibus insperata obveniunt, non esse Deam cœcam, qualis Fortuna credita est gentibus, sed oculatissimam Dei Providentiam. Interim si ad mentem Aristotelis II. Phys. c. V, t. 52. *Fortunam* dicas *causam per accidens in iis, quæ cum electione operantur*, sive, quod eodem recidit, *actionem hominis voluntariam, quam effectus sequitur, qui non est ex intentione agentis*, ut, si fodiens terram inveniat thesaurum, hoc modo dari ac rectè nominari Fortunam inter medios Christianos, nemo temerè negabit.

An, & quomodo appellatione Fortunæ Christianis utendum?

Cæterùm non frustrà dictum à nobis est, *omnes res creatas* subdi providentiæ ac ordinationi Divinæ. Nempe hoc ipso *excluduntur mala culpæ sive peccata*, quæ quia non sunt creaturæ & effectus Dei (Si namque essent effectus Dei, tum vel essent fines ab ipso intenti, vel media

Peccata propriè & per se non sunt objectum Divinæ Providentiæ.

 dia

dia præparata ad fines obtinendos : at neutrum horum ſunt) ideoque nec ſub Providentiam Divinam propriè & per ſe cadunt. *Aliquo tamen modo & impropriè poſſunt objectis Providentiæ accenſeri* , etſi non tanquam effectus , attamen tanquam terminus impediendus vel deſtruendus per Divinam Providentiam, vel tanquam materia , circa quam & cujus occaſione aliquid faciendum ordinat Deus, veluti pœnitentiam agendam aut juſtam pœnam ſubeundam. Iſtæ pœnæ peccatorum, ut eveniant ita, ordinantur & providentur â Deo, nullatenus verò ipſa peccata. Huc itaq; ſpectat communiſſima diſtinctio inter mala culpæ & mala pœnæ. De utroque malo ſimul dicitur Jer. XVIII, 8. *Si converſa fuerit gens à malo ſuo* (nempe culpæ) *de quo locutus ſum adverſus illam*; *pœnitebit me quoq; ejus mali* (nempe pœnæ) *quod cogitaveram infligere illi.* De malo culpæ ſeorſum dicitur Pſ. XXXIV, 15. *Recede à malo & fac bonum* De malo pœnæ ſeorſum Amos III, 6. *Non eſt malum in civitate, quod Jehova non efficiat.* Mala igitur pœnæ, aſſerente ipſa Scriptura, ſunt efficienter à Deo, atque adeò *non prævidentur tantùm, ſed & providentur ac procurantur ab ipſo, modò ut fines, modò ut media ad finem*, imò ſunt inter præcipua Divinæ Providentiæ atque juſtitiæ argumenta. *Mala verò culpæ ſive peccata, quatenus talia, hoc ipſo, quod Deus ea non efficit*, uti ſeq. Aphoriſmo oſtendemus, *ab ipſo proviſa eſſe dici nequeunt, licet præviſa ſint :* quia ſimpliciter proviſum eſſe denotat aliquem effectum Divinæ voluntatis & Providentiæ. Circa illa quidem, & de illis, providere quippiam Deus haud incommode dicetur ; ſed non illa abſolutè providere ; licet utique permiſſionem illorum Deus provideat.

Mala culpæ & Mala pœnæ.

Sed & hoc diximus, *Deum in rebus creatis gubernandis & ordinandis rationem habere mediorum* h. e. rebus providere per certa media, nempe mediantibus cauſis ſecundis. Non autem hoc facit propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis , ut dignitatem cauſandi etiam creaturis communicet. Hinc inferiora gubernat per ſuperiora, ut experientiâ conſtat. Ac *interdum* quidem *mediis in operando utitur, quæ bona ſunt*, ut cum per Angelum bonum educit Lothum ex Sodoma, cohibet Bileamum maledicturum in via, occidit exercitum Aſſyriorum, liberat Petrum ex carcere , Gen. XIX. Num. XXII. Eſa. XXXVII. Act. VIII. *Aliquando verò etiam per inſtrumenta mala & peccantia* , juſta & ſancta ſua opera & judicia exſequitur. Ita Joſephum per fratres peccantes & per Midianitas miſit in Ægyptum Gen. XLV, 8. per Bileamum benedixit Iſraëlitis, Num. XXIII, 8. flexit Ægyptiorum animos, ut commodarent Iſraëlitis vaſa precioſa. Ex. XI, 2, 3. per Pſeudoprophetas tentavit populum, Deut. XIII, 3.

Deus rebus providet per certa media.

per

per reliquias Chananæorum probavit & ad rem militarem exercuit Israëlitas, Jud. II, 22. III, 1. Saulum exagitavit per spiritum malum, 1. Sam. XVI, 14. per Absolonem, & per maledicta Simei, castigavit Davidem, 2. Sam. XV, 25. XVI, 10. Salomonem per Jeroboamum seditiosum, 1. Reg. XI, 11. 35. stolidum Roboamum per populum deficientem, 1. Reg. XII, 16. Jobum exploravit per Satanam & Chaldæos, Job. I, & II. transtulit Judam & Jerusalem per manus Nebucadnezaris, 2. Reg. XXIV, 2. & sic deinceps. *Jam contingere potest, ut una & eadem res, v. g. Angelus aut animal, simul & subjectum sit Providentiæ, cui nimirum à Deo pro conditione suæ naturæ in ordine ad suum finem providetur, & terminus, qui alteri cuidam rei, puta homini, in ordine ad suum finem, velut medium providetur.* Qua verò ratione Deus causis mediis in gubernando usus, nihilominùs immediatè tam suppositi quam virtutis ratione omnia peragat, etsi ex ante dictis liquere possit, denuò tamen id h. l. & explicatiùs tradere quid vetat? Enimverò non sic mediis causis Deus utitur, ut eas saltem dirigat & applicet ad agendum, sicut Imperator hostem fundit per exercitum, quem dirigit, unde ipsi postea victoria adscribitur, etiamsi manus nulli hostium intulerit: sed ita, ut ipse effectus omnes causarum secundarum attingat immediatè, uti jam supra expositum est, licet non solus id faciat, sed cum alia subordinata causa, quam secum assumit ad efficienda, quæ ipse solus posset efficere. *Dicitur* ergò *per medias causas aliquid operari, quia non agit solus, sed in consortium adhibet causas secundas. Ac interim etiam immediatè omnia operari dicitur, quia ipse non minus, ac quælibet causa secunda, omnes effectus immediatè attingit tam suppositi præsentia quàm agendi virtute, in tantum, ut ratione termini una sit ipsius actio & causæ subordinatæ.* p. 247.

Porrò quod diximus, res singulas divinitùs gubernari juxta exigentiam & conditionem suæ naturæ, id omninò etiam attentiore cura considerandum est. Licet enim fateri oporteat, Dei voluntatem & Providentiam tantæ virtutis & efficaciæ esse, ut ei nulla potentia & libertas creata resistere possit; omnes tamen *causas, cum quibus agit, suaviter movet, & juxta cujusq; naturam aut necessariò aut liberè concurrit.* Prout nempe causæ proximæ sese habent, ita Deus cum illis & per eas aliquid agit. Hinc quædam necessariò eveniunt & naturaliter, quædam liberè & contingenter, juxta indolem causæ proximæ, à qua res habet esse determinatum tale vel tale. Aliter ergò cum igne Deus concurrit, ita scil. ut appositam materiam combustibilem necessariò absumat necessitate Physica, itemque cum Sole, ut eadem necessitate continuò moveatur; aliter cum homine, ut contingenter videlicet & liberè

Res singulæ divinitùs gubernantur, juxta exigentiam & conditionem suæ naturæ.

liberè ambulet, scribat, doceat. Vtrobique eum in concurrendo modum Deus tenet, qui naturæ agentium particularium conveniens est, non necessitando causas liberas, nec necessarias & physicè agentes inhibendo, quò minùs ad finem sibi connaturalem ferantur ordinariè. *Ordinariè*, inquam. Si enim extraordinariè agere Deo visum sit, potest naturæ metas suo arbitrio transgredi, &, quæ supra naturam sunt, perficere. Quippe *necessitas Physica non est absoluta*, sed, ut tota rerum natura dependet à prima causa, ita & ordo causarum & effectuum naturalium physicè necessarius. Hinc dicimus communiter, Deum non esse alligatum causis secundis: quin potiùs quæcunque causarum naturalium necessitas est, ea subjacet potentiæ Divinæ, & ad ejus nutum immutari potest. Eo jubente *Sol subsistit*, Jos. X, 13. *& regreditur*, Esa. XXXVIII, 8. *ignis non urit*, Dan. III, 94. *aër instar columnæ, aqua instar muri* consistit, Exod. XIII, 21. XIV, 22. *terra dehiscit*, Num. XVI, 31: *ferrum in aquis supernatat*, 2. Reg. VI, 6. adeoque cœlum, elementa aliaque naturalia omnia ejus subdita sunt potenti imperio, *Vnde oriuntur opera Divina magna & insolita, quæ miracula dicimus*, de quibus vide Ps. LXXII, 18. LXXVII, 15. CXXXVI, 4. Hæc verò cum extra ordinem fiant, qui in natura institutus est, idcircò agentium naturalium necessitatem, quam in se habent, seu Fatum Physicum non tollunt: sicut nec agentibus liberis & indeterminatis necessitatem, quam non habent, inducit Fatum Christianum.

Fatum Physicum.

Quid hi sibi termini velint, paulò uberiùs explicandum est. Fatum Physicum, definientibus Physicorum filiis, est aliud nihil quam natura, cumque hac retrocommeat, ut planè termini videantur convertibiles, Fatum & Natura, sive causæ puræ naturales certæ ac definitæ, quæ intrinsecam necessitatem habent, per quam effectus naturales producunt, nisi ab agente extrinseco impediantur. Jam non tolli Physicum hoc Fatum per effectus extraordinarios hyperphysicos, facilè patet: Manet enim *intrinseca necessitas* Physica in causis naturalibus finitis v.g. in Sole, ut moveatur, in Igne, ut urat, licet causæ illæ contingentiam interdum subeant respectu principii extrinseci, sive causæ primæ & infinitæ, quæ est DEVS.

Christianum.

Fatum Christianum, definiente Boëtio l. 4. prosa 6. de Consol. est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus. Hoc fatum causaliter quidem est ipsa Divina Providentia & *ordinatio*: at verò formaliter est dispositio passiva, sive series & *ordo* causarum in causis secundis existens, ex ordinatione consilioque Dei. Et quod diximus, hoc fatum Christianum nil obstare rerum contingentiæ aut voluntariorum agentium libertati, facilè

itidem patet: quandoquidem per Providentiam Divinam agentia ſingula ſuaviter moventur, juxta capacitatem naturæ ſuæ; neceſſaria quidem neceſſariò & determinatè, cauſæ verò liberæ & contingentes ſuo etiam modo, qui libertati conveniat. Scitum eſt illud Auguſtini: *Sic adminiſtrat omnia, quæ creavit Deus, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* VII. de C. D. c. 30.

E contrario itaque *repudiamus Fatum Aſtrologicum*, acceptum pro certa illa diſpoſitione ſiderum, in qua quisque conceptus eſt vel natus, quo ſato hominem quemvis in ſingulari ad omnia effecta & eventa neceſſariò trahi exiſtimabant Chaldæorum Magi: nec non *Fatum Stoicum*, quod fingebatur eſſe connexio omnium cauſarum, tam primæ quam ſecundarum, & effectuum ſimpliciter immutabilis, cujus hæc ſit vis, ut neque ſecundæ cauſæ aliter agere poſſint quam agunt, nec prima aliter quam ſecundæ. Adeò prorſus **Aſtrologicum.** **Stoicum.**

Nec ſanctum Numen fati protollere fines
Poſſe, neq; adverſus naturæ fœdera niti, eſt, qui pronunciat apud Agell. l. VI. c. 2.

Ille ipſe omnium Conditor ac Rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel juſſit, inquit Seneca de Provid. c. 5. Si Aſtrologis itaque & Stoicis credimus, tam prima quam ſecundæ cauſæ, ac Divina pariter & humana voluntas, neceſſitatis vinculis inextricabilibus conſtrictæ tenentur. Quantò rectiùs nos edocti, Deum noſtrum omnem cauſarum ac rerum curſum interrumpere, ſiſtere & mutare liberrimè, quando velit, poſſe, pronunciamus juxta elegans illud Melanchthonis:

Non Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus.
Ille poteſt Solis currus inhibere volantes,
Ille velut ſcopulos flumina ſtare facit.

Ad noſtras voluntates quod attinet, ineſt etiam iis indifferentia & libertas ſuâ naturâ. *Aſtra quidem inclinant voluntatem, at non neceſſitant.* Igitur ſecundùm Poëtam *Sapiens dominabitur aſtris.* Id ſaltem hîc, ut paucis tangam, difficultatem adhuc habere videtur, quod non movetur noſtra voluntas, niſi mota à primo movente, quod eſt Deus. Vnde videri poſſit, neceſſariò moveri, non liberè. Cæterum ſi cogitetur, *motum illum Dei non eſſe prævium ac phyſicè prædeterminantem, ſicut baculus in altum vibrandus influxum prævium recipit ab homine, diſtinctum à motu baculi, ſed ſimultaneum eſſe*, per quem videl. adjuvetur & in ratione agentis conſtituatur voluntas in actu ſecundo, ita ut, cum liberè ſeſe ipſa movet & determinat, ſimul intimè cum tali determi-

terminatione generaliter concurrat Deus, expirabit ſtatim quicquid apparebat difficultatis.

De vitæ termino.

Maxima verò ſupereſt circa vitæ terminum, de quo, fatalis ſit an mobilis, ſpinosè diſceptatur inter multos, integris etiam voluminibus editis. Nobis brevitati litantibus primùm in re hac intricata abſtinendum vel ſolummodò parciùs utendum videtur voce Fati, quæ, cum ſit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, veluti oſtenſum eſt, ambiguitates parere facillimè poteſt. Deinde rem ipſam quod ſpectat, id ex certis conſtat Scripturis, terminum vitæ cujusque hominis & modum mortis humanæ, ſive is naturalis ſit ex ſucceſſivo virium deliquio oriundus Gen. XXV, 8. XXXV, 29. 2. Paral. XXIV, 15. ſive violentus Luc. XIII, 4 à Deo infallibiliter ab omni æternitate præſciri, Pſ. CXXXIX, 16. Illa verò præſcientia non infert rebus fatalem, quam vocant, neceſſitatem, ut aliter alióve tempore hominem mori ſimpliciter impoſſibile ſit. Hoc namque pacto omnes piorum preces, quibus longævitatem ſibi & aliis exoptant, Pſ. XXI, 5. CII, 2. Jac. V, 14. 15. omnes porrò Dei promiſſiones de prorogatione, Exod. XXIII, 26. Prov. III, 2. Eph. VI, 3. & comminationes de inciſione termini vitalis, 1. Sam. II, 31. 32. Prov. X, 27. Pſ. LV, 24. omnes denique Medicorum conatus, quibus in ſanitatem ægrotis reſtituendam incumbunt, quorum adminiculo uti jubemur Sir. XXXVIII, 1. 4. 12. de nihilo forent, & qui violentas ſibimet ipſis manus inferunt, aut juſta Magiſtratuum animadverſione è medio tolluntur, dicendi eſſent ad id ab ipſo Deo deſtinati, qui hunc ipſis terminum præfixerit irrevocabili decreto, quod adimpleri in defectu cauſarum aliarum mortis vel SIC oportuerit: quæ omnia ἄτοπα ſunt, & à Scripturis rectaque ratione aliena. Intelligenda igitur eſt præſcientia Divina cum incluſione cauſarum ſecundarum, ſæpiuſculè mortem remorantium aut accelerantium. Certum ſiquidem eſt, multos naturaliter in longam ſenectam victuros crapula, libidine, iracundia, ἀυτοχειρία, latrociniis aliisque ſceleribus in cauſa eſſe, ut naturalem vitæ terminum non attingant, imò ut hoc potiùs quàm alio mortis genere abripiantur. Nec minùs id certum eſt, naturale aliquod vitium mortem maturiorem, ſi relictum fuerit, illaturum, poſſe nonnunquam accuratiore diæta & corporis cura caſtigari, ne vires ſuas niſi lentè exſerat: imò verò morbos etiam lethales adhibita medicina perfrequenter tolli compertum eſt, qui, ſi Medicorum ope deſtitutus fuiſſes, te indubiè oppreſſiſſent. Atque adeò vitæ periodus, quæ unicuique eſt ſecundùm naturam, quam ſcil. ſua cujusque natura non impedita fuiſſet impletura, & extrahi & decurtari poteſt,

test, ac utrumque horum est haud rarò penes hominem. Hîc verò non patiuntur nos acquiescere Calvini sectatores, ex quorum sententia terminus vivendi necessarius cuilibet nostrûm, secundùm dispositionem Dei, est præfinitus. Atque eò allegant verba Hiobi c. XIV, 5. *Breves sunt dies hominis, numerus mensium ejus apud Deum, ille ejus terminos constituit, qui præteriri non possunt.* Verùm priora verba: *Numerus mensium ejus apud Deum*, maximè respiciunt ad præscientiam Divinam, juxta quam in numerato habet Deus terminos futuræ vitæ & mortis singulorum hominum: quæ præscientia non excludit causas secundas, ad extendendam aut corripiendam vitæ metam in hoc & illo subjecto contingenter se habentes. Posteriora, *Ille ejus terminos constituit, qui præteriri non possunt*, non præcisè certum & determinatum diem unicuilibet à Deo lege adamantina præstitutum innuunt, sed indefinitè tempus mortis sive aliquem vitæ terminum cuilibet imminere ostendunt: qui sensus etiam est verborum Siracidis: *Vita cujusq; numero dierum est definita*, c. XXXVII, 28. i. e. Non infiniti sunt & interminabiles dies nostri, mors neminem præterit, Sir. XIV, 8. Ebr. IX, 27. quocunque tandem tempore & modo obveniat.

Nihilominus multis hominum, licet non sigillatim cuilibet, esse ...mpiam vitæ suæ terminum constitutum absoluto Dei consilio & ...inatione, fatendum est. Evincitur exemplo Hiskiæ, cui, quan... ferebant causæ naturales & vis morbi, qui ipsum affligebat, pau... ...ost Sennacheribum ab Angelo profligatum, moriendum erat in ipsa ...is ἀκμῇ: at extraordinario Divino beneficio vita ipsi in annos ... prolongata legitur Esa. XXXVIII, 5. Simile quid de se ipso Paulus ...rat 2. Cor. I, 8. seqq. Obtendi posset, intercessisse aliquid etiam ...rte Hiskiæ, nempe preces ad Deum fusas. Veruntamen preces ...uerunt saltem causa sine qua non longioris vitæ. Quod interim ...s illas quoad hoc individuum habuit ratas, & ad eas tot præcisè an...m adjectio Hiskiæ facta est, id singularis erat & absoluti benepla... Divini: cui tribuendum etiam, quod aliis nonnullis vita abbrevia...a Deo, Esa. LVII, 2. Sap. II, 7. Ex quibus jam tandem cuivis, quid ...ta re statui debeat, promtum est colligere. Nempe dividenda est ...ntia, & ita habendum: *nec omnem, nec nullum vitæ nostræ termi...ı esse absolutè à Deo sic prædefinitum*, sed huic quidem mobilem con...gere, alteri fatalem, ut vocant, & loco moveri nescium.

Et hactenus, quibus mediis Deus in directione rerum utatur, ac ...modo causis mediis, secundùm cujusque earum propensionem, na...alem suum influxum præbeat, docuimus.

Fines, ad quos res divinitùs diriguntur, duplices.

Supereſt, ut Fines, ad quos per certa media res diriguntur divinitùs, excutiamus. Sunt autem fines alii *particulares & intermedii*, bonum ſcil. cujusque creaturæ, ſeu naturale ſeu ſupernaturale: alius *ultimus & univerſalis*, nempe manifeſtatio ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ, ſeu, ut verbo dicam, gloriæ Divinæ. *Prioribus illis fit, ut fruſtretur nonnunquam Providentia Divina: Hoc verò ultimò nunquam excidit, nec excidere poteſt.* Fruſtratio illa circa fines intermedios & bona particularia inde eſt, quia, licet Deus providendo ſemper aliqua media ex ſe ſufficientia ad finem omnibus offerat & exhibeat, tamen, quia non omninò vult liberum & contingentem agendi modum cauſis ſecundis adimere, ſed unicuique ſubvenire, prout fert ac capit ejus, quod ab ipſo regitur, naturæ indoles, hinc fit, ut finem, ad quem proximè tendit, reipſa non ſemper obtineat; *absq; tamen imperfectione ac ſcientiæ potentiæq; ſuæ imminutione:* cum fruſtratio illa non, ut inter homines fieri aſſolet, ex defectu proveniat, puta ignorantia & impotentia proviſoris, ſed ex mera libertate Divinæ voluntatis & ſuavitate Providentiæ ſummi gubernatoris: qua factum, ut cauſas contingentes & liberas rebus nonnullis præparaverit, quæ proinde res juxta conditionem cauſarum proximarum aliter, quàm ipſe velit, cadere poſſunt. Secus eſſet, ſi, ut Medicus quispiam imperitus, abſolutè & ſimpliciter Deus conſecutionem finis intenderet, quem ob impotentiam conſequi non poſſet. At verò *non ſemper abſolutè intendit conſecutionem finis* (quos enim fines etiam particulares ita intendit, eos ſemper aſſequitur: nam voluntati ejus, ſi ſit abſoluta, quis reſiſtat?) *ſed aliquando ſolùm conditionata, ac, ut vocant, ordinata voluntate*, quantum nim. in ſe eſt, & ſicubi libertas & contingentia cauſarum ſecundarum non obſtet. Hac conditionata voluntate Deus vult finem hominis ultimum & ſummum, ſalutem nempe æternam, ea nimirum lege & conditione, ſi ordini à ſe conſtitutò ſeſe ſubmittant h. e. pœnitentiam agant, in Chriſtum credant, & in fide per caritatem efficacē conſtanter ad finem usq; perſeverent. Quod cum plurimi non faciant, qui debebant id tamen, & per media huic fini facientia gratuitò, quantum opus erat, à Deo oblata poterant facere, hinc dicuntur *gratiam Dei fruſtrà accepiſſe* 2. Cor. VI, 1; ipſeq; adeò Deus fine, quem particulariter illis intenderat, fruſtratur & excidit. Suo verò ultimo & totius creaturæ generali nunquam, qui videlicet eſt manifeſtatio gloriæ Divinæ: quia, ſive peccata Deus impediat, ſive permittat, ſive remittat, & non tantùm cum bonos facit ac remunerat, ſed & cum malos tolerat aut punit, nec non quando utrisq; benefacit, ſive quicquid aliud agat, ſemper elucet Divinæ majeſtatis Potentia, Sapientia, Juſtitia, Bonitas, Miſericordia &c. Vnde

& gloria ipſius tam hominibus quam Angelis, quibus ea Divinæ Providentiæ ratio cognita eſt, magis ſemper ac magis pateſcit. Neque omninò fieri poteſt, ut peccatores, etiamſi velint, Divinæ voluntatis & Providentiæ ordinem effugiant: qui, dum peccando ſubtrahunt ſe à Divina voluntate præcipiente, incidunt in ordinem Divinæ voluntatis & Providentiæ punientem: *quamvis interim malit Deus cum ſalute quàm cum perditione hominum ſuum finem obtinere.* Ipſi, ex quo univerſa hujus & futuri ſeculi ſalus natura, benigniſſimo Proviſori debetur honor, benedictio, laus & majeſtas in ſempiternum!

APHORISMUS III.

pag. 324.

Eſt hæc vera & pia ſapientia, utraque manu & veriùs toto pectore tenenda, Deum non eſſe cauſam peccati, nec velle peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum, nec approbare peccatum, ſed verè & horribiliter iraſci peccato. — Sunt autem cauſa peccati voluntas diaboli & voluntas hominis, quæ averterunt ſe liberè ſua ſponte à Deo, nec volente, nec approbante illam averſionem.

INter objecta Divinæ Providentiæ propriè non habere locum peccata, eò quod non ſint creaturæ & effectus Dei, diximus in præcedd. Omnia quidem tam mala quam bona, tam parva quam magna, Dei Providentia reguntur, ita tamen, ut bona fiant non tantùm ſecundùm Providentiam, ſed etiam *ex Providentia* tanquam ex cauſa, h. e. Deo volente, præcipiente & efficiente: mala verò & peccata quà talia non ex Providentia, ſed ſolummodò *ſecundùm Providentiam* h. e. Deo non volente, nec mandante, nec efficiente, ſed permittente & ad fines optimos dirigente. Id ipſum autem, nempe peccata efficiente Deo non fieri, ſeu non eſſe effectum Dei, nec cauſam ſui efficientem habere Deum, enucleatiùs hìc proponi, res ipſa exigit. Hoc ita-

que ſine ſingula Aphoriſmi noſtri membra probabimus ordine e Scripturis.

Deus non eſt cauſa peccati.

I. Devm non eſſe cauſam peccati, probatur; quia, quæcunqu Deum cauſam & autorem habent, bona ſunt, juxta illud: *Vidit Deu cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Gen. I, 31. At peccatum ma lum eſt, ut per ſe patet. Igitur Deum autorem non habet. Imò cum omne malum, adeoque etiam peccatum defectus ſit formaliter, ac pe defectum & exorbitationem committatur, plane non habet ullam propriè loquendo cauſam efficientem, ſed tantùm deficientem. Atqui Deus, qui omnis recti menſura & regula eſt abſolutiſſima, deficere & exorbitare nequit. Ergò Deus etiam peccati cauſa eſſe nequit. Igitur ex Siracidis monito *ne dicas, propter Dominum abſum*, ſive, per Dominum factum eſt, ut deficerem, c. XV, 11. Idem docent S. Patres: Juſtinus Dial. cum Triphone; Baſil. Magnus peculiari Orat. quod Deus non ſit autor malorum; Auguſtinus libris tribus de Lib. arb.

Nec vult peccatum.

II. Devm non velle peccatum, expresè dicit Scriptura Pſ. V. 5 *Non Deus volens iniquitatem es tu.* Et patet ex ratione, quia Deu non poteſt id velle, quod ipſius naturæ contrarium eſt. At peccatum eſt contrarium naturæ Dei, quia peccatum eſt malitia, & Deus eſt ſumma bonitas. Ergò peccatum velle Deus nequit. Cujus voluntas cum perfectiſſima ſit, ideò maximè & unicè fertur in bonum & deteſtatur malum. Quò enim voluntas perfectior, eò ad bonum proclivior, & à malo magis aliena.

Nec incitat aut impellit ad pecandū.

III. Devm non incitare ac multò minùs impellere quempiam ad peccandum, docetur Jac. I, 13. *Nemo, cum tentatur, dicat, à Deo tentor: nam Deus tentari malis non poteſt, nec quenquam tentat.* Et 1. Cor. X, 13. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id, quod poteſtis &c.* Profectò qui non permittit nos tentari ſupra vires, multò minùs ipſe nos tentat aut impellit ad peccandum. Et, ſi Euſebium Cæſarienſem audimus l. 6. de præpar. Evang. c. 5. *Impius profectò judicabitur, imò verò peſſimus omnium, qui à Creatore univerſi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur.*

Nec approbat peccatum.

IV. Deum non approbare peccatum, ſed verè & horribiliter iraſci peccato, evincunt ſeqq. teſtimonia. Pſ. V, 6. *Non habitabit tecum malitia: neq; permanebunt injuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes, qui operam dant iniquitati.* Habacuc I, 13. *Purior es oculis, quam ut* (patienter) *aſpicias malum.* Sap. XIV, 9. *Odio eſt Deo impius & impietas ejus.* Sir. XV, ult. *Non præcepit cuiqu* [illegible]*, nec dedit cui-* [illegible] *cati, mors.* Et

cap.

cap. præc. II, 9. *Afflictio & angustia in omnem animam hominis perpetrantis malum.*

V. Causam peccati esse voluntatem diaboli & voluntatem hominis, itidem ex Scripturis manifestum est. De diabolo loquitur Christus ad Judæos Joh. VIII, 44. *Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio & in veritate non perstitit. Non enim est veritas in eo. Quotiescunq; loquitur mendacium, de suo* (benè notetur, *de suo*, sive *de proprio*) *loquitur, quia mendax est & mendacii pater.* Sic & 1. Joh. III, 8. dicitur: *Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam à principio diabolus peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei, ut destruat opera diaboli.* Ecce peccata sunt opera diaboli, & peccatores ex diabolo; Non ergò ex Deo. De voluntate hominum testatur Paulus Rom. V, 12. *Per unum hominem peccatum introiit in mundum.* Et Jacobus Ep. c I, 14. *Vnusquisq; tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas, postquam concepit, parit peccatum.* Nec non Christus Matth. XV, 19. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, maledicta. Hæc sunt, quæ polluunt hominem.* Atque ita hactenus Aphorismi nostri veritas probata est, quoad singula membra, ex apertissimis Scripturis.

Sed causa peccati est voluntas diaboli, & hominis.

Non defuerunt tamen inde ab antiquo hæretici, qui primariam peccati causam ingenti blasphemia in Deum ipsum referrent. Princeps hujus erroris ille ipse fuit, qui simpliciter primus fuisse dicitur omnium hæreticorum, *Simon* nempe *Magus.* Is enim, ut Vincentii Lerinensis verba è Commonitorio, quod adversus profanas vocum novitates scripsit, faciam mea, *autorem malorum i. e. scelerum, impietatum flagitiorumq; nostrorum ausus est dicere creatorem Deum.* Hunc sequuti *Cerdonistæ, Marcionistæ, Manichæi, Priscillianistæ, Albigenses* variis Seculis & in diversis regionibus scholas impietatis hujus aperuerunt. Hi non quidem Deum ipsum peccati causam profitebantur, sed duo tamen prima & æterna ac mutuò independentia rerum principia statuentes, & alteri eorum, tanquam realiter producenti, omnem quæ in peccatis est malitiam vindicantes, hoc ipso duos introducebant Deos, unum, qui sit summum bonum, alterum, qui è regione ipsi oppositus, summum sit malum, quem posteriorem modò diabolum, modo Hylen sive Materiam nominabant. Jam supra autem diximus, unde hic error, qui Manichæismi potissimùm nomine celebris est, profluxerit: *inde scilicet, quod putarentur nonnullæ res, quatenus res sunt, sive quoad naturam & essentiam suam realem & positivam, malæ esse,* sive, quod eodem recidit, malum formaliter & quà tale rem ac natu-

Hæreticorum sententia de causa peccati.

Vnde Manichæorũ error profluxerit?

ram esse positivam, adeoque non minùs ac bonum, ad causam primam & summam, quæ per se causa sit, reduci oportere: quod posterius sequebatur immediatè ex priori. Nam, quod asserebant Catholici, omnia quæ fecerit Deus bona esse, & omne quod bonum sit à Deo esse, id verò non negabant Manichæi: neque inficiabantur Catholici, quod asserebant Manichæi, omnia mala, quatenus mala sunt, à Deo non esse sed à diabolo. Istis igitur utrinque concessis *non aliunde orta inter ipsos est dissensio, quam quod Manichæi malo, ut tali, naturam & essentiam positivam tribuerent:* cum contrà statuerent Catholici, omnem rem & naturam, quà talem, intrinsecè & essentialiter bonam esse, malum autem formaliter & quà tale, rem sive naturam non esse, sed defectum & privationem alicujus, quod adesse oporteret. In forma Syllogistica res ad oculum ita habet: *Quicquid in se & formaliter malum est, id à Deo non est, sed à diabolo.* Hanc majorem asseverabant cum Catholici tum Manichæi. Subsumebant Manichæi: *Quædam natura seu res in se & formaliter mala est.* Hinc igitur necessariò inferebant: *Ergò quædam natura sive res à Deo non est, sed à diabolo.* Sanè ex præmissis hæc sequitur conclusio, quam pii omnes abominantur. At præmissarum altera, nempe Major, vera est & utrinque concessa. *Minor* itaque *controversa* manet, quam, ut Manichæi falsò affirmabant, ita rectè negabant Catholici. Ex quorum proinde doctrina non opus est, ut summum bonum, sic summum quoque statuere malum, à quo tanquam causa primâ proveniant mala, quippe quæ formaliter non sunt res & natura quæpiam, quam referri oporteat in causam primam ac summam, sed sunt defectus ac privatio in natura, quibus debetur non nisi proxima causa deficiens.

Obj. Posset hîc tamen objici: Contrariis effectibus positis, ut bono & malo, poni quoque debent contrariæ causæ, in quibus tandem perveniendum ad aliquam primam, aut progressus fiet in infinitum. Vt ergo boni, sic mali quoque dabitur summa causa, quæ sit summum malum.

Resp. I. *De causis particularibus id quidem concedi posse, quod contrariorum effectuum dentur causæ contrariæ;* Velle autem tot causas primas confingere, quot sunt contrarii effectus speciales, absurdissimum est. II. *Malum non tam contrariè quam privativè bono opponitur*, potiusq; defectus quam effectus est, & per consequens, ut antè diximus, causam non habet efficientem sed deficientem, non causam per se sed per accidens. Pulcrè hoc explicat Augustin. l. XII. de C.D. c. 7. *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namq; ab eo,*

quod

quod summè est, ad id, quod minùs est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Itaque III. in causis mali neque in infinitum, neque ad unum primum ac summum malum opus est procedere, sed omnia mala in aliquam rem bonam reduci possunt tanquam causam proximam, ex qua malum per accidens profluxit. Per se enim bonum causa mali non est, cùm opposita sese non gignant, sed tollant. Fit autem bonum causa mali per accidens, quando deviat & ab ordine convenienti præter intentionem (si nempe malum, quà malum, accipias) declinat. Accidit rei bonæ, ut, dum aliquid boni (seu verum sit, seu apparens) eligit vel agit, aliquod malum bono, quod spectatur, adjunctum eligat vel agat. Ista contra veteres hæreticos sunt observanda.

Nostro & superiore seculo periculosè hac de re sunt locuti Calviniani cum duce suo Calvino, quorum emblemata fuerunt, *Deum ad peccata prædestinasse reprobos, ordinasse decreto suo lapsum Adami, ejus impulsu hodieq; agere homines, quod non licet ipsis, quin & cogi ad peccandum, ipsam* denique *illam specialem actionem, quæ ab universali Dei motione distincta reperitur in unoquoq; facinorum, haud absurdum esse Deo assignari non minùs quam Satanæ & homini.* Vnde consequentia inevitabili sequitur, Deum esse autorem peccatorum, quæ à nobis fiunt: id quod tamen apertè profiteri vix ausi sunt etiam rigidissimi, qui inter ipsos erant, imò contrarium disertis verbis sunt testati non semel, fatente & propriis eorum sententiis confirmante Bellarmino, acerrimè aliàs in ipsos invecto, l. 2. de Amiss. gratiæ & statu pecc. c. 2. Inconstanter ergò sunt locuti & talia posuerunt, quorum unum everteret alterum. Verè ex recensitis assertionibus ipsorum sequitur illa blasphemia, quod Deus sit causa peccati, &, si conferantur illæ assertiones cum aliis ipsorum enunciatis, quibus strenuè negant Deum esse peccatorum autorem, oritur contradictio. Sed potest fieri, ut adversarius non apprehendat contradictionem illam, nec assequatur rationem, qua elicitnr ejusmodi blasphemia, adeoque ex proæresi blasphemus non sit. Vtut nimirum in re sit blasphemia & contradictio, in conceptu tamen Calvinistæ nulla neque consequentia est, quæ ad blasphemiam ducat, nec contradictio: *ideoq;*, ut ἐν ἀγάπῃ judicat D. Abrah. Calovius Metaph. Div. c. 5. de Verit. n. 6. p. 539. *ad contradictionem & blasphemiam adigi quidem potest, at non illicò contradictionis & blasphemiæ argui debet.*

Calvinianorum doctrina de causa peccati.

Multò autem minùs cum hodiernis acriùs dimicandum ea de re, qui pridem rigidam illam sententiam fecerunt missam, præsertim post Synodum Dordracenam, anno Seculi hujus XIIX. habitam. Fidem faciat vel unus Pareus, qui multorum instar esse potest. Is Disp. de Gubern.

bern. rerum formatarum sive Providentia Dei, anno XX. Heidelbergæ habita th. 36 planè orthodoxè: *Mala*, inquit, *culpæ seu peccata, quatenus talia, quia non habent rationem boni, Deus nec vult, nec probat, nec efficit, nec adjuvat, sed fieri à diabolis & hominibus sinit sive permittit, h. e. non impedit, quò minùs fiant, cum impedire posset.* Similia habentur in Dispp. Leydens. maximè XI. th. 20. seqq. & XIV. th. 24. ac vel potissimùm apud Sohnium, qui T. 2. Opp. Exeg. Aug. Conf. p. 657. seqq. in hac doctrina totus est noster. Idem Sohnius scripsit Synopsin totius Corporis Doctrinæ Philippi, Thesibus comprehensam, ubi hunc ipsum nostrum Aphorismum quoque verbotenus recenset & statuminat. Eidem Aphorismo ulterius stabiliendo afferemus dubia nonnulla & solvemus, quæ contra singula ejus membra possint fortè objici.

Obj. 1. I. Contra id, quod dicitur, Deum non esse causam peccati, hoc potest opponi: Qui est causa per accidens peccati, ille est causa peccati: quia à conjunctis ad divisa valet consequentia, sicut cum dico: Hoc est animal quadrupes, Ergò est animal. Atqui Deus est causa per accidens peccati, ex sententia quorundam Nostratium, de qua videatur Epitome G. Calixti L. de peccato. Ergò Deus est causa peccati.

℞. N. Maj. Ad cujus probationem dicendum, *consequentiam à conjunctis ad divisa tum procedere, si determinatio voci addita non sit, ut vocant, imminuens, aut alienans* i.e. talis, quæ repugnet naturæ rei, eamque imminuat, aut prorsus ab ea sit aliena. Nec enim sequitur: Est equus marmoreus, Ergò est equus. Est homo pictus, Ergò est homo. Est animal mortuum, Ergò est animal. Jam igitur cum τὸ per accidens iminuat & tollat rationem veræ causæ non minùs, quàm marmoreum, pictum, mortuum esse repugnat rationi veri hominis & animalis, ut ex Metaphysicis constat, inde est, quòd non licet colligere, Est causa per accidens, Ergo est causa. Quin potiùs concludendum, Ergò non est causa, vera scil. ac propria.

Atque vel hoc nomine studium Philosophiæ, cumprimis nobilissimæ Metaphysices, omnibus Theologiæ feliciter operaturis quàm commendatissimum esse debet. Quas enim hæc locutio malè à nonnullis hujus disciplinæ ignaris intellecta dederit turbas, nemo est qui ignoret. *Dicitur autem Deus causa per accidens peccati, quia cum effectu Dei agentis per se v. g. cum ejus influxu in actiones hominum, cum subtractione gratiæ ejus, cum peccatoris abjectione, conjungitur peccatum per accidens,* ut explicat l. d. Calixtus, cujus verba allegat & vindicat Thummius Disp. de causa peccati th. 27. Et sic causa per accidens hîc accipitur pro ea, quæ talis est ex parte effectûs. Qui effectus tamen hîc loci non est dicendus casualis & fortuitus, cum *τὸ per accidens*

dens latiùs pateat, quam fortuitum & casuale, & ad hoc se habeat, ut genus ad speciem. In eo quidem conveniunt, quod utrumque sit præter intentionem seu voluntatem agentis: at hoc in causis rationalibus &, quæ intellectu operantur ac voluntate, non sufficit ad id, ut effectus casualis sit & fortuitus, sed vel maximè supponitur etiã, ut præter intentionem intellectus, sive præter notitiam sit & opinionem agentis. Jam verò DEI notitiam nihil fugit, qui exactissimè præscit, hoc vel illud ex ipsius actione secuturum esse. Ipsi ergò nihil accidit casu. Quæ porrò alia hîc observanda veniunt, habentur in Apologia Helmstadiensium contra Statium Buscherum, part. 2. n. 7. p. 288. seq.

II. Contra id, quod dicitur, Deum non velle peccata, posset obtendi: Obj. 2.
Si Deus non vult peccata, non possunt fieri peccata. Falsum autem est consequens, peccata non posse fieri. Ergò falsum quoq; antecedens, Deum non velle fieri. ℞. Esse æquivocationem in τῷ *non-velle.* Sicut enim velle Deus aliquid dupliciter dicitur: Vel absolutè, quando quicquid in se est virium impendit, ut fiat, quod vult, & destinavit fieri; vel conditionatè, quando placet quidem ipsi, ut hoc fiat, non tamen id omni vi sua effectum dat, sed admittit cooperationem aliarum quoque causarum, per quas stare potest, quò minùs fiat, quod ipsi placet, quodq; vult fieri. Ita *non velle seu nolle Deus aliquid etiam dupliciter dicitur*: Deus non vult aliquid dupliciter.
Vel absolutè & animo impediendi, *vel conditionatè* seu ita, ut quod fit displiceat ipsi, nec inhibeatur tamen ab eo, sed fieri permittatur. Atq; hoc posteriore modo Deus dicitur non velle seu nolle peccata. Hinc est, quòd fieri possint peccata & quotidie fiant. Permittit autem Deus illa fieri, quia impedire, utut possit, non tenetur, quandoquidem de impediendis legem non habet. Imò in eo potius, quod illa permittit, legem causæ primæ exsequitur, quæ est, ut creaturam liberam permittat agere arbitratu suo.

III. Contra id, quod dictum est, Deum non impellere ad peccandum, Obj. 3.
facere videtur, quòd Deus peccata peccatis soleat punire. Hoc ipso verò homo, qui ita punitur à Deo, videtur impelli ad omnia nefaria perpetranda ℞. Quando Deus justo suo judicio peccatores punit per alia & nova peccata, id non sic intelligendum est, quasi posteriora illa peccata ipse in eis efficiat, nedum ut impellat ad ea, vel physicè vel moraliter, sed quòd *per subtractionem gratiæ suæ in illa eos labi permittat & cupiditatibus suis deinceps relinquat*, quibus propriis concupiscentiis suis abrepti, impulsore simul Satana, subinde ex uno scelere in aliud præcipites ruunt. Non magis itaque Deus impellere ad peccata dici potest tum, cùm peccata punit & judicium in peccatores exercet, quàm aliàs, cùm id non facit. Quomodo Deus peccata peccatis puniat?

Obj. 4. IV. Contra id, quod negatur Deus approbare peccata, potest afferri locus I. Reg. XXII, 20. seqq. ubi cùm spiritus malus dixisset Jehovæ: *Ego decipiam Achabum, & ero spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum*, Dominus velut approbans ei dicit: *Decipies & prævalebis, fac ita.* ℞. *Verba hæc esse non approbantis, sed permittentis*: quo sensu etiam Elisæus dicit, *mittite*, qui missionem illam non approbabat sed permittebat tantùm, II. Reg. II, 17. Sic ergò & h. l. verba, *decipies & prævalebis, fac ita*, meram permissionem significant: *quæ permissio etsi ipsa approbetur, non continuò tamen approbantur, quæ per ipsam permittuntur*, ut rectè inquiunt Leydenses Disp. XI. th. 22.

Obj. 5. V. Tandem ei, quod dictum est, causam peccati esse voluntatem Diaboli & voluntatem hominis, videtur obstare, quod eo pacto Deus sit futurus planè otiosus spectator peccatorum, quod sanè dictu absurdum est. Sed responderi debet, id non sequi. Nec enim mens nostra est, Deum, dum peccata fiunt à Diabolo & hominibus, planè ab omni operatione cessare, &, quantum ad efficientiam attinet, purè negativè se habere circa malum, sed varias in hoc negotio agnoscimus actiones divinas, utpote concursum ejus cum causis secundis ad actus materiales, postmodò gratiæ subtractionem, metæ constitutionem, traditionem in potestatem Satanæ, directionem denique in finem salutarem. *Non ergò negativè Deus se habet & quasi otiosè in hoc puncto, nisi circa approbationem & ipsam formalem productionem peccati. Ad ipsum autem peccati actum materialiter acceptum concurrit*, ut diximus, sua illa generali motione, posteaq; exercet illas etiam, quas enumeravimus, actiones judiciales. Plura qui desiderat cognoscere de hac materia, adeat Bellarm. l. 2. de amiss. gratiæ & statu peccati, Becan. Man. & Theol. Schol. & ex nostris magni illius & incomparabilis Æg. Hunnii Quæst. & Respp. de provid. & prædest. p. 46. seqq. Nobis interim hæc, quæ sunt dicta, sufficiant.

NOn fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. *Augustinus Enchirid. ad Laurent. c. 99.*

Nec nos quidem fuerimus impii, qui illùm agnoscamus & observemus Deum, cujus ut Verbo fabricata sunt, sic Spiritu continentur universa. *Athenagoras Apolog. pro Christianis.*

Vitiorum nostrorum non est autor Deus, sed tamen ordinator est. *August. de Genesi ad lit. c. 5.*



LOCVS III.

DE

LIBERO ARBITRIO & CONVERSIONE HOMINIS AD DEVM.

NOn obſtante Providentia & Gubernatione Divina remanet cauſis ſecundis liberè agentibus ſua libertas, ut in præcedd. dictum eſt. De ea libertate nunc uberiùs dicendum, juxta ductum Autoris noſtri, ac potiſſimùm quidem de libertate arbitrii noſtri circa res ſpirituales; ita tamen, ut nec generaliora ad diſtinctiorem cognitionem humanæ libertatis facientia prætermittantur.

APHORISMVS I.

pag. 331.

Vocatur Liberum arbitrium facultas voluntatis ad eligendum ac expetendum ea, quæ monſtrata ſunt, & ad rejiciendum eadem.

ALii communiter ita definiunt, quod ſit facultas animæ rationalis, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere, vel agere hoc & agere illud.

De ea itaque libertate hîc tractamus, quæ ſpectatur in agendo, ſive in actionibus humanis, unde quis non tam liber dicitur eſſe, quàm liberè agere. Sanè enim inter ſe *differunt, eſſe liberum & liberè agere.*

Esse liber dicitur, qui alteri subjectus non est, sive qui certæ rei, utpotè servituti, miseriæ, culpæ, pœnæ, incommodis atque molestiis nullis est obnoxius. Hoc modo Christus Joh. VIII, 36. inquit: *Si vos Filius liberaverit* (à servitute peccati) *verè liberi eritis* (à peccato:) nam liber ibi opponitur ei, qui est servus peccati, ut ex ipsis verbis immediatè præcedd. manifestum est. Liberè autem agere is dicitur, qui non coactè agit nec necessariò, sed sponte & indeterminatè, ita, ut nec *externa* vis eum cogat, nec ab interno principio ad unum oppositorum sit determinatus. Hoc modo Petrus ad Ananiam Act. V, 4. *Nonne si servasses manebat Tibi, & venundatum erat in tua potestate?* i. e. poteras liberè tam retinere prædium quàm servare pecuniam. Et Paulus 1. Cor. VII, 36 de parente elocaturo filiam: *quod vult*, inquit, *faciat* i. e. habet libertatem actûs sui, rem pro lubitu transigat. Priore modo aliquis dicitur liber, tanquam *liberatus:* posteriore actus dicuntur liberi, tanquam qui fiant *prout libet*: inter quæ duo haud profectò exigua est differentia. Ita servus qui liber non est, sed in potestate Domini, suos tamen actus liberè elicit: nam & dum servit alteri, actus suos eatenus in potestate habet, ut possit eos obire citra coactionem, citra necessitatem ac determinationem. Potest non coactè perficere jussa Domini & sponte sua, dumque perficit, non agit id necessario, cum non ita sit ad obsequendum determinatus, ut non possit, si velit, liberè refragari. Ipsi renati in Scripturis Rom. VI, 18. dicuntur *servi justitiæ*; qui utique opera justitiæ faciunt non coactè, non necessariò, sed, fatentibus omnibus, satis liberè.

Libertas à coactione.

Notanter inculcamus hæc duo: *non coactè, non necessariò.* Vtrumque enim ad libertatem voluntatis in agendo requiritur. De priori nemo dubitat, eoque spectat tritum illud axioma: *Voluntas non potest cogi*; intellige, quoad actus ejus proprios, quos vocant elicitos, qui ab ipsa voluntate immediatè eliciuntur, ut sunt velle, nolle, eligere, desiderare, amare, odisse, timere, gaudere: licet quoad actus imperatos, qui videl. ad imperium voluntatis ab aliis potentiis procedunt, ut sunt ambulare, sermocinari, contemplari, possit vis extrinseca intervenire, ut quis alterum trudat contra suam voluntatem, vel impedimentum aliquod exterius objici, ut quis v. g. constringatur vinculis, quò minùs pedes progredi possint, quibus voluntas imperavit progressum, aut loqui aliquis prohibeatur contra animi voluntatem. Quo ipso tamen voluntas intrinsecè, quò minùs nolit protrusionem, aut velit linguam loqui, pedes progredi, cogi non potest. Id quod satis probat ejus à coactione libertatem.

Sed

Sed enimverò hæc libertas per ſe ſola non ſufficit ad liberum arbitrium. Itaque excludimus ab actionibus liberis unà cum coactione etiam neceſſitatem ſeu determinationem. Alioquin & bruta eſurientia ſponte ac citra coactionem feruntur in pabulum & eſcam ſibi propoſitam; quia tamen intrinſeca & naturæ neceſſitate eò feruntur, ita ut appetitum cohibere non poſſint, niſi extrinſecùs impediantur, hinc non dicuntur liberè veſci, ſed tantùm ſponte ſua, ultrò, & non invitè: At homo liberè cibum ſumit, ita, ut poſitis omnibus ad comedendum requiſitis neceſſariis, nec ullo objecto impedimento, ipſe tamen poſſit edere & non edere (quæ eſt *libertas contradictionis & exercitii*) ac tum etiam, quando vult edere, poſſit tam hunc cibum capere, qui amarus eſt, quàm illum, qui eſt dulcis (quæ eſt *libertas contrarietatis & ſpecificationis.*)

Libertas à neceſſitate.

Sic nempe, quod porrò notabis, libertas à neceſſitate ſubdividitur juxta diverſam objectorum habitudinem. *Si duo ſint propoſita objecta* discrepantia, ut cibus dulcis & amarus, pannus vilis & precioſus, virtus & vitium, & voluntas non ſit determinata ad certam ſpeciem, nempe vel ad ſolum dulce vel ad ſolum amarum, aut ad virtutem ſolam vel tantummodò ad vitium, ea dicitur *libertas contrarietatis & ſpecificationis, quia inter duas contrarias ſpecies* verſatur. Dulce enim & amarum, virtus & vitium ſunt ſpecies contrariæ. *Propoſito* autem *uno objecto*, quod quis liberè poteſt *eligere* & *non eligere*, *velle* & *non velle*, dicitur ea *libertas contradictionis.* (Velle enim & non velle ſunt contradictoria) Cumque libertas hæc in ipſo actûs exercitio ſit occupata (quippe velle & non velle ipſum proximè reſpiciunt exercitium actuum) inde dicitur etiam eſſe *exercitii.*

Hæc iterũ duplex: I. Contradictionis & Exercitii. II. Contrar. & Specificationis.

Prima & præcipua libertas voluntatis eſt hæc quoad exercitium. Circa alteram quoad ſpeciem, interdum contingit determinari voluntatem ad unam ſpeciem. Sic certè voluntas quoad ſpeciem actûs non eſt libera in appetendo tam bono ut bonum eſt, quàm malo ut eſt malum. Neceſſariò enim, quicquid appetit, ſub ratione boni appetit. Interim quoad exercitium & libertate contradictionis poteſt bonum proſequi & non proſequi, vel actionem ſuſpendere. Ipſe ter Opt. Max. DEVS noſter feliciſſima quadam neceſſitate in operibus ſuis ſemper benè, nunquam malè agit, ſi de ſpecie actûs ſermo ſit: ſed liberè tamen bonitatem ſuam creaturis communicat, ſi de exercitio actûs quæratur. Vnde non neceſſe erat primum hominem labi in peccatum, propter conceſſum divinitùs liberum arbitrium. Ad bonum enim id ipſi datum erat, ac ſatis omninò quoad ſpeciem boni poterat ab eo exerceri,

Præcipua libertas voluntatis eſt quoad exercitiũ.

uti & hodie fit ab Angelis bonis. Quin *hic demum verus est liberi arbitrii usus, si per illud bona agas: sin peccata perpetres, abusus est.*

Libertas est naturæ intelligentis.

In universum autem *quicquid est libertatis, id naturæ intelligenti competit.* Vbi hoc addendum, in intellectu esse ipsam radicem, è qua libertas voluntatis propullulat. Nec enim ex ulla alia, quàm intelligendi facultate, indifferentia illa voluntatis resultat. Proinde etsi *intellectus formaliter liber non est, nec quoad exercitium actûs* (positis enim omnibus requisitis non magis potest intellectus rem non apprehendere, quàm potentia visiva suspendere visionem potest, si omnia requisita ad videndum adsint) *nec quoad specificationem* (quoniam hæc posterior libertas supponit illam quoad exercitium;) *tamen radicaliter liber est* intellectus *& fundamentaliter*, prout rem unam juxta varias circumstantias variè considerans & voluntati proponens ansam ipsi dat variè rem istam sub hac aut illa ratione appetendi, prout plura item & diversa objecta novit inter se conferre, unumque alteri præferre, inter quæ voluntas posteà optionem facere & unum præ alio eligere potest, ad electionem nunquam accessura, nisi præcognita illa sibique monstrata ab intellectu fuissent. Nam ignoti nulla cupido. Huc respiciunt illa Aphorismi nostri verba: Ad eligendum ac expetendum ea, quæ monstrata sunt, subintellige, ab intellectu: qui cum suos proprios actus non liberè eliciat aut indifferenter intelligat, monstrat tamen & ostendit voluntati nunc unum nunc plura, quæ liberè ab ipsa & indifferenter expeti eligique possunt. Sic ergò radix, ut diximus, & fons libertatis in intellectu est: Libertas ipsa in voluntate.

Differentia inter voluntatem & libertatem.

Quod posterius adeò verum est, ut ob id dicatur *libertas vel idem esse cum voluntate, vel aliquid non multùm ab ipsa diversum.* Nec enim multùm differunt. Aliquod tamen intercedit discrimen. Nam *omne quidem liberum est voluntarium: sed non vicissim* voluntarium omne statim etiam necessum est esse liberum. Nam bonum in cōmuni appetere, in bonum item infinitum clare cognitum ferri, est homini voluntarium, non autem liberum. Necessariò enim objectum voluntatis in communi est bonum, sive verum sive apparens: necessariò etiam amatur infinitum bonum clarè cognitum, quod est futurum in altera vita. Et Pater in Divinis voluntariè gignit Filium, non autem liberè, ut possit non gignere. Id ipsum indicio est, *libertatem cum voluntate non simpliciter coincidere, nec liberum & voluntarium esse terminos usquequaq; convertibiles,* utut plurimùm inter se conveniant.

Jam

Jam igitur, ut in pauca hanc generalem doctrinam contrahamus, *aliud* quodammodo est, esse *voluntarium*; *aliud*, esse *liberum*. *Liberum* porrò juxta superiùs tradita *vel* dicitur *de eo, qui est liber*, vel *de eo, qui agit liberè*, seu, quod idem est, vel *personas* respicit vel earum *actiones*. *Si personas*, tum notat esse *liberum à servitute*, eâque vel *propriè dicta*, quomodo is liber est, qui alteri non servit aut alio modo subjectus est; vel *Metaphorica*, quò pertinet libertas à peccato, à pœna, à miseria. Actus personarum illi dicuntur liberi, qui non coactè fiunt, nec necessario. *Libertas* itaque *in actionibus* est *duplex*: una, quæ dicitur libertas *à coactione*, quando quid peragitur motu spontaneo, ultrò & non invitè, quomodo etiam bruta agunt, & pueri, & furiosi, & somniantes: altera quæ dicitur libertas *à necessitate*, quando positis omnibus ad agendum requisitis agens potest agere & non agere, vel hoc & illud, sic & aliter agere, citra determinationem ad unum. Propter priorem libertatem, absentiam nempe coactionis, nemo dicitur liberè agere, nisi accedat *posterior*, quam diximus libertatem *à necessitate*: quæ *subdistinguitur in libertatem contradictionis & contrarietatis*, sive *exercitii & specificationis*. Hæc jam applicanda sunt & ad usum transferenda in controversiis Theologicis. Ἀνακεφαλαίωσις præcedentium.

Et illud quidem quod diximus, ad actiones liberas requiri libertatem non solùm *à coactione*, sed & *à necessitate, seu*, ut alii efferunt, *à necessitate* non tantùm *extrinseca* (quæ cum coactione coincidit) sed & *intrinseca* (quæ dicit determinationem ab interno principio ad unum) id cumprimis facit contra Calvinianos, qui ut absolutum suum decretum & gratiam, quam vocant, irresistibilem tueantur, satis esse docent, libertatem nihil commune habere cum violentia & coactione, licet interim necessitati subjaceat, ei scil. quæ est determinationis ad unum. Itaque homini, quem statuunt in Conversione ita efficace Dei gratia affici, ut per eam non possit non converti, suam nihilominùs constare libertatem putant, eò quòd coactio sive violentia absit. Ita expresse docet Chamier Panstr. Cath. T. 3. l. 2. c. 1. §. 12. At hoc pacto etiam brutis & pueris & furiosis sua constabit libertas: quod repugnat toti saniori Philosophiæ.

Sed nec frustra initio statim diximus, libertatem respicere cum personas, tum actus personarum, sive differre inter se, esse liberum & liberè agere. Nam & hoc usum suum habet; præsertim in explicandis Veterum quorundam dictis, qui tradunt, per lapsum esse *amissum* & perditum *liberum arbitrium*. Quæ locutio *non* hunc habet sensum, *quòd homo post lapsum* & in medio etiam peccati statu *non agat liberè*: *sed* quod *non sit liber*, videlicet liber à servi- Quomodo per lapsū amissum sit liberum arbitrium?

ſervitute peccati, à miſeria, à morte. Naſcitur enim peccati ſervus, & propter peccatum (quod nec in renatis penitùs ceſſat) obnoxius eſt miſeriis & morti. *Hic certum eſt*, inquit Autor noſter in Locis, *homines non habere libertatem deponendi hanc pravitatem nobiſcum naſcentem, aut deponendi mortem.* Et poſt pauca: *Hæc*, ait, *mala non poteſt tollere voluntas humana*; ac inde infert: *Eatenus igitur voluntas eſt captiva, non libera, ſcilicet ad tollendam naturæ pravitatem & mortem.* Corp. Doctr. p. 333. Hoc adeò ſenſu *ſive amiſſum dicas & nullum, ſive infirmatum, captivum & ſervum hominis arbitriū, perinde eſt.* Quem ſenſum etiam Auguſtinus his conceptis verbis exprimit: *Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, quum vitiis peccatisq; non ſervit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi.* XIV. de C. D. c. 11. Et Enchirid. ad Laur. c. 30. *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium: à quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Per liberum igitur arbitrium, quando amiſſum perhibetur, intelligitur libertas à ſervitute:* qua amiſſa libertate ſub peccati ſervitio mancipatur hominis perſona: *Interim dum in ſervili quoq; ſtatu peccati hoc & illud agit homo vel non agit, liber eſt à coactione & à neceſſitate in ſuis actionibus.* Et nos quidem hîc de libertate non perſonarum præcipuè, ſed actuum humanorum tractationem inſtituimus.

Diſcrimen Actionum humanarum.

Quod rurſum probè tenendum eſt, atque idcircò *diſcrimen actionum humanarum* attendendum. Sunt autem actiones illæ in duplici potiſſimùm differentia conſtitutæ. *Vel* enim ordinantur *ad hanc vitam*, vel *ad futuram. Ad hanc vitam* ſpectant *actiones* cùm *naturales*, ut, Phyſicam & ſimiles ſcientias addiſcere: tùm *civiles*, ut, ædificare, arare, opificia exercere, quorum in vita civili uſus eſt: tùm *morales*, ut, ſecundùm virtutem vivere, Rempublicam juvare, patriæ prodeſſe. *Ad alteram* vitam reſpiciunt actiones *ſpirituales & divinæ*, ut ſunt, pœnitere, credere, Deum diligere, in Deo ſperare, ad Deum preces fundere & aliæ ejusmodi.

Vtrum illæ fiant viribus hominis naturalibus, nec ne?

Quæritur itaque circa ſingula hæc actionum genera, utrum liberè fiant ab homine, & an vires ad perficienda ſingula habeat naturales, nec ne? Vbi tamen *quæſtio propriè non eſt de operibus naturalibus & civilibus.* Liberè enim iſta fieri, quod Phyſicam v. g diſcit homo aut Metaphyſicam, quod agrum arat, quod officinam excolit, nec liberè tantùm, ſed & per vires naturales perfici ab irregenitis, qui ſpecialiore gratia divina per Chriſtum parta deſtituuntur, æquè ut à renatis, in aprico eſt.

De moralibus autem & ſpiritualibus controverſiæ agitantur difficillimæ, quid quantùmve libero arbitrio ibi tribuendum ſit. Atque

hîc

hîc accuratissimè observanda est *duplex acceptio Theologica*, quam modò subinnui, in voce *liberi arbitrii*. Vel enim Theologi ista appellatione intelligunt *vires liberi arbitrii*, quas naturaliter habet *ad bona*: Vel simpliciter isto termino notatur ipsa *voluntatis* libertas & *indifferentia in agendis* tàm *bonis* quàm *malis*, undecunque etiam vires ad bona suppeditentur. Vnde diversimodè à Theologis inscribitur præsens tractatio. Nam alii quidem ad priorem significationem respicientes, eam inscribunt *de Viribus humanis*: alii in posteriorem magis intenti, *de Contingentia actionum*. Juxta duplicem hanc acceptionem potest id, quod antea exposuimus, quomodo liberum hominis arbitrium & perditum sit & residuum, nova explicatione elucidari. Nempe *vires* insigniores homini, cùm conderetur, collatæ ad bona agenda, sunt *deperditæ per lapsum*; libertas autem ipsa & *indifferentia* illa voluntatis in agendis iis, quæ agit, hodienum *superest*. Qua de re nervosè iterum Augustinus l. 3. ὑπομνης. *Per peccatum liberum arbitrium hominis possibilitatem perdidit, non nomen & rationem*. Ad hanc diversam acceptionem in quæstione de operibus moralibus & spiritualibus identidem respiciendum est. Bona namque moralia & velle & perficere homo potest liberè, perque vires naturales. Nisi enim tàm quæ moraliter bona, quam quæ mala sunt, justa v. g. & injusta, casta & impudica, liberè fiant, nec laudem mereri nec vituperium dicenda fuerint. Naturales etiam ad hujus generis bona agenda vires homini suppetunt, quamvis attenuatæ & fractæ. *Circa res spirituales autem nullæ planè adsunt homini vires naturæ*, quibus sui conversionem vel inchoare, vel perficere possit: *sed opus habet donari divinitùs novis viribus gratiæ; quibus ipse tamen, ubi semel concessæ sunt, liberè & indifferenter potest uti & non uti: prius per adjutorium ejusdem illius gratiæ, posterius per congenitam malitiam*. Vnde est, quod quidam convertantur, quidam non. Hæc verò jam distinctiùs & enucleatiùs tradenda sunt.

Liberi arbitrii duplex acceptio, juxta Theologos.

APHOR. II.

pag. 332.

Voluntas humana potest suis viribus sine renovatione aliquo modo externa legis opera facere.

Etiam non-renati possunt suis viribus opera moraliter bona facere.

DE moralibus igitur operibus duo pronunciat Autor noster: I. posse ea à non-renatis, puta Ethnicis & infidelibus quibuscunque, fieri propriis viribus naturalibus, *cum generali saltem auxilio Divino.* II. non absolutè tamen, sed *aliquo modo*, ab illis ista fieri.

Primum pronunciatum nititur verbis Apostoli Rom. II, 14. *Gentes, quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciunt.* Hîc Apostolus apertè docet, Gentiles naturâ i. e. lumine naturali & viribus naturæ implere aliqua Legis mandata. Et patet ex reipsa. Possunt enim manus abstinere à cæde, & à vindicta se cohibere. Sic Achilles iratus, cum honesta cogitatione commonefit, reprimit manus, ne interficiant Agamemnonem, ut est apud Autorem nostrum T. 2. 266. possunt inhibere se à raptu fœminarum, ut Alexander Magnus, nolens attingere Darii Conjugem & filias: resistere avaritiæ & ampla donaria respuere, ut Phocion: benefacere egenis, ut Gillias Agrigentinus, cujus domus quædam quasi munificentiæ officina credita fuit, testante Val. Max. possunt Parentes colere, & è medio vitæ discrimine eripere, ut Æneas ex incendio Trojano patrem exportans: pactam hostibus fidem etiam cum certo suo periculo illibatè servare, ut Regulus: & sic deinceps alia Legis naturæ opera facere, *eaq; sine dubio etiam referre in finem naturaliter cognitum, nempe summum bonum civile, quin etiam Deum*, ut primam causam & autorem naturæ: *qui ipse quoq; bona Ethnicorum opera in hac vita ampliter remuneratur*, sicut videmus in obstetricibus Ægyptiorum, Exod. I, 21. in Nabuchodonosare, Ezech. XXIX, 19. inque Romanis, *quorum virtutibus mercedem terrenam, gloriam excellentissimi imperii Deus reddidit*, ut fatetur Augustin. V. de C. D. c. 15.

Obj. 1. Dices fortasse: hæc opera non statim esse bona moraliter, quia utut secundùm substantiam actûs aut quoad genus & ex objecto bona sint, videntur tamen neutiquam Ethnici ea referre in legitimum finem, qui est Deus, sed potius in proprium commodum aut famam & laudem propriam: quo ipso cessant esse moraliter bona, cùm ad tale opus requiratur, ut constet ex integra causa, i. e. ut & objecti & finis etiam ac circumstantiarum ratio sit legitima. Resp. Omninò equidem bonitatem moralem ex objecto, fine & circumstantiis inter se junctis æstimandam esse; *nec verò rationem apparere, quare Ethnici talia opera planè nulla edere possint, in quibus & objectum & finis & singulæ circumstantiæ rectè se habeant.* Licet enim multi, imò plerique omnes, rectè facta utplurimùm referant in aucupium vel commodi sui vel gloriolæ, aut eò talia agant, ut pœnas evitent: nonnulli tamen deprehensi sunt clàm nonnunquam virtuti studuisse virtutis amore, velut de

Cato-

Catone Uticensi proditum est, l. 2. hist. Velleji Paterculi, quod *recta fecerit, non ut talia facere videretur, sed quia aliter facere non poterat.* Quod ubi fit, ejusmodi opus *si non explicitè, at implicitè in Deum refertur,* tanquam honestatis & virtutis autorem. Quin cùm intellectus naturaliter cognoscere possit benè multa, quæ secundùm has illásve circumstantias facienda sunt in particulari, *potest utiq; voluntas eadem velle & eligere.* Alioqui frustra menti humanæ illa notitia rerum practicarum per naturam indita foret, si naturaliter talia agi nullatenus possent. Hæc considerans S. Augustinus, cùm aliàs opera omnia infidelium peccata esse arbitratus, *neminem sine vera pietate, i.e. veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem,* edicere nil dubitarit, l. V. de C. D. c. 19. alibi rursum moderamine adhibito: *Etiam,* inquit, *impiorum nec verum Deum veraciter justeq; colentium, quædam tamen facta vel legimus vel novimus vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò recteq; laudamus: quanquam,* ait porrò, *si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemq; mereantur.* Tom. 3. lib. de Spir. & Lit. c. 27. Non igitur ait Augustinus, *nunquam* inveniuntur, sed, *vix* inveniuntur. Potissima namque pars talium operum excidit fine, ad quem decebat referri: quædam tamen tametsi pauciora inveniuntur, quæ defectu debiti finis non laborant, eaque peccata non sunt, sed opera moraliter bona.

Verùm turbat adhuc illud Apostoli: *Quicquid non est ex fide, peccatum est,* Rom. XIV, 23. Cùm igitur Gentiles fide præditi non sint, opera ipsorum nil nisi mera erunt peccata. Resp. cum Chrysost. hom. 26. in ep. ad Rom. *Fidem hîc non eam dicit Apostolus, quæ ad dogmata pertineat, sed quæ propositi sit argumenti.* Argumentum autem Apostoli est, agere de cibis Lege Mosaica prohibitis, quibus nonnulli Christiani conscientia dubia & hæsitante vescebantur. Dubitabant enim, an liceret vesci cibis quibusdam, nec ne, & vescebantur tamen, eoque peccabant, quia *non ex fide i. e. conscientia firma & certa edebant,* credentes, non esse fortassis licitum cibos illos edere, & comedentes interim. Tale autem opus, quod ambigua fit conscientia, sanè peccatum est. Atque ita se explicat ipse Apostolus, idem illud, quod hîc *Fidem* vocat, alibi expresse nominans *Conscientiam,* I. Cor. X, 25. *Quicquid in macello venditur, edite, nihil discriminantes propter conscientiam.* At, inquinantur tamen, inquies, omnes illæ actiones infidelium ab infidelitate ipsorum, ut propterea degenerent in peccata. Resp. Sunt sanè cum infidelitate & aliis ejusmodi grandioribus peccatis conjunctæ gentilium seu idololatrarum virtutes, indeque inquinantur eatenus, ut vanæ reddantur

Obj. 2.

Fides, pro Conscientia.

Infidelium opera omnia vana, nec tamen omnia mala.

& inutiles ad veram felicitatem æternam: *sed non inquinantur ita, ut propterea virtutes esse desinant, & vitia aut peccata sint formaliter ita dicta.* Id enim contradictionem implicat, opus aliquod, ex objecto, fine & circumstantiis bonum, esse formaliter peccatum. Igitur virtutes verè ipsis possunt *inesse*: at *non prodesse*, propter infidelitatem. Vbi memorabile rursum est illud Augustini: *Sicut non impediunt à vita æterna justum peccata quædam venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio bona quædam opera.* l. de Spir. & lit. c. 28. Vtut proinde mala non sint omnia infidelium opera, sunt tamen vana omnia: nempe inquinata, seu potiùs irrita reddita, per infidelitatem ab æterna beatitudine excludentem.

Deus cōsideratur vel ut autor naturæ, vel ut autor gratiæ.

Pro quo notandum, quod DEVS sit autor naturæ & gratiæ; *DEVS, ut autor naturæ, probat bona opera gentilium, illi placent, dirigitq́; in finem naturalem, prosequitur etiam ea largis remunerationibus temporalibus.* Vt verò DEVS est autor gratiæ, sic ea non probat, nec illi placent, & non dirigit in finem supernaturalem, quia ipsi facto, utut moraliter bono, aliquid adhæret, quod malum est, nempe personæ infidelitas & huic conjuncta alia peccata. Nimirum, ut dicitur Ebr. XI, 6. *sine fide impossibile est, placere Deo,* tanquam autori gratiæ, inque ordine ad salutem æternam. Id tamen sine dubio verum est, *non tam graviter punitum iri inter damnatos Senecam, quàm Neronem, Socratem, quàm Sardanapalum,* quoniam illi magis secundùm virtutem vixerunt. Atq; huc jam accommodanda est particula restrictiva, quam Autor noster adhibet, dicens,

Opera non renatorum sunt tantū aliquo modo bona.

aliquo modo posse non-sanctificatos opera Legis facere. Quod ipsius pronunciatum, tanquam altera Aphor. nostri pars, nunc pressiùs considerandum est.

Aliquo igitur *modo* talia fiunt ab Ethnicis. Nempe I. referendo ea in finem naturalem, nullo modo in supernaturalem. Nec enim intuitu æternæ retributionis, quam ignorant, talia agunt, sed ob finem naturaliter cognitum. Vnde nec ad salutem ea ipsis prosunt: licet ad majorem damnationis gradum avertendum faciant. II. Nec omnia etiam opera ex objecto & secundùm, ut loquuntur, substantiam bona in debitum & naturaliter cognitum finem referunt, sed multò plura in pravum & non debitum. Quin III. nec omnia Legis naturæ præcepta secundùm substantiam facti quisquam eorum adimplet; nam id quoque impossibile ipsis est, spectata humanæ naturæ fragilitate, spectatis occasionibus, quæ ad peccandum invitant, spectata difficultate, quæ in frangendis cupiditatibus cernitur. Sed IV. faciliora præcipuè; & V. tentatione nulla urgente. Ad hanc enim superandam, si veri nominis tentatio sit, non levis saltem aliquis impulsus, necessaria est gratia Divina spe-

De vi tentationis.

na specialis, quæ solis justificatis concessa est. *Fides* quippe *nostra*, dicente Johanne I. Ep. V, 4. *est victoria, quæ vincit mundum.* Addatur, & *principem mundi*: qui se utplurimùm tentationi immiscet, usus cùm hominum ipsorummet concupiscentia, tùm objectis, quæ mundus suppeditat, sive bonis sive malis, illecebris & adversitatibus mundi. Quantumvis possit homo sibi relictus aliquos concupiscentiæ motus adversus rationem insurgentes regere & inhibere, ne prævaleant, ac frenum illis injicere, ne liberè semper vagentur (nam si appetitus à ratione nunquam in ordinem cogi posset, Gentes quoque, quæ Legis sunt, naturâ facere non possent, nec ullos unquam ederent fortitudinis, temperantiæ aliarumve virtutum actus;) tanta tamen appetitus perversitas est & violentia, ut coërceri semper non possit, cum videlicet contumaciùs instat concupiscentia & propriè hominem tentare occipit, de quo tentationis genere sermo est, Jac. I, 14. nedum, quando tentationi cooperatur dæmon, & concupiscentiam aliàs satis efferam ipse quoq; provocat & irritat. Tum enim prorsus imparem esse hominē difficultatibus, quæ objiciuntur, suopte marte expugnandis, facilè constat ex infirmitate virium humanarum, collata ad *imperia & potestates*, ad *mundi principes & spirituales improbitates*, uti appellantur Eph. VI, 12. Servator itaq; noster discipulos suos jubet *vigilare & orare, ne in tentationem intrent*, Matth. XXVI, 41. & in oratione Dominica omnes petimus, *ne nos inducat* Pater cœlestis, i. e. induci permittat *in tentationem.*

Sicque adeò utrumq; tenendum est: nempe I. ut statim sequitur post hunc ipsum Aphor. apud Autorem nostrum, *esse aliquem delectum, i. e. libertatem in non-renatis ad externa Legis opera facienda. Sed tamen* II. ut ibid. porrò sequitur, *hîc sciendum est, hanc ipsam libertatem duabus causis valdè impediri, videl. ab infirmitate, quæ nobiscum nascitur, & à Diabolo.* Videantur cætera apud ipsum. Prius illud contra eos militat, qui indifferenter omnia infidelium opera peccata esse pronunciant: quod nos profectò minùs rectè dictum censemus. Sic enim & eleemosynam pauperi erogare, & parentes è flammis eripere, & justitiam administrare peccatum erit, ubi infidelis id fecerit, &, si quando Devs tale factum remuneratus fuerit, is ipsum peccatū præmiis compensasse dicendus erit: quod vel cogitatu absurdum est. Nec est, quod, qui contrarium hodienum sentiunt, Augustinum nobis objiciant, qui nihil boni ab incredulo fieri posse existimaverit. Nam nec nobis desunt, quæ ipsis reponamus, loca magis sobria ejusdem Augustini. Et quidem si *bonum* id solummodò vocetur, quod à fide & gratia Dei proficiscitur, quomodo Scriptura ferè hoc termino utitur, aut quod ad æternam vitam sit utile, nemo sanus Gentilium opera bona esse dixerit. Audiatur

Nō omnia infidelium opera peccata sunt.

Ne ipso quidem Augustino dissentiente.

jam ipse S. Pater, mentis suæ optimus interpres. Ita autem ille contra Julian. Pelagianum l. IV. c. 3. *Quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumq; perducere; scito, nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud bonum opus — per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumq; perduci.* T. 7. p. 1038. Atqui hoc pacto sententia nostra in reipsa nil discrepat ab Augustini sententia.

Non omnia præcepta moralia per solas naturæ vires servantur; nec per easdem peccata evitantur omnia.

Porrò alterum illud, quod ex autore nostro addimus de impedimentis, valet contra eos, qui, ut de Scholasticis nonnullis fertur, omnia præcepta moralia per solas naturæ vires servari, ac omnia etiam & singula, quæ his adversantur, peccata, per easdem vires ad longum tempus evitari posse, taliaque opera præparare ad gratiam & initium conversionis esse, superioribus seculis statuerunt. Quod equidem falsò statuitur: quippe cum nec renati possint auxiliis gratiæ carere ad omnia peccata mortalia evitanda & ad perseverandum in bono: *Victores* enim *sunt in his omnibus per eum, qui dilexit eos*, Rom. VIII, 37. Neque hoc pacto orandum foret ad Deum pro singulis tentationibus superandis, aut gratiæ ipsi agendæ pro superatis. Et cum naturalem finem non excedant, quin rarissimè attingant Gentilium opera, quomodo ad gratiam, quæ ob supernaturalem finem datur, *disponent & præparabunt*.?

Totam hanc doctrinam rectissimè expressit Augustana Conf. a. 18. *De libero arbitrio docent Ecclesiæ nostræ, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas.* Nempe docent, naturaliter eligi posse, quæ naturaliter possint intelligi. Atq; hoc uberiùs explicat Apologia ejusdem articuli in hunc modum: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit. Potest aliquo modo efficere justitiam civilem seu justitiam operum: potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus — potest continere manus à cæde, ab adulterio, à furto. Cum reliqua sit in natura hominis ratio & judicium de rebus sensui subjectis, reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ justitiæ civilis.* Hæc ibi: Quibus mox subjiciuntur: *Quanquam tanta est vis concupiscentiæ, ut malis affectibus sæpiùs obtemperent homines, quam recto judicio. Et diabolus, qui est efficax in impiis — non desinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta. Hæ causæ sunt, quare & civilis justitia rara sit inter homines.* Sententiæ nostræ ita explicatæ nec adversarii reclamant moderni, velut apud Bellarminum & Becanum videre est.

APHO-

APHORISMVS III.

pag. 333.

Voluntas humana non poteſt ſine Spiritu Sancto efficere ſpirituales effectus, quos Deus poſtulat, ſcil. verum timorem Dei, veram fiduciam miſericordiæ Dei, veram dilectionem Dei, tolerantiam & fortitudinem in afflictionibus.

DE moralibus operibus dictum eſt, hominem etiam infidelem & non-converſum vires habere naturales, quibus talia poſſit facere, ſi nulla tentatio urgeat. Quod ſi actu ipſo iſtiusmodi opus homo non renatus efficit, id eum liberè efficere in confeſſo eſt. Atque ita circa hæc opera habemus & vires voluntatis naturales, & indifferentiam ſive libertatem ipſam.

Jam de operibus ſpiritualibus diſpiciendum eſt, & I. Vtrum vires ibi aliquas habeat voluntas, quibus ea inchoare & perficere poſſit? II. Vtrum, ſi fiunt ab homine, undecunque tandem acceptis viribus, fiant liberè, ita ut ſuppoſitâ agendi vi & facultate ſit in poteſtate hominis conſtitutum talia velle & non velle, facere & non facere? Nam de hoc poſteriori etiam, circa hujus generis opera, non levis eſt controverſia. Præſens hic Aphoriſmus expedit priorem quæſtionem, & nihil tale ab homine propriis ac nativis viribus effici poſſe, dilucidè tradit, omnia, ut par eſt, *Spiritui Sancto attribuens, ſive, quod idem, operationi gratiæ Divinæ ſpecialis illius, quam Chriſtus nobis peperit.* Hæc gratia efficit in nobis verum timorem Dei, veram fidem, veram dilectionem, veram tolerantiam in adverſis. De ſingulis his teſtatur Scriptura. In operibus ſpiritualibus voluntas humana non habet vires proprias.

De timore DEI ſcriptum eſt Jer. XXXII, 39. 40. *Indam illis cor unum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus. — Et reverentiam mei indam animo ipſorum, ut non recedant à me.* De fide dicitur Joh. VI, 29. *Hoc eſt opus Dei* (quod à vobis nunc exigit, & in vobis ipſe efficit) *ut credatis in eum, quem ipſe miſit.* Et Eph. II, 8. *Gratia ſalvati* Probatur I. ex Scriptura.

vati estis, per FIDEM, & hoc non ex vobis: Dei donum est, nempe & quod fidem estis adepti, & quod per fidem jus habetis adeundæ salutis. De dilectione legitur Deut. XXX, 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus animum tuum & animum seminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas.* Item Rom. V, 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Sic & 2. Thess. III, 5. *Dominus dirigere* dicitur *corda nostra ad Dei charitatem.* De tolerantia in adversis scribit Apostolus Phil. I, 29. *Vobis ἐχαρίσθη gratis datum est in Christi negotio, non solùm in eum credere sed etiam pro eo pati.* Et Col. I, 9. 11. *Non desinimus pro vobis orare & petere, ut — corroboremini omni virtute* (Dei) *juxta magnitudinem gloriæ illius, in omni tolerantia & longanimitate cum gaudio.* Nec minus l. all. idem *Dominus* dicitur *dirigere corda ad Christi patientem expectationem*, 2. Thess. III, 5. Demùm *Fides, Charitas, Tolerantia* junctim recensentur inter *fructus Spiritus*, Gal. V, 22. Similiter de precibus pronunciat Apostolus Rom. VIII, 26. *Quid oremus, ut oportet, non novimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis* (facit nos compellare Deum) *suspiriis inenarrabilibus.*

Ac summatim, quicquid est actuum supernaturalium ad pœnitentiam, conversionem, fidem & piam vitam requisitorum, id omne Scriptura evidenter viribus humanis sibi relictis adimit & Divinæ gratiæ atque efficaciæ tribuit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ait Servator Joh. VI, 44. Et Joh. XV, 5. *Sine me nihil potestis facere*, quod saluti videlic. vestræ fructuosum sit. *Non ait: Sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Sive ergò parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Non ait: Sine me difficilè potestis aliquid facere; sed ait, sine me nihil potestis facere. Non ait: Sine me nil perficere potestis, sed facere*; velut hæc Christi verba ponderat Augustin. T. 9. Tr. 81. in Joh. p. 446. & T. 7. lib. 2. contra duas epistolas Pelagii c. 8. p. 890. Spectat huc illud quoque Apostoli 1. Cor. XII, 3. *Notum vobis facio, neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.* Et hinc passim *Deus* dicitur *dare cor novum & spiritum novum, & amovere cor lapideum è carne nostra & dare cor carneum*, Ezech. XXXVI, 26. *dare pœnitentiam Israëli*, Act. V, 31. *dare resipiscentiam ad agnitionem veritatis*, 2. Tim. II, 25. *compingere nos ad omne opus bonum*, Ebr. XIII, 21. atque eidem initium pariter & progressus ac consummatio in pietatis operibus vindicatur bis in epistola ad Philippenses; semel c. I, 6. *Qui incepit in vobis*

opus

opus bonum, idem perficiet usq; ad diem Jesu Christi. Tum etiam c. II, 13. *Deus* dicitur utrumque *operari in nobis pro suo beneplacito* τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν *& velle & perficere.* Toti ergo in spiritualibus efficiendis actionibus ab ipsius gratia pendemus, quippe *ipsius* ποίημα, Eph. II, 10.

His Scripturæ testimoniis potest subjungi ratio, qua probetur, quod in Aphorismo dicitur, voluntatem nostram nihil ex se posse efficere in spiritualibus. Etenim *quod intellectus naturaliter non cognoscit, in id neq; viribus naturalibus fertur voluntas.* Atqui intellectus naturaliter non cognoscit Deum, tanquam autorem gratiæ. Ergò nec voluntas suis nativis viribus in Deum ita potest ferri, eum reverendo, diligendo inque ipsum credendo, tanquam autorem gratiæ: & per consequens, voluntas ex se nihil valet in actionibus spiritualibus. Hæ namque ipsæ illæ sunt spirituales actiones, nempe timere Deum, credere in eum, diligere eum, tanquam autorem gratiæ. Et hæc est vera reverentia, vera fides, vera illa dilectio, quam Deus postulat.

II. Extratione.

Major propositio inde constat, quod ignoti nulla cupido esse soleat. Minor ex consideratione rerum ipsarum est manifesta, si cogitetur, quid sit, Deum esse autorem gratiæ. Nempe hoc: quod Deus generis humani, propter peccatum damnationis rei, misertus Filium sibi ὁμοούσιον miserit, qui homo factus & propter iniquitates nostras morti traditus & ad nostri justificationem suscitatus omnibus in se credentibus & misericordiæ Patris Filiique merito confisis remissionem peccatorum, justitiam & æternam gloriam impetravit. Hæc & talia, quæ propriè & purè sunt mysteria seu articuli fidei, sanè nullis naturæ viribus aut cognosci possunt aut credi: quandoquidem nullæ rationes ex lumine naturæ petitæ huc nos deducunt, ut saltem in suspicionem venire nobis ejusmodi mysteria possint, nedum, ut intellectus ea firmo assensu amplectatur. Quare nec poterit suis viribus voluntas circa hæc objecta actus, quos à voluntate prodire oportebat, elicere.

Quid sit, Deum esse Autorem Gratiæ?

Vel simpliciùs, rursumque ex Scripturis, hoc formemus enthymema: *Animalis homo* h. e. ut Autor noster interpretatur p. 334. sensu vivens & ratione naturali sine Spiritu Sancto, *non percipit* intellectu suo *ea*, tanquam vera, *quæ sunt Spiritus Dei: sunt ipsi stultitia, nec potest dijudicare ista*, 1. Cor. II, 14. Ergò nec ejusmodi homo inclinat voluntatis affectu in spiritualia illa, tanquam boni rationem habentia, eligenda. Præsertim *cum in ipsis etiam naturalibus multò sit post lapsum infirmior voluntas in eligendo bono, quam est intellectus in cognoscendo vero*, juxta illud Medeæ apud Virgil. Video meliora proboque, deteriora sequor. Planè ergò in spiritualibus, ad quorum veritatē intelligendam

non pertingunt homines animales, quippe *obtenebrati mente* Eph. IV, 18. ob bonitatis rationem, quam habent, eligendis impotens ipsorum sit voluntas, necesse est. Non igitur potest pro eo statu voluntas velle, credere & eligere media consequendæ saluti necessaria: non potest in Dei misericordia & Christi merito fiduciam collocare: non potest ex hac ipsa Dei misericordia & propter Christi meritum vitam æternam sperare, istaque spe levare sua damna, & quæ obveniunt adversa in his terris: non potest Deum ut autorem salutis & largitorem æternæ beatudinis venerari, timere & diligere: quod erat probandum.

Addo hoc, quantum in specie quidem spectat dilectionem Dei. Si voluntas per vires naturæ non potest absolutè & efficaciter diligere Deum ut autorem naturæ, multo itaque minus poterit eum istis viribus diligere ut autorem gratiæ: quia ad hoc plus requiritur, quam ad illud. Sed *non potest voluntas hominis naturaliter se habens Deum absolutè & efficaciter diligere, prout est autor naturæ. Multò minus ergò, ut autorem gratiæ & largitorem gloriæ.* Probatur rursum Minor. Quia diligere Deum efficaci voluntate saltem ut autorem naturæ, importat perfectum odium peccatorum & obedientiam omnium præceptorum Dei. In quantum enim naturaliter cognoscit intellectus Deum, ut naturæ autorem & conservatorem, à nobis, qui ab ipso essentialiter dependemus, colendum, nec quicquam, quo offendi possit, committendum esse, in tantum utique debet naturaliter etiam voluntas eum diligere, ac legem naturalem, cujus observatione vult coli, sibi proponere exactè servandam. Qui peccat contra hanc legem, is hoc ipso se à Deo avertit, & ad bonum aliquod terrenum suumque ipsius commodum se convertit: magis itaque amat seipsum & suum illud commodum aut voluptatem suam, quam Deum. Atque inde fit, ut malit sibimetipsi indulgere, quam non peccare & legem servare. Quod dum facit, præfert aliquid Divinæ dilectioni; & sic absolutè Deum non diligit homo, ne quidem ut naturaliter cognitum. Nam vel sic cognitus vult servari totam legem naturæ, quam post lapsum nemo servat mortalium sibi relictus, ac ob id nec quisquam talis diligit Deum, ut decebat eum saltem naturaliter cognitum diligere. Ecquid, bone Deus, futurum igitur per naturam est de supernaturali & spirituali dilectione, qua gratiæ autorem fas est prosequi?

Voluntas hominis naturæ viribus Deũ non diligit efficaciter ut autorem Naturæ, multò minùs ut autorem Gratiæ.

Pelagiani.

Notentur hæc accuratè contra Pelagianos & Semipelagianos. *Pelagiani* ducibus Pelagio & Cœlestio exorti, quibus animosè præ cæteris opponebat se Augustinus, & post Augustinum Prosper Aquitanicus, omnia tribuebant viribus hominis naturalibus & libero arbitrio, ita,

ita, ut hominem ſolius naturæ viribus Legi ſatisfacere & Evangelio credere, ac juſtificari, Deumque efficaciter diligere, in eum ſperare, illum revereri, eaque adeò omnia, quibus ad ſalutem opus eſt, efficere poſſe ſtatuerent. Gratiam ergò omnem intrinſecùs hæc talia operantem tollebant, inque ejus locum fraudulenter & dolosè ſubſtituebant vel beneficium creationis, & dona, quæ in creatione conferuntur homini, naturæ ejus debita, quale inter cætera eſt liberum arbitrium: vel externam revelationis gratiam, qua Lex & Evangelium divinitùs patefacta ſunt: vel exemplum Chriſti, quo viam nobis prævivit ad ſanctè vivendum: vel denique docebant, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed ut faciliùs ſerventur Dei mandata, peculiari Dei auxilio opus eſſe. *Semipelagiani* autem in Gallia exorti duce Joh. Caſſiano, tum temporis Presbytero Marſilienſi, unde & Marſilienſes & Galli dicti ſunt, etſi gratiam in univerſum non tollerent, ſed contra Pelagium ipſimet dimicarent, tamen initium aliquod & conatum in nobis gratiam Dei præcedere arbitrati, iſto noſtro qualicunque labore impetrari gratiam docebant. Id ipſum verò ſic moderabantur, ut non ſemper initium converſionis penes nos eſſe dicerent ſed interdum ſaltem, & nunc voluntatem noſtram præverti à gratia, nunc hanc ab illa profiterentur. **Semipelagiani.**

Contra utroſq; valet illud Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere,* jam ante (p. 280.) citatum, & verbis Auguſtini illuſtratum. Seorſum contra Pelagianos obſervetur, ***gratiam hic non accipi pro natura, ſed potiùs contra naturam diſtingui.*** Etſi enim ipſa natura noſtra gratuitum ſit Dei donum, hoc tamen loco minimè gratiam, quatenus naturam dat & ſuſtentat, conſideramus, ſed quatenus ſupernaturaliter per eam regeneramur ſeu de novo naſcimur. Abſque hac gratia natura quidem natura eſt, & eſſe poteſt: ſed abſque illa nunc poſt lapſum in integrum reſtitui & ſalvari non poteſt. *Niſi quis enim renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnū Dei,* Joh. III, 5. Hinc alia quævis prædicata ad ingreſſum regni cœlorum facientia enunciantur non niſi de iis, *qui ex Deo nati ſunt*, utpote, *non dare operam peccato,* 1. Joh. III, 9. *diligere,* c. IV, 7. *vincere mundum* c. V, 4. ſpirituales denique, quocunque nomine veniant, ſentire motus, ſpirituales efficere actiones Joh. III, 6. Quod ſi ex nova nativitate ſalus noſtra, & quicquid in ordine ad eam ullo modo à nobis præſtatur, unicè dependet, quæ nativitas Deum autorem habet; utique ſpecialis gratia Divina naturæ, quam prima nativitas tribuit, contradiſtincta eò requiritur, neque proinde vires naturæ efficiendis, quæ ſalutem ſpectant, ſufficiunt. *Sed nec externam revelationis gratiam ſufficere ad exequendum, quæ Lex & Evangelium exigit*, patet tum de Lege, ex eo, quod dicit Paulus, *peccatum*

Reſp. utriſque.

Seorſum autem Pelagianis.

occasione sumta per ipsum sibi revelatum *praeceptum*: Non concupisces, *effecisse in se totam cupiditatem* Rom. VII, 8. tum de Evangelio, ex illo itidem Paulino ad Thessal. *Accepistis Sermonem* fidei scil. & Evangelii, *non ut hominum sermonem*, *sed, sicut est verè*, *ut Dei sermonem, qui etiam agit* seu operatur *in vobis, qui creditis*. 1. ep. II, 13. En tibi gratiam intrinsecus operantem junctam sermoni seu revelationi Evangelii! *Nec verò Christi etiam exemplum vitæ sanctæ*, *quæ Evangelio digna sit*, *sufficere*, nisi vis ac facultas sanctè vivendi ab eodem detur, ipse docet Joh. XV, 5. *vitem* se vocans, & *nos palmites*: ratione nempe efficaciæ, quod ut palmes sine vite, cui innatus est, fructum ferre non potest, sed viti debet, quicquid habet & potest: sic nos fructum Deo gratum ferre non possimus sine ipso, nisi videl. ab ipso vitam & vim agendi acceperimus. Vnde id quoque intelligitur, *non tantùm ad faciliùs, sed ad simpliciter faciendum, quæ Deo Salvatori placent*, *superno nos indigere auxilio*. Quod & confirmant loca superiùs adducta: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum*: *Nemo potest Jesum dicere Dominum, nisi per Spiritum Sanctum*: quibus locis virtus & potentia exercendorum actuum salutarium ita in Deum & Spiritus sui gratiam refertur, ut nobis penitùs denegetur. Idque ipsum simul etiam Semipelagianorum sententiam evertit. Si enim *nemo* ad Christum venire, *nemo* Jesum dicere Dominum potest, nisi à Deo tractus, & à Spiritu Sancto illuminatus, jam utique *gratia Dei & Sancti Spiritus non interdum saltem, sed semper liberum nostrum arbitrium prævertit*. Quò comprimis etiam facit Apostoli effatum: *Cum timore & tremore conficite vestram salutem. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere* Phil. II, 13. Non ergò tantùm incrementum, sed & primum initium conficiendæ salutis nostræ à Deo est: primi, inquam, illi motus boni, primus quisque conatus, primum quodq; desiderium & propositum pœnitendi, credendi, diligendi, prima quæque cogitatio, volitio, meditatio sancta à Deo est, tanquam principio producente, *sine cujus Numine nihil est in homine*.

Et Semipelagianis

Doctrinam hanc rectissimè explicatam nobis tradiderunt *duo Provincialia Concilia*, *Milevitanum & Arausicanum secundum*, quorum illud in Africa, hoc in Gallia actum est: unde & Pelagianam hæresin & Semipelagianorum errorem evitandi ratio, fideique Catholicæ, ac, juxta eam, gratiæ & auxiliorum ejus assertio peti tutissime potest. Ex Augustino interim, ipsumque secutis, Gratiæ illius, quam tantopere adversus Pelagianos ipsorumque reliquias urgemus, acceptiones quasdam & distinctiones potiores hîc considerare omninò necesse est.

Et

Et quidem I. gratiam hîc non communissimo illo & proprio significatu accipimus pro gratuito favore, pro dilectione, clementia & benevolentia Divina, ut accipitur Rom. III, 24. 2. Tim. I, 9. *sed pro effectu illius benevolentiæ*, nempe pro dono & munere aliquo, quod per gratiam hominibus confertur, quale donum est fides, & quicquid præterea in nobis ad salutem nostram Deus operatur. Proprie hujusmodi donum dicitur χάρισμα: per metonymiam tamen χάρις quoque seu gratia nonnunquam dicitur. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, ait David Ps. LXXXIV, 12. Sane vulgato Interpreti sæpius, Augustino autem, &, qui Augustinum sequuntur, Latinis Scriptoribus passim gratia pro dono gratiæ Divinæ usurpatur. II. Cum vero ipsa nostra natura Dei donum sit, & quæcunque eam constituunt ac consequuntur, nos Divino obtineamus beneficio, Scripturæ tamen & Patribus nobisque *in præsenti negotio gratia distinguitur contra naturam*: quod jam ante dictum pluribus hic repeti nil attinet. Neque III. consideramus hanc gratiam, prout in prima creatione dedit homini dona naturam ejus excedentia; sed *prout post lapsum hominibus peccatoribus & naturæ corruptæ* ac proinde tantis beneficiis indignissimæ ea largitur: id quod itidem ex dictis non potest non patere. Vnde IV. conficitur, omnem gratiam sive omne donum ejusmodi, quod ad hominum salutem datur, *esse quid indebitum & gratis datum seu gratuitò concessum* hominibus, quorum nec naturæ debetur, nec meritis. Variæ acceptiones & distinctiones vocis Gratiæ.

Sed & ipsa hæc gratia, quam gratis dari asserimus, V. vel extra nos est, vel in nobis. *Extra nos* est gratia prædicati Evangelii, factorum miraculorum aut oblatarum occasionum, quibus in agnitionem veritatis homo deducitur. *In nobis* est tale aliquod donum, quod vel facit primariò ad aliorum utilitatem Ecclesiæque ædificationem & proximi promovendam salutem, ut est sermo sapientiæ, donum sanationum, prophetia, gratia linguarum & similia χαρίσματα, de quibus tractatur 1. Cor. XII, 4. vel facit primariò & proximè ad propriam salutem ejus, cui donum illud est collatum. Prior illa aliorum potissimùm saluti inserviens, nomen generale ad se traxit, & cum omni gratiæ ut tali hoc competat, quod gratis detur, ipsa tamen peculiariter dicta fuit *gratia gratis data*. Posterior autem *gratia gratum faciens* dicta est, quod eò tendat, ut homo gratus efficiatur Deo ipsique reconcilietur & ex inimico fiat amicus, ac reconciliatus & amicus factus agat ea, quæ grata & accepta sunt in conspectu Dei. In quo sensu nos ejusmodi gratiam admittimus. Interim num quædam gratia sit, quæ non tantum effectivè, sed etiam formaliter gratum faciat, alius loci est discutere.

VI. *Gratia* hæc gratum faciens eſt vel *actualis*, nempe motus quidam in animo divinitùs excitatus, quo homo convertendus ad pœnitentiam, fidem & pietatem impellitur & inclinatur, qui motus eſt tranſitorius: vel eſt *habitualis* gratia, quæ homini ita confertur, ut ipſi inſit durabiliter & in eo continenter manere poſſit: ex quo habitu deinceps, tanquam ex principio intrinſeco & durabili, motus & actus fidei, ſpei, caritatis in homine juſtificato promanant. Ad hanc habitualem gratiam ſpectat illud Johannis, 1. ep. III. 9. *Semen Dei in eo manet.* Et c. IV, 13. *Per hoc cognoſcimus, nos in eo habitare & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis.* Inde *templum Dei* dicuntur fideles *& Spiritus Dei in ipſis habitare* 1. Cor. III, 16. *inditus, ut pignus, cordibus noſtris* 2. Cor. I, 22. Peculiaris de caritate locus eſt Rom. V, 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Diffuſio hæc propriè ſignificat collationem alicujus boni permanentis: ſicut retinetur ac remanet liquor, qui vaſi infunditur. Ex quo ipſo loco patet quoque, habitum divinitùs infuſum hìc debere intelligi, non per naturæ vires acquiſitum.

VII. Actualis gratia ſubdividitur in Operantem & Cooperantem. *Operans* in inſpiratione primæ ſanctæ cogitationis conſiſtit. *Cooperans* in appetitione & electione eorum, quæ cogitatio illa & meditatio homini ſuggeſſit, poſita eſt. Ad hanc diſtinctionem reſpiciens Apoſtolus dicit, *Deum in nobis incipere & perficere* opus bonum, ac operari tum ipſum velle, tum perficere, Phil. II, 13. Et celebris eſt locus Auguſtini de hac diſtinctione T. 7. lib. de Gratia & lib. arb. c. 17. *Deus cooperando perficit, quod operando incipit. Ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens — Ut velimus, ſine nobis operatur. Cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur. Tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* p. 1316. Nempe ſecundùm Auguſtinum, quando Deus peculiari illuminatione movet intellectum, ut recogitet, quæ ad ſalutem faciunt, tum hoc ipſo facit, ut velimus, quia nihil poſſumus credere, ſperare aut amare, niſi priùs cogitatum. Atque hoc ipſum operatur *ſine nobis*, ut ait Auguſtinus: non, quod illa cogitatio à nobis effectivè non prodeat, ſed quod *non prodeat liberè ſeu deliberatè & ex pleno conſenſu, ita, ut poſſit etiam non prodire.* Efficaciâ enim verbo additâ Deus intellectum movet, ut non poſſit non moveri & cogitare de ſalute ſua & æternitate. Cogitatio quidem ejuſmodi opus eſt vitale intellectûs, atque adeò effectivè ab intellectu prodit. Verùm non fuit in poteſtate hominis, eam habere, eâque affici & moveri. In immiſſione itaque ſalutaris cogitationis gratia operans conſiſtit. Cum autem cogitationem immiſſam ho-

mo fovet, eâque prævia efficaciter cupit & eligit, quæ salutaria sibi à Spiritu Dei suggesta sunt, in eo dicitur gratia cooperans consistere. Ita enim homo ea eligit, ut potuisset etiam rejicere & cogitationem illam excutere, quod faciunt alii benè multi. *Quæ igitur in negotio salutis & conversionis ab homine fiunt cum deliberatione & consensu, ut quoq; potuerint non fieri, ea tribuuntur gratiæ cooperanti.* Atque hinc Augustinus: *Cum volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.*

IIX. Cum gratia operante eadem est *gratia excitans*, qua Deus, quasi ad ostium stans, cor nostrum pulsat Apoc. III, 20. & à somno peccati nos expergefacit, velut inclamans: *Excitare, qui dormis, & resurge è mortuis* Eph. V, 14. Cooperanti verò respondet *adjuvans*, qua Deus facit, ut homo per ipsum excitatus è veterno peccatorum resurgat ac pulsanti Deo januam aperiat, ipsique homini illucescat Christus, uti locis citatis dicitur. Notanter circa hanc rem Augustinus: *Quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* T. 7. l. 2. de pecc. mer. & remis. c. 18. Et Bernh. l. de Gr. & lib. arb. *Conatus nostri & cassi sunt, si non adjuventur, & nulli, si non excitentur.*

IX. Sic & distinctio gratiæ in prævenientem & comitantem seu subsequentem potest satis commodè accipi, tanquam eadem cum superioribus. Vt sit *præveniens*, quæ prævenit nostrum consensum nosque excitet & ad superna vocet, eadem nempe quæ operans; *comitans* verò, quæ simul sit cum nostro consensu eumque efficiat, dicta aliàs cooperans, itemq; *subsequens* dicta, quia non comitatur tantùm consensum nostrum, sed subsequitur etiam, ut persistamus, nec in eo quod cœptum erat deficiamus. Hinc est illud in precibus Ecclesiæ: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere.* Et hoc sensu Augustinus: *Vtrumq;*, ait, *legitur in sanctis eloquiis, &: Misericordia ejus præveniet me, & : Misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.* Enchir. ad Laur. c. 32. *Alio autem sensu omnis gratia prior dicitur præveniens, si comparetur ad posteriorem, & speciatim ea sic dicitur quæ justificationem præcedit*, seu operans seu cooperans, sive excitans sive adjuvans: *subsequens autem, quæ justificationem sequitur*, & in operibus pietatis præstò nobis est, ac perseverantiam tribuit in bono, tandemque ad gloriam nos perducit. Hunc sensum exprimit Fulgentius, diligens lector operum Augustini l. 1. ad Monimum c. 12. *Gratia*, inquit, *prævenit impium, ut fiat justus, subsequitur justum, ne fiat impius: prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet, subsequitur videntem, ut*

lumen

lumen, quod contulit, servet: prævenit elisum, ut surgat, subsequitur elevatum, ne cadat. Et ipse Augustinus l. de natura & gratia c. 31. *Prævenit, ut sanemur, subsequitur, ut sanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur.*

X. Denique gratia alia est sufficiens, alia efficax. *Sufficiens* ea est, per quam homini conferuntur vires idoneæ, quibus conversionem & salutem suam operari potest. *Efficax* est, per quam fit, ut actu convertatur homo & salvus fiat. Ad efficacem itaque gratiam semper consequitur hominis conversio: ad sufficientem verò non item. Et sic *ab eventu gratia nunc sufficiens dicitur, nunc efficax, prout vel sortitur effectum suum, vel non sortitur.* Vnde autem sit illud, quod effectum quandoque sortiatur, indeque dicatur efficax, non eodem modo expiicari solet. *Dominicani* efficaciam eam deducunt ex reali & physico influxu Divino, quo voluntas hominis ante consensum suum ita determinetur, ut non possit dissentire. Sed hæc sententia, quæ nihil aut parum abest à rigidis Calvini opinionibus, tollit libertatem voluntatis: & cum non nisi per ejusmodi efficax auxilium homo possit secundùm ipsos converti, solus verò Deus id dare possit, nec det tamen nisi aliquibus, quibus absoluta voluntate id dare intendit, sequitur inde, Deum, quantum in se est, illos, quibus non impertit talem efficaciam, non velle converti & salvos fieri. *Bellarm.* l. 1. de gratia & lib. arb. c. 12. gratiam efficacem eam dicit, quæ datur isto loco, modo ac tempore, quo Deus prævidit indoli atque animo hominis maximè congruere: sufficientem, quæ non ita congruè datur. Sed hæc explicatio tollit planè gratiam sufficientem. Quæ enim non dat congrua auxilia, profectò sufficiens non est, sed insufficiens. Vtraque ergò gratia largitur congrua auxilia, cum sufficiens tum efficax, *& in reipsa non est nisi una gratia, quæ & sufficiens est actu secundo, & efficax actu primo:* quippe includens omnia, quæ requiruntur ad rationem supernaturalis principii, ut effectus producatur; adeoque ita comparata, ut possit esse ubivis efficax, imò esset reapse, nisi per homines staret eam repudiantes. Quod si voluntas hominis acquiescit & cooperatur gratiæ, tum est ea efficax actu secundo. Vt itaque apertè, quod sentimus, eloquamur, *nos gratiam efficacem constituimus in assensu & cooperatione humana,* ita, ut efficax dicatur gratia ab eventu, dum videlicet effectum suum sortitur per hoc, quod voluntas humana ei cooperatur. Habent hæc fundamentum in Scripturis. De sufficiente gratia loquitur Dominus Esa. V, 4. *Judicate, quæso, inter me & vineam meam. Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea? At interim dum expecto, ut ederet uvas, edidit labruscas.* De efficaci dicit Christus

[Margin: Dominicanorum error circa efficaciam gratiæ.]

[Margin: Item Bellarmini.]

[Margin: Gratia dicitur efficax ab eventu.]

Joh.

Joh. VI, 45. *Omnis, qui audivit à Patre & didicit*, quique adeò & externis mediis & auxiliis internis rectè usus est, *venit ad me*, & efficaciter ipsoque actu convertitur, ac salutem consequitur.

Vt efficaciter ergò & infallibiliter quis convertatur, requiritur tum gratia, quæ est vel externa vel interna, tum usus gratiæ. Atque hoc vult, qui nunc sequitur apud Autorem nostrum p. 334.

APHORISMVS IV.

Cum ordimur à verbo, hîc concurrunt tres causæ bonæ actionis: Verbum Dei, Spiritus Sanctus & humana voluntas assentiens nec repugnans verbo Dei.

Paria habentur in Exam. Loco de Lib. Arb.

Concurrunt igitur in conversione hæ causæ: Verbum Dei: Spiritus S. quem Pater & Filius mittunt, ut accendat corda nostra: & nostra voluntas assentiens & non repugnans verbo Dei.

HIc de concordia Gratiæ cum libero arbitrio agendum nobis jam est: quæ controversia diu Ecclesiam exercuit plurimis ac maximis difficultatibus. Vbi pro fundamento tenendum, quod Augustin. scribit: *Fides, sana Catholica neq; liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neq; tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid.* T. 2. Epist. 47. ad Valentinum p. 164. Hoc utrumque secundùm sanam Catholicam Fidem observat Autor noster, dum enumerat tres causas conversionis: *Verbum Dei*, cui talis effectus adscribitur Rom. I, 16. X, 18. 1. Cor. I, 18. III, 5. *& Spiritum Sanctum*, qui cum verbo datur atque eo mediante intus in homine operatur Act. X, 44. 2. Cor. III, 6. Gal. III, 2. *& voluntatem humanam*, per verbum scilicet in virtute hujus Spiritus motam primùm atque excitatam, tum deinceps eodem Spiritu adjutam & confirmatam. Vt adeò *membrum*

Causæ conversionis tres.

posterius semper præsupponat prius. Hoc & non alio sensu accipienda sunt verba Autoris nostri: quibus ita acceptis nos promtissima mente subscribimus, & postquam hactenus id declaravimus, nullas hominem habere vires naturales ad sui conversionem vel inchoandam vel complendam, sed unicè per vires gratiæ eum converti, nunc ulteriùs id ostendemus, *necessitatem quoq; nullam ipsi per gratiam inferri,* sed ita novas conferri vires, ut in libera sit voluntate hominis per gratiam præventi & excitati, consentire gratiæ eâque uti, & cum ea perque ejus vires operari aliquid, vel etiam rejicere eam & nolle id, cui destinata ea est, operari.

Ostendere autem hoc est ex manifestissimis Scripturæ locis. Et quidem *posse hominem, qui jam habet gratiam, libera voluntate eam spernere & non amplecti,* nimis certum est ex verbis Christi Matth. XXIII, 37. *Jerusalem, Jerusalem, quæ trucidas Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cogit pullos suos sub alas, & noluistis.* Et alibi: *Hæc dico, ut vos servemini — Nec vultis venire ad me.* Joh. V, 34. 40. Ubi perversæ Judæorum voluntati adscribitur, quod non conversi & servati sunt. Habebant in promtu gratiam Dei ipsos benignè & largiter invitantem: sed prava voluntate nolebant acquiescere illi gratiæ, nolebant eâ uti aut id efficere, ad quod gratia ipsis erat concessa. Sua igitur culpa perierunt. Atque hic locus indicium quoque præbet, *posse hominem, si velit, accepta gratia rectè & salutariter uti, ejusq; viribus efficaciter id agere, ad quod agendum Deus illas contulit.* Ita sanè Judæi poterant per vires gratiæ, quas sufficientissimas acceperant, & velle & agere, quæ saluti ipsorum conducerent. Nî potuissent, frustrà reprehenderentur à Christo, qui ita loquitur, ut supponat, esse ipsorum potestatis, sibi aggregari. Quale quid etiam supponunt omnia illa loca, quæ toties & tam luculenter conversionem, pœnitentiam, fidem ac perseverantiam sub mandato exigunt à nobis. Quod si talia *agi* à nobis non possent, & *liberè* quidem, non caderent, crede mihi, sub præceptum. Si quis diffidat mihi, credat id Augustino, cujus verba sunt isthæc: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tàm multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? — Nempe ubi dicitur, Noli hoc & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in Divinis monitis opus voluntatis exigitur,* (v. g. Esa. I, 19. Ps. XCV, 8. Ibi: Si *volueritis* obedire mihi, bona terræ comeditis. Hîc: *Nolite* obdurare cor.) *satis liberum demonstratur arbitrium.* T. 7. l. de gratia & lib. arb, c. 2. p. 1300. Huc insuper

facit

facit *illa in Scripturis permutatio*, qua docemur, & Deum convertere homines, Jer. XXXI, 18. *Converte me, ut convertar*; & homines ipsos convertere se, Joël. II, 12. *Convertimini ad me ex toto animo vestro.* Similiter *Deus creat in nobis cor mundum*, Psl. LI, 12. *dat cor novum & spiritum novum*, Ezech. XXXVI, 26. nec minus tamen nobis in mandatis datur: *Facite vobis cor novum & spiritum novum*, Ezech. XVIII, 31. Deus lavat nos, *fide purificatis cordibus*, Act. XV, 9. peculiariter Filius Dei, Tit. II, 14. Ebr. I, 3. & nobis tamen etiam dici facit: *Lavate vos, purificate vos*, Esa. I, 16. *Purificate manus, vos peccatores, & expiate corda*, Jac. IV, 8. *Dominus* est, qui *aperuit cor Lydiæ*, Act. XVI, 14. *cui* tamen & ipsi *nos* dicimur *aperire januam* cordis, Apoc. III, 20. Priora loca commendant nobis Divinam gratiam, per quam facultas homini datur talia faciendi: Posteriora voluntatis insinuant indifferentiam ad agendum & non agendum, quæ Deus postulat. *Nihil sanè horum omnium agi potest per vires naturæ, sed per vires à Deo datas per Christum in Spiritu Sancto.* Dicimur tamen nos & jubemur ea facere, non quod naturæ opis illa sint, sed quod liberæ sint potestatis nostræ; potestatis, inquam, ut ea vel per gratiam Dei præstemus, vel per propriam sive malitiam sive ignaviam negligamus. Et hoc est, quod vocant cooperari gratiæ & non cooperari gratiæ. Nos, *uti gratia & non uti*, vocare possumus. *Ad utrumq; horum voluntas habet se indifferenter*; non, quod propendeat in utrumque æqualiter: ad partem enim negativam & ad malum naturâ propendet, idque appetit & eligit per se sola. Alterum autem eligere non potest, nisi gratia det facultatem. *Interim neutrum eligit per necessitatem, sed liberè* utrumque, & sic indifferenter. In hunc sensum S. Augustinus illud Joh. VI, 45. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, explicans: *Quis*, inquit, *non videat, & venire quenquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest nisi adjutum esse, si venit. — Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atq; fecerit — ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* T. 7. l. de gratia Christi, c. 14. p. 773. seq. Vnde porrò ad probandum id, quod in Aphorismo nostro dicitur, ita procedimus: *Quos actus habet voluntas in sua potestate, ita ut liberè & indifferenter eos tam eliciat quam imperet, illi actus sunt à voluntate ut à principio & causa.* Atqui velle venire & convertere se, ipsoque actu conversionem operari, facere sibi cor novum, lavare se, purificare se, aperire ostium cordis Domino pulsanti, & similes actus, habet voluntas in sua potestate, eosque indifferenter & liberè partim elicit partim imperat. Ergò actus hi sunt à vo-

Quare duobus pariter audientibus Evangeliũ & eandem gratiam internam ſortitis, unus eorũ convertatur, alter non?

luntate ut à principio & cauſa: ac per conſequens, voluntas eſt inter cauſas converſionis. Si jam ergò quæratur, quæ quæſtio aliàs eſt intricatiſſima, quare, duobus pariter audientibus Evangelium & eandem gratiam internam ſortitis, unus eorum convertatur, alter non? aut dicendum fuerit cum Dominicanis & *Calvinianis*, id inde fieri, quod Deus uni conferat gratiam determinantem cum abſoluta ſervandi intentione; quo pacto ille unus neceſſariò convertetur, ita ut non poſſit non converti; aut cum *Bellarmino* dicendum, ideò hunc converti, quia ipſi gratia fuerit data loco, tempore & modo ipſius ingenio, & non alterius, peculiariter congruentibus; quo pacto alter caruit ſufficienti gratia, adeoq; culpa penes Deum reſidet, quod ille non converſus eſt: aut denique, quæ noſtra eſt & cōmodiſſima ſententia, *in cooperationem voluntatis noſtræ cauſa erit transferenda*, & ſic reſpondendum, unum converti, quia in virtute gratiæ cum Evangelio ſibi collatæ velit, quæ ad converſionem faciunt, præſtare & exſequi; alterum non converti, quia nolit uti gratia & locum dare Spiritui Sancto, cujus virtute, ſi vellet, converti itidem poſſet.

Si dicas, ideò unum illum converti, quia non repugnet gratiæ, quæ multorum eſt reſponſio; quæro, quid ſit non repugnare gratiæ? Oportet terminum hunc negativum exponere per alios poſitivos. Dico itaque, *non repugnare hìc loci eſſe aſſentiri, dolere, confidere, animum mutare & convertere ſe: quæ omnia actum requirunt voluntatis noſtræ. Et ſic manet noſtra voluntas converſionis cauſa.* Nec proin malè comparo, cum dico: Hic homo non ambulat, quia non vult ambulare, cum poſſit per vires naturæ: hic homo ambulat, quia vult ambulare. Ita, hic homo non credit, quia non vult credere, cum (poſito ſcil. lumine gratiæ, ſicut ſuperiùs viribus naturæ) poſſit: hic homo credit, quia vult. Modò *poſſe & velle intelligas non hominis ſibi relicti, ſed Divinis excitati motionibus & auxiliis adjuti*; tum rectè ſe habebunt omnia. Quippe non fruſtrà *Voluntati* præmittitur *Verbum* & *Spiritus Sanctus*. Non fruſtrà ſubjicitur mox Aphoriſmo noſtro: *Deus antevertit nos, vocat, movet, adjuvat; ſed nos viderimus, ne repugnemus.* Eodemque ſenſu accipiendum, quod ibidem citatur, Chyſoſtomi dictum hom. 9. de laudibus Pauli: ὁ μὲν Θεὸς ἕλκων: ἕλκει δὲ βȣλόμενον. *Deus nolentes non cogit, ſed volentes trahit.* Nempe trahit Deus homines ſuis ipſorum voluntatibus, ſed quas ipſe operatus eſt. Nec quicquam hinc abit illud Baſilii hom. de pœnit. μόνον θέλησον, καὶ ὁ Θεὸς προαπαντᾷ. *Tantùm voles, & Deus ipſe ultrò occurret.* Tom. I. p. 429. i.e. tantùm movere te incipias ex ſentina peccatorum, & Deus tibi, ſicut Pater ille revertenti & longè adhuc exiſtenti filio perdito, auxiliari

liari manu præstò veniet, teque suaviter amplexabitur. Nam occasione illius parabolæ sententia hæc est prolata. Vbi tamen filius ille perditus, seu homo peccator non seipsum proprio instinctu movere & cogitationes de reditu ad Patrem suscipere intelligendus est, *sed motus ille voluntatis ipsi à cœlesti Patre inditus debet credi*; licet id nec Basilius d. l. addat, nec ipse Christus in parabolæ recitatione exprimat, non ferente id similitudine à terreno Patre desumta, qui bonas cogitationes filio inspirare dici non potest. Christi itaque sermonem imitatus Basilius concisè sic est locutus pro natura rei, unde petita est similitudo; non pro natura ejus, quam docet ea aut declarat. Generale interim obtineat *axioma veterum* dicentium, ut itidem post Aphorismum nostrum habetur: *Præcedente gratia, comitante voluntate, bona opera fieri.* Dicit hoc ex veteribus disertissimè & de ipsa conversione loquens Augustinus T. 1. l. 1. Retract. c. 22. *Nisi*, ait, *quisquam voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. Quod in nostra potestate esse positum, Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus; nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem.* Itaque ex sententia beati Augustini *voluntas præparata per gratiam prævenientem, in potestate sua habet eligere tam bonum quam malum.* Vt habeamus gratiam prævenientem, aut ad eam nos præparemus, id non est in potestate nostra: Vt verò per illam semel habitam nos in melius mutemus, id liberæ est potestatis nostræ. Eadem dicit Augustini sectator S. Prosper l. 2. de vocat. gentium c. 9. *Gratia quidem Dei*, inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, cordq; ipsum illuminando & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atq; conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut Divino in se cooperetur operi — de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur* (insuper habetur ipsique obex ponitur) *ipsorum est nequitiæ; quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est Divinæ & voluntatis humanæ.* Hos aliosque Veterum secutus Autor noster voluntatem inter causas conversionis numerat, & hunc dextrè exponens, non, ut aliis hîc solenne est, sugillans Chemnitius L. de Lib.

Arb. c. 7. sub finem: *Rectè*, inquit, *dicitur, tres esse causas bonæ actionis* I. *Verbum Dei*, II. *Spiritum Sanctum*, III. *Voluntatem humanam; si modò rectè & commodè intelligatur. Concurrit enim voluntas humana non ita, quasi ex suis viribus adjuvet actiones spirituales — Sed —* I. *quia potest resistere Spiritui Sancto* Act. VII, 51. *& destruere opus Dei* Rom. XIV, 20. *Saul enim habebat Verbum Dei, & Spiritus Dei bonus agebat illum i.e. aderant duæ causæ: Sed quia Saul opponebat contrarium actum voluntatis, recessit ab illo Spiritus Sanctus* 1. Reg. XVI. 15. *Ita* Matth. XXIII, 37. *Volui vos congregare per Verbum, sed noluistis.* II. *annumeratur voluntas humana. Nam Filii Dei aguntur Spiritu Sancto, non ut ignorantes aut inviti credant aut benè operentur, sicut Bileam benedicit & asina ejus loquitur — Sed gratia facit ex nolentibus volentes, quia operatur velle. — Concurrit ergò ad bonam actionem etiam voluntas humana, sed non captiva & mortua, qualis per se & suâ naturâ est — Sed liberata & vivificata per Spiritum Sanctum.* Neq; tamen, ut ibidem in antecedd. dicitur, *in puncto aliquo Mathematico ostendi potest, ubi voluntas liberata agere incipiat: Sed quando gratia præveniens i.e. prima initia fidei & conversionis homini dantur, statim incipit lucta carnis & spiritûs, & manifestum est illam luctam non fieri sine motu nostræ voluntatis — In principio desiderium est obscurius, assensio languidior, obedientia tenuior. Illa dona oportet crescere. Crescunt autem in nobis, non — sicut lilia non laborantia non curantia crescunt: sed conando, luctando, quærendo, petendo, pulsando.* Ista & horum similia complura habet magnus ille Chemnitius, quæ expungi non possunt; æquè, ut nec illa Meisneri: *In ipsa simul conversione & conversionis inchoatione mens cogitat & cogitando assentitur: Voluntas desiderat, desiderando credit &c.* Anthrop. Dec. 3. p. 95.

Quatuor tamen adhuc possunt circa præsentem tractationem quæri: I. Vtrum sententia nostra non sit Pelagiana: II. nec Synergistica. III. nec Deum faciat causam partialem conversionis. IV. nec evertat illud Lutheri, *hominem se ad sui conversionem habere passivè?* Ad omnia pariter negativè respondeo. Seorsum autem ad I. *nos cum Augustino hic supponere Voluntatem à Domino præparatam;* quod qui faciunt, sunt *Catholici, & non solùm hæresin veterem Manichæorum* (qui liberum tollebant arbitrium) *vincunt, sed novam etiam Pelagianorum* (qui id posteriori ætate nimis extollebant) *conterunt*, judice eodem Augustino expugnatore hæreseos Pelagianæ accerrimo T. 7. l. 4. contra duas epistolas Pel. c. 6. p. 919. Ad II. dico, *Synergistas*, ut passim describuntur, *fingere, hominem Spiritui Sancto intùs conversionem operanti propriis suis naturalibus viribus cooperari ac Evangelio credere ex se*,

Sententia proposita non est Pelagiana.

Nec Synergistica.

se, dummodò is initium fecerit accendendæ fidei. Quod figmentum nobis minimè omnium probatur, qui ideò gratiæ prævenienti subsequentem, excitanti adjuvantem, operanti cooperantem jungimus, ut hominem nihil, nec in principio nec posteà, ex penu suarum virium conferre ad conversionem ostendamus: licet interim per vires gratiæ eum Spiritui Sancto cooperari haud inficiemur. Ad III. pulcherrima repono Bernhardi verba l. de Gr. & L. A. prope finem: *Gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat* (bonum) *cogitatum: sanat, cum immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utiq; præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroq; perficitur, ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Juxta Bernhardum itaque *& gratia Dei & nostra voluntas sunt causæ conversionis totales, utraq; tamen in suo ordine & suo modo*: illa ita, ut vires largiatur; hæc ita, ut viribus *à gratia operante* acceptis se ad res spirituales ipsa determinet, sicque *postmodò* neutra harum causarum partem solummodò effectûs, sed totum utraque effectum attingat. Unde est, quod & Deus hominem convertere, & vicissim homo seipsum convertere in Scripturis dicitur, utrique agentium tota actione attributa. De IV. sic habendum, *hominem ad recipiendam gratiam prævenientem esse in potentia obedientiali purè passiva*: collatio enim gratiæ supernaturalis determinatur ad animum hominis tanquam ad objectum, in quod gratia illa recipitur. Sed ubi jam recepta est, tum homo in virtute illius elicit actum salutaris timoris, assensus, fiduciæ, amoris & similes, tumque adeò non habet se passivè sed activè, quod & activa illa verba Scripturæ indicant, Convertere se, Facere sibi cor novum, Purificare se, Aperire januam Domino in cor introituro. *Sanè*, inquit l. d. Bernhardus, *ipsi nos prævenire nequaquam possumus. A Deo ergò sine dubio nostræ fit salutis exordium: nec per nos utiq;, nec nobiscum. Verùm consensus & opus etsi non ex nobis, non jam tamen sine nobis. Quæ ergò* (inquit l. itidem d. in eundem sensum Chemnitius) *de gratia præveniente, præparante & operante traduntur, habent hunc sensum, quòd non nostræ partes priores sint in conversione: sed quod Deus per verbum & afflatum Divinum nos præveniat, movens & impellens voluntatem. Post hunc autem motum voluntatis divinitùs factum voluntas humana*

Nec Deum facit causam partialem conversionis.

Nec Luthero adversatur.

non habet se purè passivè , sed mota & adjuta à Spiritu Sancto non repugnat, sed assentitur & fit συνεργος Dei. &c. Quibus ita expeditis saltem de usu totius hujus Doctrinæ aliquid est annectendum.

APHORISMUS V.

Ideò hæc omnia dicta sunt, ut fiat utrumque, videlicet Spiritus Sancti auxilium amplificetur, & acuatur nostra diligentia.

AD duo capita identidem nobis respiciendum, quando de spiritualibus actionibus movetur quæstio. I. Neminem posse naturæ suæ viribus quicquam facere in ordine ad conversionem & salutem. Etsi enim mens, qua assentimur mysteriis, & voluntas, qua confidimus, speramus, diligimus, sunt facultates naturales in homine, ad hoc tamen objectum spirituale admodum se habent *remotè*, nec vi sua naturali circa id sese exserunt, sed opus habent novis ac supernaturalibus gratiæ viribus, quibus instruantur, novo lumine, novis motibus & auxiliis, quibus eleventur ad actus edendos in hoc genere, quos edere potentiæ illæ sibi relictæ nullo modo possent. A Dei igitur gratia & Spiritus Sancti virtute, tanquam principio, ut vocant, QUO: hæc talia unicè dependent. Qua profecto ratione Spiritus Sancti auxilium amplificatur & superbia humana retunditur. Nam *quid habes, homo, quod non accepisti* 1. Cor. IV, 7. *Dominus effecit nos, non autem ipsi nos, populum suum & gregem pastûs sui*, Ps. C, 3. *Non nobis* ergò, *Domine, non nobis, sed nomini tuo da honorem*, Ps. CXV, 1. *Licet quidem à nostra parte requiratur usus gratiæ, tamen nec ipse est sine comitante auxilio gratiæ.* Itaque *totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*, ex sententia S. Augustini T. 3. Enchir. ad Laur. c. 32. p. 163.

Doctrina de necessit. Gratiæ & Lib. Arb. I. amplificat auxilium Spiritus Sancti.

II. Verò id simul cogitetur, neminem necessitate, adeoque *irrationali motu*, ad conversionem trahi, sed relinqui homini suam libertatem, nec adimi sed perfici per gratiam, ut resistere Deo vocanti homo possit, si ita velit, & sic gratiam frustrà accipere; sed & queat vicissim præstare, ne frustrà accipiat, utq; ampliori insuper gratia donetur.

netur. Sic nostra exacuetur diligentia, ne, si hodie vocem ejus audiverimus, obduremus corda nostra Ps. XCV, 8. ve lignavi desideamus & expectemus, donec absoluta sit conversio; id enim non convenit, quippe cum non simul & semel ea, nec sine nobis, perficiatur: sed cum prima scintilla boni motus in nobis per Spiritum S. oritur, illam confestim oportet ἀναζωπυρεῖν, ac illud Christi fas est cogitare: *Negotiamini donec veniam.* Et: *Qui habet*, ac rectè utitur iis, quæ habet, gratiæ donis, *ei dabitur* ulterius, nempe gratiæ incrementum, ut prævenientem excipiat subsequens, excitantem adjuvans: *Qui verò non habet*, sive non collocat quæ accepit gratiæ dona, perinde ac si habuisset nunquam ea sibi collata, *ab eo auferetur etiam id quod habet*, Luc. XIX, 13. 26. Cumprimis autem ad preces homo se recipiat, & post primum voluntatis impulsum cœlestem orando instet: *Converte me, ut convertar. Sana me Jehova, & sanabor: serva me, & servabor*, Jer. XVII, 14. XXXI, 18. *Totum ex Deo* hoc, quicquid est beneficii, habemus; *non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei.— Qui fecit te sine te, non te justificat sine te*; sunt verba Augustini T. X. Serm. 15. de Verbis Apostoli p. 335. quibus hunc doctrinæ Locum de Lib. Arb. obsignamus.

II. Exacuit hominum diligentiam.

NONNVLLA VETERVM TESTIMONIA DE LIBERO ARBITRIO.

NEmini dubium esse oportet, ad Divinarum rerum cognitionem Divinis utendum esse doctrinis. Neque enim scientiam cœlestium per semet humana imbecillitas consequetur, neque invisibilium intelligentiam ipse sibi corporalium sensus assumet. Non enim vel id, quod creatum in nobis atque carnale est, vel id, quod in usum vitæ nostræ ex Deo datum est, suomet judicio naturam Creatoris sui opusque discernet. Non subeunt ingenia nostra in cœlestem scientiam, neq; incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. *Hilarius l. 4. de Trinit.*

Humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, semper in dete-

deteriorem est proclivior voluntatem, cui committi non est aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cœca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his, quæ concupiverit, quam carendo, nihil in suis habet viribus quàm periculi facilitatem. Quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate, tantò citius propinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni. Quamdiu ergò homini ea placent, quæ Deo displicent, voluntas ejus animalis est. *Ambrosius l.1. de Vocatione Gentium c. 2.*


Arbitrium Voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. *Concil. Arausi. tempore Leonis M. habitum, cap. 1.*

Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. *August. epist. ad Vitalem.*

Vt converteréris, posses, nisi vocareris? Nonne ille, qui te vocavit aversum, ipse præstitit, ut converteréris? *Idem in Psal. LXXXIV. T. IIX.*

Id agunt isti (*liberi arbitrii defensores*) damnabilibus Disputationibus suis, ut non defendendo, sed potiùs in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua & id ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. *Concil. Carthagin. epist. ad Innocentium I.*

Sine Christo omnis virtus in vitio est. *Hieron. in cap. 3. ad Gal.*



LOCVS



LOCVS IV.

DE PECCATO.



EGimus de libero arbitrio, prout illa vox apud Theologos tàm vires notat ad agenda bona, quàm indifferentiam voluntatis ad agenda pro lubitu vel bona vel mala. Et vires quidem liberi arbitrii diximus esse amissas per *peccatum primorum parentum*, in tantum, ut omnes homines nascantur *servi peccati.* Nunc itaque haud inconcinno ordine sequitur Locus de Peccato, quem *in tres partes divisum* proponemus: quarum prima peccati naturam in genere, altera originale vitium, & postrema peccata actualia explicabit.

APHORISMVS I.

pag. 342.

Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata à Deo, & faciens reos æternæ iræ & æternarum pœnarum, nisi sit facta remissio.

COnsideranda hîc duo: I. Definitum. II. Definitio. Definitum est Peccatum. Quæ vox variis modis accipitur. Interdum *generalißimè* omnia simul peccata, originale & actualia, & totius quidem humani generis, notat, ut Joh. I, 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit* τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου *peccatum mundi.* Vbi Joh. Baptista singulari numero universam peccatorum omnium molem, quanta quanta ea sit, com- Vocis Peccati homonymia.

plexus, eandem à Christo gestari imò auferri docet. Sanè non desunt, qui cum Beda tantùm de peccato originis id intelligendum putant, quod faciunt Strabus, Salmeron & alii. Verùm magis probatur nobis Barradii sententia, qui T. 2. comm. in Evangelia l. 2. c. 16. proposita quæstione, *Quodnam peccatum mundi Baptista significet* ? subjicit: *Respondendum est, Johannem his verbis non significare solum originale peccatum, sed tam originarium quàm actualia omnia. Omnia enim hic agnus tollit: sumitur numerus singularis pro numero multitudinis, peccatum pro peccatis. Quemadmodum si diceret Baptista: Ecce qui tollit malum mundi, intelligeremus, omnia mundi mala tollere. Sic cum dicit, Ecce qui tollit peccatum mundi, omnia peccata tollere debemus intelligere.* Exod. X, 4. ait *Dominus: Ecce ego inducam locustam in fines tuos.* Et cap. VIII, 24. *Et venit musca gravissima in domos Pharaonis; nemo de una locusta vel de una musca, sed de locustarum muscarumq; multis millibus verba hæc interpretatur. Similiter igitur hæc Joh. verba, Ecce qui tollit peccatum mundi, non de uno aliquo peccato, sed de infinitis peccatorum myriadibus sunt interpretanda.* Hæc Barradius.

Alibi tamen vox peccati *solum originale* significat. Nam hoc est illud *peccatum inhabitans* & subinde ad mala pelliciens, de quo conqueritur Paulus Rom. VII, 17. 20. 23. Sed & alibi vicissim *sola actualia* hoc nomine veniunt. Jac. I, 15. *Cupiditas, postquam concepit, parit peccatum* h. e. concupiscentiam actualem. Non raro *certam peccati speciem* designat, ut Joh. XVI, 8. ubi Servator non de alio quàm incredulitatis peccato loquens dicit fore, ut *Spiritus S. arguat mundum de peccato, quia* videlicet *non credant in ipsum*, ut explicatio ibidem subjicitur. Ponitur, inquit Augustinus, hoc peccatum specialiter, *quia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur.* T. 9. Tr. 95 in Joh. p. 474. *Interdum sola ἀταξία, ut a reatu distincta est*, peccatum dicitur. 2. Cor. V, 21. *Christus non novit peccatum.* Nonnunquam *solus reatus & pœna* hac appellatione indigitatur. Gen. XLIII, 9. *Tibi peccabo omnibus diebus* i.e. reus ero Exod. V. 16. *Peccat populus tuus*, i. e. peccati reus habetur & crudeliter tractatur. 1. Reg. I, 21. *Ego & filius meus Salomon erimus peccatores*, i.e. multorum criminum accusabimur & rei agemur prorsusque regno ejiciemur. Peculiariter etiam peccatum pro *victima peccato expiando destinata* accipitur. Hos. IV, 8. *Sacerdotes peccata populi mei comedunt* i. e. victimas piaculares, quarum pars in usum Sacerdotum cedebat. Huc refertur & illud Pauli 2. Cor. V, ult. *Eum, qui non novit peccatum, Deus fecit peccatum* i. e. victimam pro peccato; quanquam peccatum ibi etiam metonymicè pro peccatore possit capi, ut

Chri-

Christus dicatur factus peccatum h. e. peccator, non quidem in se, sed ex omnium nostrorum peccatorum reatu ipsi imputato. Idque videtur poscere antithesis addita; *Vt efficeremur justitia Dei* i.e. justi apud Deum, justitiâ itidem non inhærente nobis, sed quæ in Christo existens nobis per fidem imputetur. Aliàs plerunque peccatum *& vitiositatem in natura & actionibus hærentem, & reatum pœnamq; simul complectitur.* Atque hoc sensu in Aphorismo nostro datur ejus definitio.

Definitio autem ita habet, quod I. sit defectus. Sic enim ab ipso S. Johanne describitur peccatum, quod sit ἀνομία 1. ep. III, 4. ubi α στερητικὸν notat privationem vel defectum & carentiam. Eodemque modo S. Paulus, cum disseruisset pluribus de peccato Rom. I, & III. tandem finiens: *Omnes*, inquit, *peccaverunt & carent gloria apud Deum*, c. III, 23. per carentiam vel defectum gloriæ apud Deum describens peccatum. II. Inclinatio, juxta illud Gen. VIII, 21. *Figmentum cordis humani malum est*, sive intentum & directum ad malum, *à pueritia sua.* Suo id exemplo comprobans Paulus Rom. VII, 23. *Condelector*, ait, *Lege Dei secundùm interiorem hominem: Video autem aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in Lege peccati.* III. Actio; unde peccatores denominantur *Operarii iniquitatis*, Matth. VII, 23. Eph. II, 3. IV. Pugnans cum Lege Dei. Et hæc nimirum illa est ἀνομία, de qua 1. Joh. III, 4. scriptum est: *Qui facit peccatum, Legem transgreditur; nam peccatum est Legis transgressio* seu violatio Legis i. e. voluntatis Divinæ. *Nam legis vocabulum hîc pro omni eo, quod à nobis requiritur sive in Lege sive in Evangelio, capi debet.* V. Offendens Deum: quippe *abominatio Jehovæ, pravi corde*, Prov. XI, 20. VI. Damnata à Deo, & faciens reos æternæ iræ ac æternarum pœnarum, nisi sit facta remissio. *Stipendium* siquidem *peccati, mors*, Rom. VI, 23. æternæ potissimùm, quæ ibidem vitæ æternæ opponitur.

Definitio peccati explicatur.

Hac qualicunque definitione manifestum est comprehendi, quicquid vel est in homine, vel fit ab homine, habens rationem peccati: nempe & actus sive internos sive externos, & omissiones actuum (quæ sunt utique defectus pugnantes cum Lege Dei) & habitus malos, qua-

 lis

lis est inclinatio illa prava nobis connata: quæ quidem omnia peccati denominationem recipere apta sunt.

Substantia hominis non est peccatum.

Minimè verò homo ipse sive substantia hominis potest peccatum denominari. Nam nec de corpore, nec de anima hominis, nec de toto homine possum dicere, quod sit peccatum: sed *quodcunq; denominatur peccatum, accidens necesse est*, sive jam habitus sit sive actus, seu dictum seu factum seu cogitatum, sive commissio alicujus sive omissio: hæc omnia sunt capacia hujus denominationis, ut ἀνομία & peccatum dicantur, ac præter illa eorumque similia nihil.

Suas igitur sibi res habeat Flacius, ex cujus mente *totus homo, quantus quantus jam est, sive in substantia sive accidentibus, quatenus talis est, mera abominatio ac peccatum est*; quæ sunt ipsissima hominis verba in Clave Scripturæ. Nobis certum est, *hoc paradoxon destrui apertè omnibus tribus fidei nostræ articulis.* Articulo Creationis in hoc, quod Deus totam hominis naturam ac essentiam condidit, nec peccatum tamen. Articulo Redemtionis; quoniam Filius Dei totam naturæ nostræ substantiam assumsit & redemit, nec peccatum tamen. Articulo Sanctificationis; quia Spiritus S. regenerat & illustrat totam hominis naturam, nec peccatum tamen. Totus denique homo est suscitandus in die novissimo è mortuis, nec verò peccatum. Peccatum igitur non est de natura & essentia hominis.

Scripturæ loca, quibus abutitur Flacius, pro ipso nihil planè faciunt. Nam quod affert illud Pauli Eph. IV, 22. 24. *Deponite veterem hominem & induite novum*, quasi vetus homo sit substantia quædam, quam exuere oporteat; ad id dudum respondit Augustinus super Psal. XXV. *Ne aliquis*, inquit, *arbitretur deponendam esse aliquam substantiam, quemadmodum quis exspoliat se tunica, aut aliquid forinsecùs accipiendum, quomodo accipit aliquis vestimentum, quasi ponens unam tunicam & sumens alteram —— Apostolus exposuit, quid esset. Exuite veterem hominem & induite novum —— cum dicit in consequentibus: Quapropter deponentes mendacium loquimini veritatem. Et ecce hoc est deponere veterem hominem & induere novum!* Æquè facilem solutionem habet illud ejusdem argumentum, quod ex verbis Apostoli Johannis, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, nectere conatur: Quicquid repugnat Legi Dei, est peccatum. Sed totus homo repugnat Legi Dei. Ergò totus homo est peccatum. Homo autem est substantia: igitur peccatum substantia est. Enimverò quicquid formaliter & per se repugnat Legi Dei, ita ut possit inde ἀνομίας denominationem accipere, id juxta Johannem sanè est peccatum. At profectò homo non per

se sed

ſe, ſed per accidens repugnat Legi Dei, nempe propter adhærens peccatum, atque inde denominatur ἄνομος & peccans vel peccator, nullatenus ἀνομία & peccatum ipſum; quemadmodum ab adhærente lepra dicitur aliquis leproſus, non autem denominatur abſtractivè ipſa lepra: quod quivis non omninò ſtupidus facilè capit. Quare nec immorandum hiſce, cum res dubium hodie apud nullam partium habeat.

Dubitari autem poſſet, quomodo in noſtro Aphoriſmo peccatum dicatur defectus, & ſimul inclinatio, & actio. Inclinationes enim, motus & actiones ſunt aliquid poſitivum. Defectus autem eſt aliquid privativum: quæ videntur inter ſe pugnare. Sed abque difficultate hoc quoque expeditur. Nam inclinatio & actio, non ponuntur ibi ſolitariè & nudè, ſed cum adjecto complexu ἀνομίας ſeu pugnantiæ adverſus Legem Dei: Ergò pugnantia defectum involvit, nempe privationem conformitatis ad Legem. Et ſic manet defectus in illa etiam inclinatione & actione. *Ac duo hîc ſunt diſtinctè attendenda.* I. *Subjectum privationis ſive defectûs.* II. *Ipſe defectus.* Subjectum eſt aliquid poſitivum, nempe inclinatio & actio, & habet ſe ut materiale peccati, ſive ut aliquid, quod peccato cum aliis commune eſt. Datur enim inclinatio & actio bona, quæ non eſt peccatum. Ipſum autem formale peccati ſive id, quod dat peccato, ut ſit peccatum, eſt defectus & privatio, illa ſcil. quam toties diximus, ἀνομία, quæ ſimpliciter mala eſt.

Peccatum quomodo dici poſſit defectus, & ſimul Inclinatio & Actio?

Ad hunc modum ipſeſe explicat Autor noſter, ubi de pecc. orig. agit p. 347. *Intelligenda eſt*, inquit, *concupiſcentia* vel inclinatio *non de appetitionibus in natura conditis, ſed de ἀταξίᾳ omnium appetionum. In hiſce enim vitiis ſcit Dialecticus ſuum quoddam formale eſſe proprium vitii, ſcil. defectum rectitudinis aberrantem à Lege Dei, ſeu ἀταξίαν — Hanc ἀταξίαν omnium appetitionum ſcriptores vocant Concupiſcentiam. Eſtq; prudenter diſcernenda ἀταξία ab ipſis appetitionibus, quales à Deo conditæ ſunt: nimirum ut diſcernantur res à Deo conditæ & peccatum, quod eſt conturbatio ſeu confuſio ordinis Divini*; quæ poſtrema verba habentur L. de Cauſa peccati p. 324. Vbi ſimile quid de actione vitioſa legitur ſubjunctum. Nempe, *hîc quoq;*, ait Autor, *facile eſt intelligere defectus, ſi intuearis non ſolùm facta, ſed mentem regentem facta. Eva comedens pomum non regitur luce Dei. Illud non regi luce Dei & voluntatem à Deo averſam eſſe, defectus eſſe non obſcurum eſt: etſi interim accedunt motus externi & interni, qui ſunt res poſitivæ*, p. 325. ſeq. Pluribus hanc doctrinam perſequuntur Chemn. L. de cauſa peccati

cati c. 5. Hunn. de Provid. p. 57. Hutterus L. de causa peccati p. 233. 239. & de Pecc. orig. 308. Grauerus in A. C. a. 2. p. 50. Gerh. Dispp. Isag. Loc. XI. de pecc. in genere c. 3. §. 2. c. 4. §. 7. 8. & Helmæstadienses in Apol. contra Busch. part. 2. p. 107. 108. 133. 194. 195. 202. 204. seq.

Porrò dubitari circa hunc Aphorismum potest de reatu peccati seu de obligatione, quæ ex peccato nascitur, ad pœnam; idque dupliciter: I. Vtrum justè obligentur homines propter peccata temporalia ad pœnas æternas. II. Annon propterea omnia peccata sint paria, quia pariter offendunt Deum, & faciunt hominem reum æternarum pœnarum?

Vtrum justè obligētur homines propter peccata temporalia ad pœnas æternas?

Ad I. Resp. certum esse de fide, peccatis non per pœnitentiam deletis reddi æternas pœnas, *nec id pugnare cum justitia Dei, pro temporalibus delictis æterna infligere supplicia.* Non enim aliqua etiam humanæ Legis justitia hoc spectat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admisit: sed & humanæ Leges, quantum in se est, pro quibusdam peccatis in pœnas cogunt æternas, quando vel exilium aut servitutem irrogant, quæ morte finiri per accidens contingit: vel prorsus nonnullis capitale supplicium decernitur; quod equidem fit cum intentione auferendi eos in sempiternum de societate viventium, quantum est ex parte judicis & sententiæ ab eo latæ: nec enim, quod mortui aliquando vitam sint recepturi, ibi attenditur. Proinde nec Deo erit inconveniens, peccato brevi ac fortè momentaneo tribuere supplicia æterna. Quin cum juxta Philosophum V. Eth. pœna exigatur secundùm dignitatem ejus, in quem peccatur, & Deus, quem homo peccator offendit, sit infinitæ æstimationis, ob id justè meretur peccatum in Legem Dei commissum infinitam pœnam. Accedit, quod iniqui suo quodam modo in æternum peccent. Saltem enim *ideò cum fine*, quæ Gregorii Magni verba sunt, *deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utiq;, si potuissent, sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.* Scilicet, ut idem porrò subnectit, *in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergò justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* l. IV. Dial. c. 44.

An omnia peccata sint paria?

Ad II. Resp. Concedendo, omnia peccata, sicut in communi ratione aberrationis à Lege Dei conveniunt, ita sua natura supremum Legislatorem offendere, & delinquentem constituere reum æternæ condemnationis. Interim uti unum altero longiùs à norma Legis recedit, & ratione objecti, causæ, personæ, loci, modi, finis aliarumque circum-

cumſtantiarum aggravatur, ac plus in ſe habere vitii atque flagitii æſtimatur, ſic unum altero graviùs etiam Divinum Numen offendere, & ſecundùm iſtam gravitatem ipſas quoque æternas pœnas quoad intenſionem exaſperatum iri, immotè aſſerimus cum ipſo Chriſto Matth. V, 22. XI, 22. 24. atque adeò *in tantum*, *non in totum*, *peccata inter ſe paria* eſſe autumamus.

Sic fuit de peccato in genere. Sequitur in ſpecie, cum de originali, tum de actualibus peccatis.

APHORISMVS II.

pag. 343.

Peccatum originis eſt carentia juſtitiæ originalis debitæ ineſſe — i. e. eſt in natis ex virili ſemine amiſſio lucis in mente, & averſio voluntatis à Deo, & contumacia cordis, ne poſſint verè obedire Legi Dei, ſecuta lapſum Adæ, propter quam corruptionem nati ſunt rei & filii iræ i. e. damnati à Deo, niſi fuerit facta remiſſio.

DOctrina tota de Peccato Originis debetur revelationi, nec ex Morali Philoſophia judicari poteſt. Philoſophiæ enim nullum aliud peccatum notum eſt quàm actuale, quod oritur à libera ejus voluntate, cujus peccatum eſſe dicitur. Ab hoc vero prorſus diverſæ rationis eſt illud, quod nos Originale dicimus; veri quidem nominis peccatum, ſed non tale, quale eſt actuale, quippe lumine naturæ incognitum. Ex Ethicis igitur peti non poteſt ratio peccati in genere, cum ex iis nil conſtet de hac peccati ſpecie, quam nos originis peccatum appellamus. Ideoque *ex ſolis Chriſtianæ fidei principiis tractanda fuerit hac doctrina, quod fundamenta attinet: in iis interim, quæ ſubtilius circa eam diſputantur, uſus etiam terminorum Philoſophicorum eſſe poteſt.* Notitia peccati orig. conſtat ex revelatione.

Fundamentum autem hoc eſt, quod omnes homines ordinaria generationis lege concepti & nati, propter peccatum Adami, inde ab utero peccatores ſint, ac peccato maneant obnoxii tota vita, nec ſalutem

Cur in Symb. Apostolico nulla peccati orig. fiat mentio?

queant aliter sperare, nisi per incarnationem & mortem Filii Dei. *In Symbolo Apostolico nihil de hoc peccato, in quo concipimur & nascimur, habetur: nec verò est, quod quenquam id turbet. Totus namq; secundus articulus, ut solet appellari, præsupponit statum hominis, qui sit damnationis & peccati.* Nisi enim id fuerit, nulla opus incarnatione, nulla redemtione. Est ergò hoc inter præsupposita, peccatum lapsu Adami introiisse in mundum, istoque lapsu posteros Adami omnes carnaliter progenitos esse obnoxios factos iræ Dei & condemnationis, inde non eximendos, nisi per redemtionem in sanguine Christi. Quod qui cum Pelagio negant, *totius fidei Christianæ fundamenta evertere moliuntur*, judice Augustino T. 2. ep. 94. p. 425. Hinc illud est ejusdem Augustini, *in causa duorum hominum* (Adæ videl. & Christi) *quorum per alterum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fidem Christianam consistere*. L. de Peccat. orig. c. 24. T. VII. 799.

Vnde dicatur Originale?

Vocabulum quidem peccati originalis in Scripturis non extat: sed sensus tamen inibi continetur. Dicitur autem originale, non ad restrictionem, quasi æquivocè peccatum appellaretur, sed ad distinctionem actualis peccati. Nec etiam ita appellatur, quod ab origine mundi, aut statim cum humana specie, esse cœperit, sed *quia nostrûm unicuiq; inest ab ortu & nativitate sua: vel quia contrahitur à primo parente tanquam origine totius generis humani: vel quia omnes jam inde ab initio in Adam peccaverunt.* Juxta primam rationem origo, à qua peccatum originale dicitur, est ortus cujusq hominis: juxta alteram, primus parens: juxta tertiam, primum hominis peccatum. Quanquam & proximi parentes originis nomine, à quo dictum sit originale peccatum, non absurdè intelliguntur, quia ab illis, tanquam à principio quodam intermedio, peccatum istud in nos deducitur.

Ex nonnullorum sententia *in ipso* quoque Adam fuit peccatum originale, quod nos *ab ipso* esse dicimus. Vnde distinguunt inter peccatum originis activè & passivè sumtum, quorum illud vocant *originans*, ipsum nempe Adami lapsum; hoc *originatum*, habitum nempe malum connatum nobis. Verùm incommodè id putamus dici. Nec enim convenit cum ratione nominis. Siquidem originale id propriè est, quod competit rei ab origine, quod cœpit cum ipsa re. Nullum autem peccatum cum Adamo cœpit. *Fatemur tamen vitium illud & peccatum, quod nobis originale est, fuisse in Adamo lapso, & fuisse idem specie peccatum, privationem nempe justitiæ originalis cum concupiscentia. Sed non ab origine adfuit Adamo*, sed, ex quo peccare cœpit, primùm accessit. Igitur nec ejus respectu originale est dicendum.

Quicquid autem ſit de nomine, res ipſa, quam nos appellatione peccati originalis deſignamus, in Scripturis fundatiſſima eſt ac dilucidè & ex profeſſo quaſi tractatur Rom. V, 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccaverunt &c.* Poſtea v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi : ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Illuſtre cumprimis teſtimonium præbent verba : *In quo omnes peccaverunt* : quæ per Hyperbaton trajecta ſunt, & ad iſta priora pertinent : *per unum hominem peccatum intravit in mundum* i. e. propagari cœpit in omnes homines. Mundum enim intelligit Apoſtolus non tam mundi machinam, quam mundi incolas, homines : ſicut mox ipſe explicat : *in omnes homines mors tranſiit.* Qui ergò in mundo moriuntur, eosdem peccatum occupaſſe indicat, ejusque originem refert in unum hominem, *in quo* (uno homine) *omnes peccaverunt*, ſeu, ut poſtea loquitur, *peccatores conſtituti ſunt.* Si omnes homines : *ergò & infantes*, utut actuali culpa carentes, in illo tamen uno homine culpa ac reatu tenentur, in illo uno tanquam efficiente & inficiente cauſa peccatum contraxerunt, illius utpote poſteri. Quod porrò ita oſtenditur. Qui homines mortis imperio ſubjacent, ii peccarunt. Nam *per peccatum mors*, nempe ut per cauſam moralem & proximam, removentem ea, quæ aliàs in ſtatu innocentiæ mortem eſſent prohibitura. *Duplex* enim *mortis cauſa* : Una *Phyſica*, ipſa conſtitutio naturæ, quæ in ſe ſpectata ob contrarias elementorum, ex quibus conſtat, qualitates habet potentiam intrinſecam ad corruptionem. Altera *moralis* & meritoria, quæ eſt peccatum. Prior illa habenda eſt remotior, nullam pro eo ſtatu, in quo primus homo erat conditus, illatura moriendi neceſſitatem, inhibitam quippe per ſpecialem curam ac Providentiam Dei, ordinantem media vitam hominis inperpetuum conſervantia, & arcentem omnia mortis pericula. Poſterior autem, quam moralem diximus, peccatum, eſt cauſa mortis proxima, qua frena ſunt laxata naturæ, ut ad interitum præcipiti neceſſitate vergeret, nullo remorante. Hinc *peccati ſtipendium mors* dicitur, & *ſtimulus mortis, peccatum*, Rom. VI. 1. Cor. XV. nec quidquam certius, quam eos peccaſſe, quibus mors dominatur. Niſi enim peccatum interveniſſet, dominium mortis fuiſſet nullum. Jam videmus, omnes homines etiam infantes iſti dominio ſubjectos morte paſſim abripi. Ergo omnes homines, ne infantibus quidem exceptis, peccaverunt. Nec verò peccarunt infantes actualiter & in ſeipſis, *in ſimilitudinem*, ut ℣. 14. habetur, *transgreſſionis Adæ*, ſua & propria voluntate; quomodo peccant adulti, qui uſu rationis præditi Legem, ad quam

Duplex Mortis cauſa.

vitam suam conformare debent, tametsi probè cognitam, scientes nihilominùs volentesque violant: Quæ omnia in Adami prævaricatione obvenerunt. Ergò originaliter & in alio peccarunt, puta primo homine, Adamo, quem ipsum nomine unius hominis Apostolus indigitat; exindeque datur peccatum, quod originis dici potest, actualibus contradistinctum.

Pelagianis Resp.

Enervarunt hunc locum Pelagiani, qui originalem naturæ corruptionem inficiati ita hodienum infantes asseverabant nasci, sicut Adam primitùs erat conditus: atque ideò Apostolum dicentem, *per unum hominem peccatum intrasse in mundum*, exponebant de peccato actuali, quod quidem secundùm eos in hunc mundum intravit imitatione, in quantum omnes homines delinquendo vestigia Adæ primi peccatoris sequerentur, juxta illud Hos. VI, 7. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum.* Orthodoxè verò iis respondens S. Augustin. *Si sola*, ait, *imitatio facit peccatores per Adam, cur non etiam per Christum sola imitatio justos facit?* l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 15. quod tamen consequens Photinianis modernis, unâ & eadem operâ Pelagianismum renovantibus & Christianismum evertentibus, absurdum non est. Sed audiatur rursùm Augustinus l. eod. c. 13. *Rectiùs diabolum principem constituisset Apostolus, à quo uno peccatum, & mortem per omnes transisse diceret, si h. l. non propagationem, sed imitationem dicere voluisset. Nam Adamum*, ut est in antecedd. *Diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet: Adam verò nihil suasit imitatoribus suis, & multi, qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse & tale aliquid commisisse vel non audierunt, vel omninò non credunt.* Præterquam scil. quod imitatio non cadit in infantes, in quos tamen cadit peccatum, quia mors, peccati pœna, eos manet; ne adulti quidem omnes, qui sunt ex posteritate Adæ, dum peccant, eum imitari commodè dici possunt: quorum plurimis de primo homine ejusque transgressione nil auditum cognitumque unquam fuit, est, erit. Quibus sic pensitatis, ut cum Augustino rursùm loquar sub finem ejusdem c. *restat intelligenda non imitatio, sed propagatio peccati. Proinde Apostolus*, quæ ejusdem verba sunt c. 9. *cùm illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transissent, eum principem posuit, à quo propagatio generis humani sumsit exordium.*

Facere non possum, quin adducto Apostoli loco diutiùs immorer atque insistam. Inde enim, quæ ad existentiam, & illam, quam dixi, propagationem peccati originis pertinent, pleniùs licet haurire.

Terminus à Quo Peccati orig.

Duo imprimis termini hujus propagationis sunt attendendi: A quo, & Ad quem. Terminus à quo, est primus homo Adamus, qui lapsu suo

ſuo totum genus hominum peſſundedit. Conceſſerat Deus homini recens ad imaginem ſuam creato & in Paradiſum collocato totius Paradiſi uſum fructumque, unica excepta arbore, quam ne guſtaret, ſub mortis pœna edixit. At homo Satanæ ſuaſu propriæque voluntatis libidine inductus, contemto Dei mandato, rapuit fructum vetitum. Prior id quidem fecit femina, ab infernali ſerpente mendacibus promiſſis, de eminentia Divinæ ſcientiæ, comeſtione illius fructus acquirenda, miſerè faſcinata & ſeducta, mox in ſocietatem peccati maritum quoque trahens. Vnde eſt apud Siracidem: *A muliere initium factum eſt peccati, & proter illam omnes morimur*, c. XXV, 29. *Reſpiciendo videlicet ad ordinem, quo primus homo in peccatum incidit, ſcimus id factum prævaricatione mulieris, non viri.* Quo & Apoſtolus digitum indendit 1. Tim. II, 14. & Tertullianus, de Habitu muliebri, vocans mulierem primam Divinæ Legis deſertricem, vetitæ arboris reſignatricem & diaboli januam. *Ipſa tamen peccati & mortis in poſteros propagatio non mulieri, ſed viro datur. Niſi enim vir Divinum mandatum transgreſſus eſſet, ſeductio Evæ poſteritati hoc venenum non intuliſſet.* Ideoque & circumciſionis ſymbolum maſculino ſexui datum eſt, & ei membro, unde eſt humani generis propagatio: ad declarandum, immunditiem poſterorum eſſe ex viri ſemine, per cujus virtutem activam, muliere materiam miniſtrante, natura traducitur. Et *hinc ubi de propagatione labis originalis ſermo eſt Apoſtolo, tribuit eam uni homini*, qui Chriſto, alteri Adamo, è regione oppoſitus alius quam maſculus, primus videl. Adam, eſſe non poteſt.

Sicut, ait, *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Quod prius vocaverat παράβασιν, παράπτωμα, transgreſſionem, lapſum, nunc vocat παρακοὴν inobedientiam primi hominis. Id quod non caret ratione. Nam 1. Tim. II, 14. in feminam ſeductionem refert, quam viro negat. *Adam*, inquens, *non eſt ſeductus, ſed mulier ſeducta in transgreſſione fuit* h. e. cauſa fuit transgreſſionis. Itaque *cum ſeductio viro non competat, relinquitur ipſi mera* παρακοὴ *inobedientia.* Diſputari aliàs ſolet ſatis anxiè de illa Apoſtoli ſententia: *Adam non eſt ſeductus*; quem ſenſum habeat. Multis enim, etiam vetuſtioribus, hæc ſententia ita ſimpliciter concepta videtur à vero aliena eſſe. Quare loco Paulino interpretamenta quærunt varii varia, &, diſtinctione textui illata, vel Adamum priorem ſeductum non eſſe dicunt, vel non eſſe ſeductum per ſerpentem, ut Eva, ſed per mulierem, vel ſeductum nemini autorem fuiſſe peccandi, ut ipſi Eva fuerat, vel aperte non legi ſeductum in Scripturis. Verùm cur non potiùs ſuman-

Adã non eſt ſeductus.

mantur verba ſenſu ſimplice, ut ſonant? nam ita demùm, ſi quod meum eſt judicium, omnia apud Moſen & Paulum ſibi pulcrè conſonant. Nempe, *Adam non eſt ſeductus, ſive paſſus falſum ſibi perſuaderi pro verò; id enim propriè eſt ſeduci:* quod evenit mulieri fidem habenti verbis ſerpentis, ſolidam quarumcunque rerum ſcientiam comeſto fructu vetito adipiſcendam promittentis. Nullo ejusmodi errore mentis captus erat Adam, ut perſpicaciorem intellectum ſibi polliceretur de eſu fructûs corporei. Quam ob cauſam *munus docendi in Eccleſia unicè in virum quadrare vult Apoſtolus, non in mulierem, tanquam in ſtatu etiam innocentiæ minus prudentem viro, utpote quæ ſeductioni locum dederit.* Quod ſi quacunque ratione ſive poſterior, ſive per mulierem, vel alio modo credatur ſeductus Adam, profectò vis perit argumento Apoſtolico. Et quid tandem opus prævio mentis errore ad id, ut peccatum admitteret Adamus? quod utique voluntate committitur, quæ eſt formaliter libera, & intellectum etiam rectè judicantem liberè ſequitur, ut itidem poſſit non ſequi. Quod in Aarone, in Salomone, in aliis deinceps factum, quidni primitùs Adamo potuiſſet contingere? Vnde nec ipſa in ſua excuſatione ſe deceptum queritur, ſed ſimpliciter: *Mulier*, inquit, *dedit mihi & comedi*; nec Deus alio eum accuſat titulo, quam quod *paruerit voci uxoris ſuæ*, magis ſcil. quam voci Divinæ: ut in electione error, ſive potiùs erratum, fuerit, non intellectu. Malebat enim uxori placere & peccati conſortem ſe ipſi præbere, quàm ab ea ſeſe, non-peccando, alienum reddere & placere Deo, utut meliùs rem haberet perſpectam. Atque ita, quod culpam aggravat, maximè ſciens, animo judicioque mentis integro peccavit, non per errorem à muliere vel Satana perſuaſus. Idque ipſum vocat Scriptura *inobedientiam*, & emphaticè, *unam offenſam* Rom. V, 16; rurſum ad diſtinctionem *prævaricationis Evæ, quæ plura involvebat peccata concurrentia & præcurrentia*, puta (1.) ſuperbiam, (2.) infidelitatem, (3.) gulam, quam demùm excipiebat (4.) conſummata præcepti Divini transgreſſio. Opinione quippe conſequendæ ſublimioris ſcientiæ inflata, affectans quod non decebat, verbo Dei, quo mortem de fructu vetito comedentibus interminatus erat, fidem derogat, & cupidiſſimo iſtius aſpectu delinita, tandem in opus prohibitum plenè conſentiens, pomum de arbore protervo auſu decerpere aggreditur, decerptum comedit, comeſti partem etiam marito præbet. Ille unâ offenſa, ſed eheu graviſſima, à mandato Dei poſitivo reſiliens inchoat pariter & conſummat peccatum per *inobedientiam* vel contumaciam, gratificaturus conjugi: *non quidem*, quod optimè monet Auguſtinus, *carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente Lege membrorum Legi mentis ſuæ, ſed*

ami-

amicabili quadam benevolentia, qua plerunq; fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus T. III. l. XI. de Gen. ad lit. c. 42. p. 677. Quæ tamen non ut apodictica proponimus, aut cuiquam obtrusa volumus, sed tantùm quod ita sibi omnia in Scripturis quàm planissimè constare, salvo interim aliorum judicio, arbitremur. *Modò id ratum sit, quod reapse Adam factus sit inobediens*, id quod ita esse Scriptura clamat: *de cætero parùm attinet altercari, quomodo adductus eò usq; processerit, vecordia, an contumacia, errore, an consilio.* Ipse interim inobediens & peccator factus nos unà secum peccatores & reos constituit: eoque nomine dici meretur terminus à quo, unde peccatum & mors cœperunt propagari.

Terminus ad quem, sunt omnes homines ex Adamo naturali & seminali ratione progeniti. *In eo* enim *omnes peccaverunt*, inquit Apostolus, & ab ipso proinde *mors in omnes homines pertransiit.* Ac rursum: *Unius inobedientiâ peccatores constituti sunt multi*; mutato signo universali in particulare, non tamen, ut adstringantur vires peccati ad paucos, sed multos opponendo uni. Eadem enim universalitate πολλὰς hîc dicit, qua priùs dixerat πάντας, intelligens, quotquot ex Adamo sunt procreati naturaliter & carnaliter per concubitum maris & feminæ. Terminus ad Quem peccati origin.

Solus itaq; Christus à communi sorte excipiendus. Et hunc sanè excipit ipsa Scriptura, nec id nuda asservatione, sed addita ratione, quod peculiari prorsus modo conceptus sit & prognatus, non ex virili semine, sed cœlico spiramine. Sic enim Angelus ad Josephum de Maria: *Quod in ea genitum est, de Spiritu S. est.* Matth. I, 20. Et ad Mariam ipsam: *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te: propterea id etiam, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. I, 35. Et *talis nos decebat* (nobis necessarius erat) *Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus* (non connumerandus iis) — *cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, priùs pro peccatis propriis offerre, deinde pro peccatis populi* &c. Ebr. VII, 26. 27. Peccatorum quidem pœnam sustinuit, mortem: sed non suo merito, neque ex necessitate, uti nos, sed pro nobis, libera sua voluntate, pro quibus ipse, qui *non nôrat peccatum* 2. Cor. V, 21. se ultrò *tradidit oblationem Deo*, Eph. V, 2.

Pontificii, solis inter eos Dominicanis dissentientibus, præter Christum, etiam Mariam matrem ejus (mirum, quod non aviam quoque, & abaviam) ab originali contagio eximunt: non quod ita sentire jubeat Scriptura, sed quod ipsis id ita videatur conveniens, & matri Domini honorificum esse: quocirca & Festum immaculatæ conceptionis cele- An Maria virgo absque peccato orig. fuerit?

celebrant d. 8. Decembris, quod cœpit in Latina Ecclesia circa Seculum XI. Præclarè autem & apertis verbis Seculo jam XII. S. Thomas: *Secundum fidem*, ait, *Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, præter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent redemtione, quæ est per Christum; quod est erroneum.* p. 2. q. 81. a. 3. Non minùs apertè Melchior Canus: *Sancti*, ait, *omnes, qui in ejus rei mentionem incidére, uno ore adseverarunt, beatam Virginem in peccato originali conceptam.* Loc. Theol. l. 7. c. 1. In re igitur tam luculenta quid pluribus opus est verbis?

An infantes Sanctorum nascantur sancti?

Intricatiùs nonnihil Calvini & Bezæ asseclæ, infantes à parentibus fidelibus & piis quibuscunque progenitos, quadam ab originali vitio immunitate donant, dum utero adhuc materno inclusos *jure hæreditario* in fœdere Dei gratioso ceu filios contineri, & sanctos atque Ecclesiæ membra esse affirmare sustinent. Et iidem tamen nil detractum volunt receptæ doctrinæ de peccato omnibus connato. *Nec enim*, inquiunt Leydenses, *sequitur, si reatus ipsis dimissus sit per gratiam, peccatum eos non contraxisse per naturam.* Disp. XV. th. 20. At sequitur interim, si reatus dimissus sit per gratiam ipsis nondum in lucem editis, ut maximè contraxerint peccatum, dum conciperentur, non nasci tamen in hunc mundum reos Deoque exosos, sed justificatos, sed ablutos, sed aptos ad regnum cœlorum, antequam ex aqua & Spiritu renascantur: Quod est profectò contra receptam doctrinam & expressa verba Christi Joh. III, 5. *Nisi quis renatus &c* contraq; illud Pauli: *Eramus & nos* (Judæi, filii fidelium) *natura* (nascendo) *filii iræ* (non filii & fœderati Dei,) *sicut & cæteri* (gentiles) i. e. pariter nati eramus devoti & obnoxii iræ Divinæ ac rei suppliciorum, nil eatenus distante ortu & ingressu nostro in hunc mundum ab illorum origine & genitura, Eph. II. 3. *Damus aliquid privilegii parvulis in Ecclesia natis* (*præ aliis, qui foris enascuntur*) *tanquam aditum habentibus liberrimum ad Ecclesiæ bona & gratiam fœderalem*: sed hanc ipsis in utero conferri, nondum præstitis præstandis h. e. baptismo, si is ordinariè haberi possit, nondum suscepto, id impugnamus, & reos in has lucis auras prodire, atque ob id lavacro regenerationis & renovationis indigere sentimus. *Non nascuntur enim Christiani, sed fiunt*, dicente Tertulliano.

Habemus duos terminos, unde, & in quos peccati labes ac tabes manaverit: ab Adamo, in omnes homines. Quî ita verò? inquies. Vix datur, modum traductionis plenè indagere. Vt aliquid tamen dicamus, tria mala in horrendo primi parentis lapsu concurrerunt: *Culpa actualis, Reatus legalis, Pravitas naturalis*; seu, quod idem, trans-

Tria mala in primi hominis lapsu.

gressio

greſſio mandati, pœna mortis, & corruptio naturæ. In eo, quod Adam pomo veſcebatur prohibito, admiſit culpam actualem: eo ipſo ſimul incurrebat reatum legalem, vi interminationis, qua Legem ſuam poſitivam Deus communiverat, dicendo: *Quo die comederis, morte morieris.* Ac ſtatim ſibi quoque accerſivit pravitatem naturalem ſive naturæ corruptionem, quam & in ſe deprehendit, ut primùm comederat. Nam tale quid denotat illa nuditas, cujus puditum eſt poſt lapſum. Erant homines jam etiam ante lapſum corpore nudi, nec id eos latebat, quod eſſent nudi; nil tamen eos pudebat: quoniam nihil pudendum animadvertebant. Id arguit magnam excellentiam & perfectionem iſtius ſtatûs, ac omnimodam appetitûs ſenſitivi membrorumque ei deſervientium ſub rationis jugum ſubjectionem. At verò poſt lapſum, cum jam cœpiſſet mens rebellare Deo, menti viciſſim rebellavit appetitus ſenſitivus, ac pravos & libidinoſos motus contra ejus juſſum & judicium edidit, propter quos puduit Adamum nuditatis ſuæ: ideóque *membra, quibus ea antehac inſolita turpitudo inerat præcipuè, tegenda judicabat*: quod & Eva fecit, ac gentes poſteà omnes, etiam barbaræ; ut nullum ſit dubium, quin pudorem injiciens nuditas depravationem naturæ & vitioſitatem ejus innuat.

Ecce nunc, ut ſingula hæc in poſteros ſuos Adam transfuderit! Culpa, qua ſe obſtrinxit, poſteros invaſit *participatione*: Reatus tenet eosdem *imputatione*: Pravitas & corruptio ineſt illis *naturali generatione.* Quomodo peccatum orig. in poſteros propagetur?

Ab Adamo, inquam, in ſuam poſteritatem transmiſſum eſt peccatum

I. Culpæ participatione; quatenus *ipſe cum poſteris ex ſe naſcituris unum conſtituebat moraliter*, ſicut & Chriſtus cum ſua Eccleſia & fidelibus. Eo igitur peccante cenſentur peccaſſe omnes poſteri, quippe pars ipſius. *In quo* proinde *omnes*, ut ait Apoſtolus, *peccaverunt*; *tunc, quando in ejus natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt*, explicante Auguſtino T. 7. l. 3 de pecc. mer. & rem. c. 7. p. 726. Sic hodienum liberi ſunt pars parentum: & ideò culpa parentum participatione eſt liberorum, in quos recidit: ac in communi *voluntas parentum interpretativè eſt liberorum voluntas*, quod vel in venditione obtinet, ut ſi parens domum vendat, id habeatur, tanquam ſi liberi in id conſenſiſſent, poſito etiam, contractum iſtum illis, ubi adoleverint, non probari.

II. Reatûs imputatione. *Gerebat enim primus parens perſonam totis generis ſui.* Ipſo itaque excidente gratia & reo facto, nos quoque excidimus & rei facti ſumus: cùm eâ Lege is acceperit dona gratuita, ut

ut, si peccaret, non ipse solus, sed ejus quoq; posteritas, favore pristino amisso, reatu comminatæ mortis involveretur; velut *inter homines quoq, feuda tali conditione dantur vasallis, ut, si ea per culpam perdant, filiis id ipsum luendum sit.* Nihil porrò frequentius, quam liberos cum noxiis parentibus pariter cladibus immergi & perire publicis, ceu in diluvio contigit: quod sanè est imputari illis reatum. Quapropter & *ad omnes homines* ex unius delicto *mors pervasit*, ut nos edocet Apostolus; *temporalis quidem actu*, ut impleatur illud: *Pulvis es, & in pulverem reverteris* Gen. III, 19. *æterna verò etiam reatu*, attestante Scriptura Rom. V, 18. *per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem:* ut pereundum sit morte æterna omnibus, nisi gratia Christi subveniat.

III. Naturali generatione. Quemadmodum enim per hanc natura trahitur, ita simul trajicitur pravitas & corruptio naturæ. Non debet hoc tamen physicè intelligi, quasi peccatum sit ex generatione, ut est generatio & actus quidam Physicus: nam eo respectu habet se generatio indifferenter ad propagandam integritatem & corruptionem naturæ; sed *moralis respectus hic potissimùm* attendendus est, quatenus parentes, qui generant, sunt peccatores in Adamo constituti, & gloria destituti apud Deum. Inde enim fit, ut defectus ille vitiosus transeat etiam in sobolem ex talibus parentibus longa generationis serie descendentem: simili modo, quo amissio feudi ex parentibus in eo statu generantibus derivatur in filios, vel aliàs ex ignobili nascitur ignobilis, ex egeno aut bonis suis ob rebellionem exuto egenus & bonorum omnium inops. Et sic *recens nati suos quisq, parentes cum defectu primævæ integritatis generantes proximam habent causam peccati originalis, quod ipsis inhæret.* Hi cum ex corruptione generent, cujus argumentum certissimum est inordinata concupiscentia, quæ ab actu generationis non abest; ideò sua conditione & modo agendi obstant, quò minùs Deus cum ipsorum generatione concurrens, ac animam in corpore sufficienter disposito, ne naturæ à se institutæ desit, hodienum producens, ei, quæ primo suæ existentiæ momento futura est anima hominis ex vitiata stirpe progeniti, suam addat imaginem, sed permittat proximos quosque parentes deficere, ac prolem sibi, quales sunt hodie, similem, h. e. expertem ejus, unde bona sit, & sine quo non nisi mala esse potest, progignere. Causa autem remota, sed potissima tamen, est Adam, cujus voluntaria transgressione & donorum primitùs concessorum excussione factum est, ut *generationi, quæ in conjugio præsertim legitimo hodieq, bona per se est, nunc per accidens adhæreat propagatio mali seu peccati,* Deo nobis, quod Adam sibi & nobis servare poterat

rat, & deseruit, justè negante. *Per unum* itaq; *hominem*, ut toties jam cum Apostolo diximus, *peccatum in mundum intravit* h. e. fluxit in universam ejus progeniem, perinde ut mors; ab Adamo nempe in filios, à filiis ad nepotes, per nepotes ad pronepotes, per illos ordine suo ad omnes posteros, ut junctim & indivulsè nunc quidem disseminentur natura & contagium peccati. Ex quo fundamento *peccatum origina-le dicimus non tantùm esse alienum, sed & cujusq; proprium peccatum. Alienum quidem, quoniam aliena voluntate est introductum. Proprium autem, quia in iis hæret, quibus imputatur, ipsa generatione ad singulos unà cum natura translatum.* Vnde & mors quemque propria corripit. Tam igitur peccatum hoc singulos attinet in proprio, quam natura, & naturæ inimica mors. Quo sensu *& naturale à nonnullis dicitur, non quod sit pars naturæ, aut ex natura profluxerit, sed in oppositione ad acersitum & personale,* quoniam cum natura trahitur, non à pridem natis hæc noxa acquiritur, & est vitium naturæ potiùs quam personæ, eo processu exortum, ut primùm quidem in Adamo persona infecerit naturam, posteà verò natura vitiata infecerit personam. Tali sensu hoc peccatum non incommodè dici potest *accidens naturale*, atque ita distingui ab aliis peccatis, quæ cum personalia sint & certorum individuorum propria, idcircò à parentibus in liberos per actum naturæ, qui est generatio, non propagantur: sicut nec justitia & sanctitas per regenerationem accepta communicatur soboli. *Tametsi enim aliqua accidentia personalia transfundat aliquando pater in filium, tamen id neq; necessarium est, nec semper fit.* Cujus ratio est, quod homo generat sibi similem in specie, non in individuo, communicans fœtui, quæ sunt communia toti naturæ, non, quæ sibi ut tali personæ conveniunt. In Judæis id videre est manifestissime, qui circumcisi cum sint, filios tamen gignunt cum præputio. Sic igitur & unum illud vitium à primo parente, ut principio naturæ, contractum, & hinc totam speciem concernens, ad posteros generatione naturali transmittitur; alia autem aliorum parentum peccata individualia non ita descendunt in filios, quoad scil. *contagionem culpæ*, nisi fortè rariusculè; sed sæpiùs tamen quoad *communicationem pœnæ*, de qua sermo est Exod. XX, 5.

Peccatum orig. & alienum est & cujusq; proprium.

Idem certo respectu dicitur etiam Naturale.

Item accidens naturale.

Ex dictis, opinor, satis liquet, esse aliquod peccatum ab ipsa nostri origine & nativitate nos corruptioni & Divinæ indignationi subjiciens, inde ab Adamo ad omnes ejus posteros deductum non imitatione, sed propagatione: neque necesse est, ejus probationem ex pluribus Scripturæ locis, cujusmodi Job. XIV, 4. Ps. LI, 8. & alibi extant, arcessere. *Vnus ille Paulinus*, qui hucusque, suo sanè merito, nos detinuit, *abundè hac quidem vice nobis suffecerit.* Itaque de eo, quod sit

tale aliquod peccatum in Adami posteros universos unà cum natura propagatum, ne verbulum addam. Quid sit autem illud, breviter dispiciendum est.

Peccatum orig. quid?

Rectissimè Autor noster: *Peccatum*, ait, *originis est carentia justitiæ originalis debitæ inesse*. Vel adhuc brevius: Est *privatio* justitiæ originalis. Nam carentia alicujus, quod inesse vel adesse debebat, dicitur una voce privatio. Quod si homo in prima sui creatione non esset evectus supra conditionem suæ naturæ in se consideratæ, & non accepisset illud donum justitiæ supernaturalis, fuisset tum illius carentia nuda negatio, non privatio. Nec enim pro tali statu debebat adesse, neque poterat divinitus ab homine requiri id, cujus usura ipsi concessa non esset. Nunc cum donum illud tribuerit Deus primo nostri generis prosatori, decebat eum, ex Lege primæ creationis & institutionis, id conservare & propagare, eodemque decorati debebant nasci omnes ejus posteri: quod quia hodie non fit, idcircò *ille defectus non est nuda carentia*, qualis est, quod homo non habet alas aut intellectum Angelicum, *sed est privatio*.

Et quoniam hæc privatio est opposita habitui justitiæ nobis primitùs concreatæ, ex hoc ipso *illa privatio peccatum esse* convincitur. Est aliàs homo per lapsum Protoplastarum pluribus immunitatibus & donis privatus, immortalitate, perpetua sanitate & felicitate Paradisiaca: sed *horum, quæ ad genus Physicum pertinent, carentia non est peccatum, sed peccati pœna*. Justitia autem illa concreata respiciebat genus morale, quippe faciens ad mores & ipsorum rectionem, ac de se ordinata ad subjectionem Deo debitam & consequendam æternam beatitudinem. Illius itaque carentia peccatum, *non præcisè peccati pœna*, credi debet. Præcisè, inquam. Nam quadantenus etiam pœna haberi potest, sumendo privationem pro actu privandi, & spectando maximè Adamum, cui in pœnam cessit, ejus posteritatem omnem in semet esse orbandam tam insigni justitiæ dono. In eodem interim Adamo hæc eadem privatio, prout ipsi formaliter inerat, peccatum fuit, quomodo & in nobis, quibus similiter inhæret, est peccatum. Impossibile namque, privationem habitui in genere morum oppositam non esse malum morale seu peccatum, *licet ex morali doctrina naturaliter cognitâ ejus ratio peti non possit*, cum de justitia etiam illa primigenia inde nil constet, perinde uti hec ex Physicis de primæva illa immortalitate, qua hodie caremus.

An P. O. rectè describatur per Privationem?

Jam verò utrum significanter satis peccatum originis per privationem justitiæ originalis describatur, dubitari possit. Et multis profectò, duas huius corruptionis partes esse constituendas, visum est,

nempe

nempe defectum & privationem boni, & pravam ad malum inclinationem: cum per eam nostra natura non tantùm bono destituta sit, sed & malis adeò imbuta & oppleta, ut otiosa esse non possit. Veruntamen, quod pace illorum dixerim, tanti hæc quidem non sunt, ut propterea insufficiens habenda sit illa *ab Anshelmo primùm inventa, & communis postea facta definitio.* Certissimè quæcunque ad exaggerandum originis malum undecunque afferuntur, in ipsa illa definitione jamdum continentur ex eâque fluunt. Erat justitia originalis posita in eximia ac salutari cognitione Dei quoad *intellectum*, & habitu sanctitatis quoad *voluntatem*, nec non perfecta *appetitûs sensitivi* cum ratione & voluntate concordia, ut ita homo Deo ad ipsius nutum inserviret, ejusque Legem servando ad æternam beatitudinem perduceretur. Horum tantorum bonorum privatio & jactura per se equidem non potest non extremam virium hominis corruptionem & destructionem, quin iliada malorum, secum ferre. Itaque qui recti, sapientes & boni conditi ab initio eramus, nunc, cum tales amplius non sumus, necessariò perversione, ignorantia, malitia laboramus, atq; hæc omnia ipsa illa carentia justitiæ originalis secum trahit.

Iustitia Originalis in quo constiterit?

Mens & intellectus, illustri illa notitia Dei amissa, quî possit aliter quàm caligine & tenebris involvi? haud secùs atque illi, cui lux extincta est, tenebræ insurgunt. Sic & voluntas pristina sua rectitudine deperdita, declivi cursu ad illicita fertur, jamque aversa à Deo & Divinis, prona ac præceps convertitur ad quævis alia Deo inimica & Lege ejus prohibita: pariterque appetitus sensitivus, excusso freno imaginis Divinæ, pleno impetu in delectabilia prorumpit, ludibrio habens, quicquid in contrarium nonnunquam ratio & voluntas dictitant. *In infantibus recens natis hæc ignorantia intellectûs, aversio voluntatis & rebellio appetitûs inest actu primo*, quatenus est in iis *privatio potentiæ* ad Deum, ut oportet, modumque salutis ne quidem successu temporis cognoscendum, ad eundemque Deum sanctè amandum, ejusque amorem omnibus delectabilibus præponendum. *In adultioribus autem hæc sese produnt actu secundo*, dum est in iis defectus cognitionis & amoris ac obedientiæ actualis: quo fit, ut gerant *tenebris obscuratam mentem abalienati à vita Dei propter ignorantiam existentem in ipsis* Eph. IV, 18. ac designent omnis generis *peccata*, tum carnalia, ut vocant, adulterium, fornicationem, impuritatem, lasciviam, excandescentiam, quæ per appetitum sensitivum committuntur, & peculiariter carnalia peccata vel *inquinamenta carnis* dicuntur 2. Cor. VII, 1. tum spiritualia, *quæ inquinamenta spiritûs* dicuntur, & ab appetitu rationali seu voluntate prodeunt, suntque superbia, inimicitiæ, contentiones,

veneficia, sectæ, idololatria, hæreses; enarrante & hæc & illa S. Paulo Gal. V, 17. *Aliàs nomine carnis in Scripturis tota corruptio denotatur, cũ in intellectu & voluntate, tum in appetitu, ceu materiali suo, residens;* quamvis in solo appetitu sit maximè conspicua. *Ista mala omnia dum privationem justitiæ originalis dicimus, simul innuimus:* idque vel ex Aphorismo nostro ad oculum patet.

Privatio justitiæ originalis in Adamo corrupit Intellectũ, Volunt. & Appet. Sensitivũ.

Idem ulteriùs patebit, Adamum contemplando, in *quo videmus, ipsa hac privatione per lapsum inducta tres illas potentias, intellectum, voluntatem & appetitum, actu tum ingens damnum accepisse.* Intellectus ejus, antea perspicacissimus, tunc offusis tenebris, quid de se prævaricatore futurum esset, num suppeteret medium, & quale, quo eriperetur ex damnatione, planè nulla conjectura assequi poterat. Hinc voluntate desperationi proxima Deum, quem unicè prius diligebat homo, aversabatur, præoptans in qualibuscunque densissimarum arborum recessibus perpetuò delitescere, quam ad Deum unquam accedere. Mox facultatibus his superioribus pessundatis, inferior quoque appetens, rectitudine sua amissa, contra rationis judicium pravo sese movit libidinis ardore, ob quos motus inopinatò animadversos puduit hominem nuditatis suæ, quæ pudorem antehac nullum intulerat. Hæc nimirum in ipsa illa justitiæ originalis privatione tum statim involvebantur. Atque *ad eum modum privationem & depravationem, defectum & infectionem hodieq; in Originis malo agnoscimus*, ac data definitione unà comprehendimus. *Est* enim, ut Chemn. inquit, *duplex privatio in peccato* I. *defectus ordinis & finis debiti inesse.* II. *Corruptio, conturbatio seu confusio ordinis Divini i. e. nihil privativum.* c. 5. de causa peccati. Scilicet *corruptio etiam illa, quam aliàs injustitiam, inordinatam dispositionem partium animæ, concupiscentiam & inclinationem, habitum deniq; connatum appellant, re accuratè expensa nil nisi privationem dicit, & ex privatione imaginis Divinæ familiam ducit.* Injustitia & pravitas in natura hominis, nihil est aliud quam privatio formaliter, etsi sit gradus atrocissimi. Inordinata dispositio quid est, nisi ἀταξία? ἀταξία autem quid, nisi defectus ordinis? Concupiscentia sanè & inclinatio res est positiva, quatenus vel appetitum in genere notat cum rationalem tum sensitivum, vel sensitivum in specie, vel eum peculiariter, qui concupiscibilis appellatur, vel omnino naturalem aliquam facultatem aut conditionem humanæ naturæ: sed hoc loco nil tale sonat, verùm vitium naturæ notat & ἀνομίαν ac privationem rectitudinis in concupiscendo, atque hinc cum addito dicitur ἐπιθυμία τῆς ἀπάτης Eph. IV, 22. σαρκὸς Gal. V, 16. σαρκικὴ 1. Pet. II, 11. κακὴ,


Col.

Col. III, 5. Appellatio verò habitûs non ideò huic peccato tribuitur, ut significetur propriè esse qualitas positiva, sed tantùm, *quia ad modum habitûs durabiliter homini adhæret*: quomodo & Apol. A. C. illam mentis ignorantiam, aversionem voluntatis & contumaciam appetitûs vocat *durabiles defectus*.

Et, ut hinc ad alia transitum paremus, *sunt eheu defectus illi nimiùm durabiles & permanentes, quibus ne renati quidem vacant*, quippe tota vita obnoxii ignorantiæ, dubitationibus & erroribus in mente, laborantes defectu amoris Divini & φιλαυτίᾳ in voluntate, sed & potissimùm in appetitu patientes inordinationem motuum, præter aut contra judicium rationis; ut opus sit ipsis subinde *renovatione spiritûs mentis suæ* Rom. XII, 2. Eph. IV, 23. & humili oratione: *Dimitte nobis debita nostra. Domine, quis novit delicta? Ab occultis libera me.* Nec enim audiendi sunt, qui corruptionem hanc, quam communiter Concupiscentiam solemus dicere, in renatis peccatum propriè dictum esse negant; quod Pontificii faciunt, qui in solis non renatis hos defectus culpæ rationem habere docent. Contra quos, præterquam quod Scriptura ipsa judicium fert Rom. VII. ubi disertè, nec semel, hoc malum renatis *adjacens peccatum* dicitur, & tale quidem, *quod repugnet legi mentis, & adversus Spiritum se efferat* h. e. propriè dictum peccatum; nos insuper hunc in modum argumentamur: Concupiscentia in actu primo & secundo, qualis est in hominibus ante regenerationem, supposita Lege, aut de se & natura sua peccatum est, aut non est. Si est, in renatis quoq; peccatum fuerit: nam ubicunque sit, naturam non exuit. Sin peccatum non est, neque in non renatis fuerit peccatum. Vel si dicas, saltem in renatis non esse peccatum, necesse quoque erit dicere, Legem de concupiscentia non habenda renatos non attinere. Quod prætenditur, reatum dimissum esse fidelibus per gratiam justificationis, simulque vim hujus concupiscentiæ fractam & imminutam per gratiam sanctificationis; id utrumque nihil ad rem facit. Etenim *peccatum tolli reatu & tolli actu, sive pro peccato quid non imputari & non esse peccatum, multùm inter se differunt: nec magis & minus mutant speciem*, sed graduum solummodò inferunt discrimen.

Concupiscentia etiam in renatis peccatum est.

Et hæc hactenus de peccato originis.



APHORISMUS III.

pag. 352.

Semper cum malo originis simul sunt actualia peccata, quæ in non renatis omnia sunt mortalia.

De peccatis actualibus.

VOcabulum actuale *in Scripturis sive V. sive N. Testamenti nullibi formaliter invenitur*, à priscis quoque Ecclesiæ Patribus rariùs usurpatum legitur, nisi quod Augustinus ea peccata, quæ ex originali proveniunt, vocat activa: *Baptismatis*, inquiens, *munus, quod contra originale peccatum donatum est, activa quoq; peccata, quacunq; corde, ore, opere admissa invenerit, tollit.* T. 3. Enchir. ad Laur. c. 64. p. 174. Interim voces planè idem significantes adhibentur in Scripturis, quales sunt τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς, Gal. V, 19. αἱ πράξεις τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου, Col. III, 9. & similes.

Magis autem juvat, usum hujus termini rectè percipere. Interdum enim peccatum actuale, strictè loquendo, id dicitur, quod est voluntarium, sive quod quisque contra Legem delinquendo addit ad id, quod nascendo traxit, interveniente voluntate, ejusque deliberatione & consilio. Aliàs verò, latiùs accipiendo, complectitur quoscunque motus & actiones sive internas sive externas cum Divina voluntate pugnantes, licet citra προαίρεσιν & inconsultò ac indeliberatè, quin vel ab invitis proficiscantur. Quales sunt in ipsis renatis illi motus repentini mentem prævenientes vel etiam aliquantisper *voluntatem rapientes*, priusquam plenè animadvertant renati; quibus ipsi tamen non delectantur & indulgent, sed repugnant, & deliberatum consensum subtrahunt: sicuti Paulus dicit, *se captivum duci à peccato in membris suis* Rom. VII, 23. Tales *violenti impetus & impulsus, strictè & accuratè loquendo, potiùs ad peccatum originis pertinent, à quo proximè & immediatè oriuntur, quam ad actualia peccata.* Hæc enim propriè sunt *actiones humanæ* i. e. tales, quæ ex rationis judicio & deliberata voluntate procedunt: cum primi illi motus sint tantùm, ut vocant, *actiones hominis* i. e. ab homine qualitercunque se habente profectæ. Unde & Apostolus, cum de se dixisset Rom. VII, 19. *Malum, quod nolo, hoc ago*, sibi motus concupiscentiæ tribuens, tanquam aliquid, quod ipse

Motus pravi violenti quò pertineant?

agat h. e. ut actuale peccatum, statim ℣. 20. restrictionem hanc subjicit: *Quod si autem id facio, quod nolo — non ampliùs ego id perpetro, sed quod in me habitat peccatum*, negans id se propriè agere, quod non priùs dijudicat intellectus & approbat voluntas: quæ superiores facultates dant homini, ut sit homo, & ejus actionibus, ut sint humanæ; & ideò non tam sibi actiones illas involuntarias vindicat, quam ad peccatum originis refert: ut propterea commodissimè dicantur *actus secundi originalis peccati*, & in rigore quidem, non prout cætera actualia omnia ab originali emanant, sed peculiari ratione, *quatenus hi motus sunt à peccato originis immediatè prorsus*, nullo interveniente actu deliberato voluntatis.

Huc respiciens Chemnitius c. de pecc. act. n. 4. assignat *quinq; gradus in peccato*, quorum I. *est fomes sive depravatio inhærens, quæ complectitur etiam defectus*. II. *Suggestiones cogitationum & affectuum i. e. quando depravatio originalis movet se aliqua inclinatione*. III. *Delectatio*. IV. *Consensio*. V. *Ipsum opus. Ex his*, ait, *gradibus primi duo pertinent ad peccatum originale, reliqui tres ad actuale peccatum*. Et mox: *Ergò concupiscentia, sive inclinationibus moveatur, sive flammis affectuum tumultuetur, pertinet ad peccatum originale. Actualis autem concupiscentia* Col. III, 5. *est, quando accedit delectatio, consensus &c. Hæc sunt*, inquit, *plana*. p. m. 257. Quinque gradus in peccato.

Et hoc quoque planum est, loqui isthîc Chemnitium de adultioribus, in quos cadit scientia & προαίρεσις, ad actiones humanas requisitæ. Ex cujus proinde sententia *minimè omnium illos motus inordinatos, iræ v. g. vel cupiditatis, quos in infantibus videmus per ipsam ætatem scientiæ & proæreseos incapacibus, peccata actualia dici, ἀκυρολογίᾳ vacabit*. Sed tamen de appellatione, uti Vir ille & Theologus omni laude major ibidem etiam judicat, cum nemine est contendendum, *si quis*, quæ ejus verba sunt, *sophisticè urgeat, omnes motus & actiones contra Legem Dei pertinere ad peccatum actuale*. Id certum est & simplicissimum, peccatum inhabitans, ut nominat Apostolus, & esse actu, & actuosum etiam & operosum, ut non possit quiescere, quin vitiosos motus excitet. Atque hoc fortè sensu Autor noster, *Semper*, ait, *cum malo originis simul sunt actualia peccata*; qui, dum subjungit: *quæ in non renatis omnia sunt mortalia*, ad partitionem nos vocat actualium peccatorum.

Non una autem sed variæ hîc subdivisiones dantur, quarum potiores, ut vulgò tradi solent, enarrabimus.

Et I. dividitur actuale peccatum in id, quod est Commissionis, & id, quod est Omissionis. Commissionis peccata sunt, quæ pugnant cum I. Peccata Commissionis & Omissionis.

cum lege negante ac prohibente aliquid, ut, adulterium, homicidium, furtum, quæ legibus illis repugnant: *Non mœchaberis, Non occides, Non furtum facies.* Omissionis verò ea peccata dicuntur, quæ violant leges affirmantes & imperantes aliquid, ut cum quis parentibus debitum honorem non exhibet, contra illud: *Honora patrem tuum & matrem tuam. Hæc itaq; partitio sumitur ex ipsa Lege, prout ea complectitur præcepta affirmantia, vel negantia.*

Ac interdum sanè peccatũ omissionis habet conjunctum aliquem actum positivum, sive interiorem, ab ipsa voluntate elicitum, quod fit, cum quis sibi proponit, se hoc vel illud neglecturum, *sive etiam exteriorem*, qui remoram injiciat actui divinitus præcepto. Atque ita Saul parcendo Amalekitarum regi, quem jussus erat penitùs exscindere, quod erat peccatum omissionis, dicitur nihilominùs *malum commisisse in oculis Domini* 1. Sam. XV, 19. ac adeò peccati commissionis arguitur, quoniam positivum actum malæ voluntatis suæ opposuit voluntati Divinæ. Veruntamen *potest peccatum omissionis esse etiam sine omni actu seu interno seu externo*, si quis, quæ sui sunt officii, & vel Deo vel proximo à se debentur, negligat, planè non cogitans ea de re, ac nullam debiti actûs intermissionem sibi proponens, vel animo volvens.

II. Peccata in Deum, in Proximum, & in Nosmetipsos commissa.

II. *Juxta varietatem eorum, qui potissimum peccato læduntur*, alia peccata sunt in Deum commissa, alia in proximum, alia in nosmetipsos: Intellige, *immediatè & modo quodam speciali.* Nam alioqui omnia peccata in Deum tendunt, ratione objecti principalis & adæquati, quia contra ejus voluntatem perpetrantur: omnia item generali ratione sunt contra nosipsos, quia privant nos gratia & amicitia Dei, nobisque causa existunt damnationis. Immediatè tamen in Deum, sunt omnes primæ tabulæ transgressiones. In proximum, omnia secundæ tabulæ peccata. In teipsum verò speciatim peccas, si, quæ vetita sunt admitti in proximum, eadem in te perpetres, ut, si tibi manus inferas, aut alia ratione te occidas: si corpus tuum scortationibus commacules: si te turpiter inebries, bona tua profundas, aut contrà avarus sis in teipsum, si temetipsum infamem reddas &c. Adversus quæ peccati genera nos muniens Apostolus monet, ut *sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo* Tit. II, 12. Sobriè videlicet, quoad nos: justè, quoad proximum: piè, quoad Deum.

III. Peccata Propria & Aliena.

III. Peccatorum alia sunt propria, alia sunt aliena. Propria sunt, quæ nos ipsi admittimus: aliena, quæ alii; sed non sine nobis, aut probantibus, aut consulentibus, aut juvantibus, aut conniventibus, aut non impedientibus, aut denique aliam causam vel occasionem præbentibus,

ac proinde, quæ nobis etiam imputentur. De his Apostolus 1. Tim. V, 22. *Ne cuivis citò manum imponas, neq; communices*, tuo consensu & approbatione, *alienis peccatis*. Duo enim præcipere videtur Apostolus Timotheo: Vnum, ne temerè quempiam ordinet ad ministerium, quoniam, si indignos ordinet, quicquid posteà ab illis peccabitur, illud ipsi quoque Episcopo ex parte imputabitur. Alterum: quod si alii velint eos ordinare indignos, ne ipse saltem consentiat, sed servet se purum. Significat igitur illos, qui aliquo modo consentiunt aut connivent, alienorum peccatorum labe contaminari.

IV *Respectu principii interni* aliud peccatum est ignorantiæ, aliud infirmitatis, aliud malitiæ. De peccatis ex ignorantia & ex malitia admissis Christus apertè locutus est eaque inter se distinxit, cum dixit: *Servus nesciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit. Servus autem sciens & non faciens vapulabit multis*, Luc. XII, 47. 48. De peccatis ex imbecillitate idem Christus dixit: *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma* Matth. XXVI, 41. IV. Peccata Ignorantiæ, Infirmitatis, & Malitiæ.

Notabis hîc I. quod attinet ignorantiam, intelligi hîc non invincibilem, cum quis ignorat, quæ scire quidem debebat, sed nullatenus poterat: hæc enim prorsus est involuntaria: sed *vincibilem & voluntariam*; nec eam tamen affectatam, in quam voluntas directè fertur, eligens ignorare, sive ad hoc, ut magis liberè & sine remorsu peccet, veluti si quis benè consulere volenti dicat: Nolo facias mihi scrupulum; sive ob alium quemcunque finem: qualis ignorantia est peccatum ex malitia; verùm *indirectè voluntariam*, quæ est eorum, qui vel laborem fugientes vel certè aliud agentes negligunt discere ea, quæ scire tenentur & poterant. De tali peccato sermo est 1. Cor. II, 8. *Si cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent*. 1. Tim. I, 13. *Mei misertus est* Christus, *quia ignorans faciebam in incredulitate*. Et Act. III, 17. *Sed nunc, fratres, scio vos per ignorantiam ista fecisse, sicut & primores vestros*.

II. Ex infirmitate is peccat, cui infirmitas est causa peccandi, i. e. qui, cum esset bonæ voluntatis, supervenienti carnis tentationi tanquam infirmior cedit ac succumbit. Quale fuit peccatum Petri negantis Christum reclamante conscientia, & quidem cum exsecratione, adeoque voluntariè, sed tamen ex periculi circumstantis horrore. Cujusmodi multa committuntur ex ira, metu, cupiditate aliisque passionibus, juxta illud Jac. I, 14. *Vnusquisq; tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur &c.* Vnde & *peccata ista passioni tribuuntur, tanquam causæ*, & ex passione committi dicuntur. Vbi tamen rursum non debet intelligi passio affectata & ultrò à voluntate excitata; tum enim

peccati inde exorti causa non est passio, sed prava voluntas concupiscentiam liberè provocans: quod ipsum quoque est ex malitia peccare; sed *passio intelligitur antecedens voluntatis consensum & quodammodò extorquens*, ut fit in subita ac vehementi affectuum perturbatione.

III. Ex malitia dicuntur peccare illi, quibus neque ignorantia neque passio peccandi causa est, sed vel consuetudine, vel odio, vel superbia, vel invidia, vel alio simili habitu depravata voluntas: & in universum, *qui ex certa scientia peccant*. Quapropter & eorum peccatum *merè & perfectè voluntarium est*, quippe à quo abest omnis cùm ignorantia tum passio, quæ alioquin rationem voluntarii, & per consequens culpæ gravitatem aliquo modo imminuunt, atque ita peccantem reddunt indulgentiæ viciniorem, dum removent prohibens, deliberatam scil. malitiam, ceu in Paulo videre est 1. Tim. I, 13. Nihil tale in hoc genere peccati reperitur, sed plena libertas & voluntas, plena scientia & industria. In quo censu malitiæ sunt inprimis omnia dæmonum peccata. Deinde primi hominis peccatum. Porrò Pharaonis Israëlitas detinentis, Pharisæorum & Scribarum Christum prosequentium, ac plurimorum tum temporis Judæorum, etiam eorum, qui benè se facere & Deo obsequium præstare eo ipso, quod Christum affligebant, arbitrabantur, malitia voluntatis excœcante mentem ipsorum.

IV. Inter prædicta igitur tria peccatorum genera *gravissimum est peccatum ex malitia*, tum quia maximè liberum est, tum etiam, quia fit cum majori contemtu. Quantum ad duo reliqua, *peccatum ex passione, cæteris paribus, gravius est peccato, quod fit ex ignorantia*, quia magis est voluntarium, & faciliùs potest evitari, ut est apud Becanum p. 2. Th. Sch. tr. 2. c. 4.

V. Peccata mortalia & venialia.

V. Et celeberrima, quam & Aphorismus noster innuit, divisio peccati est in mortale seu *regnans*, & veniale seu *non regnans*. De utroque satis clarè loquitur Apostolus. De peccato regnante & mortali, Rom. VI, 12. *non regnet igitur peccatum in corpore vestro mortali, ut auscultetis ei in concupiscentiis suis, neq; sistite membra vestra arma injustitiæ peccato*. Et c. VIII, 12. *Debitores sumus, fratres, non carni, ut secundum carnem vivamus. Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Hîc habemus, quid sit regnans & mortale peccatum. Nempe, tum regnat peccatum, quando homo se ipsi dedit ac servit; quod indicat Apostolus *fieri duobus modis*. Vno; *per consensum mentis*, quando ipsi auscultamus in concupiscentiis suis. Altero, *per executionem operis*, quando id, ad quod inclinat prava concupiscentia, opere ipso completur, & membra corporis fiunt instrumenta exsequendæ mali-

tiæ

tiæ & iniquitati. Tale peccatum eſt mortiferum & lethale, ſicut dicitur in illis poſterioribus verbis: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini* i. e. pœna æternæ mortis vos manebit. *Vt mortale hîc non id ſaltem dicatur, quod dignum morte eſt, ſed quod mortem æternam ſeu damnationem actu infert*, peccato ſc. per pœnitentiam accuratam non deleto. Idem dicit Jacobus Ep. c. I, 16. *Peccatum peractum gignit mortem* i. e. ad mortem certò deducit, niſi ab eo deſiſtas.

De veniali autem & non regnante extat teſtimonium Rom. VIII, 1. *Nulla igitur nunc eſt condemnatio* (nihil, quod condemnationem actu inducat) *iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum.* Si condemnatio abeſt à Chriſti fidelibus & carnalem concupiſcentiam ducem non ſequentibus; manifeſtum eſt, veniam illis reliquiarum peccati, quæ, dum hîc vivitur, in carne hærent, concedi, iſtæque adeò reliquiæ & pravæ inclinationes, quibus fideles vel inviti ſunt obnoxii ac regnum non permittunt, poterunt venialia peccata non malè appellari.

Vt rectiùs hæc autem ab omnibus cognoſcantur, oportet tria circa hanc diſtinctionem indubitatò ſupponi.

I. *Cavere ſibi hominem fidelem & debere ex mandato Dei, & poſſe, per adjutorium gratiæ ejus, à peccatis, ut vocant, regnantibus ac conſcientiam vaſtantibus*, quæ ex propoſito fiunt ac deliberato animo, advertente ratione & conſentiente voluntate: nec id ſaltem ita, ut ab uno horum aut altero ſibi temperet, ſed ut pariter *omnibus* abſtineat. *Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occides*, Jac. II, 11. neq; hoc ipſis præſtitu impoſſibile eſſe, Paulus docet Rom. VI, 14. dicens: *Peccatum vobis non dominabitur* i. e. dominari invitis non poterit: *quoniam non eſtis ſub Lege* i. e. vobis relicti veſtriſque viribus & legi nullas adverſus peccatum ſuppetias ferenti, *ſed ſub gratia*, ſc. conſecuti gratuitum auxilium & opem Spiritus Sancti, ad excutiendum jugum peccati. Inde eſt, quod S. Johannes 1. ep. III, 9. peccatorum fugam propriam renatis facit: *Quiſquis natus eſt ex Deo*, inquit, *peccatum non facit* (peccata omni ſtudio fugit, nec iis operam dat aut indulget) *quoniam ſemen ejus in eo manet, nec poteſt* (quatenus & quamdiu talis) *peccare*, (ſciens & volens) *eo quod ex Deo natus eſt*; niſi videlicet à nativitate cœleſti, quamq; ex ea habet, indole velit penitùs deſciſcere, fidem & Spiritum S. ejicere, ac ſtatu gratiæ deturbari, inq; ſtatum iræ ac damnationis reponi. Quin *per hoc*, ait, *manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli*; quod illi ſc. peccata cavent, hi iis ſe tradunt, ℣. 10. Et præcedente 8. *Qui dat operam peccato* (in peccatis ſtrenuè vivit) *ex diabolo eſt*, nempe imitando eum, ejus faciendo opera, explendo cupiditates,

Fidelis cavere ſibi debet ac poteſt à peccatis regnantibus.

tes, ut habetur explicatio Joh. IIX, 44. *Hoc* itaque *secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*: quemadmodum habet Canon XXV. Concilii Arausicani secundi. Adimplendis hisce faciet inter alias precationes illa maximè Davidis Psal. CXIX, 133. *Gressus meos dirige in sermone tuo, ne dominetur in me ulla iniquitas. Quæ verba* monente Autore nostro p. 354. *nobis in quotidiana precatione usurpanda erant, & simul cogitandum, quam horrenda res sit dominans peccatum.* Atque hoc primò teneri debet.

Non potest tamen immunis esse ab omnibus lapsibus.

II. Æquè certum id debet esse, quantumcunque à peccatis sibi caverit homo fidelis, *non posse tamen vel sanctissimos & justissimos immunes penitùs esse ab omnibus peccatis & quotidianis lapsibus*, ob fragilitatem humanæ naturæ in hac mortali vita: Idque nec ab ipsis exigi. Non enim dicitur: *ne sit* peccatum in vobis; sed, *ne regnet* in corpore vestro. Nam ne sit peccatum in justificatis, nulla cohortatio efficere potest, quamdiu carnem circumferunt. Quis queat namque evitare omnes motus & desideria illicita, adversus judicium mentis & sine consensu voluntatis insurgentia? Idem igitur Apostolus, qui dicit, *natos ex Deo peccatum non facere*, affirmat c. præc. I, 8. se & omnes sui similes habere peccatum. *Si dixerimus*, inquit, *nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Habere* autem *peccatum*, est, concupiscentiam pravam seu propensionem & affectum peccandi habere. Quippe, ut in locum hunc annotat Wilh. Estius, *in hoc seculo nemo reperitur, qui plenè purgatus sit ab omni inordinato & vitioso affectu.* Et alias constat, duo esse in quovis renato maximè inter se diversa, imò adversa, quorũ unum in Scripturis dicitur *Caro*, alterum *Spiritus*. Gal. V, 16. unum *Vetus homo*, alterum *Novus homo*, Eph. IV, 22. 24. unum *Lex membrorum*, alterum *Lex mentis* Rom. VII, 23. unde contrariæ oriuntur inclinationes, cumque illam deteriorem exstirpare non detur, subjacet homo necessitati peccatum habendi, quamdiu vitam hanc vivit, ac dicendum illi cum Apostolo: *Novi, non habitare in me h. e. in carne mea bonum* Rom. VII, 18. Deinde peccatum habere, est, quotidie non quidem ex proposito, sed per imprudentiam tamen ac naturæ fragilitatem peccare ac cespitare, sicut Eccles. VII, 20. scriptum est: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Et Jac. III, 2. *In multis impingimus omnes. Quia*, ut Augustinus inquit, *sæpè in levissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum. Et justi fuerunt, & sine peccato non fuerunt*, l. de natura & gratia c. 38. Idem rursus: *Multi baptizati fideles sunt sine crimine: sine peccato autem*

in hac vita neminem dixerim. l. 1. contra duas epistolas Pelagii c. 14. Eapropter etiam Sanctis orandum pro remissione peccatorum; idque non *humiliter* saltem, sed *veraciter*, ut declarat Concil. Milevit. can. 8. Hoc ergò altero loco ita habendum est.

III. Non minùs illud in confessò positum est, *tales defectus & nævos ac rebelles motus, quales in renatis reliqui ex mortali hac vita tolli neque-unt, non hoc efficere, ut, qui eos habent, iisq; præventi alicubi impingunt, justi & sancti esse idcircò desinant, ac reatu æternæ mortis reapse incurrant.* Nam si saltem regnū illis auferatur, deq; cætero homo fidelis eos agnoscat, deploret, ac veniam ipsorum petat fide in Christum Redemtorem, futurum est, ut illæ peccatorum reliquiæ, utcunque fideli insint, tamen lethales non sint: *sicut* vespæ amisso aculeo pungere non possunt, etsi multum obstrepant. Hoc *evincunt omnia illa Scripturæ loca, quæ indicant, neminem sine peccato vivere, collata cum iis, quæ justos aliquos & inculpatè viventes & Dei amicos ac regni ejus hæredes agnoscunt.* Ex hac enim collatione invictè concluditur, esse quædam peccata, quæ cum justitia & sanctitate stare possint, nec regno & gratia Dei excludant. Ex antiquitate Ecclesiastica rectè hunc in sensum Augustinus l. 3. contra duas epistolas Pelag. c. 3. *Quamvis,* inquit, *diabolus sit autor & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunq; peccata. Peccant enim & Filii Dei &c.* Et huic coætaneus Gennadius: *Nullus sanctus & justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, quum affectu teneat sanctitatem.* l. de Ecclesiast. dogm. c. 86. Imò quid clarius illo Apostoli jam ante citato Rom. VIII, 1? *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundùm spiritum.* Dicit fore aliquos à damnatione tutos, non eos quidem, qui nihil carnale habent, sed qui, cum sint in carne, ejusque sentiant ebullientes motus, vitam tamen suam ita componunt, ut non, quicquid caro dictitat, approbent & executioni mandent, sed qui carnem spiritui subjiciant.

Sed nec propter illos damnantur.

Atque hæc tria circa præsentem distinctionem immmoto assensu tenenda sunt, tanquam indubiæ suppositiones. Ac tenentur ita sanè cum à nostris, tum à Pontificiæ partis Doctoribus. Videatur saltem Bellar. l. 1. de amiss. gr. & statu pecc. c. 5. & 6. dimidio. Circa primum autem membrum cum Calvinianis intercedit controversia docentibus, semel justificatos, utut cum Davide adulterentur, cum Petro abnegent, aut ejusmodi alia grandiora scelera designent, quæ nos mortalia dicimus, non excidere tamen gratia Divina, nec fidem & Spiritum Sanctum excutere, inque statum iræ & damnationis relabi.

Calvinianorū sententia de peccatis Sanctorum.

Vnde

Vnde consequitur, nullam esse respectu fidelium & renatorum distinctionem inter peccata mortalia & venialia. Nam omnia etiam enormia flagitia semel justificatorum erunt veniales offensæ. Quin liberè eo pacto poterunt fideles in luto peccatorum volutari, homicidæ, adulteri, perjuri evadere: cum sint persuasi, fidem & justitiam sibi non perire, nec iram Dei damnationemque imminere. Quæ doctrina profectò est abominanda, nec indignè confutata à Bellarm. lib. cit. c. 7. Istum Pontificiorum consensum pro præsenti accipimus, atque confirmata sic satis esse tria illa præsupposita, arbitramur.

An peccata venialia sint talia ex se, aut per accidens?

Vnum superest quarto loco indagandum: Vtrum peccata, quæ diximus in sanctis remanere & reatum æternæ mortis actu non inducere, sint naturâ suâ ita comparata, ut ne quidem secundum justitiæ Leges possint inducere; an verò ex accidenti hoc habeant, quod hominem Deo infensum pœnisque æternis obnoxium non reddunt, cum de sese & citra relationem ad misericordiam Dei vel ad statum renatorum, possint maximè? Hic priorem quæstionis partem arripiunt *Pontificii*, & peccata illa renatorum leviora, quibus carere hæc vita nequit, naturâ suâ, ex genere videlicet suo, aut ob imperfectionem & exiguitatem operis, venialia esse h. e. digna condonatione & veniâ contendunt. Reatum temporalis pœnæ vel hac in vita vel aliquando in Purgatorio luendæ admittunt. Ast æternas gehennæ pœnas tali peccato reddi posse vel debere pernegant. Et huc trahunt locum Matth. V, 21. 22. quem sufficienter exposuit G. Calixtus Conc. Evang. l. 3. c. 5. p. 131. Nobis contra certum est, *singula peccata suâ naturâ mortalia esse & æternæ pœnæ meritoria*. Etenim quia quodlibet peccatum, sive grande, sive minutum, sive cujuscunque gradus (nam peccatorum gradus non negamus) in infinitam Dei majestatem committitur: quia unumquodque in Legem impingit ceu normam infinitæ justitiæ Dei, quam qui non exactè servat universam, ei incumbit maledictio à Lege intentata: quia præterea quodlibet est exsolutum infiniti valoris precio, morte Filii Dei, in cujus nomine & remissionem petimus omnium peccatorum; quis dubitet amplius, quodcunque peccatum de se esse dignum infinita pœna & æterno exitio, si ad jus strictum exigatur? Vt non frustra DEVM suum inclamet Augustinus: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam*! Confess. l. IX. c. ult. Interim est aliquod in renatis veniale, quod, cum omnino, quantum in se est, & ex rigore Legis, possit accersere iram æternam, tamen de facto non accersit, cum sit in homine renato, quem citra consensum plenum & deliberatum ex humana imbecillitate peccantem misericors DEVS, juxta gratuitum pactum Evangelicum

cum venia dignatur. *Refert hîc, non quantillum, sed à quo peccetur. Et Veniale dicitur, non, quod meretur veniam, sed cui venia gratuitò datur.* Non aliam hîc itaq;, quàm hanc Lutheri thesin ponimus è Com. c. 5. ad Gal. *Peccatū distinguitur in mortale & veniale non ob substantiam facti, sed personam: non juxta differentiam peccatorum admissorum, sed peccatorū ea admittentium.* Potest sanè aliquod veniale dici etiam *ab eventu*, & sic omne illud veniale est, quod per pœnitentiam expiatur, licet secundùm se sit maximè mortale; nec id negat Bellarminus. Quin hac ratione omnia electorum peccata, quantacunque sint, dici possunt venialia. Posito enim quod sint electi, necessariò ad pœnitentiam se convertunt ante finem vitæ, eâque mediante veniam peccatorum consequuntur. Imò & infidelium peccata omnia eatenus venialia sunt, si deposita infidelitate fidem suscipiunt. Sed de hujus generis venialibus non est quæstio. Controvertitur unicè de iis, quæ nos venialia dicimus *ratione personæ.* Satis clarè autem de iis Apostolus Rom. VIII, 1. *Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu*; ad qualitatem non peccati, sed personæ respiciens. Quocirca cautè loquens non ait: *Nihil* illis inesse *damnabile*, sive quod damnari queat in se, aut cujus merito justè damnabiles esse possint: Sed *nulla*, inquit, est *condemnatio* h.e. nihil actu damnans; subintellige, ex pacto, quod Deus iniit cum homine in Evangelio, cujus hic tenor est: Si fidelis fueris, si tibi caveris à peccatis contra conscientiam, si consultò & præfractè me non offenderis, errata cætera vitæ hujus caducæ tibi non imputantor. Extra gratiam hanc Evangelii cum sint constituti infideles & non-renati, proinde non habent, quod ullius peccati vel minimi veniam sibi spondeant. Quî possit enim citra gratiam Dei, qua carent non-renati, ullum ipsis dimitti peccatum? Ipsorum igitur respectu nullum est veniale peccatum, sed, ut Aphorismus noster habet, *in non-renatis omnia sunt mortalia*: neque id, ut Bellarm. criminatur lib. cit. c. II. *manifestè falsum atq; absurdum est*, sed apertè verum atque necessarium. Claudat hanc distinctionem ingenua confessio Azorii l. 4. c. 10. *Communi Theologorum sententia dicendum arbitror, venialis remissionem peccati gratuitum & supernaturale esse beneficium Dei. Nemini extra gratiam Dei constituto peccatum veniale dimittitur.*

Denique VI. Peccatum aliud dicitur committi in Filium hominis, aliud in Spiritum Sanctum Matth. XII, 31. Marc. III, 29. Luc. XII, 10. Peccatum in Filium hominis est doctrinæ Evangelicæ vel nondum agnitæ, adeoque per ignorantiam, oppugnatio & blasphematio, qualis erat in Paulo nondum converso 1. Tim. I, 13. vel jam agnitæ, ex infir- *VI. Peccatum in Filium hominis. Peccatum in Spir. S.*

mitate & metu periculi, sine ulla tamen speciali blasphemia, abnegatio: cujusmodi peccatum Petrus admisit Matth. XXVI, 72.

Peccatum in Spiritum S. est veritatis penitùs agnitæ & in corde approbatæ malitiosa, nullius boni spe aut mali metu suscepta, ac pertinax abnegatio, oppugnatio, blasphematio, adeòque omnium salutis mediorum abjectio & conculcatio: quo crimine se obstrinxere Pharisæi. Dicitur *in Spiritum S.* quia hujus officium est illuminare & convertere corda hominum per Verbum & Sacramenta, quæ media contumeliosè rejiciuntur à taliter peccantibus. Dicitur etiam *irremissibile*, quia liberrima hæc mediorum rejectio comitem individuum habet obstinatum animum perseverandi, ut *impossibile* sit tales *renovari ad pœnitentiam*, Ebr. VI, 6. Quo ipso longissimè differt hoc peccatum ab aliis, cum quibus impœnitentia finalis per accidens cohæret; quæ proinde licet *irremissa* sint sæpiùs, simpliciter tamen & natura sua ac necessariò non sunt *irremissibilia*.

Plura videantur apud alios. Nos hîc receptui canimus.

TESTIMONIA VETERVM.

Τὰ κακὰ πότερον ὀυσίαι σοι δοκοῦσιν εἶναι, ἢ ποιότητες ὀυσιῶν; ποιότητας ὀυσιῶν εὖ ἔχειν λέγειν μοι δοκεῖ. *Maximus Hierosol. Episcopus apud Euseb. l. 7. de Præpar. Evang. c. ult.*

Sicut cœcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cœci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. *August. l. 5. contra Julian. c. 3.*

Firmissimè tene & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur; sive cum de matribus nati sine Sacramento baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt. *Id. l. ad Petrum Diaconum c. 27.*



LOCUS V.

DE

LEGE ET EVANGELIO.



QVoniam *pecatum est transgressio Legis* 1. Joh. III, 4. & *peccati agnitio ex Lege est* Rom. III, 20; ideò convenit Locos de Peccato & de Lege esse conjunctissimos, cumque hoc posteriore vi oppositionis, rectè conglutinatur Locus de Evangelio. Nos circa utrumque doctrinæ caput monebimus, quæ Autor noster monenda suggeret.

Partis Prima

DE LEGE

APHORISMUS I.

pag. 356.

Lex Dei est doctrina à Deo tradita, præcipiens, quales nos esse, & quæ facere, quæ omittere oporteat, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuncians irasci Deum & punire æterna morte non præstantes perfectam obedientiam.

Vocis Legis etymologia.

LEx Latinis dicitur vel à ligando, quod obliget, quibus lata est: vel à deligendo, quod in Lege insit delectus rerum agendarum. Ebræis תורה dicitur à rad. ירה quæ in Hiphil *docere* significat. Græcis *νόμος*, ἀπὸ τοῦ *νέμειν* à distribuendo. Lex enim unicuique distribuit,

quod

quod ipsi competit. Germanicè ein Gesetz oder Satzung/ i. e. statutum vel constitutio. Ex quibus etymologiis inter se junctis descriptio fluit talis: Lex est constitutio docens honesta, & cum obligatione praescribens actionum delectum, ut suum cuique tribuatur.

Ejus variae acceptiones in Scriptura.

In S. Scriptura Lex diversis significationibus accipitur. Primum pro quavis doctrina aliquid praescribente, quae Deum autorem habeat Ps. I, 2. XIX, 8. quâ ratione Evangelium etiam dicitur Lex Esa. II, 3. *De Zion exibit Lex, & praeceptum Domini de Jerusalem.* Jer. XXXI, 33. *Indam Legem meam menti eorum & cordi eorum inscribam eam.* Sic Rom. III, 27. Evangelium vocatur *Lex fidei* μιμηλικῶς i. e. doctrina quae salutem proponit sub conditione, Si credideris. Et in genere totam religionem significaturus Apostolus, se *Pharisaeum* fuisse dicit *secundum Legem* i. e. religione & professione Phil. III, 6. Deinde speciatim sumitur aut pro Lege morali, ut Luc. X, 26. aut pro ceremoniali, ut Luc. II, 22. aut pro forensi, ut Joh. XIX, 7. Porrò cum distinctè enumerantur Lex, Prophetae & Psalmi, accipitur nomen Legis non nisi pro libris Mosis, praecepta Legis potissimùm complectentibus, ut Luc. XXIV, 44. *Quae scripta sunt in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis.* Et Rom. III, 21. *Justitia fidei testimonium habet in Lege & Prophetis.* Aliàs pro omnibus libris V. T. sumitur, ut Joh. X, 34. *Nonne scriptum est in vestra Lege? Dixi, vos Dii estis*; quae verba tamen non in Lege seu libris Mosis legalibus extant, sed in Psalmis.

Usurpatur quoque, in oppositione ad gratiam & Spiritum gratiae, nonnunquam pro rigore Legis, quem ἀκριβοδίκαιον Graeci appellant, nos condemnante, ut Gal. V, 18. *Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege.* Tum in oppositione temporis Christi exhibiti, pro tota Mosis politia seu oeconomia, ut Gal. III, 23. *Priusquam venit fides, sub Lege custodiebamur conclusi.* Tum insuper pro naturali rationis humanae praeceptione, Rom. II, 14. ubi *gentes natura, quae Legis sunt, facere* Apostolus perhibet. Denique quamvis inclinationem, propensionem & vim ad aliquid impellentem denotat, ut cum dicitur *Lex membrorum* Rom. VII, 23. quam Scholastici vocant *Legem fomitis*, denotantes hac voce pravitatem naturae, quae cumprimis in concupiscendo cernitur, ipsis renatis adjacentem. Haec est instar alicujus Legis. Sicut enim Lex Dei vetat inordinatè concupiscere: Sic pravitas connata & in carne habitans corrupta inclinatio contrà edicit jubetque concupiscere, & fungitur vice Domini, inferens quodammodo necessitatem excedendi in concupiscendo ordinem à Deo & Lege mentis praescriptum. Possumus huc referre alias quoque rerum naturalium inclinationes, quae Leges dicuntur, quatenus ad rationem Legis aeternae quadrant.

Lex æterna autem eſt ratio ſive norma gubernandarum rerum, ab æterno unà cum norma creandarum, in mente Divina exiſtens. Cum enim laxo ſenſu omnis gubernandi norma Lex dicatur: nam gubernare & dirigere, officium eſt Legis; hinc iſta quoque ratio regiminis omnium rerum in intellectu Divino concepta, Lex dici conſuevit. Et cum conceptus iſte in Divina mente ſit æternus; ideò Lex æterna dicitur. *Quæ Lex nobis innoteſcit à poſteriore, per effectus,* dum obſervamus modum, quo Deus in tempore univerſum mundum convenienter uniuscujusque rei naturæ adminiſtrat. Quicquid enim videmus in tempore fieri, illud, ut ita fieret aut fieri permitteretur, æterna Lege decretum eſt. *Ab hac ergo omnes in rebus conditis naturales inclinationes, omnes motus & actiones ſuo modo & ordine pendent.* Sic v. g. ignem urere & ſurſum ferri, animalia omnia appetere procreationem ſui ſimilis, rationis expertia neceſſariò ferri in id, quod ſenſibus gratum eſt, hominem contrà habere liberam agendi facultatem, & poſſe ac debere honeſtatem ſuæ dignitati conſentaneam ſectari, æternæ Legis eſſe dicimus. Huc alludens Autor noſter, *ſemper ab æterno,* inquit, *voluit Deus hanc propoſitionem: Creatura diligat & timeat Deum, Creatura rationalis ſit caſta.* p. 358. In Scripturis tamen hæc ſignificatio non reperitur. Sed nec pro Legibus humanis ullibi in iis reperio Legis vocabulum adhibitum. *Præcipuè inibi Legis moralis habetur ratio*; atque intra hos limites conſiſtens Autor noſter itidem ſolam moralem ſua illa, quam appoſuimus, definitione complexus eſt. Cujus contenta recurrent in recenſione ſpecierum Legis, ad quam rectà progrediemur. Lex æterna.

APHORISMUS II.

pag. 357.

Primùm recenſentur hæ ſpecies: Lex Divina, Lex naturæ, Leges humanæ.

Sumta eſt hæc diviſio Legis ex diverſitate principiorum proximorum, ita ut Lex naturæ ſit, quæ eſt ex inſtinctu naturali: Humana, quæ ab hominibus legiſlatoriam poteſtatem habentibus eſt condita: Divina denique, quæ auctoritate ſolius Dei nobis promulgatur. De ſingulis quædam peculiariter ſunt dicenda.

Lex naturæ (ut ab hac ordiamur) ſive *naturalis* nihil eſt aliud quam rectæ rationis dictamen, quo judicamus hoc vel illud eſſe vel honeſtum & propterea ſectandum, vel turpe & indecorum & propterea fugiendum, ab æterno dictamine Divinæ mentis in nos derivatum, nobisque Lex Naturæ.

 bisque

bisque potentia proxima connatum. Vocatur Lex naturæ, utut sit à Deo homini indita; quoniam Deus hujus Legis in homine est causa princeps mediante naturâ, quæ hominem generando, simul etiam Legem illam ipsi ingenerat: *à qua* proinde,*tanquam causa proxima, petitur denominatio.* Et omninò hæc naturæ Lex, prout in nobis est, deducta censeri debet ab æterna Lege, quæ est in Deo: quia sicut mens nostra est imago quædam Divinæ mentis, ita sanum rectumque mentis nostræ judicium est radius quidam ac veluti impressio rectitudinis æterni, quod in Deo est, judicii. Atque hinc D. Thomas: *Lex*, ait, *naturalis nihil aliud est quam participatio Legis æternæ in rationali creatura.* 1.2.q.91.a.2. Nimirum *Lex æterna habet se instar totius: Lex naturæ autem instar partis.* Nam æterna Lex ad omnes extenditur creaturas tam rationales quàm irrationales, æquè ut Providentia seu gubernatio Divina. At Lex naturæ solam concernit rationalem, sive generaliore vocabulo, intelligentem creaturam, Angelos & homines. Seorsum igitur sumtis illis regulis practicis æternæ veritatis, quæ hominem & Angelum in actibus propriis dirigunt, & præcisis iis regulis, quæ dirigunt res irrationales, jam habemus Legem naturalem.

Jurisconsulti, Vlpiano auctore, Legem hanc, sive, ut ipsi vocant, *Jus naturale* nuncupant, *quod natura omnia animalia docuit.* Quò referunt conjunctionem maris & feminæ, liberorum procreationem & educationem. Omnia enim animalia videmus hac Lege teneri naturaliter, ut procreent sibi simile. Id verò, quod nos vocamus Jus naturale, est illis Jus gentium, quod solis videl. ex animantium genere hominibus inter se commune est, seclusis animalibus brutis, ut est religio erga Deum, obsequium erga Patriam & parentes, veritas in pactis. Cæterum ista καταχρηστικῶς ac latiore significatione dici quis non videt? *Quod enim inclinatione regitur merè naturali & necessaria, nullam habens boni & honesti cognitionem nec liberam parendi voluntatem, id secundùm jus & ex Lege agere, nisi vocabulis abutare, profectò dici non potest.* Subsumatur jam de brutis, & res erit liquida. Enimverò quæ ex Lege agunt propriè loquendo, eadem quoque obligantur Lege. At obligatio propriè dicta (qua quis sub peccato obligetur) cessat, ubi cognitio & libertas non est. *Quam ob causam etiam Legem æternam, respectu irrationalis naturæ, strictam Legis rationem non habere sentimus.*

Canonistæ igitur & Theologi Jus naturale restringunt ad naturam intelligentem, secuti ductum Apostoli, qui ipse etiam Jus illud eò, & ad hominem quidem, tanquam ad verum & proprium illius subjectum restringit Rom. I, & II. Jam verò *vel secundùm se & absolute spectatur,*

ctatur, vel quatenus degit in civili societate & constituit membrum Reipublicæ. Priore modo competit ipsi Jus naturæ: Posteriore modo Jus gentium, juxta Theologos. Etenim Jus naturæ continet præcepta, quæ recta ratio homini secundùm se considerato observanda dictitat, ut, Deum esse religiosè colendum, parentes venerandos, neminem lædendum. Jus autem gentium præcepta ejusmodi continet, quæ in civili societate circa divisiones bonorum, dominia, contractus, fœdera, bella, captivitates, servitutes ac similia, quæ hominibus invicem sociatis intercedunt, communi populorum consensu introducta atque sancita sunt. Vtrumque hoc Jus omnibus & inter cætera animalia solis hominibus inter se commune est: sed gentium jus ex consensu populorum, jus autem naturæ ex instinctu naturæ rationalis ipsis inter se commune est.

Et quidem quæ ad Gentium jus pertinent, utplurimum sunt remotiora à primis principiis dictaminis naturalis. Imò *& circa ipsum naturæ jus multum discrepant principia & conclusiones, quoad promtam & facilem apprehensionem.* Nam principia sunt per se omnibus nota ex suis terminis: quia est in iis necessarius nexus duorum terminorum, subjecti & prædicati, ut non necesse sit tertium seu medium terminum adsciscere, per quem nexus ille probetur. Conclusiones autem non nisi mediantibus principiis in notitiam veniunt. Est insuper *ordo inter ipsa hæc principia pariter & conclusiones Legis naturæ*, sic, ut inter principia sit quoddam generalissimum, primum ac summum, quod hoc est: *Bona sunt facienda, Malis abstinendum*; alia autem magis specialia, ut, *Honestè esse vivendum, Neminem lædendum, Suum cuiq; tribuendum.* Et similiter conclusiones Legis naturæ variant, prout vel proximè & immediatè ex principiis fluunt, vel de longinquo & per consequentias operosiores inde eruuntur.

Hinc est, quod *quædam præceptiones Legis naturæ sunt delebiles è mente humana, quædam non.* Primum illud & universalissimum principium, Bona sunt facienda, Mala fugienda, idem semper consistit apud omnes, ac prorsus è nullius mente expungi unquam potest. Quò unumquodque dein ex specialioribus principiis est propius atque vicinius huic primo, eò minùs & ipsum ex animis hominum tolli continget. Oportet enim ut semper, prima saltem, hujus Legis principia maneant, ad accusandas hominum conscientias. Hoc respectu Augustin. *Lex tua*, inquit, Domine *scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* T. 1. l. 2. Confess. c. 4. At *quæ inde deducuntur conclusiones*, solent nonnunquam vel prava educatione vel inveterata mala consuetudine obscurari, quin extingui ac obliterari in animis homi-

hominum. Id quod Idololatria passim in orbe recepta, ἀνθρωποθυσίαι item & fornicationes ac promiscui concubitus, quibus apud Babylonios & Corinthios Venus culta fuit, veterumque Germanorum latrocinia ac Cananæorum incestuosi congressus nimium quantum attestantur. Et hoc est, quod Paulus dicit, *gentes veritatem in injustitia detinere, ac obtenebratum esse cor eorum, Deumq; tradidisse eos in mentem judicii expertem* Rom. I, 18, 21. 28.

Est aliquid Juris naturæ dupliciter.

Proderit autem id quoque nosse, *esse aliquid juris naturæ dupliciter.* Vno modo *positivè*, quatenus natura ad illud inclinat idque imperat, ut, Injuriam nulli esse faciendam. Alio modo *negativè*, dum contrarium non inducit Lex naturæ. Hoc posteriore modo possem dicere, hominem esse nudum, de jure esse naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars. Et sic dicuntur juris naturæ esse Communio bonorum & Libertas. Nec enim natura induxit divisionem bonorum & servitutem. Interim nec prohibuit induci. Quare licitum est, quemque propriis gaudere bonis, & eos, qui sibi ipsis imperare nolunt, servituti addicere. *Neq; per hæc decedit aliquid Legi naturæ, sed, solummodo aliquid ipsi additur: quod omninò permissum est, & duplici quidem modo: semel, per modum determinationis: tum etiam per modum novi præcepti. Tales additiones sunt omnes Leges humanæ, atq; etiam inter Divinas eæ, quæ positivæ sunt.* De quibus ordo exigit, ut nunc dicatur pleniùs.

Leges humanæ.

Leges humanæ appellantur, quæ ab hominibus potestatem habentibus humanoque ingenio & arbitratu concipiuntur & promulgantur ad bonum utilitatemque Reip. vel Ecclesiæ. Proinde *sunt duplices*: aliæ Politicæ seu civiles; aliæ Ecclesiasticæ. Neutrarum autoritati quidquam derogat illud Jacobi c. IV, 12. *Vnus est Legulator, qui potest salvare & perdere.* Sensus enim est, unum esse Legislatorem summum & absolutum, qui Leges omnibus dare norit, à nullo autem accipere: in cujus manu, servare & perdere cum animam tum corpus. Aliàs autem plures Legislatores sunt, sed omnes sub Deo, & Legi ejus obstricti: servare etiam hi & perdere possunt corpus, sed animam non possunt. Sicut ergo per id, quod Christus dicit Matth. XXIII, 10. *Vnus est vester Magister*, non removetur simpliciter magisterium ab aliis hominibus: sic neque per hæc Jacobi verba, *Vnus est Legislator vester*, potestas ferendi Leges à civili Magistratu Ecclesiæque præsulibus aufertur.

Quarũ I. aliæ sunt Civiles.

Ac *Legibus quidem civilibus opus quàm maximè est: cum Lex naturæ præscribat quidem agenda, sed tantùm in genere.* Ad particulares autem casus & circumstantiarum varietatem sese non demittit: multa etiam, quæ commodo esse possunt Rebuspublicis, ne quidem quoad sub-

ſubſtantiam præſcribit. Non ergò ſufficit, niſi deducatur ad particularia per determinationes Principum, ac novæ inſuper Leges ei alicubi addantur, quales illæ ſunt de bonorum diviſione & ſervitutibus, jure gentium introductæ: quales & Magiſtratus ſecularis quilibet ferre poteſt in ſuo territorio, v.g. Legem illam naturalem, *Malefactorem eſſe puniendum*, Princeps per Leges particulares ad diſtincta ſuppliciorum genera adulteris, furibus, falſariis monetæ irroganda determinare poteſt & reſtringere. Sed & in ejuſdem poteſtate eſt quoad ſubſtantiam nova dare præcepta, quæ Lex naturæ non attingit, puta de emtionibus, venditionibus, hæreditatibus, veſtitu, conviviis & ſimilibus, ſive ad virtutum ſtudium, ſive ad alium finem bonum facientibus. Iisdem ſuis præceptis integrum ipſi eſt aliquid pro lubitu addere, rurſumque aliquid de iisdem demere, quin penitùs Legem priſtinam tollere ac novam ſurrogare, aut ſaltem illam priorem ex parte relaxare, ejuſque obligationem in aliquo caſu, ſi totam evacuare non velit, removere.

Inde promtum eſt dignoſcere Legem humanam à Lege naturæ. Nimirum, *ſi (1.) ad circumſtantias vel populi, vel loci, vel temporis, vel alias quaſcunq; Lex ſit reſtricta, nec (2.) ex æquo rigorem apud omnes habeat, (quæ conditio in ſolo gentium jure non procedit,) ac (3.) longiore diſcurſu ad eam ex naturæ principiis inferendam opus ſit, (4.) actusq; contrarius non ſit abſolutè malus, habes Legem humanam, vel, in genere loquendo, poſitivam:* ſimul enim ad totum poſitivarum Legum genus hæ ſeſe conditiones extendunt. *Nec aliunde quam ex ipſis hiſce conditionibus eſt, quod Leges iſtiusmodi ſemel latæ iterum poſſunt addendo, demendo, abolendo mutari*; licet ab immutabili naturæ Lege ſint deductæ. Enimverò quatenus retinent aliquid Legis naturæ & generalibus ejus principiis conformantur, eatenus mutationem non patiuntur: ſed quatenus ab illis longiùs abeunt & actum præſcribunt non abſolutè malum, vel circumſtantiarum, ad quas ſunt reſtrictæ, mutatio intervenit, eatenus ipſas quoque mutari contingit, ac ſæpiùs neceſſe eſt.

Conditiones Legis poſitivæ.

Unde ſit mutatio Legum?

Is autem, qui mutationem illis pro autoritate inducit, Princeps, iisdem oportet ſit ſuperior. Hinc Princeps ſupra Leges eſſe dicitur. Quod verum eſt eo quoque nomine, quia cogi Legibus, quas ipſe condidit, non poteſt, cum ſuperiorem non agnoſcat. Atque eo ſenſu intelligendum illud l. 31. ff. de LL. *Princeps Legibus ſolutus eſt*; quoad ſcil. vim coactivam, quia ſuperiorem non habet, à quo cogi queat & puniri. Quod ſi ipſe tamen ultrò principatum ſuum Legibus juſtis ſubmittat, efficiet, ut ſubditi quoq; promtius iisdem pareant. Imo verò *decet Principem quoad vim, ut loquuntur, directivam Legibus ſuis ſubeſſe*; ſi tales eæ ſint, quæ bonum ſpectent publicum & dignitati Principis non de-

trahant,

trahant, cujusmodi est v. g. Lex, quæ taxat precium frumenti. Promovere enim pro virili sua parte bonum publicum Princeps debet & regulam sequi actionum bonarum, quæ cum ratione est constituta. Sin Legibus injungatur id, quod solis subdidis convenit, non Principi, e. g. Ne quis in civitate arma ferat, Ne aliquis vestibus holosericis induatur, manifestum est, Principem tum non obligari Lege, sed solos subditos.

Atque hi non tantùm quoad vim dirigentem sed etiam quoad cogentem subjecti sunt Legibus, si sufficienter eæ quidem ipsis promulgatæ fuerint. Exinde enim ad dirigendum & obligandum homines nativam suam efficaciam habent. Ac *obligant tum sanè Leges civiles in ipsa conscientia*, sicut id indicat Apostolus Rom. XIII, 5. dicens: *Necessitate subditi estote non solùm propter iram* (propter metum pœnæ) *sed etiam propter conscientiam* (propter metum culpæ, quam incurretis conscientia teste.) Juxta Apostolum itaque violatio Legum civilium lædit conscientiam. Leges ergò civiles obligant conscientiam; nam hoc irrefragabiliter ex priori sequitur. Idem confirmat Petrus 1. ep. II, 13. ubi dicit: *Quapropter subjecti estote cuivis humanæ ordinationi* (quæ in autoritate constituta est) *propter Dominum, sive Regi, sive Præsidibus — Hæc est enim voluntas Domini.* Si hæc est voluntas Domini, ut subjecti simus humanis potestatibus: ergò per conscientiam, in rebus honestis, & quæ cum voluntate Dei non pugnant, non possumus illis reluctari. Huc accedit ratio à subordinatione Magistratus pariter & Legum. Omnis enim legitimus Magistratus à Deo est, eique suam, quam habet, præcipiendi potestatem debet. Lex itidem omnis justa & proba ab æterna & incommutabili Lege Dei velut à principio ac fonte suo derivatur, ac suam inde rectitudinem mutuatur. Fieri ergò non potest, quin contumacia contra Magistratum ejusque Legem redundet in Deum Legemque ejus æternam: cui opponere sese, qui salvam velit conscientiam servare, utique nemo potest. *Non alia hinc tamen conscientiarum obligatio infertur, quam generalis, hypothetica & indirecta. Generalis*; quatenus obedientia in genere à Deo mandata est, non præcisè ad hanc vel illam speciem actus, quam imperant Leges civiles, à Deo ipso restricta. *Hypothetica*; quatenus Leges politicæ in æterna & naturæ Lege fundantur, nec aut notoriè tyrannicæ, aut manifestò impiæ sunt. *Indirecta*; quatenus Magistratus est Dei minister, & legislativa, quæ in ipso est, potestas descendit à potestate suprema i. e. Divina. Idcircò enim læsione illius consequenter Deus ipse petitur.

Leges Civ. obligant in conscientia.

2. Aliæ Ecclesiasticæ.

Quæ de civilibus Legis hucusque dicta sunt, magnam partem etiam in Ecclesiasticas quadrant. Equidem & hisce opus est ad Eccle-

siam

ſiam benè gubernandam. Nam eadem ratione ſunt neceſſariæ Leges in Eccleſia, qua in omnibus aliis Rebuspublicis. Quemadmodum enim naturæ Lex propterea, quod nimis eſt generalis, determinari ad particularia opus habet per determinationes Principum: Ita quæ in S. literis traduntur ad ſalutem conſequendam & Eccleſias rectè inſtituendas, temperandas, conſervandas, cum generalia itidem ſint & conciſiora, quam quæ in particulari ſufficiant, opus eandem ob cauſam habent determinari ab iis, quibus id muneris datum eſt, & huic loco, tempori, populo accommodari, prout ædificatio hîc & nunc efflagitavit. e.g. Scriptura jubet prædicari verbum, ordinari Miniſtros, adminiſtrari Sacramenta & diſciplinam, mandat fieri preces, nuptias honeſtè celebrari, uno verbo ordinem & decorum exigit. Sed qua hora, quot dierum vicibus prædicari verbum debeat: quo ordine & modo Miniſtri Eccleſiæ vocandi & inaugurandi: quoties quove ceremoniarum apparatu adminiſtranda Eucharistia, & num à pranſis vel jejunis ſumi debeat: quâ adverſus ebrioſos, uſurarios & alios facinoroſos cenſura animadvertendum: qua verborum & rituum forma hæ vel illæ preces ſolenniores concipiendiæ: quomodo prius nuptiæ in Eccleſia publicandæ, & horum ſimilia, nullibi Scripturarum determinata reperimus.

Leges igitur talia determinantes condi neceſſe eſt per *Eccleſiæ Præſules*, qui ſunt tùm Epiſcopi & Presbyteri, tùm Principes & Magiſtratus Chriſtiani. Nam & illorum judicio & horum autoritate hæc inſtitui, &, ſi aliter poſteà viſum fuerit, deſtitui rurſum poſſunt, uti res tulerit Eccleſiæ ac populi Chriſtiani. Sub primordia naſcentis Eccleſiæ, Apoſtoli, & quoniam Magiſtratus tum nulli erant niſi Ethnici, Seniores è populo iſtiusmodi rerum deliberationi & deciſioni incubuerunt, Act. VI, 2. 5. XV, 2. 4. 6. XVI, 4. Quod poſterius locorum quorundam indoles ac Politiæ, quæ ibidem eſt, ſtatus hodieque depoſcit. Alibi locorum tacitus populi conſenſus, ſæpiùs etiam conſuetudo, introducendis hujus generis aliquibus & immutandis poteſt ſufficere.

Dicuntur hæ Leges aliàs Traditiones Eccleſiaſticæ: ſed tamen traditionum vox latiùs patet, quam Legum Eccleſiaſticarum. Nam Symbolum Apoſtolicum eſt traditio Apoſtolica, nec Legis tamen nomine venire apta. Itaque communiter Leges illæ & decreta Eccleſiæ à priſcis Patribus dicuntur *Canones*: quales externum ordinem concernentes inveniuntur ſubjuncti antiquis œcumenicis Conciliis. Nonnulli tanquam immediatè ab Apoſtolis profecti circumferuntur, Apoſtolorum Canones dicti, quos recitat Lucas Oſiander, Epit. Hiſt. Eccl. Cent. 1. l. 3. c. 4. Quorum fidem autor vindicet, qui primus eos protulit. *Hodie nec ipſi Pontificii eos impoſturæ ſuſpicione abſolvunt.*

Dicuntur aliàs Traditiones Eccleſiaſticæ; item Canones.

 Nihi-

Nihilominus quasdam per Apostolos consuetudines & ceremonias (quamvis ad nos non promanarint omnes) in Ecclesia institutas & relictas fuisse, earumque numero sanctificationem diei Dominicæ & illas festivitates Paschatis & Pentecostes, quæ servantur ab universa, quacunque se diffundit, Novi etiamnum Testamenti Ecclesia, contineri, nolim dubitare. Tam enim hæc sunt casca, ut in historiis non reperiatur initium neque autor istarum traditionum. Juxta Augustinum verò l. 4. contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Eodem judice, *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est,* Ep. 118. quæ epistola planè est insignis omniumque oculis lustrari & animis infigi dignissima.

Et ipsæ obligant in conscientia.

Et his igitur, sive per Apostolos sive per Synodos tam generales quam Provinciales constitutis seu canonibus, seu legibus honos atque obsequium debetur. Ac vel, quæ per Episcopos privatos cum ratione & debita moderatione suarumque Ecclesiarum consensu fuere sancita, amplecti ac reverenter habere par est, sub obligatione conscientiæ. *Contemnere* autem ea, est Ecclesiam contemnere: quod qui facit, Ethnico & Publicano similis habetur ab ipso Christo Matth. XVIII, 17. *Haud alia tamen rursus hæc est obligatio, quam generalis, hypothetica & indirecta. Generalis*; quatenus in genere Scriptura præcipit obedire Præpositis Ecclesiæ Ebr. XIII, 17. sectari τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους Rom. XIV, 19. cunctaque fieri εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. Cor. XIV, 46. *Hypothetica*; quatenus illæ constitutiones è generalibus principiis Verbi Divini petitæ ordini, decoro, disciplinæ ac profectui in studio pietatis seu ædificationi inserviunt, & numero ac difficultate modum non excedunt, violatæq; scandalum pariunt. *Indirecta*: quatenus qui spernit eas, Ministros Dei spernit, & per consequens Dominum eorum, juxta illud Christi: *Qui vos spernit, me spernit* Luc. X, 16. vel quatenus etiam Leges Ecclesiæ contemnere, est inter cætera, Magistratui, qui illas custodit & observatas vult, resistere: quo ipso rursum ordinationi Divinæ ipsique adeò Deo resistitur Rom. XIII, 2.

Quid autem si quis dicat? Conscientiam ad forum solius Dei pertinere scrutantis renes & corda. Planè nihil ergò hominibus negotii esse cum conscientiis humanis, ut ligent eas quocunque modo, sive in civilibus sive in Ecclesiasticis. Ambiguitas evolvenda est. Vel enim conscientiam solius fori Divini esse, id notat, solum Deum posse videre hominum conscientias & judicare de actibus internis, qui exterius non patent aliosque testes non habent quam Deum & conscientiam operantis

rantis; id quod conceditur: vel istud, solum Deum posse Legibus suis ita ligare hominnem, ut *si non faciat quod praeceptum est, judicet ipsemet in conscientia sua, se male facere*; quo sensu negandum est, ad forum hominum non attinere conscientiam. Nam ut quis hoc modo obliget alium in conscientia, non requiritur ut introspiciat eam, sed satis est, ut possit illi legitimè imperare, & imperando ita illum adstringere ad *opus externum* faciendum, ut, si non faciat, intelligat, certè intelligere possit, se malè agere. Imò quid prohibet, *internos quoq; actus humana Lege pracipi & prohiberi*? *non per se quidem & ita, ut de iis sententia feratur, num Legi conformentur nec ne; sed tamen concomitanter*, quatenus ad externorum substantiam moraliter requiruntur, & per externa opera atque signa sese produnt. Sic v. g. & jejunium ciliciumque externum, & pœnitentia ac devotio animi, junctim nonnunquam à Magistratu imperantur, ceu factum legimus à Ninivitarum Rege Jon. III, 7. 8. imperataque conscientias obligant.

Cæterum dubium adhuc queat videri, num universale id sit, ut Leges etiam legitimè latæ obligent in conscientia sive ad culpam; dantur enim tum Civiles tum Ecclesiasticæ, *quæ saltem obligant ad pœnam*. Verumenimverò *Leges eæ non sunt veræ & propriè dictæ, sed saltem æquivocè ita appellantur, propriè autem sunt pacta & conventa*. Cujusmodi sunt regulæ Canonicorum, & Senatorum constituentium sibi ipsis mulctam, si quis stato tempore non adsit in Senatu. Hæ regulæ etsi sæpius dicantur Leges, *non obligant tamen per modum Legis, sed per modum conventionis & pacti, ut Leges purè pœnales, quas violando nemo peccat, sed saltem tenetur ad mulctam*: Hac soluta omni reatu solutus est. Nec enim reatus culpæ iis subest, sed pœna solùm. *Et verò pœna etiam illa non est propriè dicta*; siquidem pœna & culpa sunt relata, quorum uno negato negatur & alterum: sed convenit cum pœna solùm in materiali, quatenus ut afflictio quædam ægrè facit ei, quem oportet subire eam.

Quædam Leges obligant dũtaxat ad pœnam.

Hactenus de Lege naturæ & Legibus humanis. Sequitur, ut de Divinis etiam dicamus. Priusquam id autem fiat, discrimen est observandum inter Mandatum & Legem: cujus discriminis usus est in Legibus cum Divinis tum humanis. *Mandatum* est tale præceptum, quod unam saltem spectat personam, nec ad actus subinde repetendos, sed ferè ad unum solummodo obligat: ut, quando Deus jussit Abrahamum immolare filium suum, & Christus præcepit illi juveni, ut venderet bona sua & erogaret in pauperes, erat illud Mandatum, non Lex, quia tendebat utrumque ad personas singulares, in iisdemque, & actu quidem unico, desinebat. *Lex* autem cum Divina tum humana actus continuandos præscribit, & ad communitatem fertur, ac proinde con-

Discrimen inter Mandatum & Legem.

constans quoque & perpetua est ejus obligatio ob continuam successionem communitatis, neque exstinguitur, nisi vel à Legislatore, ejusvè (in humanis) successore revocetur, vel consuetudine abrogetur, vel ob rerum mutationem inutilis fiat & frustranea. Quod patebit, ubi de ipsis Divinæ Legis speciebus jam plura dixerimus.

APHORISMUS III.

Legis Divinæ partes tres nominantur: Lex Moralis, Ceremonialis & Judicialis.

HAbentur hæc verba apud Autorem nostrum T. 2. Opp. p. 250. Ipsa autem hæc partitio Legis Divinæ continetur Deut. VI, 1. *Hæc sunt præcepta & ceremoniæ & judicia, quæ mandavit Dominus.* Item Rom. IX, 4. *Israëlitarum sunt* αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία. Differunt inter se hæ species Legis Divinæ, quod omnia præcepta moralia sunt juris naturalis, reliqua juris positivi. Nam Deum esse colendum & Proximo non faciendam injuriam, quæ summa est Legis moralis, jure naturæ omnibus naturaliter insito exigitur, nec mutari aut abrogari potest. At quibus ceremoniis colendus sit Deus, & quibus modis injuria coërcenda in judiciis, pendet ex arbitrio & potestate Legislatoris hanc aut illam Legem ita ponentis. Sed vicissim *Jus naturæ & Lex moralis aliquo etiam pacto inter se differunt; quatenus illud principia simul & conclusiones, hæc solas conclusiones comprehendit.*

Differentia inter Legem Moralem, Ceremon. & Forensem.

Item inter jus Naturæ & Legem Moralem.

Nam, ut porrò de Lege morali, ceu prima specie & potissima Divinæ Legis, dicamus, continetur omnium confessione Lex moralis Decalogo. Decalogus autem hoc tanquam principium supponit: *Bona esse facienda, Mala non.* Item illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Proximum sicut teipsum.* Habent ergò Decalogi præcepta se ad instar conclusionum. Nam ex illis, quæ diximus, tanquam communibus principiis deducuntur decem illa præcepta, quæ expressè habentur in Decalogo. *Postea tamen etiam ex ipsis his decem præceptis, tanquam ex quibusdam principiis secundariis, deducuntur alia præcepta moralia:* cum non sit infrequens, quod semel erat conclusio, deinceps principii loco stare. Ita v. g. ex quinto præcepto, quod respectu illius; *Diliges proximum sicut teipsum,* est conclusio quædam, infertur alia conclusio tanquam ex principio: nempe, *Ergò nec odio habebis fratrem tuum,* cum hoc disponat ad occidendum.

Ac naturaliter quidem nota sunt omnia Decalogi præcepta: nihilominus voluit Deus Legem moralem publicè ferre in populo suo, ut conspectior esset regula morum edita voce Divina: maximè quando Lex naturæ jam penè in animis hominum obliterata erat per peccatum & peccati consuetudinem passim receptam. Nam, ut est apud Autorem nostrum: *Omnes aliæ gentes approbaverunt quadam scelera contraria Decalogo, ut cultus idolorum & vagas ac tetras libidines. Romani etiam approbaverunt homicidia gladiatorum.* T. 2. Opp. p. 249. Necesse igitur erat, Deum scriptam dare Legem, qua populus peculiariter ab ipso adscitus instrueretur de his, quæ vel agere vel omittere deberet. Solet enim qua est bonitate Deus succurrere cum cœcitati tum pravitati nostræ verbo suo, ubi naturæ lumen deficit, ceu aliàs quoque monuimus. Deficit autem illud non per se tantùm in mysteriis, quæ omnem humanam rationem etiam maximè intentam fugiunt: sed etiam per accidens in iis, quæ possunt cognosci naturaliter, sed obscurantur connata cœcitate & pravitate; præsertim accedente vafritie satanæ, misero mortalium generi insidiantis. Cumque hoc ita contigerit in præceptis moralibus, ideò peculiare Numinis auxilium & revelatio singulariter facta requirebatur, quam & præstitit Deus promulgando Legem moralem maxima solennitate in monte Sinai, tabulisque saxeis inscribendo; non quia cordibus inscripta non erat, sed *ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant.* Sic *quasi forinsecùs admota voce Dei ad interiora sua homo compulsus est, dataq; adeò est inscripta Lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui*: dicente Augustino T. 8. Enarr. Ps. LVII. p. 65.

Cur Deus Legem Moralem publicè voluerit ferre?

p. 50.

Eam porrò legem *in duas tabulas* fuisse distinctam, in confesso est: quia hoc tradit Moses disertè. Et quidem *bis* fuit in duabus tabulis scripta, ut est Exod. XXII. & XXIV. videre est. Convenit etiam indubitatò de numero præceptorum, quem ipsa vox decalogi innuit. Unde & *decem verba* dicuntur Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. X, 4; Verbi nomine accepto non pro uno vocabulo, sed pro una sententia, eâque brevi & concisa, quales sunt sententiæ in Decalogo, etsi sensibus fœcundæ. Consentientibus hodie quoque omnibus *in priori tabula* continentur præcepta, quæ ad Dei cultum pertinent: *in posteriori* autem, quæ ad charitatem proximi. Et Christus idem confirmat Matth. XXII, 40. cùm totam legem in duo præcepta resolvit, in dilectionem Dei & proximi, quarum hæc ab illa pendet, eoque prima tabula est ceu anima secundæ.

Verum

De distributione Decalogi circa numerum præceptorum cujusque tabulæ.

Verùm de distributione Decalogi circa numerum præceptorum uniuscujusq; tabulæ non ita inter omnes convenit: cum nuspiam à Mose tradatur, quod sit primum, quod secundum constituendum. Non pauci igitur illud primum præceptum faciunt: *Non habebis Deos alienos coram me*; secundum istud: *Non facies tibi sculptile*; in ultimum verò præceptum omnia illa conferunt: *Non concupisces domum proximi tui, non uxorem proximi tui, non servum &c.* ita ut horum opinione quatuor præcepta sint, quæ Deum respiciant; sex, quæ proximos. Ita Josephus, Philo, Origenes, Rupertus. Contra Augustinus Ep. 119. ad Januar. c. 11. & ferè Scholastici primæ tabulæ non dant nisi tria præcepta, secundæ autem septem. Hi duo illa priora in unum compingunt, ut secundum de scultilibus & imaginibus sit tantummodò appendix & fusior explicatio primi præcepti: præceptum autem de concupiscentia in duo dividunt, quorum unum prohibeat concupiscentiam domus alienæ, alterum autem uxoris & aliarum proximi rerum concupiscentiam. *Quam enumerationem nos quoq; in Ecclesiis nostris sequimur, & indifferenter quidem*, ita, ut per nos aliis liceat aliter facere, nec enim nostram divisionem cuiquam alteri tanquam necessariam obtrudimus, *modo* &, qui ordinem numeralem à nostro diversum tenent, *ejus generis* hanc *rem esse meminerint, in qua liberum cuiq; judicium esse debeat, ob quam non sit contentiosè cum dissentiente pugnandum*; quod ingenuè agnoscit Calvinus l. 2. Inst. c. 8. sect. 12. f. 87. a. Idemque observavit Zach. Ursinus: *Si modò*, ait, *doctrina & sententia de vero Deo & vero Dei cultu integra retineatur, de verborum numeratione non odiosè pugnandum*. Explic. Catechet. part. 3. p. m. 686.

Regulæ generales interpretandi Decalogum potiores hæ sunt.

Regulæ generales interpretandi Decalogum.

I. Decalogus est *intelligendus secundum declarationem Prophetarum, Christi & Apostolorum* S. literis consignatam. Conjungenda igitur explicatio passim sparsa in Scripturis, nec hærendum in brevibus illis præceptis. Quemadmodum enim ante Legem latam & promulgatam ejus vox insonuit in Ecclesia, Patriarcharum ministerio: sic post ejus promulgationem Prophetæ, Christus & Apostoli Legis præcepta & conclusiones inde dependentes sæpè inculcarunt.

II. In omnibus præceptis, externa actione imperata, *intelligitur etiam interna*: similiter in prohibitionibus. Id probat ipsa Legislatoris natura, qui non tam actionem externam, quàm cordis puritatem requirit. Unde est, quod Paulus scribit Rom. VII, 14. *Novimus Legem spiritualem esse*. Et Tim. I, 5. *Finis mandati* h. e. totius Legis *est charitas ex mundo corde & ex conscientia bona & fide minimè simulata*.

III. Cum

III. Cum Leges aut prohibeant aut imperent aliquid, ut in secunda tabula primum mandatum imperat, in prima tabula tertium, alia omnia prohibent, unde distinctio præceptorum jubentium seu affirmantium, & prohibentium seu negantium; notandum est, *distinctionẽ esse non tam rei quam modi, & in unoquoq; præcepto utrumq; inesse reipsa.* Nam cum ex regulis Logicorum, Contrariorum contraria sint consequentia; cujus contrarium imperatur, illud prohibetur, & contra. Sic igitur in præceptione boni semper prohibitio mali intelligitur, & vice versa. *Per malum autem non tantùm actio mali, sed etiam omissio boni intelligitur.*

IV. *Cavendum, tum ne nos nimiùm torqueamus in distinguendis & & collocandis boni & mali speciebus, sive virtutibus & vitiis:* ob diversos enim fines idem in diversis præceptis potest præcipi, utpote diversis scopis inserviens; *tum ne nimis angustè præcepta accipiamus. In omnibus igitur agnoscenda Synecdoche, qua specie una posita intelligentur omnes cognatæ, ac totum genus.* Ita cum homicidium vel adulterium prohibetur, omnis injusta læsio corporis & omnes vagæ libidines damnantur. Eodem modo *ex effectu prohibito prohibitio causæ colligenda venit.* v. g. in prohibitione adulterii prohibetur luxus. *In relato præterea correlatum intelligi debet, & ex officio liberorum in parentes officium parentum in liberos est explicandum. Sub crassioribus denìq; delictis minora in eodem genere prohibentur,* sicuti Christus iram ad homicidium retulit.

V. *Præcepta secundæ tabulæ cedunt præceptis primæ tabulæ*, ubi simul locum habere non possunt. Luc. XIV, 26. *Qui non odit Patrem, uxorem, liberos &c. non potest meus esse discipulus.* Vbi tamen odisse nihil aliud est, quam postponere. Contrà *ceremonialia primæ tabulæ cedunt moralibus secundæ*, quia *Deus vult misericordiam potiùs quam sacrificium* Matth. IX, 14. Objicis illud Christi: *Secundum præceptum est simile primo* Matth. XXII, 39. Ergò neutrum cedit alteri. Resp. N. Cons. Intelligenda enim similitudo illa non simpliciter, sed I. in eodem genere cultus moralis, qui perpetuò anteponendus est ceremoniali. II. in eodem genere pœnæ æternæ, quæ propter utriusque tabulæ violationem æquè infligitur. III. in cohærentia necessaria dilectionis Dei & proximi tanquam causæ & effectus, qua fit ut neutra sine altera præstari possit 1. Joh. IV, 20. Interim est etiam dissimilitudo I. in Objectis. Objectum enim im̃ediatum primæ tabulæ DEVS est: secundæ homo sive proximus, qui infinitis modis Deo inferior. II. In Ordine seu consequentia. Nam obedientia primæ tabulæ est maximè principalis: Secundæ est minùs principalis, & principali subserviens. Ideò quippe diligendus proximus, ut diligatur præcipuè & colatur DEVS.

In specie porrò circa singula præcepta peculiariter quædam annotanda sunt, sed breviter.

Primum præceptum est de non habendis Diis alienis & non faciendis sculptilibus. Præfationem & subjunctam comminationem ac promissionem nunc non tangam.

I. Præcepto duo prohibentur, I. Idololatria.

Duo igitur ibi præcipuè prohibentur: I. Idololatria, seu gravissima illa Dei injuria, qua quicunque alius præter ipsum pro Deo habetur ac tanquam Deus colitur. Quod non ita dicitur, quasi sit aliquis alius, sed quia hoc sibi perversitas humanæ mentis confinxit. *Alienos* ergò idem est quod alios. Nam hæc promiscuè usurpantur Deut. XXXI, 16. 18. 20. Quod autem sequitur, *Coram me*, & in Ebræo est, *super facies meas*, emphasin in se continet. Longè enim gravius est, utpote ad contumeliam pertinens, si quis alicui coram & ante oculos suos honorem detrahat atque in alium transferat, quam si clam id faciat. Atqui coram Deo id facit, quicunque facit, cum sint Deo omnia præsentia.

Quæ variis modis committitur.

Atque *id quidem faciunt* I. *quicunq; cuiquam alii præterquam vero Deo sacrificia offerunt*, templa statuunt, altaria erigunt, Sacerdotes constituunt, aut signum aliquod notabile exhibent, quo instar Dei colatur. Quibus modis olim cœca gentilitas Deos suos venerata est. II. *Quicunq; divinatoriam artem exercent, vel eam exercentes consulunt.* Cum enim solius Dei sit occulta novisse, quæ in suis causis determinatis, aut ad alterutram saltem partem inclinantibus, cognosci nequeunt; profectò idololatra haud frustrà censetur, qui alium præter Deum arcana istiusmodi novisse arbitratur, & talia vel docet, vel, ut ex aliis discat, pythones, arupisces, augures, ariolos, magos & necromantas consulit, qui relicto Deo se hosti humani generis manciparunt, quorum Apostolus fideles non vult socios fieri aut participes 1. Cor. X, 20. Omnis enim *hujusmodi cum diabolo communicatio*, *etsi mediatè & per alios fiat*, *est ut minimùm inchoatio quædam apostasiæ à Deo*; ut propter hanc causam meritò simpliciter prohibeantur Israëlitæ maleficis istiusmodi artibus animum adjicere Lev. XIX, 31. Deut. XVIII, 9 15. sub pœna exterminationis Lev. XX, 6. *Nec* III. *periculo caret, ex astrorum inspectione eventus rerum & opera hominum in particulari velle prædicere, eosq;, qui prædicere tentant, genethliacos dictos, adire, sciscitari, eorumq; responsa excipere, admirari, credere.* Hæ namque sunt gentium viæ, quas damnat Jeremias c. X, 2. & ex veteribus Patribus Chrysostomus hom. 3. in 1. Thess. 3. & Augustinus l. 5. de C. D. c. 1. 2. de Gen. ad lit. c 17. Enchir. 79. Postremò *aliæ omnes superstitiones huc referendæ*, ut, quæ ligaturas, numeros, characteres ac quæcunque signa, neque divinitùs instituta, neq; naturaliter efficacia, ad certum effectum

fectum conſequendum præſcribunt: herbarum itidem certo die, hora & ritu collectarum aſſervatio & uſus ad quoscunque effectus, quos neque natura procreat, neque Deus ſpeciali declaratione voluntatis ſuæ ad talia juſſit adhiberi: atque aliæ innumeræ talium obſervationum formæ, à vanis & ſuperſtitioſis hominibus, ſuggerente utplurimum diabolo, excogitatæ. De quibus multis agit Auguſtin. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 20.

Altera pars primi præcepti, *quam Lutherus in Catechesin non transtulit, memoriæ conſulturus diſcentium, & brevitatis, quam Catechesis deſiderat, ſtudio*, non autem quod mutilatum iret Legis ſententiam, interdicit effigiationem ſculptilium, ad cultum nempe & adorationem. Atque eatenus in prioribus verbis hujus præcepti hæc prohibitio jam comprehenſa eſt. *Non repugnat ſimpliciter voluntati Divinæ, formare imagines ſeu pingendo ſeu ſculpendo.* Siquidem & DEVS duos Cherubinos juſſit ſupra propitiatorium in Sancto Sanctorum collocari Exod. XXV, 18. & æneum ſerpentem in deſerto conſtitui Num. XXI, 8. 9. & Chriſtus ipſe etiam atque Apoſtoli ejus celebrarunt imagines Matth. XXII, 20. Act. XXVIII, 11. *Cultus autem & adoratio imaginum in crimine eſt.* Vnde pars hæc præcepti primi, quæ incipit, *Non facies tibi ſculptile*, in hæc verba deſinit: *Non adorabis ea neq; coles* h. e. non facies tibi ſculptile, ut adores. Qua ratione idem illud præceptum exprimitur Lev. XXVI, 1. *Non facietis idolum & ſculptile, & ſtatuam non erigetis, nec lapidem inſignem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Citra adorationis cultum habere licet imagines ſeu pictas ſeu ſculptas. Et pictas quidem habet nobiscum etiam Græca Eccleſia: ſculptas autem non habet, quòd eæ propiùs ad idola gentilium accedant. Sanè inter Pontificios ſi verſeris, vix eſt ut diſcernas inter Chriſtianiſmum & Paganiſmum. Nam ut olim Paganus procubuit ante ſtatuam Jovis eiq́ue thus adolevit, cereos accendit: ſic hodie Pontificius ante ſtatuam Petri procumbit, eiq́ue candelas accendit, & thus adolet. Nos autem in noſtris Eccleſiis ſculptilia utut habeamus, minimè tamen veneramur & colimus, ſed tantùm illorum intuitu memoriam Sanctorum recolimus. Quod ſi ipſius etiam Dei imago quandoque efformatur, non eò illud fit, quod Deum corporeum putemus, qui imagine corporea exprimi poſſit, ſed *quatenus Deus ſemetipſe ſub forma humana & corporea Prophetis videndum exhibuit, Spiritusq; Sanctus columbæ ſpecie ſuper Chriſtum apparuit.* Quidni enim ea ſpecie Deum poſſimus exprimere, qua ſeipſum conſpiciendum aliquando præbuit? Et hæc de primo præcepto.

II. Effigiatio ſculptilium.

Sensus II. Præcepti.

Secundum præceptum eſt: ***Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum***, ſive temerè & nulla urgente cauſa, quando videl. nec ipſe invocatur, nec veritati dubiæ, neceſſariò tamen confirmandæ, per juramentum fides fit. Vindicabit enim, ſi quis aliter fecerit. Si temerè non uſurpandum nomen Divinum, ***multò minùs contra Dei reverentiam & charitatem proximi illo prolato alteri maledicendum***; ac omnium ***minimè maledicendum Deo isq́; blaſphemandus eſt, vel, ſi id in hominem cadere poteſt, exſecrandus***, aut vitia, defectus, ignorantia, impotentia vel ſimilia, cum* quibus Majeſtas Divina ſtare nequit, ipſi impingenda: his enim omnibus par pœna ſtatuitur Lev. XXIV, 10. ſeqq. Id tamen, quod de non maledicendo proximo dictum eſt, reſtrictè debet intelligi: ubi ſcil. nec juſta cauſa ſubeſt, ſive commeritus pœnam maledictionis proximus non eſt, nec adeſt autoritas, per quam pœna infligatur; nam aliàs ipſe Deus formam commeritis maledicendi præſcribit Deut. XXVII, 13. ſeqq.

De juramentis legitimis.

Præcipuè prohibitum hîc eſt perjurium ſeu juramentum falſum, quod cum notabili Dei injuria ac irreverentia fit. Quippe ſi non facilè licet projicere nomen Dei in joco & jurgio, propterea quod id redundet in Dei injuriam; quàm injurium ſeu potius impium fuerit, nomen Dei mendaciis prætexere, & ipſum in aſſerendo falſo teſtem jurejurando invocare! Expreſsè id itaq; prohibetur Lev. XIX, 12. Omninò quidem juramenta, ſi quando concipiuntur, quod neceſſitatis interdum eſt, *ut finis imponatur litibus* Ebr. VI, 16. ſunt Dei nomine concipienda; ſed tamen, ut ritè fiant, tria inſuper adjungi neceſſe eſt, I. Veritatem. II. Judicium. III. Juſtitiam, ſecundùm illud Prophetæ: *Jurabis, vivit Deus*! (cum hactenus dixeris, vivit Baal, Moloch, Aſtaroth) idque *In veritate*. Quod juramento confirmatur, falſum eſſe non debet. *In judicio*. Non temerè aut ſine cauſa graviore, ſed ubi opus eſt & rariuſculè, ſicut medicina ſolemus uti. *Ac in juſtitia*. Ita nemo jurare debet in pauperum oppreſſionem aut rem quamcunque illicitam. Jer. IV, 2.

De Votis.

Eadem ferè ratio nuncupandorum Deo votorum. Non debent eſſe de re illicita, ſed de re bona ac Deo grata: nec temeraria eſſe debent, ſed circumſpecta; ac proinde rariora, atque unicè ab iis profecta, qui exſolvendorum poteſtatem habent propriam. Cumprimis autem falſitas ab iis abſit oportet, ac ipſo opere complendum, quod expreſſa promiſſione ſusceptum eſt. Expreſſa, inquam, promiſſione. Non enim ad edendum votum ſufficit ſolum propoſitum, & multò minùs deſiderium faciendi aliquid, ſed expreſſa inſuper promiſſio neceſſaria eſt, aut ore, aut minimum corde facta, quam Deo datam nefas infringere.

Ter-

Tertium præceptum injungit *sanctificationem Sabbathi*, estque ab aliis præceptis nonnihil diversum. Nam *cum reliqua simpliciter moralia sint, hoc ex parte morale est omnes gentes obligans, ex parte ceremoniale.* Diem aliquem pro sancto habere & in Divino cultu transmittere, est morale & naturale præceptum; ideoque etiam in omnibus mundi partibus dies aliquis festus observatur. Determinatio verò talis diei, ut hic potius quam alius deligatur, ad Ceremonias spectat. Et Judæis quidem dies Sabbathi, qui est ultimus septimanæ, sacer erat in memoriam creationis mundi, quæ illo die cessaverat: nos Christiani ex traditione Apostolica primum septimanæ diem Deo deferimus, quo Dominus & Servator noster, completo Redemtionis opere, à mortuis resurrexit; quo eodem etiam Spiritum S. in Apostolos demisit. Vnde in ipsis Scripturis dies illa *Dominica* dicitur, Apoc. I, 10.

III. Præceptum partim morale, partim ceremoniale.

Sanctificatio autem ejus consistit tum in positione cultus Divini, qui eo die præstandus est Deo auscultatione & meditatione verbi ipsius, ac usu Sacramentorum, aliisque pietatis exercitiis; *tum in remotione operum* à cultu illo retrahentium, inque alium diem differri sustinentium. Talia sunt, quæ propriè *Opera* dicuntur h. e. quæ vel corpore vel in usus certè corporis & vitæ hujus fiunt: non autem, quæ vel mentis & animi tantùm sunt, aut huic perficiendo destinantur. Vnde quod Scriptura Exod. XX, 10. simpliciter vocat מלאכה *Opus*, id Num. XXIIX, 18. מלאכת עבדה *Opus servitutis* sive *servile* adpellat. Absque omni opere dies festus coli non potest. Ipsa rerum Divinarum contemplatio, ipsi hymni, quibus dicendis dies ille de jure impenditur, opus sunt aliquod; sed liberale utrumque, non servile. Tantùm *cavendum, ne, quod per se liberale est, fiat servile per accidens.* Nam si quæstus gratiâ vel contemplationi quis vacet vel cantet, alia est ratio, cum, quod per se animo perficiendo destinatum erat, ad externa bona referatur. Similiter peccat, qui die isto rationes putat, nisi leviter & obiter id fiat: etsi enim mentis hoc est opus, finem tamen longè diversum habet, quam perficiendæ mentis. Quin *nec omnia illa opera, quæ animum perficiunt, Sabbatho aut festo rectè fiunt.* Nam & qui rebus aliis quam Divinis contemplandis tum vacat, rectè non agit: etsi enim liberale id est, non servile, tamen ideò peccat, quod diem illum Deo non sanctificat ejusque cultui dedicat; ideò enim ab omni opere abstinetur, ut illi præcipuè vacemus. Idque adeo certum est, ut *nec externa charitatis opera, si differri possunt, toto illo die rectè fiant.* Certè charitatis opus facit, qui nullius lucri causa hominis egeni & ab adversario potente oppressi in justa causa patrocinium suscipit: unde etiam die festo, si periculum in mora sit, scribendo aut meditando operam ei rei

De sanctificatione Sabbati.

dare potest. Quod si tamen res moram patitur, differendum hoc quoque charitatis opus est, ut Deo te consecrare possis. Eadem de causa ipsa judicia diebus festi & Sabbathi intermittuntur: etsi enim judicare per se non est opus servile, tamen vel ratione objecti tale est, quia circa res hujus vitæ occupatur, vel ideò certe omittitur, quia cultum Divinum impedit.

IV. Præceptum de honore parentum in quonam consistat?

Quartum præceptum est: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Honor ille non tantùm officia, salutationes, obedientiam complectitur, sed etiam indigentiæ, si quam patiantur, sublevationem & sustentationem. Huic autem parentum honori non repugnat, si minùs illis obediat filius contra pietatem aut Divinum honorem vel ipsiusmet filii salutem quid præcipientibus. Notat Apostolus Eph. VI, 2. *hoc esse primum præceptum, quod habeat* adjunctam remunerationis *promissionem*, subintellige, propriam, ac de re speciali, nempe longævitate. Habet alias præceptum, quod in ordine præcedit, de non colendis Diis alienis, additam promissionem, sed generalem, omnia præcepta concernentem; qualis est etiam comminatio isti promissioni opposita. Admodum vero in præsenti *congruè promissio longævæ vitæ liberis assignatur morigeris.* Nam æquum est, ut, qui parentibus ob acceptam ab ipsis vitam gratum se præbet, vitæ etiam istius diuturniorem obtineat conservationem: contrà, qui ingratus est tanto beneficio, citò meretur eo privari. *Est tamen hæc promissio non absoluta*: Quocirca etsi ut plurimùm accidat, ut, qui pius erga parentes fuerit, etiam in hac vita diu & feliciter vivat; id tamen intelligendum est I. sicut in cæteris promissionibus affirmativis, si cætera adsint, vel nihil aliud obsit. II. Si ita ad vitam æternam expediat. Siquidem, ut rectè explicat D. Thomas 2. II. q. 122. a. 5. ad 4. *Præsentia bona vel mala non cadunt sub meritum vel demeritum, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideò quandoq; secundum occultam rationem Divinorum judiciorum, quæ maxime futuram remunerationem respiciunt, aliqui, qui sunt pii in parentes, citiùs vita privantur; alii verò, qui sunt impii in parentes, diutiùs vivunt.* Porro præceptum hoc *ad superiores omnes* tàm Ecclesiasticos quàm Seculares extendi debet.

V. Præceptum.

Sequitur quintum: *Non occides*, privata scil. autoritate; unde qui Dei autoritate etiam innocentem, vel Magistratus autoritate nocentem, vel hostes in justo bello autoritate Principis occidit, contra hoc præceptum non facit; sicut nec, qui vim repellendo, dum aliter evadere non potest: non enim usurpata autoritate in alterius vitam id facit, neque formaliter & ratione sui alterius mortem intendit, sed tantùm materialiter, ut medium necessarium ad sui conservationem, ad quod alterius nequitiâ adigitur.

Ex hoc ipso quod in alterius vitam non licet autoritatem usurpare, colligo, nec licere in propriam. Perinde enim uti Dominus non es vitæ alterius, ita nec tuæ ipsius es Dominus, ut incidere eam integrum tibi sit. Non enim propter seipsum homo, sed propter Deum creatus est: ideoque nemo propriæ autoritatis motu seipsum vita privare potest.

Αὐτοχειρία prohibita.

Sextum præceptum est: *Non mœchaberis.* Ebræa radix נאף non nisi adulterari significat, quod peccatum ab & cum conjugatis committitur. Prohibentur nihilominùs hoc præcepto alia quæcunque genera illiciti concubitus, ut sunt *Incestus*, qui cum consanguineis; *Stuprum*, quod cum virginibus; *Fornicatio*, quæ cum corruptis committitur, liberis tamen, nec matrimonio alligatis, uti viduis aut meretricibus. Quantò potiùs aliæ peccatorum, quæ *contra naturam* fiunt, species, quibus vel nominandis Christiani abstinent! Simplex fornicatio videri fortean possit peccatum non esse, aut certè tam grande non esse: quia non appareat, cui damnum aut injuria irrogetur ejus commissione. Observetur itaque accuratiùs, inferri isto peccato damnum mulieri, quæ ideò infamis redditur: inferri proli, quæ illegitima nascitur: inferri Christo, quod, cum simus membra illius, fornicando efficiamur membra meretricis: inferri denique injuriam Sprituì Sancto, cujus templum, quod est corpus nostrum, fornicatione contaminatur & violatur. Certissimè *qui hoc violat Dei templum, hunc perdet Deus* 1. Cor. III, 17. VI, 15-20. ac *regno suo exesse jubebit*, eod. c. VI, 9. 10. Vitabit hanc & similes impuritates, qui libidinosos aspectus, oscula, tactus, aliaque ejus generis irritamenta cautè vitaverit.

VI. Præceptum.

Simplex fornicatio itidem est peccatum.

Septimo præcepto, *Non furtum facies*, prohibetur generalíter omne nocumentum, quod homini injustè infertur in bonis, quæ vocant, fortunæ. Hæc vel *clàm* abalienantur, quod propriè Furtum dicitur: vel *palàm* rapiuntur, quæ dicitur Rapina. Ad furtum reducitur fraus & dolus in emtione ac venditione similibusque contractibus admissa: detentio item rei alienæ, sive ad custodiendum datæ, sive in media via repertæ (cujus adhuc extat & investigari potest dominus, à quo res illa nondum pro derelicta habetur) seu alio quocunque modo proximo debitæ, qualis præcipuè est merces operariorum: emtio denique & occupatio rerum, de quibus facilè constare potest, quod sint vel fraude per fures, vel aperta vi per milites ablatæ. Ad rapinam reducitur *Usura*, qua palàm ac manifestè plus exigitur in refundendo, quam expositum est, solius lucri causa. Quæ Usura ob id *Lucratoria* dicitur, qua videlicet lucrum captatur etiam ex alterius damno. Ebraicè dicitur נשך *morsus*, quia arrodit & paulatim absumit miseros tenuioris fortunæ homines, & severè prohibetur Lev. XXV, 36. De *Compensatoria*

VII. Præceptum.

Usura duplex.

toria autem, quam vocant, usura aliter se res habet, per quam damnum vel lucrum cessans compensatur mutuatori à mutuatario, qui commodum suum paravit, suamq; rem adauxit alterius pecunia vel frumento. A tali enim aliquid ultra sortem accipere, non erit illicitum.

IIX. Præceptum. Octavum præceptum est: *Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.* Falsitas & mendacium omne secundùm se atque ex genere suo peccatum est, docente Augustino toto libro contra Mendacium T. 4. & adstipulantibus ei omnibus Scholasticis: cum sit actus ordini naturæ & Dei contrarius, quando sermo, qui ad animi sensa proferenda datus est, à mente animi discrepat. Veritatem occultare, pro loco & tempore licet; at mentiri nunquam: utut finis, qui mentiendo intenditur, bonus sit. Ex fine enim non potest fieri bonum, quod natura sua malum est. Nec pugnandum hic exemplis Sanctorum, qui passim in Scripturis ea dixisse narrantur, quæ vera non esse noverunt; quippe quos ab omni peccato immunes nemo pronunciaverit; sed ad Leges exigenda vitæ ratio, & ad præceptum inprimis Apostoli: *Deponentes mendacium loquimini veritatem quisq; proximo suo, cum invicem membra simus* Eph. IV, 25. Est autem *mendacium*, definiente Augustino, *voluntaria falsi enunciatio, fallendi causa*: lib. de Mendacio ad Consentium c. 4. Quicquid ergò tale est, id cavendum, tanquam, vel Aristotele teste, καθ' αὑτὸ φαῦλόν τε καὶ ψεκτόν, per se improbum & vituperabile, 4. Eth. c. 7. Quod ipsum tamen in hominibus, piis alioqui & Dei timentibus, per ignorantiam vel incogitantiam aut ex bono affectu admissum tolerari à Deo, ita ut rigidiùs cum eis non agat, haud diffitemur. Sine culpa nullum est: Sed quoddam tamen minoris culpæ. Cæterùm octavo hoc præcepto una mendacii species, eaque maximè odiosa ac noxia prohibetur, ne quis scil. adversus proximum suum testis mendax reperiatur in judicio. Sub hac autem specie aliæ omnes ejusdem generis comprehenduntur; ut & *in universum ea peccata, quæ committuntur lingua*, qualia: detractio, contumelia, adulatio, susurratio, derisio, & si quid his simile.

IX & X. Præcepta. Nonum præceptum est: *Non concupisces domum proximi tui*; & par huic Decimum: *Non desiderabis uxorem ejus, non servum &c.* Paulò aliter hæc præcepta recensentur Deut. V. nempe secundùm ordinem præceptorum præcedentium, sexti & septimi; ita ut nonum præceptum sit de concupiscentia circa res venereas: *Non concupisces uxorem proximi tui*; decimum & postremum de concupiscentia circa opes & possessiones: *Non concupisces domum proximi tui, nec servum &c.*

Quomodo Pontificii ea ordinent? Et hanc recensionem sequuntur Pontificii, tanquam ex Deuteronomio h. e. lege repetita ac recognita adeoque distinctiùs proposita desumtam;

tam; eandemque non tantùm in l. cit. Deuteronomii, sed & in Exodo tenent LXX. *Nos ad normam Ebraici textus Exodi enumeramus hæc duo præcepta secundùm ordinem naturæ*, ut nono præcepto contineantur res inanimatæ, sub nomine *domus*; decimo res animatæ, *uxor*, *servus*, *ancilla &c.* Ac rei ipsi, quocunque modo numeres, nihil decedit.

Non ideo autem utraque illa concupiscentia separatim vetatur, quasi non satis sexto vel septimo præcepto esset prohibita: sed *ob crassitiem populi Judaici hoc peculiariter inculcandum fuit*, non ipsum tantùm opus externum, verùm & interiorem animi concupiscentiam esse illicitam. Vbi tamen per *concupiscentiam* non intelligimus illam nobis ad instar habitus connatam, quæ *Originalis* dicitur, & ita nobis adhæret, ut exuere illam in potestate nostra non sit: ob hoc ipsum enim, quod adest & evitari ampliùs non potest, sub interdictum non cadit, quod datur de futuro & evitabili; sed intelligitur *actualis*, pravâ cogitationem interiorẽ & cogitationis permansionẽ complexa: quò accedit interdũ etiam oblectatio, approbatio ac vetiti operis machinatio. Hanc concupiscentiam cavere, hanc odisse ac odiendo impugnare, impugnando debilitare & minuere, huic resistere & fomenta subtrahere Divina Lex præcipit: *damnans* interim *etiam originalem concupiscentiam*, *licet non prohibens*. Possunt enim sanè præsentia & præterita damnari Lege; non autem nisi futura vetari. Et solius quidem Dei est, cupiditatibus interioribus Legem ferre; cum humanæ Leges Politicæ tantùm regant actiones externas, interna desideria illicita non puniant, utpote quæ notitiam humanam fugiunt.

Ista hactenus de Decalogo seu Lege morali fuerunt monenda circa utramque illius tabulam. Annectendum nunc aliquid etiam de Ceremoniali Lege & Judiciali, *quæ erant appendices Legis moralis*, ut ea Israëlitis per Mosen lata est: sicut videmus, Judicialia mandata statim subjici Moralibus apud Mosen Exod. XXI. Ceremonialia Ex XXV. usq; ad XXX. Et ferè Levitico continentur. *Et Ceremonialia utplurimùm primam tabulam spectant: Leges autem de Judiciis secundam.*

Ac innumerabiles penè sunt Leges Ceremoniales; sed præcipuè ad IV. classes referri solent: ad Sacramenta, ad Sacrificia, ad Sacra & ad Legales Observationes. *Sacramenta* Israëlitis duo erant, ut notum est: Circumcisio & Comestio agni Paschalis. *Sacrificiorum* autem genera multa & varia; sed principaliter tria: Holocausta, Eucharistica, Expiatoria; & inter Expiatoria unum præcipuum ac generale, nempe anniversarium, quod offerebatur singulis annis pro peccatis totius populi, Lev. XVI. Effectus illius expiationis erat, quod tollebatur immundities Legalis atque externa, à sacris cœtibus excludens, ac remissio

Leges Ceremoniales ad IV. classes referuntur.

sio fiebat temporalis pœnæ. Remissio autem æternæ pœnæ & peccatorum, quæ conscientiam inquinant, per sacrificia illa non fiebat (docente Apostolo Ebr. IX, 9. 13. X, 4.) sed per pœnitentiam & fidem in Messiam venturum & pro peccatis moriturum: cujus pœnitentiæ & fidei protestatio quædam erat sacrificium, quod pro peccatis offerebatur. Sed de his aliàs. Offerendis sacrificiis occupabantur Sacerdotes, quibus unus præerat Pontifex, suberant Levitæ: de quibus, si lubet, videri potest Dissertatio nostra de Cacozelia Gentilium part. gen. c. 3. part. spec. c. 6.

Sacrorum nomine complectimur omnia, quæ post Sacramenta & Sacrificia ad externum sacrum Dei cultum requirebantur: Loca sacra, quæ duo erant distinctis temporibus; primitùs Tabernaculum, quod fuit portatile; posteà Templum Salomonis, quod erat fixum in uno loco. Tum quoque tempora sacra, cujusmodi tres illæ solennitates annuæ, Pascha, Pentecoste & Festum tabernaculorum. Ac omnia insuper vasa sacra & instrumenta Divini cultûs, ut erant Arca fœderis, mensa Sanctuarii aurea, candelabrum aureum, labrum æneum, ara thymiamitis, ara holocaustorum. *Observantias* verò *Legales* nomine generali, cum speciale non suppetat, vocamus præcepta cætera, quibus mandatur externa quædam sanctitas in cibo, vestitu, aratione, satione arborum, aucupio & aliis, quæ magno numero ipsis erant injuncta, ut haberent qnod agerent, & à gentibus discernerentur, nec vel proprios sibi fingerent cultus, vel ad superstitiosos gentilium animum deflecterent.

Earum finis.

Breviter, sed significanter, Philippus noster: *Leges*, ait, *Ceremoniales sunt præcepta de externis gestibus sacrificiorum, de gradibus Sacerdotum, de discriminibus ciborum & vestium: qui gestus instituti sunt, partim ut essent significationes* (futuri sacrificii Christi) *partim ut discernerent personas* (carnaliter mundas ab immundis, Judæos á Gentibus) *partim ut essent exercitia* (quibus subinde occupatus populus in vero Dei cultu contineretur) T. 2. Opp. p. 250.

Legum Forensiū itidem IV. classes.

Jam quod attinet Leges Judiciales sive Forenses, possunt eæ itidem in IV. classes distribui, secundùm quatuor ordines, qui sunt in unoquoque populo.

I. *Primus ordo est inter Judices sive Magistratus & inter Cives.* Hic ordo ita erat divinitùs institutus, ut & *Monarchiam* præ se ferret Politia in populo Dei, dum unus toti populo præerat Dux & Judex; & *Aristocratiam*, quatenus eligebantur LXXII. Seniores omnium optimi & prudentissimi, qui summo Principi ad regendum populum adessent; & *Democratiam*, quatenus omnes hi Optimates & ex singulis & à singulis

gulis tribubus totaque plebe eligebantur. Perfectissima ergò fuit illa Politiæ forma.

Regem huic populo, more gentium, præfici ægrè permisit Deus: sed permisit tamen pertinaciùs urgenti, idque hac conditione, ut creetur non extraneus, sed Israëlita, Divino suffragio, quod per Prophetas innotescebat, commendatus.

Regi ita creato injungitur, ut sibi Legem describat & eam omnibus vitæ suæ diebus legat. Interdicitur autem, *ne equos, uxores & opes supra modum multiplicet*. Opum enim cumulandarum studio subditos tributis & oneribus premi metus erat: Illecebris verò uxorum ad peccata Rex poterat induci: In equitatus denique robore fiduciam ponere majorem quàm in Deo; vel etiam numero equitatus sublevatus, arma sumere contra Ægyptum & spem concipere ulciscendæ pristinæ servitutis, eâque spe fultus populum reducere in Ægyptum. Nam hæc causa impulsiva interdicti hujus de non multiplicandis equis in ipso textu, nostrâ sententiâ, innuitur Deut. XVII, 16.

Vicissim *populo injungitur* reverentia Superiorum, ne in animum inducat contemnere sententiam, quam in rebus judicio sacerdotali subjectis tulerint Sacerdotes, vel in negotiis civilibus Magistratus. ibid. v. 8. seqq. Oportuit finiri controversias determinatione eorum, ac stare quemque sententia ipsorum, quam ex præscripto Legis, ex fide & vero, ipsi tenebantur ferre; & sub pœna capitis id oportuit. Quod tamen frustrà trahitur hodiè ad *Romani Pontificis infallibilitatem* & liberam definiendi dogmata potestatem. Nam I. non de solo Pontifice hîc verba fiunt, sed de Sacerdotibus & Levitis, & de summo rerum civilium judice. Ergòne hi omnes & singuli infallibiles? II. Nec sermo est de dijudicandis fidei dogmatibus, sed de quæstionibus facti, v. g. de lepra, num vera sit, nec ne, de lite in contractibus oborta, de repetundis & similibus. III. Et in his etiam nulli permittitur absolutum judicium, sed restrictum ad Legem, sicuti v. 11. habetur. IV. Acquiescendum quidem erat decisioni Sacerdotum & Magistratuum, ut finis esset litium, nec pax turbaretur publica, aut Superiores contemtui exponerentur: sed propterea nemo tenebatur credere & animo suo statuere, rectè & infallibiliter pronunciatum esse, si liquido aliud ei constaret. Saltem ne sententiæ latæ contumacia & rebellio opponatur, cavetur. Hæc obiter.

Suppliciorum capitalium IV. erant genera: *Occisio per gladium, strangulatio, lapidatio, vivicomburium*. Suspensi & strangulati cadaver non permittebatur in ligno pernoctare, eo quod suspensus Deo maledictioni sit, propter enormia scil. flagitia, quorum memoria & judicium,

dicium, quamdiu corpus ejus Soli & omnium oculis exponitur, superesse & conservari videtur. Si crimen capitale non esset, cædi poterat reus, sed non pluribus quam quadragenis plagis.

II. *Alter Ordo in Rep. est civium inter se*; quatenus inter illos colenda est amicitia, retinenda æquitas, justitia, pax, honestas. Huc referendæ LL. de venditionibus, emtionibus, dividendis agris, de pignoribus & hypothecis, de contrahendis matrimoniis, de mendicis in hoc populo non ferendis, & similes.

III. *Tertius ordo est domesticus inter cujusq; familiæ partes*, virum & uxorem, parentes & liberos, dominos & servos. Patria potestas in liberos tanta erat, ut Patri oppresso paupertate liceret vendere filiam. Primogenitus duplicem in hæreditate portionem habebat. Ad amorem inter conjuges conciliandum novi mariti immunes habebantur, ne cogerentur in bellum ire, vel publicis officiis involverentur. Vxori, quæ non placebat, libellum repudii dare licebat: at semel repudiatam atque alteri nuptam & matrimonio isto liberatam non fas erat denuò ducere: nimirum, ne nuptiæ in orbem redeuntes vagantium libidinum speciem præberent, & mariti ægrius repudiarent, quas se nunquam recipere posse scirent. Nec de servorum & dominorum officiis justæ Leges deerant.

IV. *Quartus ordo inter Cives est & inter peregrinos seu exteros*. Bifariam autem possunt cives cum extraneis habere negotia: scilicet aut amicè, aut hostiliter. De utroque modo Leges sunt apud Mosen Politicæ. Licebat cum extraneis commercia habere, non cum Moabitis quidem, sed cum Idumæis tamen & Ægyptiis, & qui ex his ad Judaismum conversi fuissent, eorum filii generatione tertia capaces erant Juris & Privilegiorum Israëlitis concessorum, qualia, immunitas ab usuris (quibus pendendis obnoxiæ alioquin erant exteræ gentes) & gratiæ anni Sabbathici & Jubilæi. A fide & sacris Judæorum nemo quisquam exterorum arcebatur, ne deficerent ulli necessaria salutis adminicula. DEVS enim, ad hanc partem quod attinet, Deus est etiam gentium. Cum quibus gentibus bellum fortè gerendum, eæ principio ad pacem invitabantur, ut servirent sub tributo. Si renuerent, fas erat earum civitates obsideri, mares occidi, feminas, parvulos, jumenta in prædam distribui. Peculiariter arboribus parcendum frugiferis.

Earum finis. *Vsus harum Legem Judicialium erat* I. Conservatio Politiæ, pro conditione loci, temporis & gentis. II. Distinctio Politiæ illius (in qua ex certa stirpe nasciturus erat Messias) ab aliis gentibus.

Nunc id præcipuè quæritur: an & quomodo nos Leges hæ cùm Morales tum Ceremoniales & Forenses hodie obligent, vel non? qua de re Aphorismo sequente.

APHO-

APHORISMVS VI.

pag. 358.

Ceremoniæ Moſaicæ & forenſes Leges nec mandatæ ſunt cæteris gentibus, nec obligant nos. — Sed morales, cum ſint æternæ regulæ mentis Divinæ, ſemper ſonuerunt in Eccleſia etiam ante Moſen, & ſemper manſuræ ſunt, & ad omnes gentes pertinent.

De Abrogatione Legum Ceremonialium.

POſſunt hæc paucis expediri. *Legem Ceremonialem non eſſe niſi populo Judaico latam* inde patet, quod pleræque cæremoniæ & quidem præcipuæ, utpote immolationes Paſchæ & omnia ſacrificia urbi & templo Hieroſolymitano Divina Lege fuerunt innexa & alligata.

Eandem Legem *hodie neminem ampliùs obligare*, inde conſtat, quia Chriſtus, cujus illæ ceremoniæ typi fuerunt, reapſe pridem exhibitus eſt, & propterea typis ulterius repræſentari nequit. Quin quod haud diu à morte Chriſti locum iſtis ceremoniis deſtinatum, ademta omni reſtitutionis ſpe, everti & exſcindi Deus voluit, hoc ipſo teſtatum reliquit, quod ceremonias & ſacrificia diutiùs in uſu eſſe nollet. Atque ita futurum prædixit Daniel: *Chriſtus roborabit fœdus multis hebdomade una, & dimidia hebdomade ceſſare faciet ſacrificium & oblationem* c. IX, 27. Idque adeo impletum Chriſtus ipſe declarat Matth. XI, 13. dicens: *Omnes Prophetæ & ipſa Lex usq; ad Johannem prophetarunt.* Loquitur de Lege Prophetante, quæ alia non eſt quam ceremonialis. Hæc enim prophetabat de Chriſto per figuras & typorum umbras; ſed *usq; ad Johannem*, ait Chriſtus. Eo nempe tempore, quo Johannes Baptiſta Chriſtum typis hactenus præfiguratum præſentem monſtrabat digitis, vergebat Lex illa ad occaſum; usque dum urbe & templo deſtructis penitus aboleretur.

De Abrogatione Legum Forenſium.

Haud diſſimilis ratio Legum forenſium. *Nam & hæ non gentibus fuerunt traditæ, ſed Iſraëlitis*, & ita traditæ, ut neque gentes illas ſequi tenerentur, neque Iſraëlitæ in inſtitutis gentium ambulare permitterentur, velut Lev. XVIII, 3.4. & alibi legere eſt. Iſto Gentium & Judæorum diſcrimine jam ſublato, quin ademto Judæis omni regimine, manifeſtum eſt, etiam Legibus illis, quæ conſervationem Politiæ in hoc popu-

populo ejusque ab aliis Politiis discretionem spectabant, obligandi vim ablatam esse.

Imò rectè & accuratè Vir sui nominis Hugo Grotius: *Nos quod attinet, non probanda est ulla Legis abrogatio; nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israëlitis ablata est obligatio.* l. 1. de Jure belli & pacis c. 1. §. 16. Quare *duplici ratione peccabant illi Judæi tempore Apostolorum, qui volebant* gentes ad Christum conversas subjicere circumcisioni & reliquis Legalibus ceremoniis: tum quia gentes nunquá fuerant illi obstrictæ Legi, & nihil ad eos pertinebat; tum quia Christus illa Lege ipsos etiam Judæos liberaverat.

Obj. I. Quæ communiter hic objici solent contra abrogationem Legum Ceremonialium & Forensium, sunt ferè duo. I. quod Scriptura cultus Mosaici perpetuitatem videatur promittere, cum dicitur *Circumcisio pactum perpetuum* Gen. XVII, 13. *Pascha observandum statuto perpetuo* Exod. XII, 24. *Sabbathum pactum perpetuum* Ex. XXXI, 16. Sed quæ in Ebræo extat vox עולם, passim in Scriptura perpetuitatem non absolutam sed restrictam denotat, non æternitatem sed perpetuationem longi, definiti tamen temporis: quomodo dicitur, *Serviet ei in seculum* Exod. XXI, 6. h. e. usque ad annum Jubilæum, ut liquet ex collatione ejus Legis cum Lege Jubilæi Lev. XXV, 40.

Obj. II. Alterum, quod obiicitur, est hujusmodi: Optima & justissima Politiæ forma semper est retinenda. Judaicæ Politiæ forma fuit optima & justissima, utpote à Deo ipso constituta. Ergò est retinenda. Resp. Major loquitur de eo, quod est simpliciter: Minor autem vera est secundùm quid. *Judaicæ enim Politiæ forma fuit sanè optima, at non absolutè, sed illo tempore, & illo loco, & in illa gente.* Multa enim in ea captui & peculiari istius populi indoli fuerunt accommodata, ut de libello repudii, de ducendis viduis cognatorum: quorum observatio hodie non esset utilis & apta futura. In aliis interim, in quibus ejusmodi ad genium populi respectus non involvitur, concedimus, benè consultum fore Rebuspub. Christianis, si Legibus illis regantur, tanquam indubitatò rerum naturæ convenientissimis; modo adsint rationes probabiles, quare sic agatur, &, si rationes mutentur, eas quoque Leges mutandi libertas relinquatur.

Discrimen inter Ceremonialia & Forensia, quoad cessationem.

Notandum enim aliquod intercedere discrimen quoad evacuationem præceptorum Ceremonialium, & Judicialium. *Nam,* ut ait Thomas, *Ceremonialia adeò sunt evacuata, ut non solùm sint mortua sed etiam mortifera observantibus post Christum, maximè post Evangelium divulgatum (tanquam,* ut dicitur in sequentibus, *instituta principaliter ad figuranda Christi mysteria ut futura, & ideo ipsa observatio eorum præjudicat fidei veritati, secundùm quam confitemur, illa mysteria jam esse*

com-

completa:) Præcepta autem Judicialia sunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi; non tamen sunt mortifera, quia, si quis Princeps ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret (nempe, *quia*, uti rursum dicitur in sequentibus, *hujusmodi judicialia præcepta non ordinantur ad figurandum sed ad aliquid fiendum, ipsa eorum observatio absolutè non præjudicat fidei veritati*) *nisi fortè hoc modo observarentur vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris Legis institutione. Talis enim intentio observandi esset mortifera — quia per hoc haberetur* (inde sequeretur) *quod status prioris populi adhuc duraret, & quod Christus nondum venisset.* Hæc Thomas 1. II. q. 104. a. 3. Remota igitur opinione necessitatis, possunt præcepta judicialia plurima adhuc hodie locum habere inter Christianos, secus quam Ceremonialia. Præcisè autem loquendo utraque cessarunt.

Sed de Moralibus quid dicendum? *Antinomi* superiore seculo, aùctore Johanne Agricola, Islebiæ ludi rectore, exorti hæc ipsa quoq; unà cum ceremonialibus & forensibus abrogata, nec inculcanda ampliùs esse fidelibus contendebant, quippe qui adstricti non sint ad eorum obedientiam. Furor hic potius quam error à nobis longissimè abest, qui unanimi consensu docemus, omnes Christianos fideles Legis moralis regulæ, directioni, imperio & obligationi subjectos esse, eique Legi adimplendæ operam, quantam possunt, dare debere. Hoc inde probamus I. *quia Scriptura docet, Legem Mosis moralem non esse per fidem & Evangelium abrogatam.* Sic enim Christus ait Matth. V, 17. *Ne existimate, me venisse, ut dissolvam Legem & Prophetas: non veni, ut dissolvam, sed ut impleam.* Hoc de tota Lege, præcipuè verò de Morali intelligendum, *quam Christus quatuor modis implevit.* I. Propria justitia & conformitate cum Lege. Ps. XL, 9. Ebr. VII, 27. Deinde persolutione pœnæ sufficientis pro peccatis nostris Gal. III, 13. Sed & III. dum genuina interpretatione iteratisque ad universalem ac sinceram mandatorum ejus observationem commonefactionibus pristino suo nitori eam restituit, ut ex toto illo V. Matthæi cap. ac duobus seqq. constat. IV. Renovando nos ad imaginem Dei, perq; Spiritum suum cordibus nostris fide repurgatis Legem Dei inscribendo. Jer. XXXI, 33. Joh. VII, 38. Idem confirmat Paulus Apostolus Rom. III, ult. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? imò Legem stabilimus*; quia nimirum fide cognoscimus & credimus, Christum nobis ea, ad quæ ipsi invalidi eramus, præstitisse, Legique perfectè satisfecisse: tum etiam, quia fide purificantur corda Act. XV, 9. & fides per habitantem in corde Spiritum S. fidei autorem comites secum trahit spem, timorem, dilectionem Dei & proximi, sive, ut est Gal. V, 6. efficax est per charitatem, quæ est impletio

De Duratione Legis Moralis.

Quot modis Christum Legem impleverit?

pletio Legis Rom. XIII, 10. Cum ergò & Christus ipse testetur, se non venisse ad Legem abolendam sed ad implendam, & Apostolus ejus stabiliri Legem fide pronunciet, necesse est obligationem Legis moralis adhuc durare inter Christianos.

Huc II. faciunt omnia ea *Scripturæ loca, quibus Dominus ejusq; Apostoli mandata Decalogi & maximè dilectionis præceptum, tanquam Epitomen illius, fidelibus omnibus diligenter assidueq; commendant*: quod & locis allegatis fit Matth. V. Rom. XIII. & cumprimis in Epistolis Catholicis, Petri, Jacobi, Johannis. Et hoc ipso, ceu τεκμηρίῳ infallibili, Filii Dei à filiis diaboli discernuntur, quod illi recta agunt juxta Legem & diligunt invicem; hi minùs. 1. Joh. III, 20. Sic & *charitas ex fide non ficta & bona conscientia* (quæ est finis Decalogi) Timotheo veluti scopus objicitur, ad quem omnes suas actiones referre debeat. 1. Tim. I, 5. Et speciatim quartum Decalogi præceptum ab Apostolo proponitur & commendatur Eph. VI, 1. 2.

Luculentissimam III. habemus rationem hujus obligationis *ex convenientia Legis moralis cum Lege naturæ.* Idem enim utriusque tenor. Quoniam ergò naturæ Lex est immutabilis ac perpetua & in omni statu obligat hominem, quippe quî naturam in omni statu retinet, cui Lex illa connaturalis est; ideo quoque moralis, quæ cum naturæ Lege coincidit, & Decalogo comprehensa est, perpetua erit & immutabilis. Nec enim alia, quàm quæ ex se & ratione objecti hominem decent vel dedecent, imperat & vetat Lex Mosis moralis, perinde ut Lex naturæ. Quocirca Augustinus confidenter: *In illis*, ait, *decem præceptis, excepta Sabbathi observatione, dicatur mihi, quid non sit observandum à Christiano.* T. 3. l. de Spir. & lit. c. 14. p. 816. Excipit Sabbathum, quia Ceremoniale fuit. Quod tamen ipsum, qua parte morale, nos etiamnum obligat & ab Ecclesia servatur, commutatum in diem Dominicum.

Fulciendæ, quam dedimus, rationi facit, quod *ne per Dei quidem potentiam fieri potest, ut quisquam mortalium ab observantia Legis naturæ in Decalogo expressæ eximatur.* Nam cum Lex illa sit immutabilis ordo Divinæ sapientiæ & justitiæ, negamus, vel ipsum Deum in hac Lege, manente eodem objecto & iisdem circumstantiis, dispensare posse sive illius gratiam alicui facere: Dispensaturus enim statim migratum iret æternam Legem & Justitiam suam, cujus particula est Lex ista; quod vel cogitatu impium. Videatur Doctr. Civil. C. Horneji lib. IV. c. 3. p. 608. seqq. *Et omnium minimè Christianis ejusmodi dispensatio fieri potest*, qui, quò in statu perfectiore vivunt præ Gentilibus & Israëlitis, eò perfectiùs Legem hanc servare tenentur, quippe & beneficiis pluribus ac majoribus Deo ac Christo obstricti, & uberioribus gratiæ donis

ad servandum instructi. Ne nunc dicam, præfracta Legis inobedientiâ fidem & reliqua gratiæ dona Christianis concessa repentè excuti & dissipari.

Quod Antinomi & Libertini objiciunt ex 1. Tim. I, 9. *Justo non est Lex posita*, solvitur distinctione inter vim Legis directivam & coactivam. Lex posita est omnibus, etiam justis, quoad vim directivam: Lege enim diriguntur justi in via sanctitatis & justitiæ, quam omninò ambulare oportet. Quoad vim coactivam autem posita solis est injustis, sive, ut Apostolus ibidem ait, *sceleratis & subjici nesciis, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis*, qui videl. sponte sua Legi non obtemperant, ideoque pœnæ & supplicii metu ad officium cogi, & à peccatis retrahi opus habent: cum contrà renati Spiritu ducantur spontaneo & alacriter ex instinctu charitatis ad præscriptum Legis vivant; quos proinde minis Legis à peccato deterreri & ad bonum compelli necesse non est.

Cæteris Antinomorum strophis satisfieri potest concedendo, nos liberos esse à justificatione per Legem quærenda, & à condemnatione ejusdem metuenda, ab exactionis item illius rigore & terrore: quæ libertas non destruit Legis obligationem & obedientiam, sed auget & excitat.

Quin largimur, esse complura in Lege Mosis morali, quæ nos Christianos non spectent, v. g. prooemium ejus: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis*; nec non speciales comminationes & promissiones. Promissio enim addita præcepto quarto expressè ad literam loquitur de terra, quam Deus erat daturus populo suo, quæ hoc tempore nos non respicit. Sed tamen *præcepta, quæ sunt in Lege Mosis morali (excepto Sabbatho) singula nos attinent, ratione scil. materiæ, quamvis non ratione ministerii Mosaici.* Manet enim materia Legis, seu ipsa Lex & præceptio, quæ materialiter eadem cum Lege naturæ: Sed ministerium Mosis cessat, quod ad populum Israëliticum pertinuit, & ministerium literæ fuit, ac constitutivum specialis obligationis in illo populo, idque usque ad Christi duntaxat adventum, in quo tota Mosaica constitutio finem accepit. Nil ergò cum Mose nobis ampliùs est commune, qui sequimur morum regulam, legem, quæ per Mosen quidem lata est Israëlitis, verùm non ut à Mose est lata, sed ut declarativa est Legis naturæ: quo respectu à Christo etiam nobis commendata est & confirmata.

Atqui frustrà, inquies, commendatur & inculcatur, quod præstari & impleri non potest. Lex autem nequit impleri. Frustranea ergò tota erit doctrina Legis. Sanè concedam, quod nullatenùs impleri potest,

Quomodo à nobis Lex impleri possit?

 test,

teſt, illius præceptionem eſſe inanem & otioſam. Nec verò tale quid ſapientiſſimus & æquiſſimus Deus *à nobis* exigit. *Sint licet Divinæ Legis mandata impoſſibilia naturæ*, Gen. IIX, 21. Rom. III, 10. ſeqq. *ſunt tamen poſſibilia gratiæ*. Ezech. XI, 19. 2. Cor. V, 17. Et quamvis nec per gratiam ita accuratè & exactè Lex queat ſervari, ut planè nusquam impingas 1. Reg. VIII, 46. Jac. III, 2. & vi iſtius obſervationis ſerveris, Rom. IIX, 3. Phil. III, 9. nihilominùs in tantum homo renatus eam cuſtodit & adimplet, *in quantum* ipſi *ad ſalutem opus eſt. Eatenus autem id opus eſt ipſi, ne per peccata mortalia & contumacem Legis transgreſſionem excidat gratiâ Dei & amittat jus, quod per fidem ad vitam habet æternam.* Rom IIX, 13. Gal. V, 19. 20. 21. Et hoc omninò præſtitu poſſibile, imò per Dei gratiam nec adeo difficile eſt 1. Joh. V, 3. Minimè verò id incumbit renato, qui ſalvus eſſe velit, ut prorſus non peccet, ne quidem venialiter per ignorantiam aut imbecillitatem : nec etiam, ut per obſervationem Legis acquirat ſalutem ac vitam æternam. Primo homini ad imaginem Dei creato hoc erat obtinendæ ſalutis medium divinitùs ſtatutum, ut exactiſſimam & ſpiritualem univerſæ Legi obedientiam præſtaret, ac rigidiſſimè vitaret omnes infirmitates, quas peccata venialia appellamus. Et poterat hoc præſtare homo pro eo ſtatu, quia vires habebat ad id proportionatas. Nunc amiſſis illis viribus Deus nobis condeſcendens opera ac ſtudia noſtra qualiacunque grata habet in Chriſto, ſi Legi conformentur ſeriò Rom. XII, 1. Phil. IV, 18. *nec niſi deliberata violatio Legis ponit nos extra ſtatum gratiæ & excludit æterna ſalute.* Rom. IIX, 1. Poſſe quidem Deum, ſi vellet, tantam gratiam tantumque auxilium hominibus etiamnum impertire, ut pleniſſimè & ad unguem Legi ſatisfacerent & ab omni ἀνομίᾳ immunes eſſent, haud diffitemur. Sed quis affirmare ſuſtineat, tantum virium ulli, etſi converſo & juſtificato, concedi, ut vitare queat omnes exorbitantes affectus & carnales motus ac deſideria illicita adverſus mentem & Spiritum inſurgentia? reclamante utique tum ſenſu & experientia, tum Scriptura, Gal. V, 17. *Confertur interim renatis per Sanctum Spiritum facultas cavendi voluntariam & elata, ut Ebræi loquuntur, manu admittendam Legis prævaricationem*, quæ fit à plenè conſentientibus & obſtat ſaluti, ſive, ut rurſum Sctiprura loquitur, *crucifigendi carnem cum deſideriis & concupiſcentiis ſuis*, ne, *qui ſunt Chriſti*, hæc patiantur in actum prorumpere, l. d. ℣. 24. Quotidiana, quibus hæc vita laborat, delicta per imprudentiam & incogitantiam oborta Deus fidelibus juxta ἐπιείκειαν pacti Evangelici haud imputat : & illis nihil obſtantibus homo cenſetur ſervare Legem ac Deum toto corde requirere, amare, venerari 1. Reg. XIV, 8. Pſ. CXIX, 2. 10. ſi absque

fuco & fallaciis præcipuum studium suum ponat in obedientia cum interna tum externa ad præscriptum Legis inchoanda, & porrò, quod sibi deest, humiliter agnoscat ac deploret Ps. CXLIII, 2. Luc. XVII, 10. inque Christo ad perfectionem subinde feratur, Matth. V, ult. Phil. III, 13. 14. 15. Ebr. VI, 1. *Quæ impletio secundùm quid dicitur esse perfecta*, 1. Joh. II, 5. IV, 12. nempe pro præsenti statu, & benigna acceptatione Dei, ac in comparatione aliorum hominum : Sed imperfecta, eheu! est respectu status illius, in quo Adam conditus est, & potissimum respectu status futuri in altera vita. Phil. III, 12.

Communiter hæc solent confundi: verùm non sine dispendio vel veritatis vel pietatis. Etenim *salva veritate negari non potest, impossibilem nobis esse Legis impletionem omnimodam cum nullo peccato conjunctam*, adeoque Legis rigori justitiæque Divinæ satisfacientem : talis enim impletio fuit propria primævi status, qui pridem desiit. *Nec salva pietate negari potest, esse nobis possibilem impletionem Legis talem, quæ excludat hypocrisin & peccata regnantia ac opera carnis exstinguentia Spiritum.* Nisi enim à renato hæc abesse possent, oporteret omnes vel veteratores esse & fallaces, vel idololatras & superstitiosos, vel perjuros & blasphemos, vel profanos & parentibus immorigeros, vel adulteros & scortatores, vel fures & repaces, vel falsiloquos & alienis inhiantes: Quod dictu absurdum est & palàm contrarium Scripturis, quæ statum non-renatorum criminibus istiusmodi definiunt Rom. I, 29. 30. 31. VI, 19. 1. Cor. VI, 9. 10. 11. Eph. II, 1. 2. 3. IV, 18. 19. Tit. III, 3. è diverso renatos & fideles, ut *Noachum, Hiobum, Davidem, Ezechiam, Zachariam & Elisabeth* Gen. VI, 9. Hiob. I, 1. Ps. XXVI, 1. seqq. Esa. XXXIIX, 3. Matth. XXIII, 35. Luc. I, 6. aliosque, justos & innocentes ac sinceros irreprehensosque memorant; quin & perfectos, perfectione viæ, non patriæ, non absoluta, sed comparata, ad summum, *perfectione partium, non graduum*, quod Divino adjutorio initium integræ obedientiæ & subjectionis habuerint erga Deum secundùm omnes partes Decalogi Rom. XIII, 9. 10. etsi eam ἀκρίβειαν istumq; consummatæ obedientiæ gradum, quem Lex requirit, non fuerint assecuti Rom. VII, 14. qui defectus plenitudine absolutissimæ obedientiæ Filii Dei suppletur, inque eum credentibus & vitæ integritatem, quantam sectari per ipsius gratiam datur, sectantibus ultrò Dei indulgentiâ condonatur. Huc igitur revocanda, quæcunque de necessitate gratiæ Divinæ ad actus Theologicarum virtutum edendos, deque peccati mortalis & venialis discrimine suis suprà locis disseruimus. p. 279. 324.
Pulchrè utrumque & succinctè complexus S. Augustinus: *Studium*, inquit, *servandi præcepta Gratia Dei tribuit*: *quæ, si quid etiam in eis*

 præ-

præceptis minùs servatur, ignoscit. Propter quod orando dicamus: &c, Fiat voluntas tua; &, Dimitte nobis debita nostra. T. 7. lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 7. p. 904.

Ad istum, quem diximus, modum Lex moralis rectissimè traditur & prædicatur in Ecclesiis Christianis.

Vsus Legis Moralis. *Vsus hujus Legis* ex dictis patet, qui *triplex est: Coërcere, Convincere, Docere.* Primus ille spectat non-renatos & refragarios. Tertius renatos. Alter hos pariter & illos.

Primò igitur Lex coërcet & frenat improbos, quos nulla aliàs recti & justi cura tangit, ut pœnarum formidine ab externis sceleribus intraque externæ honestatis metas sese contineant, nec pacem turbent & tranquillitatem publicam. Quo pacto conservatur disciplina & facinora plurima sufflaminantur. De hoc usu Paulus Gal. III, 19. *Vt quid igitur Lex? propter transgressiones* sc. coërcendas *posita est.* Et loco, quem ante exposuimus: *Justo non est Lex posita, sed injustis, immorigeris &c.* nempe compescendis & in ordine retinendis. 1. Tim. I, 9. Hic igitur usus *externus est & disciplinaris.*

Alter ille in convincendo positus est *internus & arcanus*, feriens conscientiam hominis, dum sibimetipsi hominem ostendit Lex, detectis peccatis ejus, ad tribunal Dei eum producens ac maledictionis sententiæ subjiciens. De quo usu Rom. III, 20. *Per Legem agnitio peccati.* Et c. VII, 7. *Peccatum non cognovi, nisi per Legem: nam ipsam concupiscentiam non cognovissem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.* Hujus usus respectu *Lex iram* dicitur *efficere* i. e. iram Dei denunciare nosque subjectos iræ Dei proclamare Rom. IV, 15. Dicitur & hoc intuitu *ministerium mortis*, faciens videl. ut agnito peccato intelligamus, nos morte & damnatione dignos 2. Cor. III, 7. ac eâdem simul operâ est *Pædagogus ad Christum* Gal. III, 24. idque tam in non-renatis, quam in renatis. Nam illis est præparatio ad conversionem, Deo nimirum hoc medio cogente eos agnoscere suam injustitiam, desperare de seipsis & quærere justitiam ac vitam in Christo Mediatore per fidem Gal. III, 21. His verò in remedium superbiæ est atque incitamentum quotidianæ pœnitentiæ, quæ fit, quando sensu vitiosæ ἀδυναμίας & peccati adhærentis dejectus homo Deum, ne, prout posset, districtè judicet, deprecatur per Christum Salvatorem, finem Legis ad justitiam omni credenti Rom. X, 4. *Si* enim strictò in nos jure usus *iniquitates observet Deus*, vah! *quis possit consistere*? Ps. CXXX, 3. *Vtilitas itaq; Legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat. Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit:* scribente ad Asellicum Augustino T. 2. Ep. CC. 817. B.

Ter-

Tertius usus est *spiritualis*, pertinens ad homines Spiritu Dei regenitos, quos docet & instituit Lex in vero Dei cultu, suamq; ipsi gratitudinem testandi normam iis præbet ac indicem viæ ad vitam ducentis. Ob quem usum appellatur *Lex operum* Rom. III, 27. *via Dei*, Ps. CXIX, 3. *via veritatis* ℣. 30. *& lucerna pedum nostrorum* ℣. 105. Atque hoc velut stimulo incitati fideles indies student in melius proficere, ac interiores motus carnales vel penitus subigere, ut nulli sint ampliùs, allaborant: qualem ac quantam rectitudinem, utut in corpore hoc animali nemo attingere valeat, *Lex* tamen, *quantum in se est*, tenacissimè ab ipsis etiamnum renatis exigit, idque in materiam spiritualis exercitii, ut semper habeant fideles viatores, quò tendant, nec ad calcem se pervenisse virtutum quisquam existimet. Interim, *quoad effectum*, rigor exactionis illius temperatur, ut dixi, ita, ne iram Dei damnationemque subeat, qui regnum saltem aufert carnalibus desideriis, seque *delectari Lege Dei* cum Paulo profitetur *exercetq; ad conscientiam habendam sine offensa* (graviore voluntaria) *apud Deum & apud homines semper*. Act. XXIV, 16. Rom. VII, 22.

Et hæc hactenus de Lege.

Partis Secundæ

DE EVANGELIO

APHORISMUS I.

Sicut Lex est, qua recta mandantur, qua peccatum ostenditur: Ita Evangelium est promissio gratiæ — benedictionis, benevolentiæ Dei per Christum.

EVangelium Græca vox est, sonans *bonum ac optatum nuncium*, ut apud Appianum 4. lib. Bellorum Civilium de nece Ciceronis: οἱ δὲ εὐαγγέλιον Ἀντωνίῳ διαφέροντες. cit. Autore nostro T. 2. Opp. p. 272. Cui significationi aliæ duæ sunt cognatæ. Nam apud classicos etiam Autores notat *donum* iis dari solitum, qui fausta nunciant. Notat & *sacrificium* diis oblatum, sicubi læto nuncio olim exhilarati essent gentiles. Homonymia vocis Evangelii.

In S. literis usurpatur Evangelii appellatio aliquando in genere pro tota doctrina Christi & Apostolorum, quæ populo N. Testamenti

proponenda est. Marc. I, 14. *Venit Jesus in Galilaam pradicans Evangelium regni Dei.* Et c. XVI, 15. *Euntes in mundum universum pradicate Evangelium omni creatura.* Act. XX, 24. *Ministerium accepi à Domino Jesu testificandi Evangelium Dei.* Sicut & appellatione Legis sæpe intelligitur universa verbi Divini doctrina. Esa. II, 3. *De Zion exibit Lex.* Et in hac significatione generali definitur Evangelium, quod sit prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Et Christus enim & Paulus istis quasi principalibus capitibus universam doctrinam totius Evangelici ministerii circumscribunt. Luc. XXIV, 47. *Sic oportebat Christum pati & pradicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Act. XX, 21. *Testificans pœnitentiam in Deum, & fidem in Jesum Christum.* Hinc etiam, quod Luc. IX, 6. dicitur: *Egressi circumibant, per castella Evangelizantes*; illud ipsum Marc. VI, 12. ita effertur: *Ipsi egressi pradicabant, ut resipiscerent homines.* Nempe quia hæc in praxi sunt unitissimè conjuncta, ut simul & pœnitentia prædicetur & remissio peccatorum (nec enim nisi contritis & seriò pœnitentibus annunciatur remissio Esa. LXI, 1. Matth. XI, 5.) ideoq; una etiam appellatione utrumque munus designatur. Sanè etiam Evangelium multa utiliter declarat in doctrina de pœnitentia: imò ad veram & salutarem solum nos vocat Evangelium. In hanc igitur sententiam accipienda definitio Evangelii Autori nostro frequentata: *Evangelium est pradicatio pœnitentia & promissio, quam ratio non tenet naturaliter sed revelata divinitùs, in qua Deus pollicetur, se propter Christum Filium suum remittere peccata &c.* L. de Evang. C. D. 398. Nimirum, ut in ipsa etiam Apologia Aug. Conf. docetur, *Hac est summa pradicationis Evangelii* (totius Evangelici ministerii) *arguere peccata & offerre remissionem peccatorum & justitiam propter Christum, & Spiritum S. & vitam aternam, & ut renati benefaciamus.* Tit. de pœnit. Dodecadis noviter excusæ p. 372. Confer 925.

Interdum verò, & cùm propriè quidem de Evangelio sermo est, speciatim sumtum ac legi contradistinctum, denotat, vi nominis, solam concionem gratiæ per Christi meritum partæ & omnibus fidelibus conferendæ. Veluti rursum Mar. I. capitur v. 15. *pœnitentiam agite & credite Evangelio.* Atque posteriore hoc modo sumitur ab A. N. in præsenti Aphorismo, quem reperies in alleg. Dodec. p. 714. 715. *Nec dubium est, Deum voluisse hac insigni appellatione doctrinam de Filio & latissimis beneficiis Filii distinguere à Lege, ut appellationis dulcedo moneret homines de discrimine Legis & Evangelii*: sunt ejusdem verba T. 2. Opp. p. 272. Paria habentur L. de discrim. V. & N. T. *Sciamus in summa, duo genera doctrina in toto illo libro* (Scripturæ S.) *contineri*; *Legem, & promissio-*

missionem gratiæ, quæ propriè dicitur Evangelium. C. D. p. 455. Et similiter in Apologia dicitur: *In hæc duo opera distributa est universa Scriptura; altera pars Lex est, quæ ostendit, arguit & condemnat peccata: altera pars Evangelium h. e. permissio gratiæ in Christo donatæ.* tit. cit. de Pœn. Dodec. p. 376. Ecce, quod priùs Evangelio in laxiore significatione sumto tribuebatur, quod arguat peccata, hoc nunc assignatur Legi, quando propriè & in specie de utroque doctrinæ genere sermo fit. Itaque *mutuas quidem tradunt operas Lex & Evangelium; quo fit, ut utriq; quadam alterius munia adscribantur: sed interim distinctè id debet intelligi.* Evangelium arguit peccata, prædicat pœnitentiam, ministerio Legis. Lex pœnitentiam acturos & de se desperantes ad Christum deducit, subsidio adhibito ministerii Evangelici. Nam, ut rursum Apologia habet, *hæc est ipsa vox Evangelii propria, quod propter Christum, non propter nostra opera, fide consequamur remissionem peccatorum.* Dodec. 323. 367. Ni ita distinctè loquamur, peribit nobis discrimen Legis & Evangelii perquam necessarium.

Discrimen autem illud ex dictis quodammodo manifestum est, & in his positum 1. quod Lex est naturaliter cognita etiam gentilibus, qui *opus Legis scriptum habent in cordibus suis*, Rom. II, 15. Evangelium autem omnē humanæ rationis captum transcendit & *à Christo ex sinu Patris defertur*, Joh. I, 18. Vnde dicitur *mysteriū voluntatis divinæ*, Eph. I, 9. quod nullo videlicet acumine mens humana sibi relicta investigare valet. II. Lex peccati contagium, Evangelium peccati remedium ostendit, vel, quod idem est, Lex debiti nostri summam flagitat: Evangelium ejus remissionem annunciat. Illa retegit peccata, nec tollit: hoc tegit & tollit, Rom. III, 19, 20. II. Cor. V, 18. seqq. Col. I, 14. Atque hinc III. Lex terroris & mortis: Evangelium consolationis & vitæ subit ministeriū: quod indicant verba Apostoli II. Cor. III, 6. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* IV. Lex jugiter mandat, nullas autem exsequendi mandata vires suppeditat, aut mentem immutat, Deut. XXIX, 4. Evangelium verò sibi adjunctam habet Spiritus gratiam, qua vires subministrantur mandata præstandi, homine veteri in novum commutato & transformato Gal. III, 2. II. Cor. V, 17. Denique Lex vitam æternam promittens exigit perfectam justitiam propriam: Evangelium offert alienam, Christi per fidem applicati, Rom. X, 4. 5.

Discrimen inter Legem & Evangelium.

Hæ sunt potiores differentiæ Legis & Evangelii. *Non autem distinguuntur voluminibus:* nam & in Mosaicis ac Propheticis libris Evangelicæ promissiones continentur, & in Evangelistarum atque Apostolorum scriptis Lex comprehenditur ac declaratur. *Nec ita etiam discrepant, ut sola Lex contineat mandata; solum Evangelium promissiones.*

ſiones. Malè colligit, qui eo ſenſu Aphoriſmi noſtri verba intelligit. Vt enim Lex promiſſiones habet ſubjunctas: ita Evangelium ſecum habet mandatum fidei in Chriſtum, quod à Lege non attingitur, & de cætero additam ſibi vim ac virtutem juxta Divinæ Legis mandata ſanctè vivendi. Nec verò id quoque diſcriminis intercedit inter Legem & Evangelium, quod promiſſiones Legis ſint conditionatæ: Evangelii autem promiſſiones abſolutæ. *Vtræq; enim conditionatæ ſunt; ſed diverſæ tamen conditiones interveniunt.* Lex ſub conditione perfectiſſimæ propriæ; Evangelium ſub alienæ juſtitiæ conditione, adeoque gratis vitam ac ſalutem ſpondet. Vt non male inquiat Philippus: *Particula* gratis *propter Chriſtum facit diſcrimen Legis & Evangelii.* L. de Evangelio C.D.397. Et ibidē paulò antè: *Promiſſio Evangelii propria non habet conditionem Legis tanquam cauſam h.e. non promittit* (ſalutem ac vitam) *propter impletam Legem, ſed gratis propter Chriſtum*; ſubintellige, fide viva apprehenſum. Nam, ut p. ſeq. 398. monet Autor, *particula* gratis *non excludit fidem, ſed conditionem noſtræ dignitatis.* Et porrò: *neq;*, ait, *obedientiam noſtram excludit: tantùm cauſam beneficii à dignitate noſtræ obedientiæ transfert in Chriſtum.* Hæc ille, juxta Scripturas, Rom.III,24,25. Ebr. V,9. Aliud igitur eſt, eſſe *abſolutum*: aliud, eſſe *gratuitum.* Poteſt gratuitum eſſe non abſolutum, ſed conditione determinatum. Cujusmodi ſanè ſunt noſtra juſtificatio, adoptio, remiſſio peccatorum ac vita æterna: quæ gratuita dona ſunt, & nemini tamen actu conferuntur absque fide. *Sine hac enim impoſſibile eſt placere Deo.* Ebr.XI,6. Dantur nihilominus *quædam etiam promiſſiones Evangelicæ abſolutæ, citra fidei conditionem factæ*, quarum impletio hominum fidem non requirit, licet ſine hac non proſint: ut, de Chriſti miſſione, incarnatione perque eum futura redemtione: quas cùm Judæi pro conditionatis habeant, adventum Meſſiæ tanquam ob infidelitatem & peccata hominum longiùs dilatum adhuc hodie ſtolidè expectant. Sed, ut dixi, nec ipſæ tamen hæ promiſſiones cuiquam absque fide proſunt, aut, niſi poſita conditione hac, ſalutariter applicantur.

APHORISMVS II.

pag. 399.

Vnum eſt & idem Evangelium, quo omnes ſancti ab initio mundi ſalvati ſunt omnibus temporibus.

Evangelium quoad ſubſtanti. INtelligendus hic Aphoriſmus de ſubſtantia, non de modis accidentalibus. Quoad ſubſtantiam non aliter auditum in paradiſo inter-

que

que Patriarchas & Prophetas est Evangelium, quam quod sonat hodie. Quid enim promissio Gen. III, 15. de semine mulieris, contrituro caput serpentis, aliud est, quam πρωτευαγγέλιον, primum & perpetuum Evangelium? Cujus crebræ expositiones & confirmationes passim leguntur Patriarchis factæ, Abrahamo, Isaaco, Jacobo: quibus singulis dictum divinitùs est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, Gen. XII, 3. XXVI, 4. XXVIII, 14. *quod semen est Christus*, Gal. III, 16. Hic magnus ille *Propheta, quem omnibus audiendum* Moses proponit Deut. XVIII, 15. *cujus typum gesserunt sacrificia* penè infinita. Hic *Davidis filius, regnum habiturus æternum*, II. Sam. VII, 12. 13. cujus prædicatur Deitas, Psal. II, 7. prædicitur *passio & à mortuis resurrectio*, Ps. XVI, & XXII. Et *huic etiam testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum*, Act. X, 43. Evolvantur in pronunciati hujus fidem dicta prophetica, Esa. LIII, 4. 5. Jerem. XXIII, 6. XXXI, 34. Ezech. XXXIV, 16. 23. Dan. IX, 24. Qualia & liber Prophetarum minorum suppeditat, Hos. XIII, 14. Mich. II, 13. Zach. IX, 9. Mal. IV, 2. Atque adeò *Jesus Christus heri* (in præterito tempore Veteris) *& hodie* (post exortum N. T.) *idem* (quoad substantiam Salvator) *est, & in seculum*; nempe est & manet prora ac puppis salutis nostræ, Ebr. XIII, 8.

am semper unum & idem est.

Quoad modos verò accidentales doctrina & gratia Evangelii, qualis hodie viget, nonnihil diversa est ab ea, cujus participes erant, qui olim vivebant ante Christi adventum. Nam illis Christum *venturum* prænunciarunt Prophetæ, quem N. Testam. præcones *venisse* testati sunt. Hinc dicuntur *Prophetæ de ventura in nos gratia vaticinati*, I. Pet. I, 10. & Evangelium Dei de Filio suo per Prophetas in Scripturis sanctis à Deo *ante promissum*, quàm scil. præstitum publicaretur præconio Apostolico Rom. I, 2. Et eodem sensu mox post Apostolorum tempora Justinus lib. Quæst. & Resp. *Quid*, ait, *est Lex* (doctrina V. Testamenti?) *Evangelium prænunciatum. Quid Evangelium? Lex completa.* qu. 101. p. 122. Probè observandum hoc, ut argumentis, quæ concludunt, Patres V. Testamenti non habuisse Evangelium, satisfiat. Habuerunt utique Evangelium promissum, ut loquitur Paulus, vel, ut Justinus, prænuntiatum h. e. doctrinam gratiæ propter Chsistum venturum. Sic omnes promissiones de Christo, ἐπαγγελίαι in Scripturis dictæ, Patribus Evangelium fuerunt, & sic dicitur προευηγγελμένον evangelizatum fuisse Abrahæ Gal. III, 8. Nos hodie habemus Evangelium ad promissionum complementum restrictum, quod est doctrina gratiæ propter Christum exhibitum, sive, concio de promissionibus completis. Quo pacto Evangelium est proprium N. Testam. ejusque principium posi-

Variat autem quoad modos accidentales.

positum in ministerio Johannis Baptistæ Marc. I, 1.2. plenum verò incrementum in prædicatione Apostolica, cum antea esset *tacitum inde ab orbe condito* Rom. XVI, 25.

Est & in modo revelationis discrimen, quæ in V. Testam. obscurior & parcior, multò autem clarior & uberior contigit in Novo. *Locutus* enim *olim Patribus per Prophetas Deus* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis vicibus* (& per partes quasi, ac proinde obscuriùs) *multisq́ modis* (ita, ut alia alii Prophetæ, nulli omnia revelaret) *ultimis diebus hisce locutus est nobis per Filium*, nempe clarissimè & plenissimè, ut omnia arcana nobis patefaceret. Ebr. I, 1. Vnde & Paulus ait Act. XX, 27. *Non subterfugi, quò minùs annunciarem vobis omne Dei consilium.* Et scitum est illud Augustini in tit. Ps. CXLIII. *Gratia N. Testam. in Lege velabatur, in Evangelio revelatur. Velum removimus: quod velabatur, agnovimus*, T. 8. p. 1653.

APHORISMVS III.

pag. 401.

Sicut necesse est scire, Evangelii esse gratuitam promissionem: ita necesse est scire, Evangelii promissionem universalem esse h. e. offerri & promitti omnibus hominibus reconciliationem.

Promissiones Evangelii sunt gratuitæ.

PRomissiones Evangelicæ duplicem habent considerationem: unam *ratione qualitatis*, alteram *ratione quantitatis*. Priore modo sunt & dicuntur *gratuitæ*, non quidem respectu Christi, cui carè constitit nostra redemtio 1. Cor. VI, 20. Sed respectu nostri, quia nos nihil ad hanc rem conferimus. *Gratis*, ait Deus, *venundati estis* (obnoxii facti diabolo: nec enim ego vos illi vendidi aut oppignoravi, neque ullis muneribus corruptus illi in vos jus permisi) *ideò redimemini sine argento* (sine ullo pretio, quod scil. vos detis) Es. LII, 3. Intervenit quidem à nostra parte fides, qua recipitur promissio: sed & ipsa hæc est donum Dei gratuitum. Vnde Apostolus: *Gratiâ*, inquit, *salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei donum est.* Eph. II, 8. Et disertiùs adhuc Rom. IV, 16. *Propterea ex fide, ut sit per gratiam.* Posteriore modo dicuntur Evangelicæ promissiones *Vniversales*, quippe extendentes se ad omnes homines. *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri & ad*

Et universales.

agni-

agnitionem veritatis pervenire 1. Tim. II, 4. *nec vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti* 2. Pet. III, 9. *Non* enim *delectatur morte peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat* Ezech. XXXIII, 11. Hoc fine *non pepercit proprio Filio suo, sed tradidit ipsum* (in mortem cruentam) *pro nobis omnibus* Rom. IIX, 32. Qui & *ipse* promtissimo animo *dedit se redemtionis pretium pro omnibus* 1. Tim. II, 6. *factus propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantùm, sed & pro totius mundi peccatis* 1. Joh. II, 2. i. e. pro peccatis omnium omninò ac singulorum hominum: non, ut Calvino visum est, solummodò electorum; nec enim per mundum Ecclesia aut electi tantùm in Scripturis denotari solent.

Distinctio inter singula generum & genera singulorum, proba aliàs, hic Calvini causam nil juvat. Totus enim mundus utique singulos in individuo homines comprehendit, non saltem singularum gentium, ætatum & ordinum aliquos. Alia verò hic distinctione opus inter *meriti* Christi *sufficientiam & efficaciam*. Cum dicimus, Christum plenissimam pro omnium & singulorum hominum peccatis propitiationem peperisse, id intelligendum est à Christo factum esse sufficienter quidem, sed non efficaciter. Sufficienter; non tantùm si pretii valorem & magnitudinem spectes, sed etiam ex intentione Dei, juxta quam passus est hoc fine, ut omnes remissionem peccatorum per mortem ejus consequerentur. Non autem efficaciter; si respicias ad effectum redemtionis, qui non transit actu ad omnes, ob multorum incredulitatem & contumacem impietatem: hanc penes est culpa, quod multi pereunt, quibus propitiatio per Christum sufficientissimè fuit acquisita.

Dist. inter meriti Christi sufficientiam & efficaciam.

Ipsam verò etiam distinctionem hanc Calviniani usurpant. Sed sensu longè alio, quam nos. Ipsis enim, Christum pro omnibus mortuum esse sufficienter, nihil est aliud, quam non defuisse morti Christi valorem ac vim expiandi omnia peccata, si ad hoc à Deo fuisset destinata: verùm hoc consilium & hanc mentem nec Deo nec Christo unquam constitisse. *Si vim sanguinis Christi respicias*, inquit Wilh. Bucanus, *ad redemtionem omnium sufficit; si verò propositum consiliumq; Dei æternum voluntatemq; Mediatoris intuearis, pro solis electis mortuus est.* Loc. de Prædest. p. m. 427. At nos quam maximè agnoscimus tale consilium & decretum Dei, ex quo passus sit Christus ac mortuus pro salute omnium in universum hominum. *Misit* enim *Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per eum*, Joh. III, 17. Quapropter & *illos, qui celerem sibi damnationem accersunt*, dicitur *mercatus*, 2. Pet. II, 1. nempe sufficienti λύτρῳ pro iis, ex consilio & intentione Dei, persoluto. Atque ob hoc ipsum tales damnantur, quia tam preciosam satisfa-

Quomodo Calviniani distinctionem illam intelligant?

tisfactionem pro se præstitam amplecti recusarunt, qui aliàs ob non apprehensum id, quod ipsis nunquam fuisset destinatum, nunquam pro iis præstitum, damnari non possent. *Sufficientia ergò meriti Christi posita est tum in pretii dignitate, tum vel potissimum in Dei benevola intentione ac voluntate.* Vt autem efficaciter id homini conducat & salvationis effectus emergat, præter sufficientem acquisitioně propitiationis requiritur insuper ejusdem applicatio per fidem Joh. III, ult. Et proinde quod passio ac mors Christi non omnes ad salutem perducit, non propitiationis illius particularitas, sed ipsorũ incredulitas in causa est.

Porrò fidem prædicatione verbi in omnium animis accendere cupidus Deus, eo ipso fine per suos ablegatos ac ministros, imò per proprium Filium, omnes ac singulos mortalium ad se invitat. Esa. XLV, 22. *Convertimini ad me & salvi eritis omnes fines terræ.* Matth. XI, 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onusti estis; & ego reficiam vos.* 2. Cor. V, 20. *Nomine Christi legatione fungimur, &, velut Deo vos rogante per nos, oramus Christi nomine: Reconciliemini Deo.* Ad quos Prophetæ in V. & Apostoli in N. Testamento non sunt specialiter missi, iis integrum nihilominùs erat à populo cum Israëlitico tum Christiano discere, quæ saluti eorum facerent, atque, si communioni fidelium vellent aggregari, nullatenus exclusi sunt. Sive ergò amorem ac benevolentiam Dei spectes, sive meritum Christi, sive utriusque per verbum fidei oblationem, nullus, quantum ad Dei intentionem ac juvandi promtitudinem, particularitati locus est. Sed, ut Autor noster monet p. 402. de hac universali (Evangelii gratia) iterum dicendum erit infrà de Prædestinatione.

Quare hic filum abrumpimus.

TESTIMONIA VETERVM.

SVbditus autem mundus eò per Legem factus est, quia ex præscripto Legis omnes conveniuntur, & ex operibus Legis nemo justificatur, id est, quia per Legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. *Ambros. epist. LXXI. ad Irenæum.*

Lex justificare non potest. *Thomas Aquinas in III. c. ep. ad Gal.*

Certè quæ ad pietatem bonosque mores pertinentia, non ad aliquam significationem ulla interpretatione referenda, sed prorsus, ut sunt dicta, facienda sunt. Profectò illam Dei Legem, non solùm illi tunc populo, verùm etiam nunc nobis, ad instituendam rectè vitam, necessariam nemo dubitaverit. *Augustinus l. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 4.*

LOCVS



LOCVS VI.

DE

JVSTIFICATIONE ET BONIS OPERIBVS.



Væ hactenus de Lege & Evangelio dicta sunt, magnam habent affinitatem cum doctrina de Justificatione hominis peccatoris coram Deo & studio bonorum operum justificatis sectando. Etenim voce Legis consternatus homo peccator cogitur ad Christum confugere, ejusque justitiam ac satisfactionem in Evangelio revelatam ac oblatam amplecti plenâ cordis fiduciâ. Quod dum fit, justificatur homo & veniam peccatorum consequitur, quam deinceps insequitur declaratio fidei per bona opera ad normam Legis moralis. Adeoque ordo, quem his in locis Autor tenet, optimè sibi constat. Nos tribus capitibus percurremus hunc doctrinæ locum. I. De nomine justificationis agemus. II. De causis illius. III. De consectariis, quæ duo sunt: unum, certitudo remissionis peccatorum & gratiæ Divinæ: alterum, bonorum operum seu novæ obedientiæ studium.

APHORISMVS I.

Pag. 405.

Justificatio significat remissionem peccatorum & reconciliationem seu acceptationem personæ ad vitam æternam. Nam Ebræis justificare est forense verbum.

Ita est. Justificatio in hoc argumento *vocabulum* est *forense*; & verbum *justificare* ex proprietate & usu linguæ Ebrææ judicialem actum forense. Justificatio h. l. est vocabulum forense.

actum notat, quo quis ab intento crimine absolvitur & justus censetur. Id enim importat Ebraicum הצדיק. Quæ significatio nec aliàs extra hunc articulum insolens est in Scripturis. Sic enim dicitur Deut. XXV, 1. *Si fuerit oborta lis inter aliquos, venient ad judicium, & judicabunt eos, & justificabunt* (absolvent) *justum & condemnabunt impium.* Esa. V, 23. *Va vobis, qui justificatis impium ob munus, & justitiam justorum tollitis ab eis.* Prov. XVII, 15. *Qui justificat impium & qui condemnat justum, uterq; abominabilis est apud Deum.* Sed maximè in hoc puncto, ubi de justificatione peccatoris coram Deo est sermo, significatu isto forensi verbum hoc accipi, evidens est ex oppositione. Sicut enim jam allegatis locis opponuntur inter se justificare & condemnare: ita apud Paulum in præsenti negotio non minùs hæc duo sibi invicem sunt *opposita, justificare & condemnare.* Rom. VIII, 33. 34. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui est mortuus.* Directè hic quidem Justificatio opponitur Intentationi criminum sive Accusationi in primo jugo: Condemnationi vero opponitur Mors Christi in altero jugo. Sed perinde ad rem est, utra oppositio fiat. Nam *æquè contrariatur Justificatio Condemnationi atq; Accusationi.* Quid enim accusatione intentatur aliud alteri, nisi condemnatio? Quem proinde Deus ab accusatione absolvendo justificat, is non habet quod sibi à condemnatione metuat. Et ita vi oppositorum nil aliud justificare hic notat, quàm accusationem habere irritam, nec ad comdemnationem descendere. Quod quidem fit per remissionem peccatorum & reconciliationem, seu acceptationem personæ ad vitam æternam; ut habet noster Aphorismus, planè ad Scripturæ mentem.

Remissionem peccatorum innuit Apostolus Rom. IV. Nam, ut ibi ℣. 5. dicitur, *Deus justificat impium*; quomodo id verò? sic, *ut remissa sint homini iniquitates & obtecta peccata* ℣. 7. *Justificare* igitur & *iniquitates remittere*, in præsens ταὐτὸ sunt. Reconciliationem & personæ acceptationem indicant ejusdem Apostoli verba Rom. V. Ibi enim *justificati sanguine Christi* ℣. 9. *& reconciliati Deo per mortem filii ejus* ℣. 10. sunt iidem. Sic & aliàs synonyma τῷ justificari & paria sunt *non vocari in judicium* Ps. CXLIII, 2. *non condemnari* Joh. III, 18. *non venire in judicium* Joh. V, 24. *non judicari* Joh. III, 18. quæ omnia sunt forensia sive judicialia. Quin totus hic adeò Justificationis actus forensi processu describitur passim, facta mentione Rei seu *servi debitoris* Ps. CXLIII, 2. Matt. XIIX, 24. *Accusatoris* Apoc. XII, 10. *Testium*, Rom. II, 15. *Chirographi* Col. II, 14. *Tribunalis*, Rom. XIV, 10. *Judicis*

dicis Pf. L, 6. *Advocati* 1. Joh. II, 1. Vt non possit, ubi ex professo de Justificatione tractatur, vox hæc aliud sonare, quam receptionem in gratiam & à peccati reatu absolutionem, condemnationi oppositam: quamvis & antecedentes, cohærentes & consequentes actus, quibus quis declaratur, evincitur, approbatur & censetur justus, connotet. Quo posteriore modo verbum justificandi legitur extra hujus articuli sedem Luc. VII, 29 *Publicani justificaverunt Deum* i. e. justum agnoverunt & confessi sunt. Et c. XVI, 15. *Vos justificatis vos coram hominibus* i. e. haberi vultis justi. Quæ sic satis sunt manifesta.

Pontificii tamen longe aliter & latina origine *justificare* exponi volunt per justum facere, seu justitiam dare, quæ scil. sit inhærens: *sicut calefacere est calidum facere*, seu calorem dare, qui formaliter insit. Sic itaque illis Justificare est idem, ac renovare & cor immutare, sive justitiam inhærentem tribuere; & ipsa Justificatio illis est mutatio alterativa & modus ad justitiam, ac novæ adeò qualitatis, cum expulsione veteris, effectio, perinde ut calefactio. Vno verbo, Justificatio illis est sanctificatio ac inhærentis justitiæ adeptio. Qua significatione videri potest Apostolis id verbi usurpasse 1. Cor. VI, 11. *Et hæc eratis quidam; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri.* i. e. ex immundis mundi, ex profanis sancti, ex injustis justi facti estis per Spiritum S. propter Christum, in quem creditis. Tali sensu, qui cum sanctificatione coincidat, potest & illud accipi Tit. III, 7. *Vt justificati* (Spiritu in nos opulenter effuso ex injustis justitiæ cultores facti) *illius* (Christi) *gratiâ* hæredes efficeremur vitæ æternæ. Et quid mirum est, propter summam & arctissimam connexionem, quæ justificationi & sanctificationi invicem intercedit, illam nonnunquam ad hanc significandam assumi? Nam eodem momento, quo justificatur homo i. e. à peccatis absolvitur, accipit simul gratiam sanctificantem, cujus ope vitam justificato dignam possit ingredi. *Cum Deus remittit peccata*, inquit Philippus, *simul donat Spiritum S. inchoantem novas virtutes — quæ comitantur reconciliationem.* Corp. Doctr. p. 405. Nec verò etiam vel ignoramus vel negamus, apud Patres subinde reperiri τὸ justificare, pro, inhærenter justum facere.

Quid sit Pontificiis?

Sed propterea tamen non est de nostra causa conclamatum. Nam I. quod Latini vocabuli compositionem attinet, videtur quidem Justificatio dici quasi Justifactio, sicut Sanctificatio, Vivificatio, Pacificatio. Verùm tale significatum vocabuli Justificationis aut verbi Justificare ex nullo probato autore Latino potest evinci: & in contrarium est verbum *Magnifico*, vulgato Interpreti solenne, quod non est ex parvo

parvo magnum facio, sed *magnum agnosco, prædico*, ut in Cantico Mariæ Luc. I, 46. *Magnificat anima mea Dominum.* II. Quod Justificationem definiunt Pontificii per mutationem qualitatum, eamque conferunt cum calefactione aliisque motibus alterativis, id non video equidem, quomodo cum saniore doctrina Physices queat consistere. Nam mutatio alterativa semper versatur inter duos terminos positivos, quorum unus à quo, alter ad quem dicitur. At verò Justificatio non versatur inter duos terminos positivos, sed unum privativum, qui est peccatum, & alterum positivum, qui est justitia. Ergo justificatio non est mutatio alterativa. III. Posito, ita alicubi verbum *justificare* in Scripturis accipi, ut habeat sanctificandi & renovandi significationem (non enim uno & eodem modo ubivis capitur, cum & *apud Danielem sit justificare, ad justitiam erudire* c. XII, 3.) id tamen nostræ sententiæ non præjudicat. *Non* enim, ut rectissimè ait Chemnitius, *propriè est quæstio, quid verbum* justificare *in aliis Scripturæ locis significet: sed hoc quæritur, quam significationem verbum* justificare *habeat in illis Scripturæ locis, in quibus doctrina justificationis, tanquam in sua sede, traditur & tractatur.* Exam. Conc. Trid. part. 1. p. 131. Vbi ubi autem ex instituto de Justificatione agitur (quod fit præcipuè in epistola ad Rom.) ibi justificare ad modum verbi Ebræi הצדיק, formæ Hiphil, notat *absolvere, peccata remittere, justum habere, declarare*, & Justificatio Condemnationi opponitur; quæ oppositio maximè est luculenta Rom. V, 16. 18. Et hæc in Scripturis usitatissima est hujus vocis significatio. Atque notabilem omninò differentiam habent Justificatio, Sanctificatio, Regeneratio. Nam *Justificatio* usitatè remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo significat: *Sanctificatio* seu renovatio novitatem vitæ, quam in fidelibus Spiritus S. efficit: *Regeneratio* utrumq; complectitur, atq; adeò totum, quod per Christum hac in vita consequimur. Hæc est, inquam, usitata significatio: *quamvis haud semper cum hoc discrimine verba usurpentur.* IV. *Patres* quoque, etsi justificationem sæpius cum sanctificatione confundant, non semper tamen hoc vocabulo ita utuntur, sed *etiam pro judiciali actu Dei* h.e. pro absolutione à peccati reatu & judiciaria declaratione cum Scripturis exponunt; ut Augustinus Præfat. in Ps. XXXI. *Si justificatur impius, ex impio fit justus: si ex impio justus fit, quæ sunt opera impiorum? —— Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum.* Vbi justificari dicitur impius data sibi peccatorum remissione. Et rursum de Spir. & Lit. c. 26. illud Rom. II, 13. *Factores Legis justificabuntur*, explicans; *Aut certe*, ait, *ita dictum est, Justificabuntur, ac si diceretur, Justi habebuntur, Justi deputabuntur: sicut dictum est de quodam: Ille autem volens se justificare, id est, ut justus haberetur, & deputaretur.* T. 3. p. 827. Qui-

Justificatio, Sanctificatio, Regeneratio, differunt.

Quibus poſitis, jam inſuper V. obſcurum non eſt, quid de diſtinctione, quam tradunt Pontificii inter juſtificationem primam & ſecundam, ſit ſtatuendum. *Juſtificatio prima* illis dicitur, qua ex injuſto fit juſtus, per infuſum ſcilicet juſtitiæ & ſanctitatis habitum. *Secunda Juſtificatio*, qua ex juſto fit juſtior per crebra operum juſtitiæ exercitia, quibus augetur & creſcit habitus juſtitiæ. Superſtructa nimirum hæc eſt diſtinctio inuſitatæ acceptioni vocabuli Juſtificationis, prout cum Sanctificatione coincidit. Ac verum equidem eſt, Sanctificationem augeri & creſcere, ut ex ſancto fiat magis ſanctus. Eodemque ſenſu citra incommodum accipi poteſt, quod de Juſtificatione dicitur Apoc. XXII, 11. *Qui juſtus eſt*, (juſtitiæ amans & ſtudioſus) *juſtificetur adhuc* (porrò, quæ juſta ſunt, agat, ſeque indies perficiat.) Licet enim immediatè ſequatur: *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*; ut videatur ſanctificatio diſtinctè poni & à juſtificatione diſcerni; eo tamen non obſtante poteſt utrumque membrum planè unum & idem ſignificare, cum non ſit inſolens, idem bis dici in uno Scripturæ loco. Quin ſi attendas oppoſitionem in illo textu: ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι, *Injuſtè agens* (quo alluditur ad Dan. XII, 10.) *injuſtè agat adhuc, & qui ſordet, ſordeſcat adhuc*: *Qui verò juſtus eſt, juſtificetur adhuc &c*; Ipſa hæc oppoſitio inter *injuſtè agere* & *juſtificari* maximè veriſimiliter arguit, hoc poſterius verbum ab uſitata ſignificatione hîc deflectere, nec abludere à *ſanctificari*, quod τῷ *ſordere* opponitur. At enimverò quid lucrantur hinc rurſum Pontificii? Profectò nihil niſi hoc, juſtificationem, quatenus alicubi & rariùs quidem pro ſanctificatione & renovatione accipitur, incrementa capere: quod nos haud gravatè admittimus. *Innovamur* enim *de die in diem* 2. Cor. IV, 16. Verùm quando ita ſumitur, abuſum eſſe vocis noſſe illi debebant, nec niſi rariſſimè ita capi in Scripturis, aſſiduè cogitare. Communiter autem & præcipuè in propria ſede hujus articuli deſignat reconciliationem cum Deo & peccatorum condonationem, quæ non ſucceſſivo motu, ut ſanctificatio, ſed in inſtanti peragitur, & ſimul ac ſemel fit, inq; indiviſibili poſita eſt, nec proinde augetur per gradus: etſi innovetur quotidie & continuetur credentibus, ac ſenſus etiam illius in animis fidelium poſſit augeri. His igitur miſſis porrò nunc Juſtificationis hujus cauſas inveſtigabimus.

Iuſtificatio prima & ſecunda, quid Pontificiis.

Iuſtificatio peragitur in inſtanti.

APHORISMVS II.

Rom. III, 23. 24. 25.

Omnes ſunt peccatores & deſtituuntur gloria apud Deum: ac juſtificantur gratis, ipſius gratiâ, per redemtionem factam in Chriſto Jeſu, quem propoſuit DEUS propitiatorium per fidem in ſanguine ejus, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ &c.

NOn poſſunt Juſtificationis cauſæ breviùs pariter & ſolidiùs proponi, quam hiſce Apoſtoli verbis; quorum ductum nos idcircò ſequemur.

Iuſtifiationis cauſa principalis.

Cauſa princeps noſtræ Juſtificationis eſt pura puta gratia Dei. *Juſtificamur gratis ipſius gratia.* Gratia verò Dei juſtificantis ſonat gratuitum favorem & benevolum Dei affectum liberandi homines à peccato & pœna peccati: qui favor aliàs dicitur χρηστότης καὶ φιλανθρωπία *benignitas & humanitas Dei*, Tit. III, 4. ἀγάπη *charitas* Rom. V, 8. & propter exuberantiam ſuam πολλὴ ἀγάπη, *multa charitas*, quin ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος, *eminens opulentia gratiæ* Eph. II, 4. 7. &, quia erga miſeros exercetur, ἔλεος *miſericordia*, Luc. I, 54. Ebr. IV, 16. οἰκτιρμοὶ *miſerationes* 2. Cor. I, 3. σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ, *viſcera miſericordiæ Dei* Luc. I, 78. Soli huic gratiæ & miſericordiæ Dei omnis laus juſtitiæ & ſalutis noſtræ debetur; minimè autem noſtris vel qualitatibus vel operibus. Quibus excludendis facit & particula *Gratis*. Nam hæc omnium confeſſione opponitur noſtræ dignitati ac operum merito, ut 1. Sam. XIX, 5. *Interficiens Davidem gratis* i. e. cum nil tale promeritus ſit. Imo cuilibet veræ & juſtæ cauſæ opponitur, ut Pſ. LXIX, 5. *Oderunt me gratis*, i. e. abſque cauſa. Sed & pariter ſolutioni precii, ut Gen. XXIX, 15. *Nunquid ſervies mihi gratis* i. e. mercede tibi non ſoluta? Et ſic *gratis juſtificari* indicat, nos juſtificationis gratiam planè non eſſe promeritos, excluditq; omne inhærens, omnem propriam dignitatem & ſolutionem, quæ in nobis cauſa ſit illius beneficii.

Pontificiis Gratia h. l. eſt donum gratiæ, & habitus ejus infuſus.

Hic verò iterum Pontificii ludunt in termino. Quoad rem ipſam, *cauſa efficiens primaria* juſtificationis noſtræ *eſt* illis perinde ut nobis *bonitas & miſericordia Dei*, ut habet Bellarm. l. 1. de Juſtif. c. 2. Atque

hanc

hanc cauſam agnoſcunt innui voce gratis. *Nam*, dicente eodem, *juſtificamur à Deo gratis i. e. ex mera ejus liberalitate, quantum ad noſtra merita: nullo enim noſtro opere meremur juſtificationem* (intellige primam.) Et ſtatim: *Hæc*, ait, *Dei liberalitas eſt cauſa efficiens*. l. 2. de Juſtif. c. 3. *At* altera illa voce Gratiæ non tam favorem & benevolentiam Dei intelligunt, quam donum aliquod gratiæ & habitum gratiæ infuſum: cujusmodi ſunt tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas. Nam ita denuò Bellarm. l. proximè cit. *Juſtificamur per gratiam ipſius i. e. per juſtitiam ab illo donatam & infuſam; & hæc eſt cauſa formalis.* Cujus paulò poſt rationem reddens: *Favor*, inquit, *Dei ſatis explicatur per illam vocem Gratis. Qui enim gratis juſtificat, certè ex benevolentia & liberalitate juſtificat. Illa igitur additio*, per gratiam, *non ipſum favorem, ſed aliquid aliud i. e. effectum illius favoris ſignificabit.* Hæc ille.

Nos non diffitemur, vocem Gratiæ utroque modo in Scripturis accipi, ut & favorem notet & effectum favoris, nempe donum aliquod in nobis. Prioris exempla ſunt Gen. VI, 8. *Noe invenit gratiam apud Dominum.* Exod. XXXIII, 17. *Inveniſti gratiam coram me.* Amos V, 15. *Fortaſſe gratiam faciet Jehova Deus exercituum reliquiis Joſephi* i. e. propitius favebit illis. Poſterioris, Eph. IV, 7. *Unicuique noſtrûm data eſt gratia pro menſura doni Chriſti.* Et I. Petr. IV, 10. *Ut unusquisque accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtrantes, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Deinde id quoque largimur, Juſtificationem ac ipſam Dei gratiam juſtificantem, juſtitiamq; Chriſti nobis imputatam, donum vocari poſſe eo ſenſu, quia gratis omne id donatur uſque confertur. Et ſic ſanè Rom. V. χάρις ſeu gratia divina mox χάρισμα appellatur ℣. 15. mox δώρημα ℣. 16. mox δωρεὰ ℣. 17. Sed an per iſtud donum qualitas inhærens ac habitus quidam infuſus ſignificetur, id unicè meritoq; controvertitur, cùm firma probatione deſtituatur. Imò contrarium nos probabimus ita argumentando: Quodcunque deſcribitur dilectione, gratia & miſericordia Dei, id non inhærentem quandam qualitatem denotat. Atqui donum iſtud, quo juſtificari dicimur Rom. V. deſcribitur per dilectionem ℣. 8. & per gratiam Dei ℣. 15. E. donum, quo juſtificari dicimur, non inhærentem quandam qualitatem denotat. Et in univerſum Gratia in hoc articulo opponitur Qualitatibus & Actionibus noſtris. Non poteſt ergò charitas, aut alius habitus infuſus, unde opera & actiones prodeunt, ea voce deſignari. Atque vel ideò genuina hæc Gratiæ acceptio in hoc puncto urgenda venit acrius, ne, ſi gratia juſtificans quidam habitus eſſe dicatur, quo operemur, juſtificatio noſtra operibus vindicetur. Quod intendunt ſanè Pontificij. Operibus quidem juſtificationem

Quod falſum eſſe probatur.

 primam,

primam, utpote gratuitam, neminem mereri, in confesso apud illos est. At *disponi tamē operibus hominem ad sui justificationem, etiā primam ipsis haud displicet.* Si maximè autem non merearis eam, sed ad eam disponaris tantùm per opera, certè ex operibus justificaris: quod διαῤῥήδην gratuitæ justificationi, quam Paulus asserit, repugnat. Nam *operanti merces non imputatur secundū gratiam* Rom. IV, 4. *Et si per gratiam, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia* Rom. XI. 6. Prorsus igitur, eodem attestante Apostolo II. Tim. I, 9. *Deus servavit nos non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo ante tempora seculorum.* Ubi postrema hæc verba novum nobis argumentum præbent, quò minus gratiam infusam hic admittamus. Quæ enim gratia nobis data est ante tempora seculorum, ea non potest nisi favorem importare, minimè verò infusum habitum, qui sit principium promanantium actionum, cùm talis habitus in tempore detur, non ante tempora. Atqui gratia, quæ salutis nostræ fons sit, ante tempora dicitur data. Ergò.

Et verò necquidquam obstat, quod Rom. III. favor Dei jam satis fuisse expressus videatur vocula *gratis*: non enim propterea additio *per gratiam* aliquid aliud, quam favorem significabit, ut Bellarmino placet. Quin græci textus verba χάριτι τῇ αὐτοῦ, *ipsius gratia*, significanter satis innuunt, vocibus τῇ αὐτοῦ indicari χάριτα seu gratiam, non tàm quæ ἀπ' αὐτοῦ ab ipso Deo, sed potius, quæ αὐτοῦ ipsius, & in ipso sit: hujusmodi est favor & misericordia. Nec propterea quid supervacanei est in textu, etiamsi *gratis* & ipsius *gratia justificari* eòdem recidat. Facit enim repetitio hæc ad majorem beneficii confirmationem, haud aliter ac si quis potentior reconciliationem initurus cum subdito dicat: Ego tibi remittam quicquid in me peccasti, & omnem offensam tibi condonabo, nec unquam illam revocabo ad animum; terna prorsus vice idem ingeminando: quod non est inconsuetum, præcipuè in Scripturis, uti

p. 377. etiam superius diximus. Quare & Augustinus hæc pro iisdem habet, gratis & per gratiam justificari, enarr. Ps. XIIX. & LXX. *Quia*, inquit *gratis, ideò gratiā: non enim est gratia, nisi gratuita. Porrò autem si propterea gratia est, quia gratuita est, nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratiā: pretium autem, quod nobis debebatur, supplicium est.* Et hæc hactenus de causa efficiente principali.

Causa meritoria. Causa meritoria justificationis nostræ est Christus. Cum enim gratia Dei nunquam adversetur ipsius justitiæ, ideò præter gratiam Dei requiritur, ab ipsa etiamnum Dei parte, alia adhuc causa, cujus in-

terventu & justitia Dei placata, & gratia ac misericordia ipsius peccatoribus impetrata sit. Unde Paulus: *Justificamur gratis ipsius gratia, per redemtionem factam in Christo Jesu.* Hoc est: gratis quidem justificamur respectu nostri, quatenus opera nostra nec meritoriè nec dispositivè concurrunt ad justificationem nostram: à Christo interim precium redemtionis persolutum est pro peccatorum nostrorum debitis. Nam hunc proposuit Deus humano generi reconciliatorem & propitiatorem, adumbratum scil. per illud V. Testam. propitiatorium. Et hic est, qui redemtionis nostræ partes non sustinuit tantùm, sed etiã expedivit, ac iram Patris placavit, divinæque justitiæ examussim satisfecit, non pro originali tantùm peccato, ut nonnulli veterum Pontificiorum nugati sunt, sed etiam pro omnibus omnium hominum actualibus peccatis, Tit. II, 14. I. Petr. I, 18. I. Joh. II, 2. Ebr. IX, 14. nec pro culpa tantùm ipsorum, sed & pro pœna iis infligenda, Esa. LIII, 5. Gal. 3, 13. I. Thess. I, 10. Cui Redemtoris nostri merito tantum hodieque detrahitur, quantum propriæ satisfactioni in tollenda purgatorii pœna temporali, vel aliàs operibus nostris in promerenda æterna salute tribuitur.

Peracta autem illa est redemtio profusione sanguinis, quæq; eam comitabatur, morte Christi: quæ quidem quoad historiam externa & corporalis, sed quoad finem omninò spiritualis fuit, beneficiorumque spiritualium & æternorum pararia. Unde *sanguine ejus justificati* dicimur Rom. V, 9. Cui non est contrarium, quod cap. præc. IV. ℣. ult. *Christus* dicitur *propter justificationem nostram resuscitatus.* Non enim hic effectus tribuitur resurrectioni Christi ad derogandum virtuti passionis ac mortis ejus, sed solùm quatenus resurrectio, ut terminus moralis, justitiam Christi complevit, opusque redemtionis sufficientissimè præstitum ab ipso esse, evicit. Nî præstitisset enim merito passionis ac mortis suæ, quantum justitiæ Dei satis esse posset, non reduxisset eum Pater à mortuis.

Hinc itaque, ex collatione causæ hujus meritoriæ seu mediæ cum principali, eminet inenarrabile consilium Dei de nostra salute, & mirabilis in ea procuranda justitiæ misericordiæque Divinæ temperatura, interventu tertii cujusdam facta, nimirum oblationis ac mortis Christi: ut & justus maneret Deus, & nihilominus ex gratia ac misericordia justificans eum, qui ad thronum misericordiæ illius miser ac pœnitens confugit.

Causa verò instrumentalis, qua alienam hanc Christi satisfactionem apprehendimus nobisq; appropriamus, est Fides. Oporteret alioqui satisfactionem extra nos præstitam alienam manere, nisi certo me- Causa instrumentalis,

dio apprehenderetur. Medium autem illud est Fides. Hinc idem Apostolus, qui nos gratia Dei, perque redemtionem factam in Christo Jesu, justificari affirmavit, idipsum dicit fieri *per fidem in sanguine ejus.* Eodemque modo Scriptura passim docet, nos justificari & in gratiam à Deo recipi πίστει Rom. V, 2. ἐκ πίστεως Gal. III, 11. διὰ πίστεως Rom. III, 30. Nusquam autem legeris διὰ πίστιν propter fidem. Retinendum est enim discrimen causæ meritoriæ, quæ est solus Christus, de quo dicitur, quod & *per illum*, Act. X, 43. & *propter illum* Joh. VI, 57. justificemur & vivamus; & causæ organicæ, quæ est fides, de qua Scriptura pronunciat, quod *per eam*, non propter eam, justificemur. Nec enim justitia tribuitur fidei, tanquam operi nostro, ac si dignum aliquid in nobis sit, quod Deus remuneretur, sed quia fides totum tribuit Divinæ miserationi, ideò fidei vicissim totum tribuitur, & unicè per ipsam, quatenus apprehendit misericordiam Dei in Christo promissam, justificari dicimur.

Fidei justificantis duo actus.

Hæc verò *fides, etsi non justificet ut opus quoddam & actus aliquis noster, non est tamen sine actu*: & actus quidem habet præcipuè duos. *Vnus est, quo* credimus & *assentimur* verbo & revelationi divinæ, & ex ea Deum ipsum & mysterium salutis nostræ cognoscimus. *Alter, quo* in Deo ejusque misericordia & Christi merito *confidimus.* Prior actus est intellectûs, & pro objecto habet res Divinas, ut sunt veræ: assentimur enim veris & dissentimus à falsis. Hoc sensu dicitur *symbolum fidei, doctrina* vel *articulus fidei &c.* Posterior est voluntatis, & pro objecto habet res Divinas, ut sunt bonæ: fiduciam enim ponimus non in veris simpliciter, sed in bonis. Et hoc sensu fides dicitur *hypostasis eorum, quæ sperantur, fides promissionum Dei, & Abraham contra spem in spem credidisse.* Vterque hic actus concurrit ad hominis justificationem perpetuamque salutem. Proinde Scriptura utrique etiam laudem justificationis ac virtutem salutarem assignat. Vbi semper alter actus fidei tacitè includitur, usitata Scripturæ synecdoche. De priore quidem Esa. LIII, 11. legitur: *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* Joh. XVII, 3. *Hæc est vita æterna* (ratio ac via potiundæ illius æternæ vitæ) *ut cognoscant te solum verum Deum, &, quem misisti, Jesum Christum.* Joh. XX, ult. *Hæc scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Rom. X, 9. *Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis,* 1. Joh. V, 4. *Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit* (pro vero agnoscit & firmiter statuit) *Jesum esse filium Dei?* Et ita passim:

De po-

De posteriore autem scriptum est, Rom. III, 25. *Justificantur gratis &c. vi redemtionis factæ in Christo Jesu, &c. per fidem in sanguine ipsius* i. e. Thoma interprete, quæ est de sanguine ejus pro nobis effuso. Quod objectum fidei cùm habeat rationem boni, non potest in id ferri fides nisi confidendo. Credere enim sanguinem Christi pro nobis esse effusum, nosque eo ablutos coram Deo & mundatos, non est vera tantùm hæc reputare, sed spem & fiduciam in iis ponere. Fides ergò justificans uti ab una parte est assensus & agnitio, ita ab altera est fiducia.

Et *hac quidem fiducia ultimò velut formatur fides, ut sit justifica & salvifica:* assensus autem & ipse quidem ad justificationem & salutem necessarius est, & hoc fine in homine divinitùs excitatur; sed tamē quasi remotius eò facit, cùm contrà fiducia det ultimum & ad justificationem proximum actum fidei, quà est justificans. Vnde aliud est, assensum nil ad justificationem & salutem vel parùm facere, quod nos propter allata evidentissima Scripturæ dicta negamus: aliud, eò illum non sufficere; quod concedimus. Atqui verò *nec nuda fiducia sufficiens est nisi præsupposito assensu.* Si maximè quis enim in Christo fiduciam omnem repostam habeat, nec eum tamen, per quem à Deo misericordiam ac salutem expectat, rectè agnoscat, aut de illius natura aliter & contra, quam verbo Dei docetur, sentiat ac credat, frustrà penitùs in ipso confidit. Hæreticus enim est, & salvari non potest. *Vtrumq; ergò planè necessariò ad fidem salutarem requiritur.* Quo fit etiam, ut ei nunc infidelitas & hæresis, nunc diffidentia opponatur. Nam assensui quidem adversatur infidelitas, qua verbo Dei planè non creditur; & hæresis, qua ei in aliquo & non in omnibus, vel certè non recto, sed pravo creditur sensu. Fiduciæ verò diffidentia opponitur. Et ita se habet *fides*, per quam justificari nos pronunciat Apostolus. Est nimirum *aggregatum quid & unum per accidens, unum morale.* Minùs itaque mirum, quod sit in duabus animæ potentiis à se invicem distinctis, intellectu & voluntate.

Porrò sola hac fide hominem justificari dicimus. Quæ est propositio *exclusiva & exponibilis*, cujus resolutio has duas simplices enunciationes explicat: Fide (ex parte nostra) justificamur, & Nulla re alia (ex parte nostra) justificamur. Estque adeò *exclusi subjecti* i. e. talis, qua excluduntur omnia alia subjecta à participatione ejusdem prædicati, ut: Solus Christus satisfecit pro peccatis nostris. Si exclusi esset prædicati, propositio esset falsa. Sensus enim foret: Fides justificat, & præterea nil præstat aliud, quam quod justificet. Atqui est etiam efficax per caritatem; sæpiùs etiam bona impetrat temporalia. *Sola fide justificamus.*

Cæterùm excluduntur hoc nostro enunciato non diversa causarum

rum

rum genera à justificatione; certè non efficiens principalis, quæ est Gratia Dei: nec meritoria, quæ est Christus: nec causæ instrumentales offerentes, quæ sunt à parte Dei Evangelium & Sacramenta: quin nec à nostra parte Resipiscentia h. e. timor iræ Dei & peccati agnitio ac detestatio novumque propositum & similes animi motus eliminantur: sed tantùm in eodem genere causæ, nempe organicæ applicantis, removentur à justificatione ea, quæ fidei apud Apostolū sunt opposita, nempe opera. Vt *sola fide* justificari sit, *nullis nostris operibus* justificari, cum sola fides, non opera, gratiam Dei ac Christi meritum apprehendat sibique applicet. Quasi fide posita statim & immediatè ponitur justificatio h.e. receptio in gratiam & reconciliatio cum Deo ac remissio peccatorum. Quare etiam justificare hîc non est quoquo modo ad justificationem facere aut cum ea connexum esse, sed, tanquam causa proxima, justificationem & à peccatis absolutionem inferre. *Sic sola fides justificat i.e. causa est immediata & proxima justificationis, à nostra scil. parte eam inferens.* Ac proinde nec quæ fidem antecedunt, animi scil. motus & mutatio illa, hic excluduntur, nec quæ fidem excipiunt & comitantur, bona opera; quasi sufficiat homini fides sterilis & operibus prorsus vacua: etsi hæc nec præcedant justificationem, & multò minùs eam causaliter inferant. Imò hæc ipsa & fides in actu justificationis sunt, ut dixi, opposita. Quod ut rectè intelligas, distinguas necesse est inter ea, quæ per se & absolutè opponuntur, & inter ea, quæ per accidens, & certo quodam respectu. Fidei per se & absolutè opponitur incredulitas, hæresis, diffidentia; bonis verò operibus ἀνομία. *Per accidens autem, & certo quodam respectu, justificationis scilicet*, Scriptura S. opponit fidem & bona opera, quando hæc ab actu justificationis planè removet, illam verò solam, tanquam causam à nostra parte, admittit.

Id probatur I. Hinc pro veritate sententiæ nostræ ita colligimus: Aut fides & opera conjunctim justificant: aut opera sola: aut fides sola. Non conjunctim: quia in negotio justificationis opera perpetuò fidei opponuntur & à justificatione removentur. Vt, Rom. III, 28. *Arbitramur fide justificari hominem absq; operibus Legis.* Cap. IV, 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* Gal. II, 16. *Scientes non justicari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Jesu Christi, etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi & non ex operibus Legis, propterea quod non justificabitur ex operibus Legis ulla caro.* Cap. III. 9 10. *Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abrahamo. Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub execratione sunt.* Eph. II, 8. 9. *Gratia salvati estis per fidem —— non ex operibus, ne quis glorietur.* Quibus in locis perpetua est oppo-

sitio

ſitio inter fidem & opera. Oppoſitorum autem ea eſt natura, ut, quod uni in oppoſitione tribuitur, alteri tribui nequeat. Poſita ergò juſtificatione per fidem, negabitur juſtificatio per opera, ac propterea fidei & operibus conjunctim non poteſt tribui. Nec ſola opera juſtificant, fatentibus omnibus, diſſentiente nemine. Ergò ſola fides.

Argumentum hoc inde ulteriùs confirmatur, quod ex re & vero non niſi duo ſunt modi iique oppoſiti, quibus ad juſtificationem pervenire datur; nempe vel fide vel operibus. Vno igitur horum modorum negato ſolus relinquitur alter. Cum ergò operibus ſimpliciter Scriptura adimat vim juſtificandi (indiſtinctè enim loquitur, & proinde intelligi vult de cujuscunque nominis & rationis operibus) remanet equidem ſola fides, cui vis ea ex divina ordinatione competat. Non itaque immeritò *Lutherus* particulam excluſivam Rom. III, 28. verſioni ſuæ inſeruit, utpote quæ in ſenſu verborum manifeſtè continetur.

Si dicas, ipſam etiam fidem eſſe opus, ac propterea operibus non poſſe adeo rigidè opponi, aut ita ſimpliciter his juſtificandi vim adimi; reſpondemus, negando, fidem eſſe opus, ob hoc ipſum, quod opponatur operibus. Quid manifeſtius enim iſto Paulino? *Ei, qui non operatur, ſed credit &c. imputatur fides ſua ad juſtitiam.* Rom. IV, 5. *Credere* videlicet eſt Apoſtolo *non-operari.* At interim fides eſt actus aliquis, inquies, cum intellectus tum voluntatis. Eſt; ſed inde non conficitur eſſe opus, Paulina quidem phraſi. Opera enim Paulo ſunt vitæ inſtituta & mores, in quibus ambulant homines. Actus autem illi timoris, novi propoſiti, fidei, qui juſtificationem præcedunt, ſunt *motus* tranſitorii (quo nomine crebrò eos appellat B. Chemnitius) non propriè opera: hæc enim juſtificationem ſequuntur, non antecedunt. Quod ſi inſtes, alibi tamen ipſam Scripturam fidem vocare opus Joh. VI, 29. *Hoc eſt opus Dei* (Deo gratum) *ut credatis in eum quem ipſe miſit.* 2. Theſs. I, 11. *Precamur ſemper pro vobis, ut — compleat* (Deus noſter) *omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei* (in vobis) *potenter*; Dixero, iſta partim per μίμησιν dici ad propoſitam Judæorum quæſtionem: *Quid faciamus, ut operemur opera Dei?* partim per ἀντανάκλασιν vocem operis hic ſumi pro vero cultu, quem Deus à nobis requirit & qui ipſi placet; vel latè accipi opus pro quocunque actu. Sed ita Paulus non accipit opus, quando opponit fidei. Intelligit enim talia *opera, in quibus homo ambulat*, ut dicitur Eph. II, 10. Et ſic manet oppoſitio inter fidem & opera, ac ſola fides medium in homine, per quod juſtificare Deus hominem ab æterno conſtituit.

An fides ſit opus.

II. Addamus huic aliud argumentum, unde pariter & oppositio inter fidem & opera, & quod fides sola justificet, dilucidè probetur. Id tale esto:

Gratia justificari est sine operibus justificari.
Fide justificari est gratia justificari.
Ergo fide justificari est sine operibus justificari.

Conclusio hæc continet in se oppositionem fidei & operum. Præmissarum utraque est Paulina. Major habetur Rom. XI, 6. *Quod si per gratiam, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia. Sin ex operibus* (quomodocunque factis) *jam non ex gratia: alioqui opus jam non est opus.* Minor itidem est Apostoli Rom. IV, 16. *Propterea ex fide* (est hæreditas) *ut sit per gratiam.* Juxta Apostolum ergò fides & gratia in processu justificationis commeant, mutuò se ponunt & tollunt. Quare? quia fides solâ gratiâ nititur (non propria bonitate & justitia) & vicissim gratia tantùm credenti promittitur & datur, sicut dixerat ℣. 4. 5. Vt ergo stet gratia, fidem stare oportet. Certè nil æquè commendat gratiam, quàm justificatio per fidem, propterea quod fides non nisi meræ innititur gratiæ & alieno merito. Reliqui motus & actus qualificant subjectum, & non est in iis tam manifestus respectus ad gratiam. Fides autem promissionum non respicit ullo modo qualitatem propriam, sed tantùm alienam. Hinc *ex fide* idem, quod *ex gratia.* Et per seconsequens *fide sola* idem, quod *sola gratia.* Rectè enim nunc Minorem ita probatam assumimus ad probandam exclusivam, ita inferentes: Si fide justificari est gratia justificari, omninò itaq;, ut rectè dico, sola gratia Dei nos justificari, non nostra dignitate & merito, ita similiter rectissimè dicetur, sola fide nos justificari. Quin *propterea ex sola fide, ut sit per solam gratiam.* Planè enim hæc locutio convenit cum mente Apostoli.

III. Huc tertio loco accedit *Sanctorum Patrum* autoritas, *quibus exclusiva hæc non fuit infrequens.* Selectiora eorum testimonia (ne iis recensendis fatigemur) acuratissimè congessit D. Georgius Calixtus, Disp. de gratuita per fidem Justificatione § 40. seqq. & qui ei à latere est D. Conr. Hornejus Dispp. Theol. p. 2. pag. 340. seqq. Tria igitur hæc, de quibus hucusque dictum est, ordine quodam se habent: *Gratia Dei, Meritum Christi & Fides;* & sicut in genere causę principalis sola gratia Dei justificat, in genere causæ meritoriæ, solum Christi meritum, ita non minùs in genere causæ instrumentalis à nostra parte, sola fides; quippe quæ sola illam gratiam, istud meritum apprehendit ac sibi applicat. Non enim vel agnitio peccati, vel dolor de eodem, vel novum propositum, vel ullum opus, ullus motus aut actus noster,

quo-

quocunq; nomine veniat, gratiæ & in hac fundato Christi merito ita innititur, ut fides, quæ in his tota recumbit & acquiescit.

Hæc igitur una est à nostra parte illud efficax medium, per quod hominem justificare i.e. in gratiam recipere ac virtutis meritorum Christi compotem facere decrevit Deus. Nuspiam de agnitione & detestatione peccati, aut similibus motibus, vel ullis, in quibus homo ambulat, operibus dictum reperies, per ea nos justificari. Vni fidei talis causandi & efficiendi vis adscribitur, & vocabulis PER, EX, aut aliis ejusmodi exprimitur. Hanc ergò non immeritò *causam à nostra parte instrumentalem* dixerunt Dd. nostri, eamque *solitariam*.

Hic verò circa hanc causam ingens est inter nos & Pontificios dissidium, nec id simplex, sed multiplex. Asseruimus hactenùs de Fide I. quod sit simul & assensus & fiducia. II. quod sola justificet. III. quod justificet ut causa instrumentalis, nostri respectu. Singula hæc negant Pontificii.

Contra primum obiiciunt *loca Scripturæ, in quibus fides saltem per assensum describitur*. Verùm quid inde? num ab inclusiva licet ad exclusivam procedere? nobis *ex objecto & ex oppositis fidei*, quæ diversimodè se habent in Scripturis, certum est, *fidem* tàm *esse fiduciam* quàm assensum. *Objectum* enim fidei non habet tantùm rationem veri in Scripturis revelati, in quod fertur fides assentiendo; sed etiam rationem boni in Scripturis promissi, in quod fertur fides confidendo. Fidei *opposita* sunt non tantùm hæresis & incredulitas, quæ removent assensu: sed etiam diffidentia, quæ tollit promissionum fiduciam. Et hoc modo dicitur de Abrabam Rom. IV, 20. *Adversus promissionem Dei non hæsitavit diffidentia, sed robustus factus est fide.* Fides diffidentiæ vel incredulitati adversus promissiones Dei opposita est utique fiducia. Ut nunc taceam alia complura loca, quibus fides describitur ut fiducia. Et hoc unum est. Deinde obiiciunt, *actum fidei per credere, non per fidere, in Scripturis explicari.* Sed heus! credere etiam nonnunquam idem quod fidere, ut cum *Abraham* dicitur *credidisse contra spem sub spe* i.e. firmam & invictam concepisse corde fiduciam cum spe infallibili conjunctam Rom. IV. 18. Dicunt porrò, *fidem à fiducia distingui in Scriptura:* non ergò esse fiduciam. Antecedens probant ex Eph. III, 12. *In quo* (Christo) *habemus loquendi libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius.* Concedimus nos, fiduciam duobus modis sumi: semel, ut est de essentia fidei; tum, ut est adjunctum fidei. Priore modo fiducia est ipsa Christi apprehensio & receptio: Posteriore modo notat confidentiam & animi fortitudinem ex apprehensione ortam & cum ea connexam. Atque hac ratione loco all. capitur & à fide distin-

Pontificiorum Obiect. 1. contra nostram doctrinam de Fide justificante.

distinguitur. Tandem *dicunt, fidem nos confundere cum spe:* Fiduciam enim, quam pro fide venditamus, esse spem roboratam. Sed falsum est, nos hic quicquam confundere. Quin illi fiduciam cum spe confundunt: minùs rectè. Spes enim propriè loquendo est expectatio cogniti boni futuri: Fiducia autem est apprehensio boni præsentis. Potest sanè attribui quoq; spei aliqua fiducia: sed fiducia illa, quæ spèi est, propriè futura bona respicit & expectat; quæ verò fidei est, in bonis præsentibus acquiescit. Hinc quatuor sunt termini in argumento Pontificiorum, quo nos ad absurdum conantur deducere: *Fiducia* (qua scil. expectamus bona futura) *est spes roborata. Fides est fiducia* (qua scil. apprehendimus præsentia) *E. Fides est Spes roborata.* Vel si fidei etiam aliquod assignetur objectum, quod absens est & futurum, quale est vita æterna, dicendum, fidem ferri in promissionem illius boni, quæ promissio in præsenti offertur: spem autem in ipsum illud bonum promissum, quod absens & futurum adhuc est. Hæc hactenus de primo.

2. Contra propositionem: Sola fides justificat. Contra alterum totis insurgunt viribus, ac, ut eludant dicta, quæ unicè nos fide justificari insinuant, obtendunt, *Fide* nos justificari, sed *formata:* formari autem eam charitate. Ast hoc parum habet roboris. Etsi enim vera & justificans fides sit efficax per charitatem Gal. V,6. tamen non charitas, sed fides justificat. Illi hoc invertentes: Si, inquiunt, fides justificat, non charitas, ergò justificabit, etiamsi sine charitate & cæteris virtutibus fuerit. Quam nos consequentiam negamus. Longè enim aliud est, fidem esse conjunctam cum charitate & reliquis virtutibus: aliud, fidem unà cum iis justificare. Non enim quæ conjunctim existunt, conjunctim etiam unum idemq; agunt. Mens & voluntas in homine sunt equidem conjunctissimæ, nec tamen, uti mens intelligit, ita & voluntas, aut sicut voluntas appetit, ita & mente aliquid appetitur. Imò quoad hunc justificandi actum disertè fides & opera, puta charitatis & reliquarum virtutum, opponuntur. Ita ergò fidei tribuenda justificatio, ut operibus in solidum denegetur.

Hic illi excipiunt, *opponi tantùm fidem operibus Legis Ceremonialis, vel iis in genere morum operibus, quæ ante fidem à non renatis fiunt per vires naturæ.* Verùm & hæc exceptio frustrà eos habet. Non antùm enim opera Legis ceremonialis, sed Legis etiam moralis excludi à justificatione, clarissimè testatur Apostolus Rom. III, 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus: per Legem enim agnitio peccati.* Ecce! illius Legis opera, ex qua est agnitio peccati, negat justificare. Ecquæ autem alia Lex illa, quàm moralis? Nec verò etiam ea tantùm opera, quæ ante fidem fiunt, hic excludi, sed illa quoq; ipsa,

quæ

quæ à fidelibus & renatis per vires supernaturales eduntur, argumento certissimo est exemplum Abrahami, patris credentium, de quo jam renato & in medio curriculo bonorum operum constituto scribit Moses Gen. XV, 6. *Credidisse Abrahamum Deo, idq; imputatum ei ad justitiam*: cum quidem multo antè, cap. quippe XII. tanquam homo verè regeneratus, fidelis, pius & vocationi Divinæ obediens à Spiritu S. celebretur. Quod vel unicum exemplum Pontificiorum machinam omnem infringit. Vnde & Apostolus Rom. IV, 3. hoc exemplo homines sine operibus justificari ita probat, ut etiam renatorum opera semovenda ab actu justificationis esse colligendum relinquat.

At quomodo semovenda, instant illi, *cùm alibi locorum Scriptura non minùs timori, spei, charitati vim tribuat justificandi & remittendi peccata, quàm fidei?* Pro timore afferunt verba Sir. I, 21. *Timor Domini expellit peccatum.* Pro spe, illud Pauli: *Spe servati sumus*, Rom. VIII, 24. Pro charitate, dictum Christi Luc. VII, 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Sed nihil horum nobis officit. Non primum illud: *Timor Domini expellit peccatum.* Depellit enim futura, non tollit reatum præteritorum. Nec secundum: *Spe servati sumus*, i. e. non habemus hic salutem nisi in spe, tum demùm eam percepturi in re, ubi hinc migraverimus. Multùm enim hoc distat ab eo, quod spes aliquam justificandi & salvandi vim habeat. Nec tertium etiam, quamvis id speciosissimum sit. Integer enim textus ita habet: *Cujus rei gratia dico tibi, remissa esse multa illa ipsius peccata,* ὅτι ἠγάπησε πολὺ *quoniam dilexit multùm.* Vbi dubitandum non est, tali conjunctione ὅτι non notari causam rei, sed rationem tantùm conclusionis desumtam à posteriori, nempe ab effectu, q. d. Christus: Inde, quod me plurimùm dilexit, ego affirmo tibiq; testor, verè illam nactam remissionem peccatorum suorum plurimorum, tuq; id inde, tanquam ex signo & effectu, cognoscito & colligito. Quo pacto illud ὅτι non exprimit causam, sed signum tantùm remissionis; nec tàm cùm imediatè præcedd. cohæret: *Remissa sunt ei peccata multa*; quàm cum illis anterioribus: *Propter quod dico tibi.* Efflagitat hoc totius parabolæ inibi à Christo propositæ structura. Postulant idipsum & proximè sequentia: *Cui autem paululum remittitur, paululùm diligit.* Vbi dilectio ponitur ut consequens remissionis. Non ergò ad eam se habebit antecedenter, ut efficiens aut saltem disponens. Hoc vult demùm & finalis illa declaratio Servatoris, qua mulierem dimittit: *Fides tua te servavit:* quæ est explicatio veræ causæ remissionis illius. Atque ita manent adhuc à justificatione opera nostra, quæcunque illa sint, semovenda.

Qui verò tandem semovenda; instant ab adversa parte denuò: quandoquidem *S. Jacobus* expressis verbis asserit, *operibus nos justificari & non fide tantùm*, Ep.c. II,24. qui locus nostræ sententiæ penitùs videtur refragari, quando dicimus, fide sola nos justificari, & non operibus? Sed videtur tantùm, propter fidei & justificationis homonymiam. De alia enim fide Paulus loquitur, quem nos in propugnanda sola fide ducem sequimur; de alia Jacobus: & de justificatione alia rursum ille, de alia iste. Apud Paulum fides intelligitur viva, quæ fit per opera efficax, Gal. V,6. huic soli tribuit Paulus & nos cum eo virtutem justificandi. Jacoboècontra fides est nuda professio & jactantia fidei absque obedientia Evangelii: cujusmodi fidei ille justificandi vim meritò detrahit. Patet hoc ex scopo epistolæ Jacobi, quæ tota directa est *contra eos, qui nolebant benè operari de sola fide præsumentes*, ut ait Aug. T.8. præfat. in Psal. XXXI. p.187. Ergò fides Jacobo est præsumtio fidei seu fides nolens operari, quæ est fides non vera, sed ficta. Deinde ipse Jacobus fidem, contra quam disputat, vocat *mortuam* ℣. 17.20. At mortua fides non est vera fides, sed cadaver fidei ἄεργον, nihil agens, proinde nec justificans. Eandem insuper fidem vers. 19. *tribuit Dæmonibus*: horum autem fides, quæ trepidans & horrens est, vera non est, præsertim cùm sit etiam sine resipiscentia. Sic & justificari aliud notat apud Paulum, aliud apud Jacobum. Illic est absolvi à peccatis & justum reputari coram Deo fide: istic verò, justificatum ostendi coram hominibus per opera. Hæc enim in hominum conspectum veniunt & fidem justificantem, ex qua fluunt, intùs esse, tanquam effecta causam, foris arguunt. Probatur ex ℣. 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis*. Per opera vult fieri ostensionem fidei: Ergò etiam ostensionem justificationis fidei. Fidem ergò, quæ per opera non ostenditur, negat justificare h. e. justificationem ostendere coram hominibus, ac multò minùs coram Deo. Probatur porrò ex ℣. 21. Dicitur ibi *Abraham justificatus per opus immolationis filii Isaac*. At coram Deo Abraham multò antè fuit justificatus per fidem, teste Mose Gen. XV,6. & Paulo Rom. IV. & Jacobo vers. 23. Per opus igitur immolationis intelligitur justificatus h. e justus ostensus & declaratus in hominum conspectu: quo sensu etiam *fides* illius *per opera* fuisse dicitur *perfecta* v. 22. i. e. perfectiùs perspecta. Et sic exemplo Abrahæ operibus justificationem tribuit Jacobus non coram Deo, sed coram hominibus. Nullatenùs ergò Jacobus nobis est contrarius, uti nec Paulo. Non affirmant enim ambo aut negant idem de eodem, sed de diversis diversum. Pauli propositio est: *Fides viva justificat* coram Deo. Jacobi: *Fides mortua non justificat* coram hominibus, nec consequenter etiam coram

Deo.

Deo. Rurſum : *Opera non juſtificant*, h. e juſtos nos conſtituunt *coram Deo*; eſt Pauli. Et : Opera *juſtificant* h. e. juſtos oſtendunt *coram hominibus*; eſt Jacobi. In quibus nihil quicquam eſt repugnans. Et tantum etiam de ſecundo.

Contra tertium id objicitur, *fidem eſſe tantùm diſpoſitionem ad gratiam juſtificationis conſequendam*, adeoque inter cauſas materiales; non ergò eſſe efficientem inſtrumentalem juſtificationis. Nullam enim cauſam inſtrumentalem à noſtra parte admittunt Pontificii: hoc tamen concedunt, quæ Devs nobis gratuitò offert & Chriſtus nobis merito ſuo peperit, ea certo modo nobis debere applicari; hoc autem fieri per *diſpoſitiones*. Quas illi juxta Concilium Trid. ita numerant. I. eſt *Fides*, qua duo hæc præcipuè creduntur : tum quod Devs ſit ſeverus in puniendis peccatis, tum quod in iisdem condonandis ſit benignus, & hoc fine miſerit filium ſuum. II. eſt *Timor*. III. *Spes*. IV. *Dilectio*. V. *Pœnitentia*. VI. *Propoſitum percipiendi Sacramenti*. VII. *Propoſitum novæ ac melioris vitæ*. 3. Contra hoc effatum: Fides juſtificat, ut cauſa inſtrumentalis, noſtri reſpectu.

Nos quod ipſum nomen Diſpoſitionum attinet, de eo non magnopere contendendum putamus. Et etiam, quantum ad rem ipſam, minimè inficiamur, eſſe certum quendam divinitùs præſcriptum modum ab omnibus obſervandum, qui velint juſtificari. Quare jam ſuprà diximus, per ſolam fidem non excludi timorem Dei, pœnitentiam & melioris vitæ propoſitum. Quæ ſine dubio mandantur in illo Joh. Baptiſtæ : *Parate viam Domino*, Eſa. XL. Math. III. Vnde & *præparationes* vocari ſolent dictæ illæ diſpoſitiones. Quin cùm ipſas has non ex natura rei, ſed ex Dei ordinatione requiri, nec per vires liberi arbitrii, ſed per gratiam Dei fieri, ac nullo modo juſtificationem promereri agnoſcant moderni, eò minùs eſt quod hic deſideremus. Sed tamen fidem pro nuda diſpoſitione haberi, haud permittere illis poſſumus. Plus enim in Scripturis aſſignatur ipſi cauſalitatis, quam illis cæteris præparationibus, de quarum nulla in Scripturis dicitur, quod eâ, per eam, ex ea juſtificemur, ſicuti paſſim dicitur de fide. Peculiare quid ergò fidei erit tribuendum, ac tantundem à parte noſtra, quàm Sacramentis à parte Dei. Sicut enim Paulus nos pronunciat ſalvos fieri *per lavacrũ* regenerationis & renovationis in Sp.S. Tit. III, 5. ita idẽ frequenter nos *per fidem* juſtificari affirmat. Cùm igitur in priore loco lavacrum illud regenerationis & renovationis (eadẽ Verbi divini ratio) ſit cauſa inſtrumentalis à parte Dei, conſentientibus Pontificiis, nominatim Bellarmino l. I. de Juſtif. c. 2. non video, cur hic à noſtra parte fides pro cauſa inſtrumentali habenda non ſit, de qua eundem ad modum, uti de baptiſmo, loquitur Scriptura. Si quis fortè dicat, fidem juſtificare, ut apprehendit

hendit gratiam Dei & meritum Christi, adeoq; in relatione, & sic causam efficientem instrumentalem esse non posse, cùm relationis nulla vis sit, nulla efficacia; ei respondebimus, fidem causare justificationem *in relatione* quidem h. e. non ex dignitate operis & qualitatis, sed unicè merito objecti, in quod fertur, *non* tamen *per relationem*, ita ut sistatur in relatione. Licet enim non de se justificet ac propria vi sua, sed virtute meriti Christi, quod respicit, tamen nudus ille respectus non justificat, nisi quatenus ita respiciendo Christum apprehendimus ipsius meritum, nobisq; promissiones de gratia Divina fiducialiter applicamus. Istud verò apprehendere & applicare non est otiosus respectus, sed veluti manus exporrigens se ad eleemosynam recipiendam, ac proinde efficax aliquid, cui ratio causæ instrumentalis convenienter assignatur. Atque hæc sufficiant de causis nostræ justificationis efficientibus, principali, meritoria & instrumentali.

Materia Iustificationis.

Materia seu subjectum justificationis est peccator. *Omnes sunt peccatores*, inquit Paulus, —— *& justificantur gratis.* Hic habemus justificationis i.e. sententiæ illius, qua DEVS nos pronunciat justos, materiam, quæ sumus nos ipsi natura peccatores, sed tamen DEI gratia credentes in eum, qui justificat impium, Rom. IV, 5. Vbi plenum subjectum justificationis describitur, homo in se quidem peccator & impius, sed qui ex fide & fidelis est.

Forma Iustificationis.

Forma justificationis est remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi. Quid enim Rom. III, 25. aliud est, nos justificari *per redemtionem factam in Christo Jesu proposito nobis in propitiatorium vel placamentum*, quàm Deum, nobis peccatoribus infensum, propitium rursus & placatum reddi, adeoque remittere, vel, ut ibidem statim dicitur, *dissimulare* peccata, propter satisfactionem alienam Christi Redemtoris nobis gratuito imputatam? Sic & alibi justificatio dicitur fieri per remissionem peccatorum, Act. XIII, 38. *Notum sit vobis, fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum* (Jesum) *& ab omnibus, à quibus per legem Mosis* δικαιωθῆναι *absolvi non potuistis, per hunc, quemvis, qui credat, absolvi.* Imputationis autem vox vel decies legitur Rom. VI. Aliam formam nec ipsa fert natura justificationis. Est enim justificatio, ut modò diximus & suprà probavimus, absolutio quædam, verùm non hominis innocentis & falsò accusati, sed peccatoris & impii. Si hoc, utiq; consistet absolutio hæc in condonatione & remissione peccatorum Sed & quia non contra legem & injustè DEVS peccatorem absolvit, ideò propria justitia destituto per fidem imputat justitiam alienam, & propter illam fide apprehensam tegit peccatum, ac placabilis fit peccatori.

Neq;

Neq; cùm hoc dicimus, duas justificationis formas statuimus. Non enim differunt remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi, nisi ratione. Quod evidenter S. Paulus demonstrat, cum Davidem, qui beatitudinem collocat in remissione peccatorum Ps. XXXII, 1. ostendit, *beatum prædicare illum, cui Deus imputat justitiam absq; operibus* Rom. IV, 6. justitiam nempe Christi traditi propter peccata nostra & resuscitati propter justificationem nostram, ut ibidem ℣. ult. dicitur. Per *hujus enim unius obedientiam justi constituuntur multi* Rom. V, 19. Ita ergò Paulus de remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi sentit, ut unum horum per alterum declaret. Et patet ex reipsa. Remittuntur enim homini peccata non absolutè & quocunq; modo, sed intercedente satisfactione Christi, quam pro nostra Deus acceptat atq; reputat. Vnde redemtio per Christum facta, seu, quod idem, satisfactio Christi nobis imputata divinitùs, remissione peccatorum explicatur Eph. I, 7. Col. I, 14. utrobiq; his verbis: *In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Et hoc ipsum, nempe tali remissione, quæ constet imputata nobis alterius redemtione, nos formaliter justos esse coram Deo, innuimus, cum justificationis formam dicimus esse non tantùm remissionem peccatorum, sed imputationem quoq; justitiæ Christi: non verò duplicem justificationis formam statuimus; id enim foret absurdum.

Contrarium hic tamen rursum sentiunt Pontificii, ac formam justificationis in justitia inhærente collocant, usq; adeò, ut justitiam imputatam planè nullam agnoscant. Idq; nec mirum est, cum justificationem accipiant pro renovatione & sanctificatione, cujus equidem forma est donatio gratiæ habitualis seu justitiæ inhærentis, nemine ex nobis reclamante. Non enim nos justitiam inhærentem negamus, quam adstruit Scriptura Rom. VI, 18. IIX, 10. Eph. IV, 24. 1. Joh. III, 7. sed sicut justificationem & sanctificationem tempore simul esse docemus, ita quoq; remissionem peccatorum imputatione justitiæ Christi constantem, & infusionem justitiæ habitualis, quæ nobis inhæreat, simul & eodem temporis momento fieri, etsi illa sit naturâ prior, asseveramus: hoc interim urgentes, *justitia ista inhærente non tolli & deleri peccata præterita, cum detur solummodò ad præcavenda futura.* Non enim consistere ejus robore homo potest in judicio divino, ut eam huic opponat, perq; eam recipiatur in gratiam, & à peccatorum reatu liberetur: sed receptus jam in gratiam intuitu alienæ justitiæ, & amicus Dei factus, idoneus per eam ad peccata deinceps vitanda, & ad piè ac sanctè vivendum instructus redditur. Illi contrà ipsam reconciliationem cum Deo & acceptationem ad vitam æternam forma-

liter in infusione justitiæ inhærentis consistere falsò persuasi sunt, atque ideò justitiam imputatam repudiant. Stupendum est, Concilii Trid. Patres hoc dogma sub anathemate definire ausos, quiq; hodie concilii illius autoritate tenentur, Dd. Pontificios, pro eodem acriter etiamnum decertare: *Quod non tantùm Scripturis perspicuis, sed & Patrum vetustiorum sententiis ac communi omnium Scholasticorum* (*tribus aut quatuor saltem exceptis*) *opinioni adversum esse* evinci potest. Certè in Scripturis *Paulus*, quandocunq; res ipsi fuerit cum Deo inquirente in cujusq; justitiam & ad exactissimam judicii sui normam exigente, *cupit inveniri in Christo ejusq; amiciri justitia, tanquam non habens suam ex lege* i.e. propriam & inhærentem. Licet enim hac non caruerit, quin perfecerit eam subinde, non majorem tamen ejus in hoc negotio vult rationem haberi, quàm si nullam haberet. Et non de primo tantùm justificationis initio, sed de progressu etiã id accipi se velle, futuri temporis verbo declarat Phil. III, 9. Ad exemplum Pauli priscæ quoq; Ecclesiæ Patres non propria, sed Christi justitia comparituros se coram Deo seriò edicunt. Quorum & Scholasticorum hac de re doctrina plenissimè à D. Hornejo exposita est Appendice noviter & insigniter elucubrata de Formali causa Justificationis, part. 2. Dispp. p. 393. seqq.

Pontificiorum obj. contra Iustitiam imputatam.

Quod restat, videamus paucis argumenta Pontificiorum potiora, quæ pro sua inhærente contraq; imputatam, quam nos defendimus, justitiam proferunt. I. Justi denominatio, ajunt, est absoluta, non respectiva: & ideò requirit formam intrinsecã, qualis est justitia inhærens. II. Per quod macula peccati deletur & ex impio pius efficitur, id præstat hominem formaliter justum. Atqui per justitiam inhærentem peccato contrariè oppositam macula peccati deletur &c. Ergò. III. Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi ita per obedientiam Christi justi constituuntur multi. Inobedientia verò Adami non imputativè, sed verè & inhærenter peccatum in nobis impressit. Igitur & obedientia ac justitia Christi non imputativè sed verè & inhærenter justos nos constituit. Quod argumentum Bellarmino l. 2. de *Justif. c. 7. nullam omninò responsionem videtur admittere.* IV. Christus id nobis restituit, quod perdideramus in Adam. At in Adam non perdidimus justitiam imputatam, sed inhærentem. Hanc ergò per Christum, & non extrinsecam tantùm imputatamq; recipimus. V. Nullibi locorum Scriptura asserit, Christi justitiam nobis imputari seu nostram censeri. VI. Fides quidem Rom. IV, 5. legitur imputari ad justitiam. Sed aliud est, Fidem, quæ in nobis est, imputari nobis; aliud, Justitiam Christi, quæ extra nos est. VII. Si datur inhærens justitia, qua intrinsecè justi sumus, (uti quidem nos Pro-

testantes fatemur) falsum est, sola Christi justitia nos justos censeri. VIII. Judicium Dei est secundum veritatem: non ergò justum habebit, qui intrinsecè adhuc est injustus, & per conf. non imputabit alienam justitiam pro propria. IX. Quibus justitia Christi imputatur, ii non minùs justi debent haberi quã ipse, adeoq; debent haberi Redemtores & Salvatores mundi, uti Christus: quod absurdum. X. Scriptura justificationem describit passim, quod per eam peccata tollantur, deleantur, abluantur, mundentur, exhauriantur. Non ergò tantummodò teguntur, aliena justitia nobis imputata.

Resp. ad I. Denominatio justi in Scripturis & absoluta est & respectiva. Absoluta, cum dicitur: *qui justitiam exercet, justus est* I. Joh. III, 7. & hæc sanè denominatio est à forma intrinseca. Sed datur etiam alia denominatio relativa, qua is dicitur justus & inchoatè beatus, *cui Deus imputat justitiã absq; operibus* Rom. IV, 6. Et hæc formã habet extrinsecam, nempe favorem, ex quo Deus peccata condonat & remittit.

Ad II. *Macula peccati vel notat ipsum peccatum*, quod dum perpetratur, hominem deturpat & commaculat: & tum falsa est minor, deleri id justitia inhærente. Peccatum enim jam perpetratum (nam de actuali sermo hic est) aliter coram Deo, cum factum infectum reddi nequeat, deleri non potest, nisi tollendo offensam & pœnam, in quam per peccatum homo incurrerat: quæ ablatio fit condonando peccatum & non imputando. *Vel notat vitiositatem in peccatore reliquam*, unde homo proclivis redditur ad sæpiùs peccandum. Et hæc sanè tollitur (quoad dominium) per justitiam inhærentem, quæ ex impio pium efficit; per eandemq; hanc homo etiã formaliter justus efficitur, nempè intrinsecè, quod non negamus. Negamus autem intrinsecam hanc justitiam esse eam, qua justificemur i. e. à peccatis absolvamur in conspectu Dei. Confertur ea quidem homini in ipsa simul justificatione, sed non præcisè per justificationem, nisi quatenus cum ista cohæret sanctificatio & renovatio, quibus naturâ tamen prior est justificatio.

Ad III. brevis & facilis datur responsio. Sicut nimirum per peccatum Adami fit, ut nobis insit peccatum quod vocant originis: Ita quoque fit per obedientiam Christi, ut insit nobis (quis hoc neget?) inhærens aliqua justitia; quæ ipsa tamen non tollit imputatam, sed præsupponit: quemadmodum nec vitium originis nobis inhærens tollit imputationem peccati Adami, sed supponit, quam & Bellarminus, ubi de peccato agit, admittere necessum habet l. 4 de statu pecc. c. 10. & l. 5. de amiss. gratiæ c. 17. Nec est, ut inter se opponat, imputativè, & verè justum constitui. Tam verè enim & realiter justus est, qui imputativè talis est coram Deo, quam is verè liber est à debito, cui imputatur alterius solutio.

Ad IV. Major ſimpliciter vera non eſt. Multa enim perdidimus in Adamo, quæ per Chriſtum hac in vita nunquam recipimus, puta, paradiſum, potentiam non moriendi, im̃unitatem ab omnibus calamitatibus. Deinde Concluſio nobis non contrariatur. Largimur enim, per Chriſtum nobis etiam in hac vita reſtitui aliquam inhærentem juſtitiam: ſed quæ tamen non ſit ita perfecta, ut ad juſtificationem valeat exacteq; reſpondeat ei, quam in Adamo amiſimus. Talem enim amiſimus, per quam liceret homini expertem eſſe omnis peccati: qualem non reparat in nobis Chriſtus niſi in altera demum vita. Nam plenus quidem effectus peccati Adami in nos redundat hac in vita: ſed perfectus fructus meritorum Chriſti vitæ reſervatur futuræ.

Ad V. Chriſti juſtitiam nobis imputari, docet infallibiliter Paulus Rom. IV, 6. prædicans *beatum eum, cui Deus imputat juſtitiam absq; operibus.* Juſtitia autem absq; operibus eſt aliena juſtitia: ſi enim propria, conjuncta foret cum operibus. Aliena autem juſtitia, quam imputat nobis Deus, alia intelligi non poteſt, niſi Chriſti. Habes ergò, Chriſti juſtitiam nobis imputari, apud Paulum. Idem rurſus 2. Cor. V, 21. *Eum, qui non novit peccatum* (Chriſtum, qui ab omni peccato alienus fuit) *Deus pro nobis peccatum fecit*, i. e. victimam noſtri loco piacularem eſſe voluit: nam ita ex Ebræorum idiotiſmo accipitur אשם Lev. VII, 1. 2. Eſa. LIII, 10. *Vt nos efficeremur juſtitia Dei* (juſti coram Deo) *in ipſo*, ut ſcil. per ejus juſtitiam reputaremur tales. Ita quidem peccatum pro ſacrificio, per quod peccata dimittantur, accipit Auguſtin[9] l. de Pecc. orig. c. 32. & contra duas epiſtolas Pelagii l. 3. c. 10. Alia tamen non minus commoda ejusdem expoſitio eſt in Enchir. ad Laur. c. 41. *Ipſe peccatum* (inquit) *& nos juſtitia, nec noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo; ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum, nec in ſe, ſed in nobis factus eſt.* Nempe vult, Chriſtũ factũ peccatũ ex noſtrorũ omnium peccatis ipſi imputatis, ſicut & nos juſtitia ex imputatione. Vt igitur ille in nobis peccatum, ſic nos in illo juſtitia. Vtro modo accipias, manet imputatio juſtitiæ Chriſti. Et hinc quoq; dicitur ipſe *juſtitia noſtra*, Jer. XXIII, 6. 1. Cor. I, 30. non tam efficienter, quod inhærentem juſtitiam nobis donet: nam ſic Pater quoq; & Spiritus S. ſunt noſtra juſtitia; ſed formaliter potiſſimum, in quantum ipſius juſtitia & obedientia, quam noſtri loco præſtitit, acceptatur à Deo, tanquam ſi eſſet noſtra: haud aliter ac ſolutio debiti alieni acceptatur à creditore, tanquam ſi is, qui debet, ſolviſſet. Quid multis? Ipſe Bellarminus: *Si* adverſarii *vellent*, inquit, *nobis imputari Chriſti merita quia nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniam Chriſtus ſuscepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis nosq; Deo Patri reconciliandi, recta eſſet eorum ſententia* l. 2. de Juſtif. c. 7. n. 4. At-

n. 4. Atqui id ipsum nos volumus, neq; hoc, quod Bellarm. dicit & rectum pronunciat, aliud est, quam per Christum nos imputativè justos esse: quia satisfactionis perfectæ proprium effectum est, ut is, pro quo valet, in reputatione justus fiat & habeatur. Veruntamen inde formaliter justos nos denominari, ferre non vult Bellarminus. Ineptè: Nam si is, cujus debitum ab altero solvitur acceptante eo, cui debetur, nominatur & est ab illo debito liber & immunis, per denominationem formalem extrinsecam: si item is, cui procuratus est alterius favor & gratia, nominatur & est illi alteri gratus, eadem denominatione; quidni pari modo nos formaliter justi nominemur & simus, imputata nobis Christi satisfactoris justitia? Non fit quidem hinc justi denominatio absoluta, quam Bellarminus l. d. urget (hanc enim ab inhærente justitia peti concedimus) sed respectiva tantùm. Interim necessariò hæc extrinseca & respectiva denominatio præcedit intrinsecam & absolutam, & una hac justitia, quæ extra nos est in Christo, perfectè justi coram stricto judicio Dei constituimur, Phil. III, 9.

Ad VI. Fidem nobis ad justitiam imputari, nil abludit à priore illa phrasi, justitiam Christi nobis imputari; nisi quod fidei appellatione indicatur medium, per quod Deus nobis rem hanc, justitiam nempe Christi, velit imputare. Quod medium tamen non ideò hac virtute coram Deo pollet, quoniam aliquid in nobis est, sed quatenus extra nos fertur in Christum & justitiam obedientiæ ejus inclusam tenet: æquè ac annulus centenis aureis constare dicitur, non quod ipse per se sit tanti valoris, sed propter nobilissimam gemmam, quam concludit & continet.

Ad VII. Sumus equidem dupliciter justi, imputatativè & inhærenter: sed tamen non nisi uno modo habemus reconciliationem cum Deo & jus filiorum Dei ac hæreditatis æternæ, nempe sola justitia Christi per fidem imputata, nullo modo per inhærentem & propriam.

Ad IIX. Justissimum est Dei judicium, etiam tum, cum nos habet justos ob alienam justitiam; non obstante eo, quod intrinsecè simus adhuc injusti. Hoc enim, quod tales sumus, saltem impedit, quò minùs inhærenter justi possimus reputari. Et si tales à Deo reputaremur, tum reputaremur id, quod non sumus, & falsum esset Dei judicium. At ille, dum sibi nos reconciliat, non intrinsece & inhærenter justos reputat, sed extrinsecè, quales omninò sumus fide in Christum. *In hunc enim qui credit, justus est.*

Ad IX. Ex imputatione justitiæ Christi nil tale sequitur, ut habeamur ita justi, sicut Christus justus est h. e. justi in nobis ipsis, tanquam si ejus justitia nostra esset intrinseca justitia: sed ut habeamur justi, in

sti, in quantum exigit ordinatio divina, ut sub reconciliationem justi simus, nempe extrinsecè justi in Christo 2. Cor. V, 21. tanquam per Christum redemti & salvati, minimè ut redemtores & salvatores: sicut captivus, pro quo precium redemtionis solutum est, *non habetur* in imputatione illius precii *pro solvente*, sed pronunciatur exsolutus, indeq; liber habetur à captivitate per extrinsecam itidem denominationem. Est quidem imputatio actio divina maximè efficax: non est tamen actio rem ipsam conferens, nempe justitiam Christi, ut justi simus ea justitia, qua Christus Salvator & Redemtor noster in se justus est; sed tribuens denominationem, ut per illam habeamur justi, ea justitia, quam & qualem Deus ad consequendam peccatorum remissionem constituit: quæ justitia, ut toties jam diximus, est extrinseca, adeoq; talem etiam denominationem gignit.

Ad X. Omnes illæ phrases, quibus peccata dicuntur tolli, deleri, ablui, mundari, confirmant imputationem justitiæ Christi, qua nostra teguntur peccata. *Tolli* enim *peccata*, quid est quæso? Certè non est tolli actum peccati: hic enim jam præteriit & tolli ampliùs non potest. Quæ verò remanent post actum, offensa Dei & vindicta èjus, hæc maximè tolli opus habent. Non tolluntur autem per omnimodam expulsionem peccati aut qualemcunque etiam animi innovationem, sed per gratuitam condonationem & remissionem, quæ ex imputata justitia Christi nobis contingit. *Delere peccata*, metaphorica dictio est, qua alluditur ad tabulas rationum, in quibus annotantur debita, & eorum, qui solverunt, vel pro quibus solvit alius, obliterantur & delentur nomina. Itaq; delere peccata hic fuerit soluta habere peccatorum nostrorum debita liturâ illis inductâ per sanguinem Christi, nec amplius ad rationes ea revocare, ob imputatam nobis Christi solutionem. Hoc sensu alibi conjunguntur *delere peccata, & non recordari eorum*, scil. quoad rationis & vindictæ exactionem Esa. XLIII, 25. *abscondere* item *iratam faciem à peccatis, & delere ea*, Ps. LI, 11. Tum verò abscondit faciem suam Deus à peccatis, quando gerit se, tanquam non cerneret, non attenderet: quod Scriptura aliàs vocat *dissimulare* (impunita relinquere) Rom. III, 25. *projicere post tergum*, Esa. XXXIIX, 17. *in profundum maris* Mich. VII, 19. i.e. plenissimè condonare omni eorum memoria deleta, omni reatu condemnante abesse jusso. Atq; ita Apostolus quoq; peccati deletionem reduxit ad condonationem, Col. II, 13. quam usitatè vocamus remissionem & tectionem, juxta Ps. XXXII, 1. XXCV, 3. Eódem recidit *ablui* peccata, & homines ab iis *emundari*, primariò notans peccatorum nostrorum sordes, ne in conspectum Dei veniant & regno ejus nos excludant, asperso super nos Christi sangui-

ne

ne contegi purificante nos ab omni peccato 1. Joh. I, 7. dum propter cruentam passionem ac mortem Christi omne peccatum nobis penitus dimittitur, &, quasi nulla sit in nobis fœditas, acceptamur & habemur. Atq; hic est principalis sensus harum phrasium, tegi nempe & remitti peccata propter Christum, in qua tectione & remissione principalis etiam cura peccati sita est. *Secundariò autem tolli quoq;* (quod Ebr. IX, 28. Vulgatus *exhauriri* reddidit) *& ablui peccata per immutationem animi & renovationem*, qua pravitas, quæ post offensam & obligationem ad pœnam ex peccato relicta est, corrigitur & imminuitur, promtissimè admittimus; & rectè in hac latitudine Beda ad 1. Joh. III, 5. commentatus: *Tollit* seu aufert *Christus peccatum*, inquit, *& dimittendo, quæ facta sunt, & adjuvando, ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi omninò fieri non possint.* Eodemq; modo intelligimus fieri purificationem per sanguinem Christi ab omni peccato, I. quidem, cum propter passionem & mortem ejus remittitur quicquid peccatum est, & homo justificatur: deinde cùm vi & virtute ejusdem passionis sanctificatur homo & renovatur, ut deinceps inquinamenta peccati fugiat & sanctimoniæ sit deditus; prioribus interim partibus remissioni & tectioni concessis. Et tantum de causa formali.

Finis porrò justificationis nostræ est, *respectu Dei*, gloria ipsius & cumprimis *ostensio justitiæ ejus* Rom. III, 26. ut declaretur videl. gloriæ suæ justus vindex, qui peccata non dimitteret prorsus impunita; sed ita quidem nobis ea gratis condonaret, ut eadem simul in Filio justissimè vindicaret. Vnde justitiæ & misericordiæ admirabile temperamentum in gloriosam laudem Dei relucet. *Respectu* verò *nostri*, ipsa adeò salus nostra & vita æterna. Rom. IIX, 30. Finis Iustificationis.

APHORISMVS III.

pag. 760.

Certissima sententia esto, oportere nos certissimos semper esse de remissione peccati, de benevolentia Dei erga nos, qui justificati sumus.

De certitudine gratiæ & benevolētiæ divinæ.

EFfectus ex justificatione fidei emergentes sunt duo præcipui. I. Certitudo gratiæ & benevolentiæ divinæ. II. Studium bonorum operum.

De priori Esaias c. XXXII, 17. *Tunc erit opus justitiæ pax; effectus justitiæ tranquillitas & securitas usq; in seculum.* Et Paulus Rom. V, 1. *Justificati fide pacem habemus coram Deo per Dominum nostrum Jesum*

Jesum Christum i. e. ſumus ex inimicis facti amici fide, ut, ſi credamus, placatæ offenſæ & conciliatæ amicitiæ certi ſimus, pacemq; quæ cum Deo nobis eſt, intùs apud noſmet ſentiamus. Reſpiciunt enim ſeſe invicem pax coram Deo & pax conſcientiæ, nec convenit quempiam, qui pacem apud Deum habet, velle turbari dubitationibus, quæ meram animi inquietudinem afferunt paci adverſam. Et pone incertitudinem ac dubitationem in credente, quod Pontificii, cum quibus hic iterum nobis res eſt, faciunt; certè pones id, quod contradictionem implicat. Has duas enim contradictorias: *Omnem credentem eſſe certò reconciliatum*, *Me credentem non eſſe certò reconciliatū*, in uno intellectu eſſe & veras haberi oportet, ſi credens dubitet. Priorem eò, quod ſit homo ille credens; poſteriorem eò, quod dubitet. Neq; verò hic loci diſputamus, num fides fidelium in hac infirmitate tentari, labefactari & everti poſſit: neq; tantam certitudinem in falſa aliqua perſuaſione aut profana ſecuritate vel fide mortua aut hypocritica collocamus: ſed fidem veram, vivam, nec infucatam ex ſe eam poſſe parere, & debere id facere, contendimus.

Status Controverſiæ.

QVOD POSSIT, hoc oſtenditur argumento: Qui noſſe poteſt ſe credere, is pariter noſſe poteſt ſe habere remiſſionem peccatorum: propterea quod *omnes Prophetæ in hoc teſtimonium de Chriſto conſpirant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum*, Act. X, 43. Jam verò credens noſſe poteſt ſe credere, per actum fidei reflexum, juxta illud Pauli II. Cor. XIII, 5. *Vos ipſos tentate, an ſitis in fide: vos ipſos explorate.* Si cognoſcere ſuam quiſq; fidem non poſſet, fruſtrà experimentum ejus capere ab Apoſtolo juberetur. Quocirca Auguſtinus T. 2. ep. CXII. c. 3. *Fides ipſa mente utiq, videtur, quamvis hoc fide credatur, quod non videtur.* Et c. 4. *Credere fit mente & videtur mente: quoniam menti noſtræ fides noſtra conſpicua eſt &c.* p. 528. 529. Ex eodem allegat Lombardus: *Fidem ipſam videt quisq, in corde ſuo eſſe, ſi credit: vel non eſſe, ſi non credit.* L. III. Diſt. XXIII. Igitur noſſe quoq; poteſt credens, ſe habere remiſſionem peccatorum. Vbi notabis, quod actus fidei ſit vel ſimplex & directus, vel ſit reflexus. Ad ipſam juſtificationem formaliter acceptam pertinet *actus fidei ſimplex & directus*, ut quis credat, Deum ſibi eſſe velle propitium. Talis applicatio fit ipſo actu credendi. Ad certitudinem autem juſtificationis requiritur *actus fidei reflexus*, qui eſt cum diſcurſu, per quem intelligit homo, ſe credere & fide ſua juſtum eſſe. Ipſa fides, ut eſt juſtificans, non eſt diſcurſiva, ſed ſimpliciter apprehendit meritum Chriſti. Certitudo autem per modum diſcurſus colligitur: nempe, Majoris loco poſita aliqua propoſitione revelata, & ſubſumta evidente, hunc in modum: *Qui ſeria peccatorum*

ſuorum

suorum pœnitentia ductus in Christum credit, is habet remissionem peccatorum, est filius Dei, est in statu gratiæ & justus apud Deum. Ego seria peccatorum meorum pœnitentia ductus in Christum credo. Itaq; ego habeo remissionem peccatorum, sum filius Dei, &c. Haud aliter, ac, Christum pro me esse mortuum, soleo colligere sic argumentando: *Qui est homo, pro eo Christus est mortuus. Ego sum homo. Ergo pro me Christus est mortuus.* Vtrobiq; ex Majore, quæ est revelata & de fide, ac Minore evidente sequitur Conclusio de fide. Solet enim conclusio sequi partem debiliorem non solùm in forma argumenti, sed etiam in materia. Si nimirum alterutra propositionum sit inevidens, conclusio quoque talis sequitur. In materia enim debilior est illa pars, quæ inevidens & de fide est, propter inferioris gradûs certitudinem, quam sibi relicta gignit, præ ea, quæ cum evidentia est conjuncta. Nec valet Pontificiorum exceptio: non posse conclusionem illam, quod mihi remissa sint peccata, esse de fide, aut de ea mihi constare certitudine fidei; cùm non sit illa conclusio in Scripturis revelata. Licet enim *formaliter* revelata non sit illa specialis conclusio, tamen *virtualiter* est revelata in suo generali principio, unde nos eam eruimus. Ex principio quippe revelato infertur conclusio revelata. Proinde qui sub universalibus Evangelii promissis verè comprehenditur, is virtute eorundem firma fide ex illis elicita novit, sibi etiam dictum esse, quod in eis continetur. Sed jam Minorem, relicta Conclusione, aggrediuntur Pontificii, & negant quemq; scire sufficienter posse, utrum sub universalibus promissionibus verè sit comprehensus: cùm incertissimum sit homini, num verè & ex toto corde resipuerit & credat. *Hujus argumenti assumtionem*, inquit Bellarminus (*Mihi evidens est mea vera conversio & pœnitentia*) *dico non solùm falsam sed etiam impossibilem esse, nisi adsit revelatio. Nam pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscat illud? inquit Jeremias c.* 17. Ita ille l. 3. de Justif. cap. 8. §. 4. Nos & possibilem & veram esse talem subsumtionem, docuimus jam ante verbis Pauli: *Vos ipsos tentate, an sitis in fide* II. Cor. XIII, 5. & docemus porrò illis ejusdem verbis: *Probet homo seipsum*, I. Cor. XI, 28. exemplo item Davidis de se dicentis: *Ex toto animo meo quæro te* Ps. CXIX, 10. itemq; Eunuchi illius, cui baptizari volenti cùm dixisset Philippus: *Si credis ex toto corde, licet*; respondit is ei: *Credo*, (subintellige ex antecedentibus, de toto corde, Act. VIII, 37. Et quî nequeat interiora cordis sui homo rimari, si justam attentionem adhibeat? Aliis quidem hominibus (quod Jeremias innuit) non patent recessus alieni cordis, sed interim *quæ sunt hominis, novit, qui in homine est spiritus hominis*, dicente Apostolo, 1. Cor. II, 11. Assumtionem itaq; in syllogismo conscientiæ testatam reddit spiritus hominis, qui est in

co. Mox conclusioni, quæ inde eruitur, accedit novum & extrinsecum spiritûs testimonium prorsus infallibile. *Ipsè* nempe *Spiritus S. testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei*, Rom. IIX, 16. Quo Paulino planè convincuntur, qui in ambiguo nos volunt versari, aut ultra fallacem conjecturam ascendere non posse dictitant. Quid enim infallibilius testimonio Sp. S. ex quo non potest certitudo fidei certissima non oriri, cui falsum subesse queat nullatenùs?

Sed & DEBERE ambiguas dubitationes abesse & certam paterni amoris Divini persuasionem fidelium mentibus ingenerari, argumento est benigna illa mediorum ad illas tollendas & hanc suscitandam divinitùs facta constitutio. Quorsum enim ministerium annunciandi sigillatim remissionem peccatorum iis, qui petunt? Quorsum Sacramenta omnibus, quibus impœnitentia & infidelitas obstaculo non est, in particulari conferentia & obsignantia gratiam universaliter aliàs oblatam? Quorsum hæc, inquam, si fluctuante animo dubitare nos velit DEVS, num simus in gratia apud ipsum necne, propitium habeamus eum an infensum? Et quid illud est in symbolo: *Credo remissionem peccatorum*; si singula individua remissionem suorum peccatorum in dubio ponere oporteat? Haud sufficit enim credere, in Ecclesia dari remissionem peccatorum, nisi tibi quoque eam inibi contingere credas. At *ejusmodi articulus in nullo symbolo fidei continetur*; ait Bellarm. l. d. Et verum sanè ait, si de expressa litera loquatur. Nihilominùs διάνοια articuli ejusmodi habetur in ipso Apostolorum symbolo. Idem enim est, *Credo remissionem peccatorum*, ac, Credo in Ecclesia sancta Catholica obtingere peccatorum remissionem omnibus ac singulis fidem prioribus articulis comprehensam toto corde professis. Quodsi tu eandem fidem vero corde profitearis, cur dubites ad te certò pertinere remissionem peccatorum? Mirè seipsos hic implicant Pontificii, dum remissionem peccatorum volunt quidem in genere credi debere, quod detur in Ecclesia; at de singulis dubitandum esse. Enimverò generalis alicujus propositionis sententia verificatur in suis singularibus: ideoq; si de singulis dubitandum, de omnibus quoq; dubitari oportet. Neque Ecclesia certa esse poterit, nisi simul certi sint, quicunq; viva Ecclesiæ membra sunt. Inde Paulus: *Vivo per fidem filii DEI, qui dilexit ME & tradidit semetipsum PRO ME*, Gal. II, 20.

De Certitudine salutis.

Ex hactenùs dictis liquet, quid de certitudine remissionis peccatorum statuendum sit. Quod si, ut fieri solet communiter, *de certitudine salutis* quæstio instituatur, aliter paulò respondendum est. Vel enim quæritur de salute in præsenti, vel de salute in futuro. *Si de salute in præsenti*; habetur de ea in animo hominis verè conversi & justi certitudo non minor, quàm de remissione peccatorum h. e. certitudo fidei seu absolu-

absoluta, sine metu falsi aut formidine oppositi. Cum remissione enim peccatorum adeò arctè cohæret salus, ut, si moriatur homo, simul ac remissionis illius compos factus est, indubiè ad salutem transeat æternam. *Sin de salute in futurum*, post longius videl. temporis spacium adeunda, quæras, non habes de ea nisi certitudinem spei, seu moralem & conditionatam, quæ non est absq; formidine oppositi. Qui supervivunt enim justificationi suæ, eos oportet *militare bonam militiam, retinere fidem ac bonam conscientiam*, I. Tim. I, 18. 19. Ecquis autem omni parte securum te præstabit, fore, ut ad extremum usq; halitum in bona militia, in fide ac bona conscientia perseveres? A parte quidem Dei defectus futurus est nullus. Is enim & *potens* est *depositum tuum in diem usq; illum custodire*, II. Tim. I, 12. & bonus, cujus *benignitas te amat prosequi omnibus diebus vitæ tuæ, ut mansio tibi sit in domo Jehovæ usq; & usq;*, Ps. XXIII, ult. Confer LII, 10. & verax quoq; est ac *fidelis*, adeoq; quantum in se est, effectum daturus, quod in se, dum *vocavit nos*, recepit, *ut spiritus noster integer & anima ac corpus conserventur in adventum Domini nostri Jesu Christi inculpatè*, I. Thess. V, 23. 24. Cæterùm à nostra parte multiplex defectus suboriri potest. Defectione enim spontanea à fide ad infidelitatem aut hæresin, & à pietate ad improbitatem possumus deesse Deo, quò minùs ad plenam salutem, cujus quidem jus sumus per justificationem adepti, suo nos tempore perducat, quamq; aliàs præstare promtus est, potentiam, bonitatem ac fidelitatem suam nobis constanter præstet; imò verò, ut tandem, nisi per pœnitentiam ad fidem ac probitatem pristinam redeamus, æternùm pereundum nobis sit.

Nimis hæc sunt certa, utut præfractè negent Calviniani. Possunt, qui fideles hucusq; erant, à fide desciscere: & hoc ii sæpenumero faciunt, qui primùm *cum gaudio recipiunt sermonem* fidei, *non habentes* interim *radicem*, quippe *ad tempus* solùm *credentes* (puta, rectè & verè: ni verè enim crederent, non ad tempus dicerentur credere, sed nunquam credidisse dicendi essent) *& tempore tentationis desistentes*; ab illa vèra, quam tenebant, fide (quæ est terminus à quo) ad perfidiam (quæ terminus est ad quem) deflectentes, Luc. VIII, 13. Sic etiam possunt, qui justi fuerunt & multa justitiæ opera ediderunt, à sua se justitia avertere, & facere iniquitatem, ac in sua prævaricatione mori. Ita namq; dicitur Ezech. XIIX, 24. *Quum averterit se justus à sua justitia*, (sanè vera, non simulata: alioqui non à justitia se diceretur avertere, sed latentem hypocrisin suam revelare) *faciens* posthac *iniquitatem* — *hiccine viveret*? q. d. mimine vivet, quin, ut statim sequitur, *morietur*. Conditionali hac in categoricam resoluta id dicitur: *Omnis justus deserens justitiam suam morietur*. Supponitur itaq; potentia deserendi

justitiam, inq; eo statu moriendi: qualis potentia supponi solet in omnibus hypotheticis, quæ promissionem aut comminationem habent cum conditione rei alicujus præstandæ. Et eodem prorsus modo intelligenda Pauli & Petri dicta; Rom. IIX, 13. *Si secundùm carnem vixeritis* (qui jam estis justificati & in gratiam recepti) *moriemini*. 2. Petr. II, 20. *Si, postquam effugistis seculi hujus pollutiones, iterum iis implicemini &c.* & his gemella alia. Quid verò manifestius exemplis, quæ Scriptura nobis proponit in *Saule*, in *Davide*, in *Salomone*? qui verè justi profectò erant: quod testatum redditur de Saule 1. Sam. IX, 2. de Davide 1. Sam. XIII, 14. 1. Reg. XIV, 8. XV, 5. de Salomone per id, quod Deo bis ipsi apparenti charus fuerit, ejusq; Spiritu plenus, & librorum Canonicorum autor, & templi dedicator, & typus Christi; & hi tamen, aliiq;, ut *Alexander* 1. Tim. I, 9. *Hymenæus* & *Philetus*, 2. Tim. II, 17. *Demas* 2. Tim. IV, 10. amiserunt semel habitam justitiam, excusserunt fidem ac privari meruerunt gratia divina & inhabitatione S. Spiritûs. Equidem tres illi ex ordine sibi succedentes præclari in Israële Reges, Saul, David, Salomon, quàm graviter defecerunt à Deo! prolapsi nempe *in contemtum verbi Jehovæ, peccato divinationis & idololatriæ æquiparandum*, 1. Sam. XV, 11, 17. 26. in adulterium & homicidium, 2. Sam. XI, 4. de quibus prædicit Paulus, *eos, qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes*, Gal. V, 21. in idololatriam denique crassam & abominandam, 1. Reg. XI, 4. crimen planè exitiale, juxta illud, 1. Cor, VI, 9. *Ne errate: Neq; scortatores, neq; idololatræ — regni Dei hæreditatem possidebunt*; scil. *donec sunt tales nec reversi sunt ad Deum per conversionem*, ut Philippus hoc pulcrè explicat T. 2. Opp. pag. 249. Nec leviter etiam illi, quos è N. T. produximus, Alexander, Hymenæus, Philetus, Demas, statu gratiæ exciderunt, naufragium passi circa fidem, *sine qua impossibile est placere Deo*, & mundi amore capti, cum quo amor Dei stare non potest.

Quæ cùm ita sint, non est cuiquam certa sua perseverantia. Quid enim si infidelis aut hæreticus evadat, qui erat fidelis, vel in improbitatem degeneret, qui probus erat, & pœnitendi animus vel tempus ipsum deficiat? *Morietur* utiq; *in transgressione sua, & omnes priores ejus justitiæ non memorabuntur amplius*, Ezech. XIIX, 24. Quare & Philippus noster pronunciat, quod *incerti sint* sancti, *an perseveraturi sint*. Dodec. 761. Si autem nostræ perseverantiæ certitudo non datur, ergò nec quisquam de futura salute sua certò erit persuasus. Nam *qui perseveraverit usq; ad finem, hic* demùm *salvus erit*, Matth. XXIV, 13. Sanè quidem dicit Apostolus *fore, ut qui incepit in nobis bonum opus, perficiat idem illud & absolvat* Phil. I, 6. Nempe sicut per Dei gratiam & spiri-

ſpirituale ad ſupernaturalia auxilium converſio noſtra & fides inchoata eſt: ita quoque ejusdem ope converſio inchoata & fides habita conſervari ſufficienter poteſt. Veruntamen ſicut gratia, per quam primùm convertitur homo, nemini neceſſitatem imponit, verùm agit ordinata ſua voluntate & potentia Spiritus S. ita ut patiatur ſibi à refractariis & contumacibus reſiſti & auxilia quæ obfert repelli: ſic quoq; gratia, quæ converſis & fidelibus datur, ut perſeverent, tentationes & difficultates ſuperent & peccata contra conſcientiam vitent, neminem eorum cogit perſeverare, ſed ita ſe habet, ut ſi ipſi contumaces eſſe & carni ac pravis affectibus operam dare malint, ſinat ſe excuti; cùm & hîc non omni vi ſua ac potentia & voluntate abſoluta agat DEUS, ſed ordinata, cui liberè poteſt reſiſti ab eo, qui auxilia gratiæ ſibi habet collata, nec vult tamen iis uti. Aliqua vis quidem, nec exigua, ineſt divinæ gratiæ, ut per eam ſcil. extra nos *nulla vis* adverſa *dimovere nos queat à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, Rom. IIX, ult. ſed quod in nobis & in carne noſtra habitat *peccatum*, ſi dominium, cui infringendo tamen ſatis virium ſuppeditatur per gratiam, ipſi ultrò permittatur, *diſterminat inter nos & Deum noſtrum*, Eſa. LIX, 2. *pariterq; adeò nemo rapiet oves Chriſti è manu ejus*, Joh. X, 27. ſcil. vi ipſis extrinſecùs illata; niſi ipſæmet ſponte ſua paſtori huic eiusq; tutelæ ſe ſubducant ac peccatis ſe dedant. DEUS, inquam, auxilio ſuo fidelibus nunquam eſt defuturus: at conſequens non eſt, ipſos fideles officium ſuum nunquam eſſe neglecturos. Cùm ergò horum nemo abſolutè dicere poſſit: Ego perſeverabo, licet animum habeat perſeverandi; igitur nec poterit quisquam abſolutè dicere: Ego ſalvabor. Quare abſoluta futuræ ſalutis certitudo in animo & intellectu hominis eſt nulla.

Ac non malè huc quadrat Philoſophorum axioma: *Futurorum contingentium non eſt* determinata veritas, ſeu potiùs, *quoad nos determinata certitudo*. Etſi enim hæc ſint in ſeſe dererminatè vera, & ut talia à Deo cognoſcantur ab æterno: ex duabus enim contradictoriis de futuro contingenti unam oportet veram eſſe, quæ nempe cum re concordat, alteram falſam, quæ ſcil. à re ſuo tempore eventura diſcrepat; tamen quoad nos non ſunt talia determinatè certa. Interim non omnem quoq; negamus ſalutis in futurum certitudinem, ſed damus *certitudinem ſpei*, ut quisq; fidelium benè de ſe ſperet, ex eorum ſe numero fore, *qui non ſubducunt ſe ad exitium, ſed qui credunt ad animæ ſalutem*. Ebr. X, 39. Damus certitudinem *moralem & conditionatam*, qualem innuunt Scripturæ Col. I, 22. 23. *Siſtet vos Deus ſanctos & inculpatos in conſpectu ſuo, ſi quidem permanebitis in fide fundati & ſtabiles i.e.* ſub hac conditione, ſi, quemadmodum cœpiſtis in Chriſtum credere, ita in

eadem fide fideiq́, fundamento perſiſtetis. Ebr. III, 6. *Chriſti domus ſumus nos* (& conſtanter futuri ſumus) *ſi modo loquendi libertatem & ſpem, de qua gloriamur, ad finem usq; firmam retinuerimus.* 1. Tim. II, ult. *ſervabitur* certò *mulier —ſi manſerit in fide ac charitate & ſanctificatione cum modeſtia.* Hanc verò conditionatam certitudinem non eſſe ſine formidine oppoſiti, Paulus nos docet iſta ſua cohortatione: *Cum timore ac tremore* (noli alium quam filialem timorem intelligere) *veſtram ipſorum ſalutem conficite* Phil. II, 12. & altera huic gemina: *Qui ſibi videtur ſtare, videat, ne cadat* 1. Cor X, 12. (quid clarius? ſtanti injungitur formido oppoſiti, ne videl. cadat) ſuo inſuper ipſius exemplo, qui, cum eſſet electum vas Dei & in tertium cœlum jam antehac ſublatus, ſuum tamen *corpus contundere* etiamnum ſolebat *& in ſervitutem redigere,* ſollicitus, *ne quo modo reprobus fieret* 1. Cor. IX, ult. Ecce tantus Apoſtolus reprobum ſe poſſe fieri ſtatuit. De ſua ergò perſeverantia & electione abſolutè certus non fuit, ſed moraliter tantùm, ut alii fideles. Sicut ergò contra Pontificios plena præſentis gratiæ & ſalutis certitudo eſt propugnanda, ut juſtificatis pax ſit & tranquillitas animi Chriſtiano pectore digna, ac deſperatio & anxietas arceatur: ita non minùs ad Calvinianorum errorem, quem circa perſeverantiam Sanctorum fovent, effugiendum, par certitudo reſpectu futuri neganda eſt, ut debita ſollicitudo & precandi ardor excitetur, tollaturq́; ſuperbia, præſumtio, ſecuritas. Quæ huc porrò pertinent, videantur in D. Georgii Königii Diſputationibus duabus de Certitudine remiſſionis peccatorum, necnon in limatiſſimo Petri Bertii de Apoſtaſia Sanctorum tractatu.

APHORISMVS IV.

Pag. 421.

Obedientia noſtra h. e. juſtitia bonæ conſcientiæ ſeu operum, quæ Deus nobis præcepit, neceſſariò ſequi reconciliationem debet.

De nexu fidei & operum.

ALterum Juſtificationis conſequens eſt ſtudium bonorum operum. Videre hoc ad oculum eſt ex omnibus illis locis, *ubi ex profeſſo de Juſtificatione Paulus tractat.* Ibi enim ſemper ille ſubjungit doctrinæ Juſtificationis doctrinam Operum. Illuſtria cumprimis teſtimonia habentur Rom. VI, & XII, ac ſeqq. Gal. IV, V, VI. nec ex reliquis etiam epiſtolis ulla cohortationibus ad bona opera eſt vacua. Vt taceam epiſtolas Catholicas, Petri, Jacobi, Johannis, quæ talibus admonitionibus

totæ exundant. Quod si ipsæ solùm justificationis causæ, tres inquam illæ, Gratia Dei, Meritum Christi & Fides, accuratiùs aliquanto pensitentur, singulæ istæ ad bona opera nos provocant, ac suum ea seu consequens seu connexum habent. Primaria justificationis nostræ causa est Gratia Dei. *Quid igitur? peccabimus, quia sumus sub gratia? ut* scilicet *auctior fiat gratia? Absit*, inquit Paulus, Rom. VI, 1. 15. & pereant *impii illi jam olim ad damnationem præscripti*, *qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam*, Ep. Jud. ℣. 4. somniantes, gratiam delictorum præteritorum tam liberaliter factam esse, ut eo securiùs & licentiùs in posterum peccetur. Quin potiùs contrario fine gratiam Deus suam hominibus cum Evangelii luce impertit, per idem illud Evangelium *erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & justè & piè vivamus in præsente seculo, expectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris nostri Jesu Christi*. Tit. II, 11. 12. 13. Et annon meræ gratiæ Divinæ est *electio* nostra, facta à Deo *ante jactum mundi fundamentum, pro benevolo affectu voluntatis suæ?* at ideò facta hæc est, *ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate* Eph. I, 4. 5. Annon quæ in tempore fit vocatio nostra, ex mera itidem gratia ac benevolentia proficiscitur? *nec vocavit nos* verò *Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem* 1. Thess. IV, 7. Altera causa justificationis nostræ est Meritum & Redemtio Christi. Hic verò Servator noster ideò *dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum* Tit. II, 14. & secundùm illud Petri, *tulit peccata nostra sursum in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ viveremus* 1. Petr. II, 24. eumq; pro nobis *carne passum* sequuti & ipsi *crucifigendam* nobis *& mortificandam carnem* esse *cogitemus*, *armis* ad hanc rem *assumtis ex meditatione passionis ac mortis Christi* 1. Petr. IV, 1. Tertia porro justificationis causa est Fides. Qualisnam autem illa? certè non mortua, simulata, infecunda, sed δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη *per charitatem agens* Gal. V, 6. quæ *charitas est expletio Legis* Rom. XII, 10. ac bonorum operum proma conda. *Si opera non habeat fides, mortua est per se* Jac. II, 17. h. e. sensu ac motu destituta, nec vera magis fides, quam cadaver corpus animale verum. Etenim vera fides non est nisi in homine, quem peccatorum commissorum pœnitet: neq; adeò est sine proposito novæ ac melioris vitæ: idq; ipsum propositum ut actu sese per pietatem exserat, fides stimulos subdit. Est enim *fides*, ut ex superioribus constat, partim assensus & notitia, partim fiducia. Ut est assensus & notitia, dirigitur ad vitæ pietatem. Novit enim homo per fidem, *esse Deum & præmia largiri iis, qui ipsum requirunt* Ebr.

XI,

XI, 6. Novit, Deum salutem destinasse non nisi pœnitentibus & fructus pœnitentiæ facientibus. Qui jam ergò Deum profitentur se scire, ea tamen non faciunt, quæ ipsi placere norunt, imò omnia etiam contraria agunt, *factis negant ipsum* Tit.I, 16. *Per hoc*, ait S. Johannes, *scimus nos ipsum nosse* (uti nosse debemus, notitia affectiva) *si præcepta ipsius observamus. Qui dicit, novi eum, & præcepta ejus non observat, mendax est* (nec enim eum novit, ut nosse debet, nec in eum credit, prout in se vult credi: mentitur itaq; fidem) *& veritas in eo non est* 1. ep.II, 3.4. Nempe igitur verus fidei assensus hominem ad operum probitatem dirigit. Eadem fides, ut est fiducia, parit ex sese ope S. Spiritus in cordibus fidelium habitantis amorem Dei. A quo enim spe fideq; plena expecto summum bonum, in illius profectò totus rapior amorem & dilectionem. *Dilectio* verò *Dei hæc est, ut præcepta illius observemus. & præcepta ejus diligentibus eum gravia non sunt*, 1. Joh. V, 3. Vlterius quoniam fertur fiducia in promissiones, quæ de futura salute sunt conditionatæ, conditione nempe pietatis circumscriptæ: nam *pietas promissionem habet hujus & futuræ vitæ* 1. Tim. IV, 8. Et expresse etiam particulis conditionalibus Scriptura utitur Rom IIX. *Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*, ℣. 13. Mox item: *Sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi, si tamen cum eo patimur* ℣. 17. Igitur qualis promissio, talis fiducia: nempe fiducia obtinendi à Deo summi boni, sub conditione pietatis & fugæ peccatorum ac tolerantiæ adversitatum. Istiusmodi autem fiduciam qui habet, ille studebit per Dei gratiam conditionem istam explere, ut boni promissi compos fiat. Puta: si tempus & occasio ita ferant (ferunt autem communiter) ut sanctæ vitæ propositum, quod est in pœnitente, possit in actum exire: tum vera fides non est otiosa, sed fructus fert pœnitentia dignos, qui sunt fuga peccati & bonorum operum studium. Sin desit occasio in sancta novitate vitæ ambulandi & benè operandi, retinet nihilominus fidelis homo propositum benè operandi, & reipsa abstinet ab operibus malis. Licet enim possit ad tempus fides poni cum simplici negatione studii pietatis & bonorum operum, positivè tamen non potest conjungi cum studio malorum operum, si veræ fidei nomen velit tueri. Vtplurimùm autem tempus & occasio non permittunt tantùm, sed vel flagitant boni operis exercitium, nunc hujus, mox alterius: tumq; fides vera ubi est, prodit foras, & quòd creditur ad rem confertur. Ni id fiat & fides opera non habeat sibi consona, cadaver est & simulachrum fidei atq; idolum, minimè vera fides. Id quod insuper hoc demonstratur argumento: *Qui habent veram fidem, illi salvantur*. Joh.III, 16.18.36. *Qui in occasione opera misericordiæ* aliaq; à Deo mandata (nam omnium

quo-

quoad hoc eadem ratio) *non præstant, illi non salvantur.* Matth. XXV, 41. 42. &c. *Ergò qui opera à Deo mandata non præstant, non habent veram fidem.*

Conclusio hæc ex præmissis in Scriptura fundatissimis necessariò sequitur. Ejus tamen contradictoriam ponit Bellarm. l. 1. de Justif. c. XV: *fidem veram posse reipsa à dilectione aliisq; virtutibus separi.* Et videtur favere Bellarmino experientia, cum sint penè innumerabiles inter nos qui veram fidem tenent, quippe nec pagani nec hæretici, nec misericordiæ & promissionibus Dei diffidentes, adeoq; id credentes, & in eo fiduciam collocantes, quod catholica seu orthodoxa fides docet; quibus tamen opera fidei desunt. Resp. Omnes illos vera fide carere. *Vera* namque *fides* non est ea tantùm, qua creduntur ea, quæ vera sunt: sed qua id, quod creditur, ipso quoque exprimitur opere, & factis completur, quod verbis venditatur. Id enim supra Johannes & Jacobus innuebant. Et hoc demum est verè credere. Quicunq; autem doctrinam quidem fidei rectè tenent, ita ut in ipsorum fide objectivè considerata nihil desiderari possit, sed secundùm fidem sum piè non vivunt, licet credant quæ *vera* sunt, *non vere* tamen *credunt* & legitimè. Unde nec fides ipsorum vera est & bona simpliciter, sed secundùm quid tantùm, ratione nempè objecti. Addo hoc: periculi plenam rem esse, operibus neglectis fidem præ se ferre. Ubi semel enim in desuetudinem veniunt opera, falsa paullatim persuasio animo illabitur, salutem æternam destinatam esse etiam non observantibus mandata Dei, neq; adeò refere multùm opera conjungere fidei: Deum nihilominus misericordiæ in nos suæ mementurum. Quod equidem puto multos hodie opinari: sed horum fides ne objectivè quidem vera tùm amplius est: assentiuntur enim falsitati & pro fiducia verbo Dei conformi vanam confidentiam & inanem præsumtionem circumferunt. Atq; his jactis initiis in proximo est, ut exorbitetur in alios omnis generis errores deferentes ultimò in exitium. Ipsam hanc causam reddit Paulus, Timotheo *fidem & bonam conscientiam* junctim commendans, quod videlicet *repulsa bona conscientia, naufragium etiam fidei* tandem incurratur, 1. Tim. I, ℣. 19. Et cap. seq. VI. ab avaritia dehortaturus: *pecuniam*, ait, *appetentes quidam aberraverunt à fide.* Hanc Pauli experientiam, à qua nil abludit reliquorum seculorum ac nostri etiamnum historia, illi opponamus experientiæ confidenter, quæ pro Bellarmino facere videtur. Diu enim profectò fides, quæ operibus destituta est, subsistere non potest, quin erroribus exitialibus uno vel pluribus veritas fidei contaminetur, suffocetur. Quis sit ergo Fidei & Operum nexus, ita patet.

Ac vel hinc manifestum est, quàm necessaria sit nova obedientia seu bonorum operum studium post justificationem, cum tres illæ justificationis causæ apud omnes Orthodoxos decantatissimæ eò nos ducant, ut benè posthac operemur; & fides quidem in tantum, ut vera ea non sit, certè haud persistat, nisi operibus sociata & morum pietate stipata. Sunt utiq; necessaria bona opera, etsi non necessitate coactionis & determinationis, tamen ordinis & debiti. Necessarius est enim ordo justificationis & renovationis, justitiæ fidei & justitiæ operum, imputatæ justitiæ & inhærentis: atq; hoc debito præstandæ obedientiæ Deo sumus obstricti, juxta illud: *Debitores sumus* Rom. IIX, 12. quamvis interim renati libera sint operum bonorum causa. Non enim vel extrinsecùs coacti, vel ab interno principio determinati bona agunt, sed spontaneo & libero ducti Spiritu, ac *delectati Lege Dei secundùm interiorem hominem* Rom. VII, 22. Et verò non *propter DEVM* tantùm, cui totos nos debemus, sed & *proximi ac nostri causâ* esse bona opera facienda, apud omnes ratum est & dubitationis expers. Tantùm, an nostri causâ sint necessaria ad ipsam salutem, controverti solet.

TESTIMONIA VETERVM.

NEmo suo merito, sed omnes æqualiter Dei gratia sunt salvati. *Hieronymus Comment. in c. V. ad Rom.*

Vilesceret redemtio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. *Ambrosius l. 1. de Vocatione Gentium c. 5.*

Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Johannes prædicavit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioquin justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa sit ambigua. *Hilarius in Matth. Can. 5.*


Ego, cùm considero sermonis eminentiam, quòd dicitur: *Operanti secundùm debitum reddi*: vix mihi persuadeo, quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat: cùm etiam hoc ipsum, quòd agere aliquid possumus vel cogitare vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Quid ergò erit debitum illius, cujus gratia nos præcessit? *Origenes in c. IV. ad Rom.*

LOCVS



LOCVS VII.

DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.



On possunt satis intelligi, quæ in antecedentibus tùm de Lege & Evangelio, tùm de Justificatione & Bonis Operibus, dicta sunt, nisi subjungatur doctrina de discrimine V. & N. Testam. Imò *V.T. lex est, ut simplicissimè & pinguissimè loquamur.— N.T. Evangelium est i.e. gratiæ annunciatio adeoq; & Sp. S. donatio*; dicente Philippo, Dodec. 764. Et omninò duo ista *N. Test. continet: gratiæ annunciationem sive remissionem* peccatorum veterum per fidem in Christum h. e. justificationem; & ab altera parte *renovationem per Sp. S.* cujus beneficio deinceps peccata diligenter caveantur ac bonis operibus studeatur. Quibus ita se habentibus, agite, dicamus nunc de Testamenti utriusq; V. ac Novi ratione atque discrimine, & brevitatis quidem studio esto N.T. duo continet.

APHORISMVS VNICVS.

pag. 456. 459.

Vetus Testam. propriissimè est promulgatio legis seu pactum, quo populus Israël ad legem & hanc formam politiæ obligatus est. —— N. T. est prædicatio remissionis peccatorum & donatio vitæ æternæ ac novæ justitiæ, deleto peccato & deleta morte propter Christum Mediatorem.

COnſideranda hic tria: I. Appellatio Teſtamenti. II. Homonymia Veteris & Novi Teſtamenti, ac III. genuinum utriusque Teſtamenti diſcrimen.

De Appellatione Teſtamẽti.

Quod I. attinet appellationem Teſtamenti, nata iſthæc eſt appellatio *ex verſione LXX*, qui Ebraicum ברית fœdus ſive pactum, quod Græcè συνθήκη dicitur, reddiderunt paſſim per διαθήκην, quæ vox Teſtamenti ſignificationem obtinet. *Plurimùm ſanè differunt inter ſe Pactum & Teſtamentum.* Nam morte confirmatur Teſtamentum, nec ante habetur ratum, quam mors interceſſerit teſtatoris: cùm contrà morte ſæpenumerò diſſolvatur Pactum, certè nihil minùs ad ratihabitionem pacti requiratur de jure, quam mors alterius partis contrahentium. Nihilo ſecius hic loci indifferenter uſurpantur, & rectè Ebræorum ברית à LXX per διαθήκην in ſignificatione Teſtamenti redditũ docet Paulus, ex ipſa voce & natura Teſtamenti colligens, Chriſtum mori oportuiſſe, Ebr. IX, 16. Neq; hoc adeò mirum, pro Pacto ſubſtitui ipſius Apoſtoli autoritate Teſtamentum, à Pacto diſtinctiſſimum: cùm *nec Pacti nomen rigidè ſumatur, quando de Deo cum hominibus paciſcente ſermo eſt.* Etenim omne pactum propriè & in rigore dictum fit cum certa conditione, quæ ſervanda recipitur liberè ab utraq; parte. At verò dantur pacta Dei cum hominibus, quæ nullam conditionem involvunt; quale erat, quod Deus cum Noacho ſtatim à diluvio iniit Gen. IIX, 21. ultrò pollicitus, nunquam fore poſthac, ut in homines & animalia ſimili aquarum inundatione animadverteret: nec enim ſub conditione, ſed nudè & abſolutè id fœderis cum hominibus Deus pepigit. In reliquis, quæ conditionem habent annexam, id tamen non requiritur, ut nos eam conditionem ſervandam recipiamus, ſed ſufficit, quod ſupremus rerum Dominus aliter bona ſua nobis non promittat, niſi ut contrà vel fidem vel obedientiam noſtram ſtipuletur. Iſtam nos conditionem ut acceptemus obligamur ex debito, nec niſi Leges accipere, ſi res nobis ſit cum Deo, noſtrum eſt, non dare. His notatis dici poteſt, *vocabulum Fœderis ſeu Pacti, cùm Deo tribuitur, in genere quamvis ordinationem ac diſpoſitionem ejus cum promiſſione conditionata factam denotare:* ſive ſit pactio, qualis inter viventes eſſe ſolet, συνθήκη aliàs dicta, ſive ſit diſpoſitio teſtamentaria, quæ communiter διαθήκη dicitur. *Atq; in hac latitudine accepto vocabulo, non eſt inconveniens, aliquid ſimul Pactum & Teſtamentum appellari*: ſi pactum videl. ſit quævis conſtitutio & promiſſio divina de bono aliquo nobis ſub certa conditione impertiendo. Poteſt enim etiam teſtamentaria conſtitutio ſub conditione fieri & hæres quis nuncupari præſtitis præſtandis, ut, niſi conditio ſervetur, hæreditatem non adeas. Sic maximè

ximè habet ſe fœdus illud, quod nobiſcum per Chriſtum iniit Deus. Eſt ibi ratio Pacti, eſt & ratio Teſtamenti. *Pacti* quidem, quatenus *ſub conditione* fidei per charitatem efficacis Deus nos in filios adoptare & æterna vita donare conſtituit. *Teſtamenti* verò, *quatenus* vita hæc *ut hæreditas* obtingit conditionem præſtantibus, *& interventu* quidem *mortis Chriſti*, primùm ſanguine victimarum ſignificatæ, deinde ipſo facto obitæ. Quod enim per mortem ipſius Chriſti promiſſio gratuiti pacti nobis obventura eſſet, tot ſacrificia & tanta ſanguinis effuſio ante Chriſtum incarnatum & paſſum obumbrabat. *Et hujus ſcilicet mortis intuitu Apoſtolus vocem διαθήκης aſſumit*, atq; ex eo, quod Chriſtus per mortem & ſanguinem ſuam remiſſionem peccatorum ac vitam æternam offert credentibus, eum Novi non tantùm Fœderis, ſed Teſtamenti Mediatorem eſſe infert: Teſtamentum enim morte teſtatoris valere, in vulgus notum eſt. Hæc de vocabulo Teſtamenti.

Jam II. homonymia V. & N. Teſtamenti evolvenda eſt. Tria verò potiſſimùm ſignificant V. & N. Teſtamentum. I. *Ratione temporis* V. T. denotat ſtatum Eccleſiæ, qui anteceſſit prædicationem Johannis Baptiſtæ. N. Teſtamentum tempus illud, quod ſucceſſit. II. *Ratione librorum* V. T. denotat libros ſacros ante Chriſtum natum: Novum libros poſt eundem natum exaratos. Hoc ſenſu Apoſtolus dicit 2. Cor. III, 14. *velamen manere impoſitum faciei Judæorum in lectione V. Teſtamenti* i. e. librorum codicis V. Teſtamenti. III. *Ratione pactorum* V. T. *in Scriptura* dicitur pactum illud, quod Deus fecit cum Iſraëlitis in monte Sinai, paciſcens cum eis, ſi & moralibus præceptis, quam poſſent, ſervandis operam, evitata inprimis idololatria, navarent, & ceremonias quoq; ac judicia cuſtodirent, fore tum, ut promiſſam Patribus Cananitidem terram glorioſè occupatam tranquillè poſſiderent; ſecùs autem fore, ſi contumaci Deum inobedientia offenderent. N. contra T. dicitur pactum illud gratuitum, promittens omnibus in Chriſtum credentibus juſtitiam ac vitam æternam per & propter mortem Chriſti, qua morte etiam ratificatum eſt & confirmatum & ab ipſo Chriſto in carne exhibito revelatum nobis, ejusdemq; juſſu per totum terrarum orbem Apoſtolorum præconio divulgatum. Et hoc modo in Scripturis communiter hæc denominatio V. ac N. Teſtamenti accipitur. Sed eſt quoq; *Eccleſiaſtica* horum terminorum *acceptio*, qua unum idemq; pactum gratuitum à Deo per Chriſtum cum hominibus initum diſtribuitur in V. ac N. Teſtamentum, juxta diverſum reſpectum mortis Chriſti, cui pactum illud innititur. Sic V. T. eſt pactum Dei cum hominibus de recipiendis iis in gratiam intuitu mortis Chriſti futuræ, & etiamnum per mortes hircorum & vitulorum i. e. typos & ſacri-

De Homonymia V. & N. Teſtamenti.

sacrificia adumbratæ. Novum, idem Dei cum hominibus pactum est, nempe de recipiendis in gratiam intuitu mortis Christi, at non futuræ, verùm præsentis aut præstitæ.

Duplex Dei cum Hominibus salvandis Pactum.

Vt altiùs rem repetamus, duplex in universum est pactum Dei cum hominibus, salutem hominum concernens; unum Legale, alterum Evangelicum. Legale illud nunc voco, quo Deus hominibus ad sui imaginem recens creatis felicitatem non temporalem solùm & paradisiacam, sed & æternam pollicitus est, si exactissimam obedientiam absque defectu & interruptione legi universæ cum naturali tum positivæ præstiterint. Potest hoc pactum dici *Legale primævum*, ad differentiam Legalis Mosaici, quod longè post in monte Sinai cum Israëlitis, ut diximus, Deus pepigit. Ac per illud equidem primævum debebat homo salutem adipisci, prout primùm conditus erat; & poterat pro eo statu conditionem sibi positam adimplere h. e. legem cum naturalem in creatione sibi inditam, tum positivam, quæ de non comedendo ex arbore vetita post creationem in paradiso lata erat, servare per vires divinitus sibi concessas, conditus quippe ad imaginem Dei in justitia & sanctitate vera. Sed eheu non servavit libero suo abusus arbitrio. Vnde & totum illud pactum de se saluberrimum mox inutile ac irritum factum est, amissis per lapsum viribus illis, per quas pridem ipsi perfecta obedientia subesse poteramus. Pereundum itaq; rebus sic stantibus toti erat hominum generi, quod semetipsum in miseriam hanc sponte præcipitaverat. Ast hominum amantissimus Deus cum teneretur minimè, aliam à priori salutis rationem inire deq; novo pacisci nobiscum, misertus nihilominus nostri, surrogavit priori aliud pactum, quod vocamus *Evangelicum*. Verissimè Evangelicum. Nuncium utpote lætissimum de hominibus lapsis in gratiam recipiendis & è damnatione admirando modo per mortem unigeniti Dei Filii eripiendis, ereptis vitæ insuper æternæ gloriosa hæreditate per fidem donandis. Hoc jam *Evangelicum pactum morte Redemptoris ut fundamento incumbens distinguitur in Vetus & Novum pactum sive testamentum, juxta distinctam habitudinem meriti ac mortis Christi*, ad quam futuram Vetus inde ab Adami & Patriarcharum ætate per typos ac sacrificia prospicit, Novum præsentem aut præstitam completis typis inspicit; *effectu utrobiq; pari*, vi Novi pacti antrorsum porrecto & retroversus etiam communicato. Quoad enim effectum, qui est expiatio peccatorum & hominum cum Deo reconciliatio, unum idemq; semper fuit, est, erit Evangelium pactum. Discrimen verò est circa realem seu actualem præstationem ejus, à quo effectus modò dictus promanat, h. e. meriti ac mortis Christi, quæ futura adhuc erat in Veteri fœdere, præsens

sens & præstita jam est in Novo. Et sic habemus homonymiam V. ac N. Testamenti. Si porrò nunc quæras, qua potissimum ratione hæc sumantur, quando de discrimine utriusq; controversia est; respondemus, *ratione Pactorum* esse sumenda: non, sicut usitatè Biblia dividuntur in libros V. & N. Testam. vel, sicut appellatur tempus V. & N. Testam. sed unicè juxta rationem Pactorum. Cùm verò hæc quoq; ratio diversimodè explicetur, ut ostensum est, nos impræsentiarum Philippum, Chemnitium, Hutterum atq; adeò communiorem sententiam secuti, eo potissimum sensu interpretamur V. ac N. Testam. quo hæc accipit ipsa Scriptura, nempè V. T. pro pacto per Mosen cum Israëlitis inito in monte Sinai, Novum autem pro solenni illa dispositione Dei, qua priore Testam. abrogato universalem Evangelii promulgationem omni populo ex Sion dedit, vocans universos homines ad pœnitentiam peccatorum & fidem in Christum passum, mortuum & resuscitatum.

Hinc III. jam non difficile est judicium facere de discrimine utriusq; Testamenti. Quæstio principalis est, utrum secundum substantiam differant V. ac N. Testamentũ, an saltem secundum accidentia; quoad verò substantiã unũ ac idem sint Testamentum? Profectò nemo tam hebes est, qui non videat, V. T. acceptũ pro pacto Dei cum Israëlitis, & Novum acceptum pro pacto illo gratuito omnibus hominibus post Christum mortuum & resuscitatum per Evangelii prædicationem manifestato differre ipsa substantia, tanquam duo testamenta, ut Scriptura appellat Gal. IV, 24. quorum unum etiam *oppositum* alteri est Jer. XXXI, 31. seqq. ut deteriori *melius* Ebr. VII, 22. VIII, 6. quam oppositionem insuper declarat Paulus per *literam occidentem* & *Spiritum vivificantem* 2. Cor. III, 6. perq; *Saram liberam* & *Hagarem servam* Gal. IV, 23. Quæ sanè etiam substantiale discrimen arguunt V. & N. Testamenti. Et quî non substantialiter differant? differentia scil. *Mediatore*, qui in V. Testam. Moses est Gal. III, 19. in N. Christus 1. Tim. II, 5. tum quoq; *promulgationis loco*, qui in V. erat mons Horeb in deserto Sinai; in N. Zion sive Jerusalem, Exod. XIX, 2. Esa. II, 3. *promulgationis item tempore*, ut per se patet: *duratione* porrò, sicut illud antiquandum esset, hoc in finem mundi perpetuandum sit, Ebr. VIII, 13. *latitudine præterea & complexu* populorum, dum illud intra Israëlitas constitit, hoc ad omnes gentes extensum fuit Exod. XIX, 5. Mr. XVI, 15. nec non *promissis divinis*, quæ multò præstantiora habet Novum, quam V. Testam. Ebr. VIII, 6. adeoq; vicissim *conditione à nobis stipulata*, quæ in V. observatio legis & plurimorum rituum; in Novo fides, etsi non citra legis moralis obedientiam & usum Sacramentorum Christi, Exod. XX. XXI. seqq. Matth. XXVIII, 19. 20. Mr. XVI, 16. deniq; *confirma-*

De Discrimine utriusq; Testamenti.

firmatione, quæ illic non nisi pecuino sanguine facta est, Exod. XXIV, 8. hîc verò sanguine Filii Dei, Ebr. IX, 12. Ita ergò substantialiter hæc inter se differunt apertè. *Sin sensu Ecclesiastico*, qui nec ipse rejici debet, cum sit ad docendum aptissimus, sumatur V. ac N. Testam. pro uno pacto Evangelico, manifestum itidem est, non posse amplius tùm substantiale discrimen constitui, cum unum sit, non duo pacta Evangelica. Duo tamen Testamenta dicuntur, nō per divisionē generis in species, sed subjecti secundum accidentia. Mortem enim Christi, in qua tàm V. fundatur quàm Novum, esse futuram & obeundam adhuc, vel jam obitam & præstitam, sunt mera accidentia, quæ rem & substantiam ipsam non variant. Cujusmodi est etiam, quod *in V. Testam. omnia obscurius* proponebantur in figuris & typorum involucris: cùm contrà N. Testam. administretur clariùs. Nec ferebat aliter ratio illorum temporum. Cum futura enim adhuc essent incarnatio & mors Christi, non poterant aliter nisi per prophetias & typorum umbras cognosci. Omnis autem prophetia ante sui impletionem obscurior est, nec typus ullus distinctam, sed solummodò indistinctam & incompletam notitiam efficit. Plures differentias accidentales V. ac N. Testam. sensu Ecclesiastico accepti reperire passim est, præcipuè apud Scriptores Calvinianos, contra quos communiter hic disputatur à Nostratibus. Videamus paucis, quid intersit inter nostram & illorum sententiam.

Controversia cum Calvinianis.

I. Certum est, non tàm de reipsa, quam de vocabulis esse controversiam. Illi enim in sensu Ecclesiastico sumunt V. ac N. Testam. pro fœdere gratuito, quod utiq; non differt à seipso substantialiter, sed secundum differentias solùm accidentales in V. ac N. Testam. dispescitur. Nos contrà V. Testam. per pactum illud Mosaicum, & Novum per plenariam Evangelii promulgationem interpretamur: quæ Testamenta liquidò quoad substantiam sunt distincta: si quæratur ex Calvinianis, quare illi V. ac N. Testam. de uno fœdere illo, quod Evangelium dicimus, interpretentur? respondet ipsorum nomine Bucanus Inst. Theol. L. 22. q. 29. *Ostendit* (hæc doctrina) *unam fuisse semper salutis consequendæ rationem, videlicet per fidem in gratuitam promissionem de Jesu Christo, & unam eandemq; fuisse Ecclesiam & esse V. & N. Testam.* p. 231. Atq; hinc illud est optimi nostri Chemnitii: *Res ipsa hujus opinionis* (quod scilicet idem sit Salvator Christus, idem Evangelium, ut vulgò loquimur, eadem fides, eadem justificatio Sanctorum in V. & N. Testam.) *vera est. Sed quæstio hoc loco est, quid Scriptura propriè intelligat, quando inter V. & N. Testam. distinguit.* L. de discr. V. & N. Testam. p. m. 114. Atqui II. non est quæstio de vocabulo N. Testam.

quod

quod apud nos & illos unam significationem tenet, sed solummodò de appellatione Veteris, ex usu Scripturæ. Nec III. vel ignorat omninò vel negat pars adversa illam acceptionem Scripturæ, quam nos urgemus, sed promtè admittit. *Notandum*, inquit Bucanus l. d. q. 5. *Vetus fœdus duobus modis dici: interdum quidem respectu ad Mosis legislationem tantùm, & dicitur fœdus legale, cujus sanctio describitur Exod. 24. interdum verò ad significandum fœdus gratiæ seu gratuitum, qualiter factum est cum Abrahamo & ejus posteris Gen. XVII, ℣. 7. Novi autem fœderis appellatione non nisi gratuitum fœdus intelligitur.* Similiter Zach. Ursinus explic. Catech. q. 18. §. ult. *Vetus Testamentum sive fœdus sæpè in Scriptura synecdochicè sumitur pro lege, respectu ejus partis, quæ præcipuè in eo tractatur. Nam in V. fœdere lex magis urgebatur & multæ erant ejus partes: Evangelium verò erat obscurius. Contrà N. Testamentum seu fœdus ferè sumitur pro Evangelio: quia in Novo magna pars legis est abrogata, & Evangelium clariùs patefactum.* p. 133. Imò Leidenses disp. 23. th. 6. 7. disertis verbis: *Propriè nomine Testamenti V. significatur lex, quatenus per Mosen data est Judæorum populo. — Huic opponitur in significatione propria N. Testamentum, doctrina nempe Spiritualis gratiæ & salutis ab ipso Filio Dei è sinu Patris plenè revelata & Apostolorum prædicatione divulgata, qua promittitur gratuita justitia & vita æterna per & propter mortem testatoris Christi omnibus in eum credituris per gratiam, quam est largiturus. In hac significatione differunt V. & N. Testamentum non solùm circumstantiis quibusdam & accidentibus, sed essentialiter, &, ut cum Paulo loquamur, duo testamenta sunt Gal. IV, ℣. 24.* Hæc illi, quæ pro nobis manifestò faciunt. Itaq; IV. nil hodie inter nos & illos superest controversi, quantum quidem ipsam hanc doctrinam in sese attinet. Sed malè eam & perversè applicant quoad sensum Ecclesiasticum circa N. Testamenti Sacramenta, quæ eadem volunt esse cum Sacramentis V. Testamenti significatione & usu, ex eo, quod pactum vetus & novum sit unum substantiâ pactum. At propterea verò opus non est, ut verbo de antecedente contendamus & acceptionem V. & N. Testamenti Ecclesiasticis Scriptoribus frequentatam solicitemus, quæ nec omni simpliciter caret autoritate Scripturæ. Nam Gal. III, 17. promissionem de semine mulieris Adamo factam & Abrahamo repetitam, expresse Apostolus διαθήκην προκεκυρωμένην testamentum antè sancitum seu ratum habitum appellat, & Eph. II, 12. διαθήκας τῆς ἐπαγγελίας fœdera promissionis, ut indicant Leidenses th. 10. Sufficit ergò negasse consequentiam: nec enim, si unum & idem est substantialiter Testamentum V. ac N. statim ob id Sacramenta sunt eadem, nempe tàm in V. quam in N. Testamento

to, non nisi significantia res substantialiter absentes. Nam nosse oportet, unam pactorum substantiam non inferre necessariò unam quoq; substantiam Sacramentorum, quæ non nisi sigilla sunt & appendices illius pacti, ad ipsam pacti sive testamenti substantiam non requisita. Quin N. Testamentum quà tale respuit sanciri atq; constitui per significationum umbras: quas Vetus sibi proprias habet. In Novo corpus ipsum præsens est, ac verè adeò exhibetur in Eucharistia: nec figura sanguinis, sed ipse sanguis Christi è calice hauritur, tanquam causa constituens ac fundans N. Testamentum. Id enim sibi volunt Christi verba Luc. XXII, 20. *Hic calix est N. Testamentum in meo sanguine.* Locus, quem afferunt, Apostoli I. Cor. X, 3. 4. quem Calvinus IV. Instit. c. 14. §. 23. ita exponit, quod doceat Apostolus, V. Testamenti *Patres eandem nobiscum spiritualem escam manducasse*, nihil ipsis favet. Non enim Paulus vult dicere, eandem esse escam nostram & illorum, sed *eandem illorum* omnium, veluti si dicam: Omnes Hispani eundem habent Regem; utique significo, quod eundem inter se habeant. Ita Apostolus: Patres, ait, omnes, quotquot eorum in deserto fuerunt, & quaqua inter se diversitate discrepantes eandem inter se manducarunt escam, & tamen non omnes placuerunt Deo: erant enim multi ex iis improbi. Sic omnes etiam sub nube fuisse (utique eâdem) & omnes pariter per mare transiisse dixit v. 1. Pone, eandem nobiscum comedisse escam, eundem nobiscum bibisse potum; & dic, cur non perinde asserendi nobiscum sub eadem nube fuisse, nobiscum per mare transiisse: quæ absurda sunt. Atq; hæc hactenus de principali hujus loci controversia.

Controversia cum Pontificiis.

Pontificii Scholasticos Dd. secuti, quod nos sensu Scripturæ vocamus V. & N. Testam. hoc illi *veterem* ac *novam legem* amant dicere, & Lex vetus illis est Mosaica lex, Lex autem nova, lex Christi, quem legislatorem novi populi esse contendunt, & perfectiora præcepta tulisse, imò & graviora, quam tulerit Moses. Quæritur, quid de hac sententia judicandum?

I. De appellatione legis veteris, quin rectè tribuatur legi Mosis, quæ erat accommodata veteri homini, dubitari nequit. Sed & II. appellatio novæ legis sanum sensum habere potest. Ita ipse Christus: *Præceptum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis vos invicem*, Joh. XIII, 34. Et hoc ipsum præceptum Paulus vocat *legem Christi* Gal. VI, 2. Datur ergò lex nova: quæ & Jac. II, 12. vocatur *lex libertatis*. Eapropter III. etiam Christum Legislatorem dicere non simpliciter inconveniens haberi debet. Prorsus enim ad modum Legislatoris loquitur apud Johannem c. XV, 12. 17. cum dicit: *Hoc est præceptum meum. Hæc mando vobis.* Et Matth. ult. *Docentes eos servare omnia,*

qua-

quæcunq; mandavi vobis. Et faciunt huc non obscurè nomina, quibus passim in Scripturis Christus insignitur *Rex*, *Princeps*, *Dominus*, *Magister*. Omnia enim hæc legislativam potestatem arguunt. Ac reipsa Christus non tantùm legem Decalogi confirmavit, sed novas insuper leges tulit de Baptismo & Eucharistia, quæ sub veteri lege non erant, sed veteri successerunt injungenti circumcisionem & comestionem agni paschalis. Quod si præceptum de circumcisione verè fuit lex, & Deus, qui id præceptum Abrahamo dedit, verè ejus respectu legislator fuit: quidni mandatum de Baptismo, cujus circumcisio typus erat, æquè lex sit, & Christus, qui id mandatum suis dedit, hoc respectu Legislator sit dicendus? Sic & præceptum de fide, quod Christus tulit Joh. XIV, 1. dicens: *Si in Deum creditis, etiam in me credite;* lex dici potest. Tantundem enim est, si legem dicas, ac si dixeris cum Johanne: *Hoc est præceptum Dei, ut credamus nomini Filii ejus unigeniti & diligamus nos invicem;* uti legitur 1. Joh. III. Enimverò omne præceptum à mente & intellectu ortum, & totam communitatem obligandi vim habens, est Lex. Et qui propria autoritate tale quid in mandatis dat, is Legislator est. Adde quod præceptis N. Testamenti promissio & comminatio subjuncta legitur Mr. XVI, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur;* id quod rursum est legis & legislatoris. In universum tria sunt legum genera, quæ populo N. Testamenti Christus tulit. Vna lex est *de Fide*, quæ est lex fundamentalis & quasi anima legis Evangelicæ. Altera est *de Sacramentis*, quæ est lex accessoria. Tertia *de Moribus*, quæ summatim absolvitur charitate. Saltem videndum IV. ne fortè hac ratione Lex & Evangelium confundantur, aut officium Christi intervertatur. Et verò non ipsum Evangelium est Lex aut legem involvit, cum sit annunciatio gratiæ & remissionis peccatorum: sed novum tamen pactum, quod à potiore sui parte & fine per se intento Evangelicum dicitur, habet leges, sicut quodvis aliud pactum certis initur & sancitur legibus. Nec Christus ita habendus legislator, quasi sit alter Moses, & non potius Redemtor ac Salvator noster. Imo uti simul stant officium ejus Sacerdotale & Regium ac Propheticum officium: ita quoq; Legislatorem ac Redemtorem eum esse simul stare possunt. Ad Regium enim & Propheticum officium legislatio pertinet, sicut ad Sacerdotale redemtio & mediatio. Quod innuens Bellarminus l. IV. de Justif. c. 4. §. 1: *Lex*, ait, *per Mosen data est, qui Legislator tantùm fuit: Evangelium per Christum, qui non fuit solùm legislator, sed etiam Redemtor. Proinde Lex venit sola; Evangelium non solum, sed cum gratia*, scil. *præstandi, quæ sub Evangelio exiguntur*, ut ibidem hæc declarat fusiùs.

Leges à Christo latæ triplices.

fusius. Conferantur, quæ habet idem l. 1. de V. D. c. 3. §. penult. *Novas etiam quasdam leges Christus tulit, ut de Baptismo, de Eucharistia —; quia tametsi Christus non ideò ad nos venit, ut tanquam alter Moses nova legis pondere nos premeret, sed ut jacentes sub onere legis auxilio gratiæ sublevaret; tamen ad vetera morum præcepta saluberrimas illas leges adjungendas putavit, quæ dum ad Sacramenta nos ducunt atque ad gratiam per Sacramenta perducunt, non solùm non premunt onere ponderum, verùm attollunt etiam vice pennarum*, ut loquitur August. l. de perfect. justorum.

Cæterum V. perfectiora & graviora præcepta Christum tulisse in Novo, quàm à Mose sint lata in V. Testamento, Bellarminus dicto lib. IV. de Justif. c. 3. §. ult. ita exponit: *Perfecit Dominus legem moralem non solùm explicando & addendo, quæ diximus* (dixerat autem additam veteri legi à Christo prohibitionem libelli repudii & πολυγαμίας) *sed etiam adjiciendo Consilia quædam* (tria præcipuè, quæ sunt Continentia, Paupertas & Obedientia) *ad perfectionem charitatis, quæ finis est omnium præceptorum, adipiscendam aptissima; de quibus satis multa disputavimus in libro de Monachis.* Vt plenius mens illius percipiatur, adscribemus aliqua etiam ex prioribus. *Morales leges, quæ perpetuæ sunt, easdem ferè habent Lex & Evangelium; ut ostendit S. August. l. 19. contra Faustum c. 28. sed in hoc præstat Evangelium Legi, quod quædam graviora, quæ à Judæis propter infirmitatem ipsorum in Lege non exigebantur, à Christianis in Evangelio* (doctrina N. Testamenti) *exiguntur; ut patet de libello repudii & polygamia: quædam etiam expressius leguntur in Evangelio, quæ obscurius habebantur in Lege.* Hæc iterum ille. Denuò c. seq. 4. *Annotandum*, inquit, *legem Mosis quoad præcepta ceremonialia & judicialia simpliciter abrogatam esse: quoad moralia præcepta & doctrinam fidei mutatam esse non abrogatione, sed profectu; non enim sublata est lex moralis, nec fides unitatis Dei, sed aucta, amplificata, perfecta; quomodo mutari solet infans in adolescentem, adolescens in virum.* Et in fine istius cap. *In Lege vetere præcepta ceremonialia & judicialia plurima erant & parùm utilia; in Lege nova paucissima sunt & utilissima: præcepta verò moralia ferè sunt eadem in utraq; lege. Nam illa quoq;, quæ videntur in Evangelio esse gravissima, de dilectione inimicorum & de concupiscentia cohibenda, inveniuntur Exod 20. Prov. 25. & alibi*, ut S. August. demonstrat in lib. contra Adimantum c. 3. & l. 19. contra Faustum c. 28. *Itaq; non ait Dominus Matth. 5.* Nisi abundaverit justitia nostra *plusquam legis & Prophetarum, sed*, plusquam Scribarum & Pharisæorum: ut *videlicet significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarum*

& Pharisæoram. Quod si qua graviora precepta addidit, aut certè magis expressè tradidit (loquitur dubitanter tanquam de re non penitùs certò comperta) *ut de non dimittenda uxore per libellum repudii, & si quæ sunt alia; non debent illa gravia videri populo Christiano, etiamsi gravia viderentur populo Judæorum. Nam non est grave viro forti, quod puero delicato importabile solet videri.*

Ex quibus omnibus hæc colligo I. Legem veterem & novam quoad moralia esse eandem, si non prorsus simpliciter, tamen penè: quod cum Augustinus etiam, quem Bellarminus allegat, ita restrictè asserat l. 1. Retractat c. 22. in medio relinquimus. *Negari non potest, quin aliqua in Lege novarit Christus: quale illud est de divortio*; inquit noster quoq; Philippus, Dodec. p. 719. Nihilominus perfecta etiam fuit Lex vetus tum aliis nominibus, (quid enim perfectæ morum normæ deroget magnoperè concessio repudii & πολυγαμίας?) tùm potissimùm pro ratione & statu populi, cui lata erat: sicut infans pro ratione suæ ætatis est homo æquè perfectus, ac adolescens & vir in ætatibus suis. Quod II. attinet Consilia Evangelica, si ipsorum observatio non dicatur ipsa esse perfectio (hoc enim diminueret quid de perfectione legis) sed perfectionis pararia, tanquam instrumentum vel causa removens prohibentia à perfectione, possunt & ipsa utcunq; tolerari, judicante ita Chemnitio LL. Theol. part 2. tit. de discrim. præcept. & consil. c. 1. p. 110. 111. Num verò ulterius quid incommodi illis subsit, altioris est indaginis, nec hujus loci & temporis, ut excutiatur. III. Esse quædam imposita nobis Christianis graviora præcepta, quam Judæis olim erant, nolumus negare: ex quorum numero est etiam tolerantia crucis & afflictionum. Et manet tamen discrimen hoc, quod *Lex Mosis gravissima & importabilis* erat: cùm sit *contrà Evangelium Christi, jugum suave & onus leve*; ultrò fatente Bellarmino jam bis allegato c. 4. §. 8. Nimirum alia ratio est, si totus Vet. Testamenti status cum nostro statu conferatur: aliud, si leges quasdam seorsim inter se velis contendere. Illo respectu lex Mosis est *jugũ importabile*, Act. XV. 10. & è contrario *suave* est Christi *jugum & leve*, Matth. XI. Hoc autem posteriore modo datur equidem una & altera lex in novo fœdere durior aliquantò & severior præceptis Mosaicis: qualis haberi potest lex de susceptione crucis, in respectu ad promissam Judæis felicitatem terrenam. Sed, ut dixi, ex hisce minutiis totus status inter se conferri nequit quà gravitatem. Sicut in simili major copia Spiritùs dicitur esse in Novo T. quam in Vet. fuerat, spectando statum totius novi populi. Nam licet fuerint sub V.T. nonnulli, qui majoribus à Deo donis ornati videntur, quàm ulli sub Novo, ut Abrahamus; tamen sub Novo non singu-

ſingulorum fidelium, ſed univerſorum ſeu totius corporis Eccleſiæ reſpectu, de abundantia & majore efficacia Spiritûs judicium facimus.

Controverſia cum Photinianis.

Superſunt Photiniani duobus maximè erroribus impliciti: Vno, quod per Chriſtum lex vetus non quadantenùs ſolùm, ut Pontificii volunt, ſed per ſingula Decalogi præcepta fuerit noviter aucta, & alia etiam præter decem illa præcepta ab eodem Apoſtolis ſigillatim tradita, tanquam ad ſalutem omnibus Chriſtianis obſervanda. In quo poſteriore rurſum à Pontificiis differunt, qui ſuperaddita Legi Conſilia ſua, quæ vocant, non tanquam obſervatu neceſſaria ſalvandis venditant, ſed illis ſolummodò prenſanda, qui aliis multùm antecellere volunt & ad perfectionem adſpirant. Prolixior autem hæc eſt controverſia, quàm ut in præſenti tractari à nobis poſſit aut debeat. Videant, qui de ea volunt cognoſcere, Photinianismum Stegmanni disput. 18. & 19.

Alter, quo tenentur, error eſt, quod putant, Patres V. T. caruiſſe promiſſis ſpiritualibus & æternæ vitæ: taliaq; hæc reſervata eſſe N. Teſtamento, nec niſi temporalia & caduca promitti in Veteri. Cui asſertioni opponimus I. *Objectum promiſſionum ſpiritualium*, quod eſt *Meſſias*, promiſſus utiq; ſub V. T. Deut. XIIX. Pſal. LXXII. Eſa. VII. Dan. IX. & cognitus Joh. IV, 25. VII, 31. X, 24. etſi obſcuriùs nonnihil & ita, ut non ſimul & ſemel omnia revelarentur de ipſo, ſed paulatim creſceret revelatio, indeq; ab Abrahami tempore ſpiritualis hæc promiſſio veſtita eſſet promiſſione rerum corporalium, multiplicandi videl. ſeminis Abrahæ & poſſidendæ aliquando terræ Canaan; quin & ita, ut toto illo tempore Vet. Teſtamenti plura eſſent Patriarchis & Prophetis revelata ac literis etiam conſignata, quàm vulgo credita. Interim *ſubſtantia promiſſionum ſpiritualium eadem eſt in Vet. & N. T.* adeoque etiam eadem utrobique juſtificatio: Quod Apoſtolus exemplo Abrahami probat Rom. IV. ut quicunque ſtatuerent ex Judæis, Deum peccata remittere ex ſua miſericordia propter Chriſtum venturum, hi fide iſta ſua condonationem delictorum omnium conſequerentur, tametſi modum redemtionis ii, qui è vulgo erant, non haberent cognitum, quòd ſcil. ſalutem pariturus eſſet Chriſtus ſua paſſione & morte. Nam & ipſi ejus Diſcipuli verè in eum credebant, crucifigendum illum eſſe penitùs ignorabant. *Deus* igitur *pro benigna ſua voluntate contentus tum erat implicita fide*, veluti eſt apud Ægid. Hunnium, Quæſt. & Reſp. de Juſtific. p. m. 88.

Quod II. attinet promiſſionem vitæ æternæ, damus eam expreſsè legendam Dan. XII, 2. *Multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiſcentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum æternum.* Sed nimirum confundunt Photiniani *Pactum Moſaicum* cum *Religione*

ligione Judaica seu toto illo statu Ecclesiæ, qui erat ante Christum in carne exhibitum. Illud sanè pactum non habebat promissiones spirituales & vitæ æternæ. Nec enim in tabulis pacti illius nisi temporalia proximè & literaliter promittuntur: licet figuratè sub terra Canaan contineatur imago vitæ æternæ, & in sensu spirituali Lex etiam Mosaica vitam æternam polliceatur eam perfectè adimplentibus, quippe materialiter eadem in moribus formandis cum Lege prima sive naturali, cujus observatione primi homines debebant salute potiri. Sed hac intentione non est lata per Mosen. Religio tamen Judaica promissiones rerum spiritualium & vitæ æternæ nullo non tempore habuit ex pacto Evangelico, sub quo erant Judæi, & per quod salvabantur æquè ut nos hodie. Erant enim illi sub duplici pacto, sub Mosaico & Evangelico. Sed sub illo dum erant, ex hoc, non ex illo habebant spiritualia & æterna promissa, quæ longè ante initum illud fœdus Mosaicum Deus Adamo dedit Gen. III, 15. & Abrahamo innovavit *gaviso super visum Christi diem* Joh. IIX, 56. posteaq; per Prophetas, subinde aucto credendorum numero, inculcavit, quorum *Prophetarum filii* dicuntur Judæi Act. III, 24. 25. Huc adacti Photiniani volunt sibi monstrari promissiones tales in ipsa Lege. Frustrà. Nec enim Lex Mosaica totam constituit religionem Judaicam: cum nec *circumcisio* fuerit ex Lege, sed *ex Patribus* Joh. VII, 22.

Dist. inter pactum Mosaicum & Relig. Judaicam.

Eadem hæc dudum in Ecclesia primorum seculorum asseruit Augustinus, nempe & literaliter in Lege temporalia solùm promisisse Deum Judæorũ populo, cœlestia autem sub figura tantùm: & habuisse nihilominùs V. quoq; Testamenti homines promissam sibi aliunde vitam ac salutem æternam per Christum. De priore ita scribit Retract. l. 1. c. 22. *Regnum cœlorum illi populo fuisse promissum non legimus in iis, quæ promissa sunt Lege data per Mosen in monte Sina, quod propriè V. dicitur Testamentum, quod præfiguratum dicit Apostolus per ancillam Saræ & filium ejus. Sed & ibi figuratum est & Novum, per ipsam Saram & filium ejus. Proinde si figuræ discutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ sunt præsentata, vel expectantur præsentanda per Christum.* T. I. p. 31. De altero verò contra Faustum l. 19. c. 31. *Ipsa* inquit, *vita æterna si non illic* (in V. T. libris) *in manifesto prædicaretur, non diceret Dominus etiam malis Judæis: Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me.* T. 6. p. 360. Ex Nostratium recentioribus eadem de veteri pacto & religione Judæorum scitè docet D. Casp. Erasm. Brochmand T. 1. L. de S. Scr. c. 3. Quæst. 5. resp. ad obj. 4. 5. Et vel maximè egregiè hæc proposita reperies absoluteq; enodata in honoratissimi Collegæ nostri Dn. Theodorici Hackspanii Orat. auspicali lit. F, G. Tantum hac vice.

TESTI-

TESTIMONIA VETERVM.

SCriptura omnis in duo Teſtamenta diviſa eſt. Illud, quod adventum Domini paſſionemq; anteceſſit, id eſt Lex & Prophetæ, Vetus dicitur. Ea verò, quæ poſt reſurrectionem ſcripta ſunt, Novum Teſtamentum nominantur. Judæi Veteri utuntur, nos Novo: ſed tamen diverſa non ſunt, quia Novum Veteris adimpletio eſt, & in utroq; idem teſtator eſt Chriſtus, qui pro nobis morte ſuſcepta, nos hæredes regni æterni fecit, abdicato & exhæredato populo Judæorum, ſicut Hieremias Propheta teſtatur, cùm loquitur talia: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſraël & domui Juda teſtamentum novum: non ſecundùm teſtamentum, quod diſpoſui Patribus eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quia ipſi non perſeveraverunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dixit Dominus.* — Cum igitur nos antea tanquam cœci & tanquam carceri ſtultitiæ incluſi ſederemus in tenebris, ignorantes Deum & veritatem, illuminati ab eo ſumus, qui nos teſtamento ſuo adoptavit, & libertatem vinculis, atq; in lucem ſapientiæ productos, in hæreditatem Regni Cœleſtis aſcivit. *Lactantius l.* 4. *Inſtitut. divin. c.* 20.

Educto populo, in monte Sina divinitus accepit (*Moſes*) legem: quod Vetus dicitur teſtamentum, quia promiſſiones terrenas habet: & per Jeſum Chriſtum futurum fuerat Teſtamentum Novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. Hunc enim ordinem ſervari oportebat, ſicut in unoquoq; homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apoſtolus (1. *Cor. XV,* 46.) ut non ſit prius, quod ſpiritale eſt: ſed quod animale, poſtea ſpiritale. *Auguſtinus l.* 18. *de C. D. c.* 11.

Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt. In quo planè Pſalmo (LXXII, 27) duorum Teſtamentorum, quæ dicuntur Vetus & Novum, ſatis eſt declarata diſtinctio. &c. *l.* 10. *c.* 25.

LOCVS



LOCVS IIX.

DE ECCLESIA.



QVemadmodũ qui justi & salvi esse volunt, non nisi per fidẽ inChristum tales esse possunt: ita eosdem fidelibus associari, & in cœtu eorum degere adeoque Ecclesiæ membra esse necesse est, juxta illud πολυθρύλλητον: *Extra Ecclesiam non est salus*; *nam nec Salvator extra Ecclesiam.* Idq; tàm de V. quam N. Testamenti Ecclesia est intelligendum. Post doctrinam itaq; de gratuita per fidem justificatione, deq; discrimine V. ac N. Testamenti, nunc ad locum de Ecclesia conversi, potiores, quæ inibi occurrunt, controversias breviter elucidabimus, inter quas illa non est minima, quæ de visibili & invisibili Ecclesia agitatur: à qua Locum hunc orditur Philippus noster: cujus nos ordinem sequuti itidem ab ea incipiemus, præmissis tamen nonnullis de appellatione & distinctionibus Ecclesiæ.

APHORISMVS I.

pag. 475.

Quotiescunq; de Ecclesia cogitamus, intueamur cœtum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus — nec aliam fingamus Ecclesiam invisibilem — sed oculi & mens cœtum vocatorum i. e. profitentium Evangelium Dei intueantur — & ad hunc cœtum nos adjungamus.

Ecclesiæ vox Græca est, ab ἐκκαλεῖν, *evocare*, notans cœtum, concionem seu congregationem quamlibet statam & peculiariter indictam: & *primigenia ejus significatio est politica*, ejusq; vestigium in Scripturis Act. XIX, 32. 39. Ab hac significatione translata est ad denotandam illam hominum collectionem, quam Deus verbo & Sacramentis ad vitam æternam invitavit. Et ita communiter vox hæc accipitur in Scripturis. Nonnullis aliquando sonat etiam locum, in quo conventus sacri habentur, qui locus aliàs ἐκκλησιαστήριον dicitur. Sed hujus acceptionis exempla in S. literis non occurrunt. Magis autem Germanicum nostrum Kirch ex Græco κυριακὴ h. e. Dominica, scil. Domus, quasi dicas, Gotteshauß, talem locum denotat; quamvis in Symbolo & in Scriptura passim eadem vox linguæ vernaculæ cœtum vel conventum sacrum propriè designet. Ac *una talis est Ecclesia*, ut in Niceno Symbolo dicitur; nempè *per essentiam*, quia unus est Deus, quem colit: unum caput, cujus dominio subjacet, & à quo spiritualem influxum accipit: una fides, quam fundamentaliter profitetur: unum baptisma, quo salutariter initiatur: una spes vocationis, cui fideliter innititur. Eph. IV, 4. 5. Interim *respectu accidentium distinctio hic admittenda*, nec una, sed multiplex.

Ecclesia est vel militans, vel triumphans.

Et I. Vniversalissimè distinguitur Ecclesia in militantem & triumphantem. *Militans* appellatur, quæ est fidelium adhuc in vivis agentium, cumq; Satana, carnis reliquiis & mundo colluctantium: cujus πανοπλία describitur Eph. VI, 13. *Triumphans* illa dicitur, quæ est fidelium defunctorum, qui victoriam de omnibus hostibus suis consequuti triumphant in Christo, post resurrectionem aliquando pleniorem triumphum acturi. Speciale hujus encomium est, quod prædicatur ἔνδοξος, ἁγία, ἄμωμος, *non habens maculam aut rugam* Eph. V, 27. Nam ita hoc explicat Augustinus l. 1. de Nupt. & concup. c. 34. *Mundat*, inquit, *Ecclesiam suam Christus, ut exhibeat eam sibi, non in isto seculo, sed in futuro, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi. Nam qui modò eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata, si verum dicant, profectò quoniam mundi non sunt a peccatis, habet in eis Ecclesia maculam. Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Ecclesia rugam.* Et juxta eundem Augustinum lib. contra Donatistas post collat. c. 7 *Quæcunq; testimonia divinarum Scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænunciatur Ecclesia, non, qualis nunc est, illis testimoniis prænunciatur, sed qualis post istam mortalitatem in vita æterna futura est.*

Vna

Vna autem hæc est Ecclesia, quippe eosdem verè ac perseveranter credentes complexa, tametsi successivè: dum alii alios ad illum beatorum cœtum sequuntur. Ita illi, qui ante Christum natum & in cœlos posteà sublatum vixerunt, multùm præcesserunt eos, qui inde à gloriosa Christi ascensione ad hæc usq; tempora in cœlos recepti sunt, & deinceps recipientur. Nec enim quendam cum Pontificiis, Patrum dicam, an Matrum? limbum subterraneum statuimus, in quo conclusæ quondam fidelium defunctorum animæ adventum & triumphum Christi expectàrint, antequam in cœlo regnarent & triumpharent. Talem enim locum tota Scriptura ignorat: imò in contrarium potius exempla nobis proponit *Eliæ* in cœlos translati 2. Reg. II, 11. *Mosis & Eliæ simul*, comparentium coram Christo in gloria & deinceps nube sublatorum, è qua descenderat vox: Hic est Filius meus dilectus, Luc. IX, 31. quam è cœlo descendisse legimus 2. Pet. I, 18. *Lazari* item translati per Angelos (qui cœlum petunt, non loca subterranea) in sinum Abrahæ Luc. XVI, 22. i. e. eò, ubi accumbunt fideles & convivium agunt cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quod contingere Christus ait, in regno cœlorum Mt. VIII, 11. *Latronis* denique recepti ipso mortis die unà cum Christo in Paradisum Luc. XXIII, 43. h. e. in tertium cœlum, Apostolo interprete 2. Cor. XII, 2. 4. Ad Ecclesiam ergò in cœlo triumphantem pervenerunt statim à morte, quicunque unquam piè & in fide obierunt.

Cujus Ecclesiæ cives haberi etiam possunt Angeli: nam unum corpus in cœlesti patria constituunt hi & beati homines, quippe utriq; beatificati. Idq; innui videtur Ebr. XII, 22. *Accessistis ad myriadas Angelorum.* Sed Ecclesia in his terris constituta non potest combinari cum Angelis, quia adhuc in via est: quæ ratio non quadrat in Angelos, qui sunt in termino: qui iidem etiam nec externa fidei professione & usu Sacramentorum, nec interna ejusdem illius fidei, Christi merita amplexæ, communione conjuncti sunt Ecclesiæ, quæ in hoc mundo colligitur. Quin *nec triumphanti Ecclesiæ cohærent ita, ut sint eodem modo membra ejus, quo sunt beati homines.* Hos enim Christus *suo sanguine acquisivit* Act. XX, 28. &, ut solet caput ad membra, est cum iis ejusdem naturæ. Eph. V, 30. Nulla autē naturalis habitudo inter Christum & Angelos, nec, ut hosce sibi unitos haberet, precium sanguinis sui impendit, aut hujus virtute in ipsos spiritualis influxus unquam derivatus est. Solummodò respectu dominii est ipsorum caput: quomodo & Pater ac Spiritus sanctus sunt caput Ecclesiæ. Sed nobis militantis potissimùm Ecclesiæ habenda ratio.

Militans I. est vel V. vel N. Testamenti.

Itaq; II. dividitur militans Ecclesia in eam, quæ erat Veteris, & eam, quæ est N. Testamenti. Et quidem V. Testamenti Ecclesia ex Judæis constans propriè dicitur *Synagoga*, ipseq; locus, ubi Judæi statis diebus legis audiendæ & discendæ gratia conveniebant, hoc nomine appellatur Act. XV, 21. Christianorum autem cœtus, ut à Judæorum infidelium conventiculis etiam ipso nomine distinguerentur, usitatè denominationem *Ecclesiæ* sortiti sunt in ipsis Scripturis, & in antiquitate Ecclesiastica vox συναγωγῆς in σύναξιν transformata est. Nisi quod bis in N. Testamento, & iis quidem Epistolis, quæ ad Judæos fide Christi imbutos scriptæ sunt, pro voce Ecclesiæ habetur, uno quidem loco συναγωγὴ Jac. II, 2. altero ἐπισυναγωγή Ebr. X, 25. eam sine dubio ob causam, quoniam cum ad Christum converterentur Judæi, Synagogas suas haud prorsus deserebant, sed in Ecclesias Christi commutabant: proinde epistolis ad ipsos missis Synagogam dicunt Apostoli, quæ Ecclesia aliàs usitatè vocabatur. Sed & ad discrimen veteris cœtûs inter Judæos collecti dicitur Ecclesia N. Testamenti *Catholica* sive universalis, per universum videlicet orbem sono Evangelii perfusum dispersa, nulli loco, nulli populo alligata, ex Judæis quippe & Gentilibus, postquam Christus diruto maceriæ interstitio fecit ex utrisq; unum, passim collecta, æquè commodam in quacunq; mundi regione sedem habens, & parem, ubicunq; tandem fuerit, dignitatē obtinens; cùm prioris fœderis Ecclesia ferè intra Judææ terminos tantùm coarctaretur, certè quoad Sacrificia, quæ inter omnes ritus eminebant, uni alicui loco alligata esset, ut, licet extra Hierosolymam salvari quis posset, nullibi tamen extra eam Sacrificia fas esset offerri, quibus præcipuè colebatur Deus extrinsecus.

Ecclesia N. Testamēti quo sensu Catholica dicatur.

Nec verò ratione loci tantùm, sed & ratione temporis dicitur Ecclesia N. Testamenti Catholica, quia non abolebitur, ut Synagoga Judaica, & in aliam hujus seculi Ecclesiam transibit, sed perdurabit in omne tempus usq; ad supremum diem, quo regnum hoc gratiæ commutabit Christus in regnum gloriæ.

Demum *apud Patres* Catholicæ Ecclesiæ nomen denotat veram Ecclesiam, piam & orthodoxam. Omnes enim qui non hæretici erant nec schismatici, antiquitus dicebantur Catholici. Cyrill. Hieros. cap. 18. Catecheseos: *Ecclesia dicitur Catholica, quia docet Catholicè & citra defectum omnia, quæcunq; in cognitionem hominum venire debent, dogmata.* August. T. 1. l. de vera Relig. c. 5. *Neq; in confusione paganorum, neq; in purgamentis hæreticorum, neq; in languore schismaticorum, neq; in cæcitate Judæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici vel Orthodoxi nominantur i. e. integritatis custo-*

custodes & recta sectantes. Idem 4. T. lib. quæstionum Evangelicarum secundùm Matth. qu. XI: *Boni Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur* & *mores bonos.* Eodem modo Justinianus Imperator Novell. 115. §. Si quis, Juliano antecessore interprete ait: *Orthodoxos dicimus eos, qui communicant in SS. Ecclesia Catholica, in quam omnes Patriarchæ una conspiratione & concordia colliguntur, & quatuor sancta Concilia prædicantur, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum & Chalcedonense. Hæreticos autem dicimus eos, qui Catholicis non communicant.*

Notandum, Catholicam Ecclesiam hic definiri 1. ex amplitudine loci, quod non uni subsit Patriarchæ sive Archiepiscopo, eiq; Romano, sed reliquis etiam, qui post Romanum sunt quatuor: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus. 2. definiri eam ex doctrina & fide catholica Symbolis Oecumenicis comprehensa & hæreticorum corruptelis opposita; quemadmodum specialiter olim opponebatur Catholicismus Arianismo, quod ex Symbolo D. Athanasii apparet.

Quo postremo sensu Catholica Ecclesia est eadem, quæ Christiana & Apostolica. *Ac Apostolica* quidem dicitur Ecclesia N. Testamenti, quia per Apostolos primùm est plantata, 1. Cor. III, 6. 10. & quia sequitur doctrinam Apostolicam per Prophetas prænunciatam: quippe superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, existente imo angulari lapide ipso Jesu Christo, Eph. II, 20. à quo & *Christiana* dicitur in versione Germanica Symboli Apostolorum. Ob quam versionē malè Lutherus falsati Symboli Apostolici postulatur à maledicis nonnullis inter Pontificios, nominatim à Laurentio Forero, Jesuita, in VII. Characteribus, quasi falsaria manu vocem *Catholicam* sustulerit & ejus loco substituerit Ecclesiam *Christianam.* Certo enim sensu hæc duo idem sunt. Imò verò *Lutherus non est autor illius versionis, sed accepit eam ex antiqua Moguntina Agenda* Anno M. D. XIII. edita, quæ iisdem verbis utitur ante ullam à Luthero motam controversiam. Alia quin etiam ibid. sub Archiepiscopo Sebastiano evulgata, eadem verba apud nos usitata & ipsa exprimit, eine Heilige Christliche Kirche. Interim homines docti, præsertim in scriptis, concionibus & docendo, non debent missum facere nomen Catholicorum, multoq; minùs id tribuere Pontificiis, tanquam distinctionis gratia. Si enim nos Catholici non sumus, & Pontificios distinctionis causa ita vocamus, sumus hæretici. Quod si vellemus iis magnum honorem habere, diceremus eos Romano-Catholicos vel Catholicos Pontificios; nos, Catholicos Reformatos aut Protestantes. Sed de hoc alii viderint.

II. vel Catholica vel Particularis.

Catholica Ecclesia sic dicta ratione loci habet sibi contradistinctas Ecclesias particulares. Vnde emergit III. distinctio Ecclesiæ in Catholicam sive universalem toto orbe diffusam, & in particularem hanc vel illam. Potest particularis quidem etiam Ecclesia vera quælibet dici Catholica, ob doctrinam Catholicam h. e. omnium inde à plantata per Apostolos Ecclesia fidelium catholico consensu unanimique fide receptam & custoditam. Tamen omnis illa per orbem dispersa & velut ex multis Christianorum cœtibus collecta ecclesia καθ' ἐξοχὴν ita nuncupatur, utpote particulares omnes, ceu filias, ipsa universalis, tanquam mater, ambitu suo complexa. Certè qui est in Ecclesia particulari, idem ipse est in universali: quemadmodū qui est in loco proprio, eo mediante simul est in loco cōmuni. Ac sicuti unus est locus communis: ita universalis ecclesia una duntaxat est, Joh. X, 16. juxta professionem Symboli: *Credo unam Catholicam Ecclesiam.* Particulares sunt per orbem terrarum complures, uti tempore Apostolorum erant Romana, Corinthiaca, Ephesina. Nec hodie etiam Romana Ecclesia, si catholicum opponas particulari, alia est quàm particularis. Quin tota Ecclesia Pontificia, quà talis, sive intra sive extra Romam, est cœtus particularis, cùm numero plurimæ sint regiones, provinciæ ac ipsa regna, quæ nec Romanum Pontificem pro capite, neq; Romanam Ecclesiam pro pura & sincera agnoscunt. Ac nostra interim, licet particularis ecclesia, Catholica tamen est ratione doctrinæ.

Et Catholica autem & hæc vel illa particularis ecclesia dupliciter Christo ceu capiti subjicitur: semel prout Principi & Domino: deinde ut ab ipso accipit sensum & motum spiritualem. Sicut enim caput dupliciter se habet ad membra, I. in ordine dominationis & principatûs, II. tanquam principium sensûs & motûs: quippe ex capite, tanquam ex fonte & principio, derivantur per internum influxum spiritus sensitivi in reliqua membra: sic pariter Christus ad Ecclesiam se habet velut dominans, (*est* enim *caput Ecclesiæ sicut vir mulieris*, quæ imperio viri subjecta est, Eph. V, 22.) velut influxum donorum gratiæ præbens membris suis; talia enim *dona distribuit inter homines*, Eph. IV, 8. Vi itaq; relatorum etiam Ecclesia, sive catholica sive particularis, cohæret cum capite Christo, vel ut dominante, vel ut impertiente influxum spiritualem. Atque hinc oritur

III. vel Visibilis vel Invisibilis.

IV. Distinctio Ecclesiæ in Invisibilem & Visibilem. Quatenus enim membra Ecclesiæ cohærent cum capite suo tanquam spiritualiter influente, invisibilem; quatenus cum eodem ut dominante, visibilem constituunt ecclesiam. Certè quinam è Christianorum cœtu recipiant interiorem gratiæ influxum à Christo, h. e. quinam sint verè fideles, verè pii, &, quod plus est, quinam perseveraturi sint

ri sint

ri sint in fide & pietate, quod proprium est electorum, non patet visui nec oculis cernitur: possunt enim fidem, possunt pietatem simulare, qui & illa & hac destituuntur: vel etiam vera fide & pietate præditi esse ad tempus, qui non sunt in electorum numero, quippe deficientes, nec tempus aut animum habentes pœnitendi. Eatenus igitur Ecclesia dicitur invisibilis. Rursum nemo est in Ecclesia, qui Christo ut dominanti subtrahere se queat: imò extrinsecùs saltem Christum Dominum suum agnoscunt & salutant promtissimè omnes & boni & mali & hypocritæ, Matth. VII, 21. 22. Joh. XIII, 13. qui & audiunt & profitentur verbum ejus, & administrant atque usurpant ejus Sacramenta. Neque hæc ipsorum professio latet: est in conspicuo posita, & sensibus externis objicitur. Hoc igitur respectu ecclesia est visibilis.

Neque ergò simpliciter visibilem, neq; simpliciter invisibilem statuimus ecclesiam: sed utrumq; ei attribuimus alio atq; alio respectu. Idq; primum est, & potissimum, quod in decidenda controversia, quæ hic nobis intercedit cum Pontificiis, notandum venit. Nempe admittimus quàm maximè lubentes visibilem ecclesiam, pro qua illi tàm vehementer decertant; non tantùm ratione materiæ, quia homines, qui in ea sunt, visibiles existunt: sed & ratione formæ externæ, quia ipsorum ordo, professio & communio sensibus humanis patent. De particularibus ecclesiis insanus sit, qui dubitet. Quarum utiq; sensibiles notas damus: prædicationem verbi aures circumsonantem, & administrationem Sacramentotum incurrentem in oculos; de quibus posteà pluribus. Catholica verò etiam ecclesia visibilis est in suis partibus, ut species visibilis est in individuis. Et quid ipsa vox Ecclesiæ aliud quam cœtum significat, qui de se est sensibile quid? Vnde nec in Scripturis ullibi capitur, nisi pro visibili Ecclesia: excepto loco Ebr. XII, 23. ubi tamen de triumphante Ecclesia sermo est, de qua, utrum visibilis sit vel invisibilis, nulla est quæstio. Controvertitur solummodò de militante Ecclesia: cujus nos visibilitatem non negamus. Quæ pro hac ergo à Pontificiis afferuntur testimonia ex Matth. V, 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* & cap. XVIII, 17. *Dic Ecclesiæ*; ac similia, nos non feriunt. II. Sed nec invisibilem Ecclesiam in his terris militantem opponimus visibili contrariè, sed subalternè. Sicut enim particularis Ecclesia est in universali, neque huic illa contrariè opposita: sic invisibilem dicimus & colligi & contineri in visibili, nec extra hanc esse illam ullibi quærendam. Non enim nisi in vocatorum cœtu hærent credentes & electi, secundùm illud Rom. IIX, 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit.*

Atque

Atque hinc III. visibilem Ecclesiam agnoscimus constare ex bonis & malis, verè fidelibus & hypocritis, electis & reprobis, sicuti Christus eam propterea comparat Reti, in quo boni & mali pisces capiuntur: Agro & Areæ, in qua purum frumentum cum zizaniis crescit & colligitur: & Convivio nuptiali, in quo & illi nonnunquam comparent, qui nuptiali veste induti non sunt, Matth. XIII. & XXII. Atq; ideò & Apostolus Paulus eam confert cum magna domo, in qua non tantùm sunt vasa aurea & argentea ad decus, sed & fictilia & lignea ad dedecus 2. Tim. II, 20. Vno fasce omnes, qui baptismum suscipiunt, sive infantes sive adulti, vi ipsius operis hujus externi, redduntur membra visibilia visibilis Ecclesiæ, & statim à baptismate sibi collato sunt IN ECCLESIA, licet non omnes sint DE ECCLESIA. Judæos politica saltem conversatione Christianis immixtos nec in Ecclesia nec de Ecclesia esse dicimus, quippe in quam per baptismatis januam nunquam sunt ingressi. Dicendi sunt potiùs *foris esse*, perinde ut Ethnici 1. Cor. V, 12. Nam foris sunt, quotquot in cœtu vocatorum non sunt amplectentium verbum Dei & utentium Sacramentis. Qui autem in hoc cœtu nomina sua profitentur, ii sunt intùs in Ecclesia, sive postmodò sint verè credentes & pii, sive hypocritæ, seu occultè infideles & mali, vel etiam notoriè improbi ac flagitiosi. Quorum illi simulantes verum Christianismum Deo sunt relinquendi: hi autem, de quorum improbitate nec sine scandalo constat, jure Ecclesiastico abscindendi à reliquo corpore. Quàm diu tamen hi quoque tolerantur in externa societate Ecclesiæ, nec sunt excommunicati, etsi sint membra putrida & mortua, sunt nihilominus adhuc visibilis Ecclesiæ membra, & adhærent corpori quomodocunque. Ac vocatur interim juxta Symbolum tota Ecclesia *sancta*, tum quia sanctificata est per lavacrum aquæ in verbo Eph. V, 26. & vocata vocatione sancta 2. Tim. I, 9. habens caput sanctissimum, leges sanctissimas; tum quia sancti, qui verè tales sunt, licet non amplior, tamen dignior pars sunt Ecclesiæ, adeoq; habendi pro potiore etiam parte, à qua fieri solet denominatio: sicut v. g. à tritico, ceu potiore parte contenta, dicitur saccus tritici, etsi multæ sint etiam in eo sacco paleæ.

Jam verò IV. quinam verè sancti sint, qui hypocritæ; qui vere fideles & in fide usq; ad finem vitæ perseveraturi, qui non; id oculis humanis dicimus impervium esse ac soli Deo cognitum. *Solus* enim *novit cor omnium filiorum hominum* 1. Reg. IIX, 39. *Ego*, inquit Christus, magnus ille ovium pastor, *cognosco oves meas, & cognoscor a meis*, Joh. X, 11. 14. Et Apostolus Paulus: *Solidum*, ait, *Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc*: *Dominus eos novit, qui sunt sui*, 2. Tim. II,

19. Hac ergò ratione Ecclesia invisibilis seu insensibilis erit. Ac licet tali modo vox ipsa Ecclesiæ non usurpetur in Scripturis, res tamen habetur inibi. Quam & eò facilius concedent Pontificii, quò majore operâ contendunt, nemini posse certò constare, an sit verè fidelis, Deiq; gratiam & remissionem peccatorum consecutus. Quantò itaq; minus de alterius verâ fide & pietate, aut hypocrisi & incredulitate, cuiquam alteri certò constabit? Enimverò opera, per quæ fides & pietas se in lucem hominum proferunt, judicium charitatis potiùs quam veritatis, sive non infallibile sed probabile tantùm efficiunt. De perseverantiâ autem adeoq; electione nos juxta cum Pontificiis contra Calvinianos pronunciamus, nemini eam de semetipso esse certò compertam: nedum, ut de altero id sibi quispiam infallibiliter persuadere queat. Ecclesiam igitur ratione formæ internæ h. e. Ecclesiam fidelium & electorum quâ talium, invisibilem esse, Pontificii si sibi constant non negabunt. Ex quibus omnibus resultat

V. Duplex definitio Ecclesiæ. *Prout* enim Ecclesia *visibilis est*, definitur congregatio, vel cœtus hominum vocatorum amplectentium verbum Dei & utentium Sacramentis. *Vt invisibilis* autem est, definitur cœtus piè credentium & infallibiliter prædestinatorum ad vitam æternam. Tales credentes & prædestinatos dari in Ecclesia præsente credo, non oculis distinctè recognosco. Imò & externum illum cœtum oculis sese ingerentem simul fide teneo, quatenus talem aliquem præteritis temporibus semper fuisse, semper in futurum fore credo. Sed hoc jam, quod dixi, semper fuisse Ecclesiam aliquam visibilem, semper fore, rectè intelligendum est, ne quis fortè imaginetur sibi æquabilem Ecclesiæ splendorem oculos continuò perstringentem. **Duplex Ecclesiæ definitio.**

Nam VI. aliud est, Ecclesiam esse visibilem, aliud est, esse conspicuam & illustrem. Constat semper visibilem esse, propter eos qui docent ac discunt: Prædicatio enim verbi & administratio Sacramentorũ eam prorsus latere non sinunt. At non semper conspicuam esse, multò minus illustrem, exempla fidem faciunt. Nihil dicam de temporibus Eliæ Prophetæ, cum ille unum sese, etsi falsò, superesse existimaret, 1. Reg. XIX, 14. neq; enim nescii sumus, Achabo & Isabele in Israële regnantibus, imperium Judæ fuisse penes Assam & Josaphat, pios sanè principes, sub quibus Ecclesia non modo conspicua, sed & illustris sine dubio fuerit. Hoc tamen exemplum docet, posse particularem aliquam veram Ecclesiam ita affligi, ut quòd sit, aut ubi sit, ne ipsi quidem pii norint. Centum Prophetæ, quos in speluncis quinquagenos & quinquagenos absconderat Abdias 1. Reg. XIIX, 4. Ecclesia sanè erat, & quidem visibilis, sed minimè conspicua aut illustris. Quod **Differ. inter Ecclesiam visibilem & illustrem.**

si autem particularis Ecclesia ita affligi, minui & obscurari potest, quid fiet, si universalis Ecclesia non nisi paucas, aut non nisi unam particularem comprehendat? Considerentur tempora, cum nasceretur Christus, cum pateretur & moreretur. Sanè fateri necesse fuerit, universam veram Ecclesiam gloriâ & amplitudine sua spoliatam, vix ac ne vix quidem conspicuam, minimè verò illustrem fuisse. Considerentur & tempora longè lateq; dominantis sub Constantino Imperatore Arianismi, cum scriberet S. Athanasius: *Quæ nunc Ecclesia Christum liberè adorat? Nam si alicubi sint pii & Christi studiosi* (sunt autem ubiq; tales permulti) *illi itidem sicut Prophetæ & magnus ille Elias absconduntur, ut & ipsi fortè Abdiam aliquem fidelem inveniant, & in speluncas & cavernas terræ sese abstrudunt, aut in solidine oberrantes commorantur.* Epist. ad solit. vit. agentes. Quanquam non pugnamus, cum Arianismus in imperio Romano orthodoxas Ecclesias oppressisset, quin apud Indos & Æthiopas esse potuerit, aut fortè etiam fuerit vera Ecclesia florens & conspicua. Sed etsi fuerit, ab Athanasio tamen ignorabatur. Quamobrem dico, posse dari, cùm Ecclesia Catholica vix aut ne vix quidem piis sit conspicua. Interea tamen ipsa, utut minimè illustris, in suis partibus semper manet visibilis. Nam ubi prorsus silet Evangelium, prorsus omittitur administratio Sacramentorum, ibi nulla Ecclesia. Quod si autem adhuc aliquo modo, etsi inter paucos, clandestinò in tenebris & cavernis, sub mediis turbis & persecutionibus, verbum Dei docetur, reddit id ipsum Ecclesiam visibilem, neq; relinquit penitùs inconspicuam. Atq; hoc indicium sufficit, per quod, qui Ecclesiæ alicui adjungere se velit, utrum vera ea sit an secus, explorare queat. Concludamus hæc verbis Leonhardi Hutteri in LL. p. 523. *Duæ sunt*, inquit, *quæstiones*, I. *An ita latere possit Ecclesia visibilis, ut omni prorsus formâ careat aspectabili, ita ut in terris nulla amplius Ecclesia cognosci possit? quod nos*, ait, *nunquam affirmavimus.* II. *An vera electorum Ecclesia formam suam visibilem semper æqualiter exerat? Vbi â visibilitate ad æquabilem ejus statum illustrem non valet consequentia. Corpus solare est visibile, sed non semper eodem claritatis gradu.* Hæc hactenus de nomine, definitione ac divisionibus Ecclesiæ. Nunc de ejusdem notis specialiùs nobis agendum.

APHORISMVS II.

pag. 486.

Signa, quæ monstrant Ecclesiam, sunt: Evangelium incorruptum & legitimus usus Sacramentorum.

Duo

DVo ex jam dictis observare licet de notis Ecclesiæ. I. *Dari eas de Ecclesia visibili* sive sensibili. Nota enim est id, per quod Ecclesia fit sensibilis: & vicissim, quod Ecclesiam visibilem reddit, illud est nota ejus, si sit ipsius proprium. II. *Dari de Ecclesiis particularibus*: nam universalis per se non habet notas, nisi in suis partibus. Quando videlicet dubitatio incidit de hoc aut illo cœtu particulari, utrum sit pars Sanctæ illius & Catholicæ Ecclesiæ, v. gr. si Hierosolymas aut in Indiam profectus scire velim, utrum ibi sit vera aliqua Ecclesia, tum opus est certis notis, per quas id mihi innotescat, ut nôrim, utrum cœtui illi me debeam adjungere, vel secus. Jam non possum in notitiam hujus rei certiùs pervenire, quàm si attendam, num sit ibi prædicatio verbi & administratio Sacramentorum. Et quidem, quod nunc III. addendum, *prædicatio verbi est nota primaria*, actualis verò Sacramentorum administratio non item: potest enim quid obstare, ut Sacramenta non administrentur, uti perpetua itinera in deserto obstabant, quò minùs infantes Israëlitarum circumciderentur. Ac insuper IV. *aliud est notas constituere Ecclesiæ puræ & incorruptæ, aliud Ecclesiæ veræ & Christianæ, utut erroribus quibusdam immersæ.* Priore modo prædicatio sincera & incorrupta verbi, unà cum legitimâ Sacramentorum participatione est nota Ecclesiæ: posteriore modo prædicatio qualiscunq; modò fundamentum fidei retineat salvum. V. Deniq; dantur notæ Ecclesiæ non homini infideli, qui proximè non Ecclesiam quærit, sed veritatem religionis, quæ ei per argumenta inducentia debet probari & insinuari: sed *dantur homini Christiano ac fideli*, qui veritatem fidei cognitam habens, solicitus est de hac vel illâ particulari Ecclesia, in quam fortè est delatus, num sit ea vera, nec ne? Q[u]ibus observatis facile est ulterius argumentari pro illis notis, quas nos ponimus, h. m. Per quod singuli cognoscuntur Christiani, per id tota aliqua Ecclesia talis esse cognoscitur. Atqui per prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum singuli cognoscuntur esse Christiani. Nam eos, *qui ex Deo sunt*, Christus ex eo describit, quod *audiant verbum Dei* Joh. IIX, 47. Et oves suas ex eo, quod vocem suam audiant Joh. X, 16. Ergò. Deinde, Per quod sensibiliter colligitur & conservatur Ecclesia quælibet paricularis, per idem etiam innotescit. At per prædicationem verbi & usum Sacramentorum, ex mandato Christi: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Matth. XXIIX, 19. Ecclesia particularis quælibet sensibiliter colligitur & conservatur, eo fere modo, quo actiones morales habitum virtutis efficiunt juxta & conservant. E. per prædicationem verbi & usum Sacramentorum Ecclesia quoq; hæc aut illa innotescit, eodem rursus modo, quo habitus virtutis

De Notis Ecclesiæ.

per actiones sæpe repetitas. Tertio, *Communicatio & acceptio tabularum fœderis sunt certum signum populi fœderati.* Nam hinc demonstrat Apostolus, populum Israëlem usq; ad adventum Christi fuisse Dei populum, *quod ad ipsos fœdera pertinebant*, Rom. IX, 4. Tabulæ autem illius fœderis, quod cum Deo hominibus intercedit, sunt verbum Dei & Sacramenta, signa sigillaq; illius fœderis. Verbum igitur & Sacramenta sunt signa populi fœderati. His tamen notis non acquiescens Bellarm: quin rejectis iis l. 4. de Eccl. Milit. XV. alias substituit, atq; ex iis argumenta pro Romanâ Ecclesiâ deducit, quas breviter examinabimus. I. Autem accipimus, quod ipse cap. 2. ubi nostras notas refellere conatur, rectè & benè dicit, notas debere esse *proprias*, non communes. *Si enim*, inquit, *velim tibi designare certum hominem, quem nunquam vidisti, ut mox atq; eum videris discernas ab aliis, non debeo dicere: Est quidam qui habet duos oculos, duas manus &c.* II. Notæ debent esse *notiores* ea re, cujus sunt notæ. III. veræ notæ sunt *inseparabiles* ab Ecclesiâ verâ.

XV. Notæ Ecclesiæ, à Bellarmino allatæ, examinantur.

Jam I. nota Bellarmini est *Nomen*. Romana Ecclesia dicitur Catholica. E. est. Quasi verò quod sibi quisq; nomen suâ opinione vindicat, id ei semper ex re & vero competere necesse sit. Donatistæ ad eundem modum, ut nunc Pontificii, *Catholicos* se vocabant, & libellum Constantino exhibendum inscribebant: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à majore parte.*

II. *Antiquitas.* Sed hæc nota in quam conditionem non impingit? Ecclesia Judæorum & Paganorum antiquior est Christianâ, Antiochena & multæ aliæ ipsâ Romanâ. Et si aliqua Ecclesia antiqua, quomodo hoc iis, qui Ecclesiam quærunt, certò constabit? Hamano populus Judaicus novis videbatur legibus & ceremoniis uti. Et nulla Ecclesia initio antiqua: deniq; nos dicimus, nostram Ecclesiam antiquam esse, quoniam retinet doctrinam antiquam.

III. *Duratio.* Credere Ecclesiam Catholicam perpetuam fore, equidem pars fidei nostræ est. Sed hic agimus de particularium notis; quid de singulis autem inposterum futurum sit, ignoratur. Porrò Ecclesia malignantium quoq; durabit usq; ad finé mundi; & fortè etiam Photinianorum. Postremò vera fuit Ecclesia Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina & multæ aliæ, quibus tamen duratio illa non obtigit.

IV. *Amplitudo.* Sed annon ampla fuit Ecclesia Cainitarum, Chamitarum, Balaamitarum, Pharisæorum, Arianorum, Donatistarum? Num ampla fuit vera Ecclesia occiso Abele, Noah ædificante arcam, Eliâ solo suâ opinione superstite, Pharisæis imperitantibus, Apostolis latitantibus, Christo in crucem acto? num ampla erit, cum Christus vix fidem inveniet in terris?

V. *Suc-*

V. *Successio Episcoporum.* Verùm hanc quoq; hodie jactitare dicuntur usq; à Thomâ Indi, à Bartholomæo Æthiopes. Certè Constantinopolitani successionem magis solidam & minus interruptam sibi vindicare possunt, quàm Romani. Nicephorus ab Andrea Apostolo orditur & in longum tempus producit; quam recentiores Scriptores continuant. Nonne Scribæ & Pharisæi jure successionis sedebant in cathedrâ Mosis? Deinde cui nota illa successio, de quâ vix ipsis Pontificiis constat; Leonem VIII. Romæ residentem & Benedictum V. Hamburgi exulantem controvertentibus? Nam illum Onuphrius, hunc Baronius pro vero & legitimo Episcopo Romano haberi vult: uterq; aliàs talium rerum peritissimi hic tam adversâ fronte concurrentes. Nec verò semel, sed sæpiùs hanc seriem turbat tot Pontificum incertus ordo, de quo modo dictus Onuphrius ad Platinam vita Nicolai I. *cum*, inquit, *sequentes Pontifices à Nicolao I. usq; ad Clementem II.* (annorum videl. propemodum 180.) *neq; perpetuum quendam habeant Scriptorem & majorem actorum suorum partem amiserint, tempora adeò incerta & obscura habent, ut neq; quo loco, neq; quo ordine aliquot Romanorum Pontificum nomina reponerentur, satis liqueat.* Hæc ille. Demum cui successit Melchisedech? cui successerunt Apostoli in primitiva Ecclesia? cui succedunt, qui novas Ecclesias constituunt? cui, inquam, primus in America Episcopus successit?

Vniversim loquendo triplex datur successio in Ecclesia: una est *successio sedis*, ut quis doceat eam Ecclesiam & Episcopatum in ea gerat, quam olim Apostolus quispiâ docuit. Hoc totú est per accidens, nec genuina nota Ecclesiæ, nec solius Romanæ propria; nisi quatenus Romana confertur cum Ecclesiis reliquis, quæ sunt in Occidente. Nam in Oriente dãtur complures sedes Apostolicæ, etsi hodie Turcico dominatu valdè attenuatæ. Nec tamen propterea Pontificii admittent, esse in illis locis Orientis veram Ecclesiam. Potest omninò, qui succedit in sede Apostolica, non obstante hac successione, deficere à sinceritate doctrinæ, ut contigit in Ephesina Ecclesia, in qua diu sedit & docuit S. Johannes: postea Cerinthus. II. est *successio per impositionem manuum derivata*, ascendendo à nostris temporibus sursum ad tempora Apostolorum. Sic enim tandem deveniri oportet ad eos, quibus ipsi Apostoli manus imposuerunt. Sed neq; hæc successio tanti est momenti: quin nostræ etiam Ecclesiæ communis. Nam Lutherus ordinatus fuit ab aliquo ministro ordinario, & hic iterum ab alio, & sic deinceps usq; ad prima illa Apostolorum tempora. Lutherus postmodum alios post se rursum impositione manuum ordinavit ad ministerium; nec refert, quod Lutherus Episcopus non fuerit, cum non tantùm Episcopis, sed

Triplex in Ecclesia successio.

& Presbyteris munus ordinandi competat de jure divino, quod Episcopos & Presbyteros pari dignitatis loco habet, ut docet collatio Act. XX, 17. 28. Tit. I, 5. 7. Itaq; illa successio, quæ est per impositionem manuum, non interrumpitur, etiamsi fiat per Presbyteros. Deniq; est *successio doctrinæ*, competens omnibus Doctoribus Ecclesiæ, qui officium, quod Christus Apostolis commisit, prædicandi Evangelium & administrandi Sacramenta ritè obeunt. Et hæc est primaria, in qua fundatur tota dignitas ministerii Ecclesiastici, nec abludit à nostris duabus notis, imò illas ambas complectitur, ut vidimus, ac continet. Et hæc hactenus de quinq; prioribus notis, quas dat Bellarminus.

VI. Est *conspiratio in doctrina cum Ecclesiâ antiquâ*. Hæc convenit cum priore nostrâ. Non aliud enim verbum aut Evangelium volumus prædicari in Ecclesiâ, quàm quod prædicarunt Apostoli, & ab Apostolis acceperunt, ac suis rursus auditoribus tradiderunt scripto aut vivâ voce purioris Ecclesiæ antiquæ Doctores.

VII. *Vnio membrorum inter se & cum capite*. Vnio cum capite, si caput Christum esse vult, non est propriè aliquid visibile, adeoq; nec nota Ecclesiæ, quia non notior Ecclesiâ, & sic impingit in secundam conditionem. Vnio membrorum inter se in primam, &, si unio pro consensu in qualibet re intelligatur, etiam in tertiam. Nam & inter Apostolos facta est *contentio, quis eorum videretur maximus*, Lucæ XXII, 24. *Paulus Petro in faciem restitit* Galat. II, 11. idem *à Barnaba ortâ lite discessit* Act. XV, 39.

VIII. *Sanctitas doctrinæ*, & IX. *ejusdem efficacia*. Sed tum magis nota erit ipsa doctrina; nam ejus affectiones quædam sunt sanctitas & efficacia.

X. *Sanctitas vitæ præcipuorum Ecclesiæ Doctorum*. At quis primus & præcipuus Doctor, secundùm Pontificiam doctrinam, quàm ipse Romanus Pontifex? Et hic tamen sæpenumero homo pessimus & flagitiis enormibus coopertus est; non diffitentibus ipsis Scriptoribus Pontificiis. Per annos ferè CL. (atq; adeò trium hominum ætates) Pontifices circiter L. à virtute majorum prorsus defecerunt, *apotactici, apostaticive potius, quàm Apostolici*; scribente ita Gilberto Genebrardo 4. l. Chronogr. sub init. sec. 10. Ipseq; Baronius Annal. anno 897. n. 4. *Intrusi*, inquit, *in cathedram Petri, solium Christi, sunt homines monstrosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usq; quaq; fœdissimi*. Esto per nos hujusmodi deperdita sanctitas Ecclesiæ Pontificiæ nota: nam vera Sanctitas nota illius esse non potest, quippe separabilis ab ea, (quod est contra tertiam conditionem) & tot annos reapse ab ea separata,

tata. Sanctitas aliorum, qui sunt in Ecclesia, si pro nota Ecclesiæ venditetur, peccatur iterum contra tertiam conditionem, & contra secundam etiam. Sincera enim soli Deo innotescit. Homines per hypocrisin facilè falluntur, cùm & *Satanas se possit transformare in angelum lucis*, ceu 2. Cor. XI, 4. dicit Apostolus.

XI. *Miracula*; XII. *vaticinia*, ad nullam trium conditionum exactè quadrant.

XIII. *Adversariorum confessio* non ita clarè in omnibus habetur, nec cujusvis est, eam ex adversariorum scriptis eruere.

XIV. *Infelix exitus eorum, qui impugnant Ecclesiam*, impingit contra conditionē primam & tertiam. Vt & XV. *felicitas temporalis*, quam adjunxit Bellarm. juxta illud scil. Christi, Joh. XVI, 20. *Amen, amen dico vobis, vos plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit*, & vers. ult. *in mundo oppressionem habetis* : atque ex sententia D. Pauli, 2. Tim. III, 12. *Omnes, qui volunt piè vivere in Christo &c.*

Ita ergò notæ Bellarmini Scripturis partim, partim conditionibus à semetipso assignatis repugnant: quædam etiam Romanam Ecclesiam parùm juvant: plurimæ autem non tam notæ dici debent Ecclesiæ, quàm argumenta veritatem religionis Christianæ insinuantia; quæ duo minimè confundi oportebat. Notæ Ecclesiæ enim dantur homini fideli; ista verò argumenta sunt ad hominem infidelem directa, ut is comiter adducatur ad fidem Christianam capessendam. Tale quidem argumentum præbent antiquitas, duratio, amplitudo Ecclesiæ, doctrinæ sanctitas & efficacia, miracula item & infelix adversantium exitus. Sed nobis hic non cum infideli res est, sed cum homine fideli. Ille veritatem quærit potissimùm & primariò, hic veritatem novit, & saltem, utrum hæc vel illa Ecclesia eam teneat, investigare nititur. Multùm ergò aberrat Bellarminus, talia argumenta pro notis Ecclesiæ venditans. Atq; vidit hoc postremum Tannerus, nec dissimulavit, scribens apertè: *Quædam ex illis* (Bellarmini notis) *non tam sunt notæ discernendi unam Ecclesiam inter varios Christianorum cœtus, de quâ re hic potissimùm agimus; quàm communia fidei motiva, quibus universim persuadetur, Christianam Ecclesiam, prout à Gentilium, Judæorum & Mahummedanorum cœtibus distinguitur, generatim loquendo esse veram Ecclesiam.* Tom. 3. Theol. Schol. diss. 1. quæst. 3. dub. 3. n. 106. Ex eadem observatione solvi potest Pontificiorum argumentum, quod nostris notis opponunt:

Nota debet esse notior eo, quod per eam notificatur.
At pura verbi prædicatio non est notior ipsâ Ecclesiâ.
E. Non est nota ejus.

Vel

Vel enim Minor intelligitur de infideli; at de eo non est quæstio: vel de fideli; & tum negatur. Nam fideli notior omnino est veritas & puritas doctrinæ, quam Ecclesia hæc aut illa particularis. Cæterùm aliud & multo grandius exoritur dubium circa illud, quod dictum est, notas Ecclesiæ veræ esse prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum. Si enim hoc ita est, sequitur Pontificiam Ecclesiam esse veram Ecclesiam; quoniam in ea est prædicatio verbi & administratio Sacramentorum. Etsi enim pura & integra hæc ibi non sint, tamen ex doctrinâ superiùs traditâ hoc non obstabit, quo minus sit inter Pontificios vera Ecclesia, sed solùm quo minus pura ibi sit Ecclesia. Dicere autem & sentire, quod vera sit Ecclesia penes Pontificios, videtur inconveniens & scandalo obnoxium. Si enim vera ibi est Ecclesia, quare ab eâ secessimus, quare nostram Ecclesiam pro vera venditamus, & quomodo ei hunc titulum tribuimus, quæ tamen in tam multis dissidet ab illâ? quare illam dicimus fovere falsa dogmata & erronea, contraq; ea tantoperè dimicamus? quare non liceat, si ita quacunq; de causâ libeat homini apud nos nato & educato, salvâ conscientiâ transire ad partes Pontificiorum, ibiq; vivere & ætatem degere, ubi Papismus viget, insuper habitâ prioris fidei professione? Aut igitur hisce difficultatibus involvi, aut alias Ecclesiæ notas poni necesse est.

Obj.

Inter Pontificios nō quidem pura, vera tamen est Ecclesia.

℞. Difficultates objectæ, etiamsi haud exiguæ sint, tanti tamen non sunt, ut sententia nostra idcircò deserenda, & aliæ notæ Ecclesiæ constituendæ sint. Certissimum est, Ecclesiam Pontificiorum non esse puram Ecclesiam, quippe abusibus pluribus nec levibus erroribus commaculatam. Nullam autem veram Ecclesiam in eorum cœtu agnoscere, durum sit, & maximè in majores nostros, qui omnes erant Pontificii, periculosè dictum. Extra Ecclesiam, quæ sit veri nominis Ecclesia, non est salus. Quod si ergò Pontificia Ecclesia non est vera Ecclesia, oportet majores nostros omnes fuisse extra Ecclesiam, adeoq; de salute illorum desperandum fuerit. Quis autem hoc vel dixerit vel crediderit? Par ratio eorum, qui hodiè nascuntur & agunt in cœtu Pontificio. Num illos omnes habituri sumus tanquam mancipia gehennæ? absit! Vnde jam à contrario infero, quoniam contingit salus in Ecclesia Pontificia, propterea esse ibi veram Ecclesiam, i. e. talem, quæ nomen mereatur Ecclesiæ Christianæ, ac ita verè dicatur. Imò prorsus necesse est, Ecclesiam verè sic appellatam esse in medio papatu, quàm diu stare debet hypothesis, quod Pontifex Romanus sit Antichristus. Quippè indubitanter de Antichristo asserit Paulus, *eum sessurum in templo Dei* 2. Thess. II, 4. Non Hierosolymitano illo, quod jam in Novo Testamento templum Dei non est, nec ex quo desolari id permisit

De Antichristo.

misit Deus, unquam in posterum ex ruinis excitari potest: nam usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio, Dan. IX. ult. Sed in templo Novi Testamenti, quod est Ecclesia vera Christiana. Hæc enim dicitur ac definitur, quod *domus* sit *& templum Dei*, 1.Tim. III, is. Apoc. III, 12. Inibi *sedebit*, prophetante Apostolo, h. e. regnabit ac dominabitur Antichristus. Sedendi namq; vox non significat hic corporis situm, sed idem est ac præesse & dominari: sicut *sedes* seu *thronus* regnum denotat. Ps. CXXXII, 11. 12. Lucæ I, 32. Nempè hoc subindicatur his verbis de Antichristo, ipsum non tantùm fore è visibili cœtu populoq; baptizatorum, sed etiam in illo templo Dei sessurum ad clavum & gubernacula Ecclesiæ, atq; hujus plenariam administrationem & in eam dominatum sibi per tyrannidem esse vindicaturum. Quod si autem in Ecclesia sedebit & dominabitur, Pastorem, Doctorem, & Episcopum Ecclesiæ se gerat necesse est: in Ecclesia enim, quatenus est Ecclesia, nemini aliàs jus alicujus dominatus possit competere.

Atqui jam in Romanũ Pontificem hoc ipsum competit, tanquã qui primo inter omnes totius Ecclesiæ Episcopos ac Patriarchas loco sedet. Et ne quod dubium sit, ipse amat hoc vocabulo uti & se dicit *sedere*: nec quicquam frequentius Pontificiis, quam ut dicant, hunc vel illum Papam tot vel tot annos sedisse, id est, in pontificatu fuisse, & locum illum in Ecclesia supremum tenuisse. Qui quidem locus Episcopo Romano jam ab antiquo tributus est, ob dignitatem urbis, cujus est Episcopus, quæ olim erat caput orbis & Imperatoria sedes: sicut postea eandem ob causam Byzantino seu Constantinopolitano Episcopo cesserunt Alexandrinus & Antiochenus, ac alterum ei inter Patriarchas locum dedére, eò quod Constantini temporibus Byzantium fieret nova Roma, sedem ibi suam figentibus Imperatoribus. *Jure igitur positivo humano obtinet Romanus Papa seu Episcopus primatum ordinis inter cæteros Ecclesiæ Episcopos, ipsosq; Patriarchas*, ac tali jure nos ipsum nolumus exutum. Multùm postea præter dignitatem urbis *auxit authoritatem Romani Episcopi sedes, quæ ibi fuit, Apostolica*, quia scil. de nullo alio Occidentis loco constat, in quo Apostoli immediatè docuerint, præter Romã. In Oriente complures habentur sedes Apostolicæ. Nam Ephesi docuit Johannes, Antiochiæ Petrus, Hierosolymis Jacobus, Byzantii Andreas; in Occidente autem solus Romanus Episcopus præest cathedræ, cui Apostolos insedisse constat. *Accedebat his spontanea quædam subjectio Ecclesiarum septentrionalium.* Quoniam enim in oras septentrionales, in provincias Arctoas & regna illa Borealia primitus ab Ecclesia Romana missi sunt, qui Ecclesias illas Christo lucrifacerent, & fidei doctrinam in eas inferrent, hinc factum, ut illæ noviter ibi

exortæ Ecclesiæ concederent Romano Episcopo dispositionem quandam in externis, circa Episcoporum suorum seu ordinationes seu confirmationes, ordinemq; in rebus aliis disciplinam potissimum spectantibus. Ita namq; semper observatum est in Ecclesiis passim, ut *filiæ* seu inferiores venerarentur *matres* seu superiores Ecclesias, à quibus accepissent Doctores. Atq; hinc ultra primatum ordinis habuit Romanus in Borealibus aliisq; Occidentis Ecclesiis etiam primatum cujusdam potestatis. Quem nec ipsum, si rectè eo utatur, nos ipsi ademtum volumus. Nec enim alia nobis mens est; aut esse debet, quàm Philippo, subscribenti articulis Smalcald. præsente & vidente Luthero, hunc in modum: *De Pontifice statuo, si Evangelium admitteret, posse ei propter pacem & tranquillitatem communem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam à nobis permitti.*

At enim verò ille divino, si diis placet, jure sibi talem dignitatem arrogat, & superioritatem cum ordinis tum potestatis in se, tanquam divinitus has prærogativas adepto, vult agnosci. Nec mediocri potestate contentus tam sublimem affectat, ut, si ipsi & gnathonibus, quos sibi obnoxios habet, credimus, ipse Vniversalis Ecclesiæ Princeps sit & Caput, religionis & dogmatum infallibilis judex, omnes, qui in Ecclesia sunt, liberè dijudicans, ipse à nemine judicandus, quin Imperatoribus & Regibus superior, cui potestas sit transferendi imperia, Reges cogendi & à solio dejiciendi. Sed ita nimirum palam fit, in ipsum
p. 440. ab Apostolo dictũ esse illud ex parte tantùm superiùs allegatum: *quod sedeat in Templo Dei tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum, seséq; opponens & efferens super quicquid dicitur Deus aut Numen.* Videamus integrum contextum.

Non aderit dies Christi nisi venerit ἀποςασία. Intellige insignem aliquam & notabilem, nec unius hominis (aliàs apostatam potiùs venturum diceret, quàm ἀποςασίαν) sed plurimorum & magnæ partis orbis terrarum defectionem, eamq; pertinacem ac diuturniorem, etsi quidem non penitus à veritate, tamen à puritate religionis Christianæ.

Et revelatus fuerit homo ille peccati & filius ille perditionis: sic dictus, & quod ipse peccet, atq; alios peccare faciat, & quod ipse perditus sit, atq; alios secum in perniciem ducat. Quantoperè peccatum sit à Pontificibus Romanis, demonstrare facile fuerit, si opus esset, aut magnoperè negarent ipsi Pontificii. Sufficit, plures ex ordine sibi succedentes reperiri in regno Pontificio, ipsis ejus partis Scriptoribus attestantibus, improbos & flagitiosos, quàm in ullo alio regno. Peccare autem unà secum, qui illam sedem tenent, & quantum in se est faciunt

etiam

etiam alios, clericis cælibatum obtrudendo, servatu pauucioribus possibilem, atq; ita innumeros mortales, qui in conjugio castè vixissent, ad vagas libidines impellendo: liberis liberum permittendo, si ad vota transire velint, & Dominico vel Francisco nomen dare cupiant, refragari parentibus, ac eorum se subtrahere potestati & familiæ, contra omnia naturæ jura: Subditis ut rebelles fiant suggerendo ac fidelitatis juramento eos solvendo: promiscuè omnibus indulgentias non præteritorum tantùm, sed & futurorum criminum venales proponendo. Perditionem talia agenti imminere profectò necesse est. Hinc dixit non nemo ex ipsis Pontificiis: *non video quomodo, qui locum hunc altissimum tenent, servari possint*; ut est apud Onuphrium Panv. in Marcell. II.

Magis adhuc distinctè depingitur homo ille peccati & filius perditionis in seqq. verbis: *Sese opponens ille & efferens super quicquid dicitur Deus aut Neum.* Nulla secundùm Deum major potestas est in orbe, quàm Imperatorū & Regū, qui sunt veluti Dii terrestres. At hisce multùm se præfert Pontifex, & ab iis vult pedibus suis oscula figi, tanquam qui pedibus ejus subjecti sint. Hisce quin etiam sese opponit, eosq; ab officio, si minus idonei visi fuerint, deponit. In rem contulit id ipsum truculento exemplo contra Henricum IV. Imperatorem Hildebrandus seu Gregorius VII. factum istud narrante ipso illo Hildebr. Epist. l. 4. ep. 12. De Alexandro III. nemini non innotuit, qualem se gesserit Venetiis erga Imperatorem Fridericum Ænobarbum, cujus prostrati collo pedem imposuit, addito ad contumeliam Psalmo XCI, 13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Quid est opponere se & efferre supra quicquid dicitur Deus aut Numen, si hoc non est?

Et hæc agit ille ἀντικείμενος, ceu porrò edicit Apostolus, adeò, *ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum.* Non ita nudè quidem & jejunè de se Pontifex: Ego, inquit, Deus sum, supremum illud numen, Creator cœli & terræ, æternus & infinitæ sapientiæ & potentiæ; nam hoc esset ridiculum, & istiusmodi insulsum Divinitatis candidatum mortales in carcerem compingerent, vel Anticyram navigare juberent. Sed interim divinos titulos sibi tribui facit, aut certè permittit, ac in ipsa etiam re arrogat quæ sunt Dei, & quod sine sacrilegio & blasphemiâ alteri tribui nequit. Sanè in vulgatissimis codd. Corporis Canonici, Domini Dei nostri elogio se prostare nec ignarus nec invitus patitur. Ipsa verba ita habent: *Credere Dominum Deum, nostrum Papam — sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censetur.* Cap. Cum inter, Extra de verb. significatione, in fine glossæ. In concilio Lateranensi sessione VIII. audit Leo X. *hominum*

num non alter Rex tantùm, ſed Rex, & orbis terrarum Monarcha. Seſs. IX. verbis ad eundem Leonem factis ipſi in faciem dicitur: *Divinæ majeſtatis tuæ conſpectus.* Et Seſs. X. *Tibi data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.* Loca illa omnium hominum oculis expoſita dedit Calixtus in Reſponſo Moguntinis dato §. 97. 98. Tituli illi Domini Dei ac Regum Regis, probant aliàs divinitatem Chriſti. Et ecce iisdem ſe ſalutari & affici ſuſtinet Pontifex. Peculiare Chriſto eſt, quod ſit Eccleſiæ caput, Eccleſiæ ſponſus. Sed & hoc nomine ſeſe jactat ille Chriſti adverſarius. Non primarium tamen caput haberi vult, ſed ſecundarium. Num igitur & ſecundarius eſt ſponſus? adulter utiq; erit. Et ſi ſecundarium caput, quidni ſecundarius Chriſtus? At talis nullus fingi vel pingi poteſt, quàm Antichriſtus. Non ſolis autem titulis inhiat, ſed re ipſa divinitatem uſurpat. Quid enim maximè proprium Chriſto Eccleſiæ ſponſo, & capiti? quid Deo, quam *articulos fidei* condere? quos qui rejiciat, hæreticus ſit & æternæ ſalutis exſors. Articulorum autem fidei ſanciendorum poteſtatem ſibi ſumit Pontifex. Et ne illam nullo jure ſumere videatur, ἀναμάρτητον ſe eſſe fingit, & omni errore, cum Eccleſiam de articulis fidei docet, immunem. Scripſerat Lutherus reſolut. propoſ. Lipſiæ diſputatarum concluſ. 10. *Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe articulos fidei ſtatuere, imò nec leges morum ſeu bonorum operum.* Hanc Lutheri propoſitionem damnat Bulla Leonis X. Sibi ergò, niſi nos omnia fallunt, vindicat Papa poteſtatem non declarandorum tantùm, quam admiſerat Lutherus, ſed ſtatuendorum articulorum fidei. Idq; ipſum apertè rurſus docent Canoniſtæ ad cap. Cum Chriſtus, Extra de hæreticis; *Papam poſſe inducere novos articulos.* Talis ſanè eſt ille articulus de indulgentiis, qua de re ita Sylveſter Prierias dialogo adverſus Lutherum: *Indulgentiæ authoritate Scripturæ nobis non innotuêre, ſed authoritate Eccleſiæ Romanæ, Romanorumq; Pontificum, quæ major eſt.* Talis eſt, cum Bonifacius VIII. cap. Vnam ſanctam, de major. & obed. dicit, definit, & pronunciat, *ſubeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ eſt de neceſſitate ſalutis.* Tales ſunt quoq; omnes illi dictatus Hildebr. quos ex annalium Baronii anno 1076. n. 31. recenſet Calixtus tr. de Conj. Cleric. p. 576. & ſeqq. ubi & hiſtoria de Henrico IV. Imperatore fusè enarratur. Confer ejuſdem Reſponſum Mogunt. datum p. 111. 112. Cum articulis ſive dogmatibus fidei pari paſſu ambulant *Sacramenta*, quantum ad hoc, quod utraq; non niſi Deum aut Dei Filiũ auctorẽ agnoſcunt. Quin hæc ſunt ipſa majeſtatis jura, ſoli & uni veræ Eccleſiæ Principi & Monarchæ debita, condere articulos fidei & inſtituere Sacramenta, aut circa hæc ſemel conſtituta aliquid ad ſubſtan-

ſtantiam pertinens immutare. Quid hîc verò Pontifex? num ſibi temperat à novis Sacramentis inſtituendis? Diverſum docet vel una Confirmatio, cui Synodus Tridentina auctoritate Pontificis, etiam anathemate in diſſentientes jacto, nomen & rationem tribuit peculiaris Sacramenti à Baptiſmo, quoad materiam, formam & miniſtrum, qui id conferat, diſtincti: cum nil tale unquam Chriſtus inſtituerit aut antiqua Eccleſia ſeorſum à Baptiſmo adhibuerit. Sed tenax fortaſsè erit eorum, quæ inſtituit Chriſtus, ut in iis nihil immutetur? At cui non ſuccurrit hic ſtatim deploranda mutilatio cœnæ Domini, cujus Sacramenti pars ſubſtantialis non minùs profectò eſt benedictus calix, quam panis benedictus? Illum tamen Laicis aufert conſtitutio Eccleſiæ, hoc eſt, Romani Pontificis. Hic namq; ſplendido hoc & auguſto nomine ſeſe jactat. Per hujus auctoritatem & decretum Euchariſtiam ſub utraq; adminiſtrare hodie non licet, imò peccatum eſt. Atqui Euchariſtiā ſub utraq; adminiſtrare, eſt agere ſecundùm inſtitutionem Chriſti. E. agere ſecundùm inſtitutionem Chriſti, ſi interveniat diverſa Pontificis conſtitutio, non licet, imò peccatum eſt. Ita tandem non exæquatur tantùm Chriſto, ſed ſupra etiam ipſum extollitur Pontifex! ita deniq; plus nimio in eum quadrare deprehenditur, quod ſedeat in templo Dei tanquam Deus, & præ ſe ferat ſe eſſe Deum! Cumq; adeò omnes ab Apoſtolo aſſignatæ notæ Antichriſti luculenter ſeſe prodant in idolo Romano, quis dubitet ampliùs, eſſe hunc ipſum Antichriſtum? magnum ſcil. illum & eximium, quem poſterioribus temporibus revelandum dicit Scriptura: cujus præcurſores hæreſiarchæ extiterunt in primitivâ Eccleſiâ, quos nonnulli Antichriſtos minores appellant. Vtraq; vocabuli acceptio extat in 1. Joh. II, 18. *Sicut audiviſtis* (ex prædicatione Apoſtolicâ) *Antichriſtum venturum* (magnum illum & inſignem, cujus adventum Paulus prædixit,) *ita etiam nunc Antichriſti multi* (illius prodromi) *cœperunt eſſe.* Intelligit autem Johannes per multos illos Antichriſtos Simonem Magum & Baſilidem, Ebionem, Cerinthum, Hymenæum item, & Philetum, & ſimiles hæreſiarchas; omnes enim Chriſti hoſtes erant, qui doctrinam ejus pervertebant. Eodem modo dicitur ibidem ℣. 22. *quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum illum? hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium.* Et cap. IV, 3. *Hic eſt ſpiritus ille Antichriſti* (magni ac principis) *quem* (Antichriſtum) *audiviſtis venturum eſſe, & qui jam nunc in mundo eſt*, in membris nempe ſuis & præcurſoribus, viam illi ſuo principi doctrina & vita ſua ſternentibus.

Hoc ipſum autem, ut ad ſuperiora, & in viam è diverticulo redeamus, facit pro Romanâ Eccleſiâ, quod ea ſit vera: ſi enim vera non ſit, tunc non verificabitur de Pontifice Romano prædictio Apoſtoli.

Debet itaq; juxta Apostolum Antichristus sedere in templo Dei. At Pontifex, ut ostensum est hactenus, est Antichristus, hoc est, adversarius & æmulus Christi, isq; singularis & primarius jure humano inter Episcopos. Ergò sedendum ipsi in templo Dei. Sedet autem in Ecclesia Romana: hæc ergò Ecclesia est templum Dei, hoc est, vera Ecclesia. Vbi tamen accuratissimè distinguendum inter Romanam Curiam & Ecclesiam Romanam. *Curia Romana* est societas & factio eorum, qui Pontificem in immensum evehunt, & hinc religionem Christianam torquent ad avaritiam, luxum & ambitionem suam: id quod faciunt cum Pontifice ejus conjurati, Cardinales, Episcopi, Jesuitæ. Hi sanè non sunt vera Ecclesia. Nihilominus in isto etiam corrupto ministerii statu, Deus sibi tùm Romæ, tùm aliis in locis Episcopo Romano addictis servat *Ecclesiā*. Nam licet plurima religionis Christianæ capita eò ipsi aptent, ut amplificent honores & divitias suas, in quo censu præcipuè est doctrina de Pœnitentia & Sacramento Eucharistico; v. gr. reservationes casuum, taxæ pœnitentiariæ, indulgentiæ, jubilæa, potestas minuendi pœnas purgatorii, sanè inserviunt avaritiæ Pontificis, ut quasi scopis quibusdam Romam converratur quicquid uspiam est æris vel argenti: necessitas porrò confessionis particularis, potestas item illud ipsum sacrificium, quod pro nobis Christus in cruce obtulit, iterandi, conficiendi, & SS. Corpus Christi pro peccatis mortuorum & vivorum Deo offerendi, & quò lubet circumferendi, ac manibus gestandi: facultas deniq; integrum Sacramentum percipiendi Laicis negata, solisq; indulta Clericis, multùm profectò auget existimationem Sacerdotum Pontificiorum, ut in singulari veneratione sint apud populum; alia tamen & potiora fidei Christianæ capita, quæ in hunc sequiorem finem inflecti non possunt, ut Trinitas, creatio mundi, lapsus primorum parentum, incarnatio Filii Dei, ejusdem passio, mors, resurrectio, ascensio, futura resurrectio mortuorum, & baptismus manserunt intacta, & virtute eorum mansit etiam in medio papatu, ac hodienum perdurat vera aliqua Ecclesia Christiana, hujus fidei fundamenti simplicissimè tenax, & cæterorum Romanæ Curiæ moliminū inscia ac incuriosa. Etenim idiotæ id non agunt, ut stabiliant regnum & potestatem ac fastum Pontificis; quin ne quidem sciunt, id ab aliis agi: ipsi potiùs sunt inter eos, quos tyrannide sua premit Pontifex, quibus injustè dominatur & insultat. In hanc sententiā Lutheri & aliorum nostratium testimonia disertissime adducuntur numero & pondere non exiguo in Apol. Helmst. contra Buscher. part. 2. p. 9 seqq.

Dist: inter Curiam Romanā & Ecclesiam Romanam.

Restat ut paucis ad objectiones in contrarium superius allatas respondeamus. Et I. ad illud: Quare ergò secessimus ab Ecclesia Romana, si ea est vera Ecclesia? ℞. verbis Philippi, qui in colloquio Wormati-

matiensi, cum idẽ crimen desertæ Ecclesiæ ei objiceretur ab Eccio, prudentissimè regessit, nos non secessionem fecisse, sed à Pontifice injustè exclusos esse. Verba ipsius Philippi hæc sunt: *Cum consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi verè amplectamur, ac tantùm quosdem abusus alterius partis reprehendamus; — non discessimus ab Ecclesia Catholica Christi, sed reliquimus taxatos abusus. Ac ab ipsis veriùs ex ipsorum cœtibus expulsi sumus, violentis edictis, excommunicationibus & nova acerbitate, quæ in Ecclesia non fuit usitata.* Hæc ille quidem rectissimè. Igitur nos non secessimus, & sic neq; causam præbuimus schismati; sed ille præbuit, qui modestè à se dissentientes severissimis bullis, diræ excommunicationis fulminibus, quin ferro & flamma insectatus est: quod sanè fecit rugiens Leo X. Evincente id exquisitissimè D. Calixto digress. art. nov. p. 371.

Ad II. ℞. Posse simul stare, ut & illorum & nostra Ecclesia vera sit, licet altera ab alterâ dissentiat; modò consensus sit in fundamento. Est enim ratione fundamenti una & eadem nostra & Pontific. Ecclesia: nec nostra successit in locum alterius, sed se reformavit tantùm: quo ipso mutata quidem est, sed non secundùm substantiam, verùm quoad integritatem & puritatem.

Sic etiam ad III. dicitur: Veritati alicujus Ecclesiæ non obstare quoslibet errores & falsos conceptus, sed errores in fundamento. Propugnant sanè Pontificii multa falsa & erronea dogmata, quæ nos meritò impugnamus. Interim beneficio verorum dogmatum & principalium religionis Christianæ capitum est & manet apud eos vera Ecclesia, tenens verum fundamentum. Ni hoc salvum sit apud ipsos, nemo eorum queat salvari. *Quæ superstruuntur* autẽ *huic fundamento, ligna, fœnum, stipulæ*, h. e. doctrinæ inutiles ac otiosæ, suo tempore *exurentur* & absumentur *igne* tentationis, tum etiam divini examinis rigorosi in illo die decretorio in cujuslibet animo instituendi. 1. Cor. III, 12. 13.

Ad IV. dico, graviter peccare eos in suam conscientiam, qui agnitâ veritate & puritate doctrinæ semet temerè, ob aliquod fortè capessendum temporale bonum, recipiunt ad loca talia, ubi papatus viget; vel persecutione, aut quapiam, ut vocant, reformatione ingruente, ne possessionum suarum faciant jacturam, in pristinis locis hærent ac permanent, ubi jam amplius puritate doctrinæ & Sacramentorum integritate gaudere non datur. Nam ne in civilibus quidem id salvâ conscientiâ licet, ut veritas & sinceritas posthabeatur bonis illis temporalibus: nedum ut liceat in illis, quæ salutem spectant animarum. Caveat ergò quilibet sibi, ne in re tanti momenti contra conscientiam suam quicquam designet: neu colla jugo subdat ultrò, cui nativitas eum necessitate quadam non subjecit.

APHO-

APHORSMVS III.

pag. 479.

Judex controversiarum in Ecclesiâ est ipsum verbum Dei, cui accedit confessio veræ Ecclesiæ.

De Iudice Controversiarum in Ecclesia.

VT Autoris nostri sententia plenius percipiatur, pluscula illius verba adscribenda sunt, quæ habentur Loco de Eccl. C. D. p. 479. & seqq. *Quis*, inquit, *erit judex, quando de Scripturæ sententiâ dissensio oritur, cum tunc opus sit voce dirimentis controversiam?* ℞. *Ipsum verbũ Dei est judex, & accedit confessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum tanquam judicem aliqui pii — sive sint plures sive pauciores impiis. Ita veteres damnaverunt Samosatenum, & deinde Arium. Judex erat verbum Dei i. e. testimonia ex Evangelio, bonâ fide & sine sophisticâ prolata, quæ convincunt non calumniosè judicantem. Sed tamen multum adjuvabantur tunc quoq; infirmi in pronunciando confessione firmiorum, sc. eorum, qui Apostolos aut eorum discipulos audierant, & quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ, ut Polycarpi, Irenæi, Gregorii Neocæsariensis: ab his recentiores audierant λόγον significare personam. Postea ipsi collatis dictis Evangelii agnoscunt hanc nativam esse sententiam, quam ab illis audierant. — Ita Petrus Alexandrinus refutabat Meletium, citabat Evangelium, quod satis perspicuè docet, recipiendos esse lapsos, qui emendantur: sed simul adjuvabatur exemplis prioris Ecclesiæ, quæ semper anteà lapsos receperat. Ita nos pronunciamus de baptismo infantium. Habemus testimonia in Scripturis manifesta, quæ affirmant, extra Ecclesiam non esse salutem: Ergò inserimus Ecclesiæ infantes. Deinde & primitivæ Ecclesiæ testimoniis firmamur. Ita judex est verbum Dei, & accedit puræ antiquitatis confessio. Vult enim Deus in Ecclesia esse ministerium vocis. Quare audienda est Ecclesia, ut doctrix; sed fides & invocatio nituntur verbo Dei, non humanâ autoritate. — Ita in utramq; partem caveantur incommoda: videl. ne tyrannis pravæ consuetudinis stabiliatur, nec tamen laxetur frænum audacibus ingeniis, quæ si non audiant veram Ecclesiam, fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia, ut nostro tempore fecerunt Servetus, Campanus, Anabaptistæ & alii multi. Docentem Ecclesiam amare, vereri, & venerari discamus, & purioris Ecclesiæ testimonia inquiramus &c.* Hæc Philippus noster.

Quæ

Quæ ideò visum est pluribus referre, ut cognoscatur vana esse accusatio Bellarmini, qui *eum omnia tenebris involvere & ita unumquemq; facere controversiarum judicem, ut authoritati Ecclesiæ deroget*, prætendit L. 3. de V. D. c. 3. Quin potiùs dilucidè rem totam exposuisse ac suum cuiq; nempe & Scripturæ & Ecclesiæ tribuisse censebitur ab omnibus, sincerè ejus sententiam æstimantibus. Duo is autem potissimum tradit I. Sacram Scripturam esse controversiarum judicem. II. Scripturæ adjungendũ esse testimoniũ Ecclesiæ. Circa prius evolvẽda ambiguitas in vocabulo judicis. I.
Vel enim judex sumitur *propriè*, pro persona eaq; visibili, quæ sententiam decisivam exertis verbis ita proferat, ut altera litigantium pars se sua causa cecidisse possit cognoscere: vel *impropriè* sumitur, quatenus in communi sermone & ab optimis authoribus norma, secundùm quam fit judicium, dicitur judex. Sic enim Cicero de LL. legem dicit *Magistratum seu judicem mutum*, & judicem *legem seu normam loquentem*. Posteriore hoc sensu verbum Dei S. Scripturis comprehensum judex est controversiarum, & rectè ita dicitur. Nam & Christus ipse Joh. XII, 48. in hunc modum loquitur, cum ait: *Qui aspernatur me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum ultimo illo die.* Optimè exin colligitur, Scripturam S. certissimum esse judicem controversiarum de religione in hoc seculo; cum eadem illo die censorio & pantocritico judex quoq; à Christo ipso statuatur. Et eodem modo loquuntur etiam SS. Patres. Optatus Milevit. qui sub initium sec. IV. vixit, libro V. ubi de controversia tractat inter Donatistas & Orthodoxos de reiteratione baptismi exorta, dicit, non esse judicem aliquem in terris, ideoq; de cœlis quærendum: posteà assignat SS. Literas: *Vos*, ait, *dicitis, licet; nos dicimus, non licet. Inter affirmare vestrum & negare nostrum natant & remigant animæ populorum. Quærendi sunt judices. Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur: deforis quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. E. in terris nullum hac de re poterit reperiri judicium.* (loquitur Optatus de summo, non de ministeriali judicio) *De cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio? Testamentum, inquam, quia hoc loco rectè possunt terrestria cœlestibus comparari.* Basilius ep. 80. ad Eustath. medicũ in controversia Ariana: *Nonne*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata judex inter nos erit, & apud quos dogmata inventa fuerint divinis sermonibus consentanea, iis omninò veritatis calculus adjicietur?*

Et Augustinus l. 2. de nupt. & concupisc. c. 33. ita scribit: *Ipse* (Julianus Pelagianus) *dicit, quomodo rei sunt parvuli, pro quibus Christus mortuus est? Nos respondemus: imò parvuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? ista controversia judicem quærit. Judicet ergò Christus, judicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus.* Idem l. de gratia & lib. arb. c. 18. *Vnde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex Deo ipso? nam si non ex Deo, sed hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergò inter nos judex Apostolus Johannes, & dicat nobis: Charissimi, diligamus invicem &c.* Hæc illi. Nec aliter ex ipsis adversariis Andradius l. 2. defens. fid. Trident. *Libri sacri*, inquit, *præcipui sunt judices controversiarum.* fol. 213. Ita ergò patet, Scripturam judicem esse & rectè ita dici: idemq; est, si ita eam appelles, acsi illam dicas normam, regulam, principium, fundamentum probandorum dogmatum.
II. Circa posterius autem, quod Philippus vult, Scripturæ adjungi testimonia antiquitatis, jam aliquid à nobis dictum est supra in fine προλεγομένων. Et firma omninò subest ratio, quare ita faciendum sit, & consulenda post Scripturas antiquior quoq; Ecclesia. Quippe hæc ipsa ut Scripturæ textum a b Apostolis accepit, ita quoq; genuinum ejus sensum ex Apostolorum & Apostolicorum virorum doctrinâ tenuisse credenda est. Ac præcipuè primorum V. à nato
p. 37. Servatore seculorum consensui standum esse, itid. superius diximus. Hæc enim Christianam religionem verâ sinceraq; fide integram conservasse, omnes confitemur. Audiantur ergò eorum Doctorum, qui his seculis vixerunt, testimonia de Scripturæ sententia ac doctrina verè Apostolica. In medio sunt ipsorum monumenta, quæ hac fini, ut ex iis sinceræ Ecclesiæ sententiam discamus, divina providentia superesse voluit, opibus non maximis comparanda, & labore, cui ferendo par sis, evolvenda: inde judicium sumatur de controversiis noviter fortean inter nos & alios, cujuscunq; tandem partis simus, exortis. Augustinus certè, qui Scripturam nobis judicem anteà commendavit, non veretur Ecclesiæ quoq; suam ætatem antegressæ Doctores in judicium adhiere contra adversarios, horumq; sententiis, ceu irrefragabilibus judiciis, Julianum causa cecidisse mirum in modum gaudet. *Sanctos*, ait, *& in Ecclesia S. illustres antistites Dei — nominatim sicut oportebat expressi, eorumq; sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi, ut in eis timeas, non ipsos, sed illum, qui sibi eos utilia vasa formavit, & S. templa construxit, qui tunc de ista causa judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari*

versari vel favere potuisse. Nondum enim extiteratis, contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum. —— Certè ipse dixisti, quod omnes judices ab odio, amicitiâ, inimicitiâ, irâ vacuos esse deceat: pauci tales potuerunt inveniri, sed Ambrosium aliosq; collegas ejus, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est. Verùm etsi tales non fuerant in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viverent, suo judicio definierunt, ad hanc tamen causam tales erant, quando de illâ sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: Neq; nobis neq; vobis irati sunt, neq; nos neq; vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: Quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud illos judices aliquid agebamus & apud eos acta est causa nostra: nec nos nec vos noti eis fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus: nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. Hæc suo adversario Augustinus l. 2. contra Jul. in fine. Qualia nostris quoq; à nobis dici non minùs convenit. Quid Augustino σύγχρονος Vincentius Lerin. tribuerit antiquitatis consensui, cum antehac à nobis recensitum sit, nihil opus est repeti. Memorabile est autem, quod eodem attestante *integra Concilia inhæserunt sententiis veterum Patrum, atq; eorum se consensu muniverunt*; nominatim Ephesinum, de quo ita Vincentius Commonitorii sui cap. penult. *Universis Sacerdotibus qui illò CC. ferè numero convenerant, hoc catholicissimum, felicissimum atq; optimum factu visum est, ut in medium SS. Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes verò catholicos Sacerdotes fuisse & permansisse constaret: ut sc. ritè atq; solemniter ex eorum consensu ac decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ novitatis blasphemia condemnaretur.* Mox X. Patribus enumeratis: *Ii sunt*, inquit, *omnes, apud Ephesum sacrato decalogi numero Magistri, Consiliarii, testes, judices producti: quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absq; odio, præsumtione & gratia, de fidei regulis pronunciavit. Exemplo*, ut posteà dicit, *præbito postfuturis, ut & ipsi sc. sacratæ vetustatis dogmata colerent: profanæ verò novitatis adinventa damnarent*. Hæc de Ephesinâ Synodo Vincentius. In Chalcedonensi verò qui congregati erant Episcopi, ipsi de sese: ἑπόμενοι τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογοῦμεν υἱόν. *Sanctos Patres secuti unum & eundem confitemur Filium, Dominum nostrum Jesum Christum?* Et quæ sequuntur. Sic itaq; ubi de judice controversiarum tractatio instituitur, rectè omninò primitivæ Ecclesiæ authoritas commendatur. Quo pacto nec quemlibet p. 37.

promiſcuè facimus controverſiarum judicem, & multò minùs auctoritati Eccleſiæ quicquam detrahimus. Falsò enim hæc Bellarminus Philippo impingit, ejusq; ſequacibus.

Cæterum ſicut cum Scriptura judex dicitur, vox illa impropriè accipitur, ita non minus ſumitur impropriè, quando Doctores purioris vetuſtæ Eccleſiæ habentur controverſiarum judices. Nam propriè non niſi teſtes ſunt & doctores, occupati non circa jurisdictionem ſed inſtitutionē & teſtificationē. Nec enim in his controverſiis, quibus dijudicandis ſeu decidendis adhibentur, quid juſtum aut injuſtū ſit, disquiritur, ſed quid credendum aut non credendū, quid verum aut falſū. Vbi non tam judice, quàm doctore opus eſt. Et habet res ſeſe in controverſiis fidei ſimili quodam modo, ut in controverſiis illis, quæ in Philoſophia & Medicina occurrunt: quæ non judicialem aliquam determinationem, cui neceſſariò acquieſcendum ſit, exigunt, ſed per doctrinam & demonſtrationem, vel proprium etiam ſtudium, & ejus doctrinæ, in qua exiſtunt, peritiam, tolluntur ac diſſolvuntur. Quemadmodum enim ipſa Eccleſia majorem ſimilitudinem habet cum ſocietatibus, quæ ſunt in Scholâ & Academiâ quadam, quàm cum Republicâ, ſic controverſiæ etiam, quæ in Eccleſiâ oboriuntur, ſimiliores ſunt controverſiis diſciplinarum, quam Judicalibus. Nempè inquiritur in fidei rebus veritas, perindè ut in aliis diſciplinis. Oportet igitur adſint, qui verum doceant, & idoneis ſeu argumentis ſeu teſtimoniis confirment; id quod non judicis proprium munus eſt, ſed doctoris & teſtis. Nec aliter proindè Eccleſiæ primitivæ antiſtites dicimus eſſe controverſiarum judices, quàm quatenus de Scriptura S. & fide, quæ eâ continetur & ab Apoſtolis tradita eſt, nos erudiunt, eò quidem certius & incorruptius, quo propius ad ipſorum Apoſtolorum tempora ætas eorum accedit. Huc reſpiciens Philippus diligenter hoc inculcat, Eccleſiam eſſe cœtum ſimilem ſcholaſtico cœtui. *Concedendum eſt*, ait, *Eccleſiam eſſe cœtum viſibilem, neq; tamen eſſe regnum Pontificum, ſed cœtum ſimilem ſcholaſtico cœtui.* Et rurſum: *menſura eſt*, inquit, *vox Evangelii & Miniſterii, & erit aliquis viſibilis cœtus Eccleſiæ Dei, ſed ut cœtus ſcholaſticus.* Et denuò: *Eſt igitur diſſimilitudo aliqua judiciorum Eccleſiæ & judiciorum politicorum. Nam in politicis, aut Monarcha ſolus autoritate ſuâ pronunciat; aut in ſenatu valet ſententia majoris partis: ſed in Eccleſia valet ſententia congruens cum verbo Dei & confeſſione piorum, ſeu ſint plures ſeu pauciores impiis.* Corp. Doctr. p. 479. Quæ rectiſſimè ſeſe habent omnia. Seorſum, quod pluralitatem votorum non ita in Eccleſia, ut in judiciis, attendi dicit, exemplo edocemur ſynodi Nicenæ, in quâ cum eſſent, qui ex immodico

Eccleſia eſt ſimilior cœtui Scholaſtico, quàm Reip.

Zelo

Zelo legem de omnimodâ uxorum abstinentiâ Ecclesiæ ministris jam rogassent, (quod pleriq; omnes fecerant) unus magno illorum numero obstitit Vir magnus, Paphnutius, & veris ac prægnantibus rationibus in suam sententiam totum Concilium traduxit, Doctorem videlicet agens, non Judicem aut Monarcham.

Usum hæc observata habent insignem contra Pontificios, qui judicium de controversiis fidei uni & soli transscribunt Pontifici Romano, tanquam ad hoc divinitùs constituto, & universæ per orbem Ecclesiæ præfecto. At verò quid tali summo judice opus est, cum controversiæ in Ecclesiâ agitari solitæ ejusmodi sint, ut nullius prorsus judicis, qui propriè quidem judex sit, qualem Pontificii efflagitant, indigeant? Quodsi enim possunt in aliis disciplinis decidi quæstiones controversæ, licet eæ disciplinæ non habeant commune aliquod tribunal, ad quod controversiæ omnes deferantur; quidni in disciplinâ quoq; Theologicâ idem æque benè fieri queat, citra determinationem aliquam judicialem? Habemus Scripturam de omnibus fidei dogmatibus nos sufficienter instruentem: habemus post Scripturas antiquitatem Ecclesiasticam V. primorum seculorum. Quicquid ex alterutro horum vel utroq; probationem non habet, id pro capite fidei frustra venditatur, ut Purgatorium, Invocatio sanctorum, Indulgentiæ Papales, Missa sine communicantibus, & similia. Scriptura primarium, eoq; respectu unicum est probandorum dogmatum principium: antiquitas Ecclesiastica secundarium, proximè ortum è primario. Illa est objectum fidei, & formalem rationem objecti illius suppeditat. Ideò enim aliquid creditur fide divinâ, quia in Scripturis continetur. Verbum Dei Scripturis comprehensum est formalis ratio objecti fidei, seu id, propter quod propriè aliquid creditur. Ecclesiæ autem testificatio solummodò objectum fidei subministrat, non ipsam formalem rationem illius. *Fides*, inquit Philippus, *& invocatio nititur verbo Dei, non humanâ autoritate.* Siquidem non ideò aliquid credo fide divinâ, quia id traditur ab antiquâ Ecclesiâ, sed quia consonum est Scripturis. Objectum tamen fidei rectè ex duobus his principiis deduco: ex Scriptura & Antiquitate: *quæ sunt sibi invicem subordinata.* Nec enim alios articulos Scriptura nobis credendos proponit, alios antiquior Ecclesia, sed hæc ipsa de iis, quæ sunt fidei, & in Scripturis semel tradita, nos copiosiùs erudit, & in fide Catholica nos confirmat, eamq; contra hæreses defendit. His duobus ergò principiis acquiescamus, nec peculiarem insuper judicem, personam sensibilem, quæ de fidei articulis sententiam decretoriam ferat, requiramus. Quicquid S. Scriptura Canonica docet, id verum est; hoc est summum & primum princi-

Principium probandorũ dogmatũ duplex.

pium omnium Theologicarum conclusionum, ex hoc proximè oritur & dependet alterum: Quicquid Catholica Christiana Ecclesia in fidei fundamento inde ab antiquo testimoniis consentientibus confirmat, vel rejicit, id ipsum nos quoq; recipere vel rejicere par est. Quod illa tanquam ad salutem necessarium credidit, nobis quoq; eo pacto credendum: quod ignoravit illa, vel in utramq; partem liberè discussit, id nos quoq; citra salutis detrimentum ignorare possumus, aut cuilibet liberam de eo sentiendi permittere potestatem. Est enim *Ecclesia*, encomio ipsius Scripturæ, *columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. III, 15. *Et portæ inferorum* (hæreses, persecutiones, vitia & flagitia) *non prævalebunt adversus eam*, Catholicam scil. seu universalem. Matth. XVI, 18. Errare itaq; universam N. Testamenti Ecclesiam uno vel pluribus seculis, vel quantocunq; temporis spatio, in fidei regulâ, & falsitatem pro veritate amplecti, aut saltem ignorare, quid eorum, quæ de fide sunt, etsi secundùm se possibile sit, non contingit tamen, nisi promissiones intercidant, quas habet Novi fœderis Ecclesia, cumq; iis ipsa simul tota pereat, quod nunquam futurum est.

Ex Scripturis igitur tanquam unico summo principio deducitur, in eandemq; resolvitur illa conclusio, quam diximus fieri postea principium aliquod secundarium: id quod frequentissimum aliàs etiam est, & toties fit, quoties prioris argumenti conclusio in alio argumento ponitur loco majoris. Tùm enim, quod conclusio priùs erat, principium evadit.

Qui Scripturam itaq; callet & Antiquitatis consensum, & ex his principiis vel alterutro eorum meliora docere potest hæreticum & fanaticum hominem, ille est ejus judex (eo sensu, quo dicit Aristot. 1. Eth. c. 1. *unusquisq; ea rectè judicat, quæ cognoscit, atq; eorum bonus judex est*) neq; proin, ut Pontificis cathedra adeatur, quicquam opus est. Imò verò qui nec Scripturam interpretari novit, nec in Antiquitate est versatus, potest secundùm fidei doctrinam, quam semel imbibit, enatas fortè hæreses suopte marte rejicere, & eas damnandas judicare inconsulto Pontifice, aut simili judice quopiam alio. Ita v. gr. Christianorum nemo adeò est stupidus, ut, si quem audiat negare resurrectionem mortuorum, putet sibi currendum esse ad judicem quendam, qui sententiam super hac re pronunciet autoritate irrefragabili, sed ipse ex fidei symbolo, quod edoctus est, judicat talem hominem profanum & indignum, cui aures præbeantur: Neq; hac ratione omnibus promiscuè iudiciũ permittimus de quibuslibet controversiis, sed saltem de iis, quæ fundamentum fidei concernunt, quemlibet, qui religionis Christianæ gustum habet, aliquod ferre posse judicium, quantum sibi ad cavendas exitiales hæreses sufficiat, sentimus cum

Paulo,

Paulo, qui dicit 1. Cor. II, 15. *Spiritualis homo omnia dijudicat:* & 1. Cor. X, 15. *Judicate vos, quæ ego dico:* istoq; adeò modo prætoriam Romani Pontificis sententiam exclusum imus.

Sub finem hoc contra Pontificis primatum, quem affectat in decidendis controversiis, argumentum formamus: Si à Deo ipso constitutus est Pontifex in judicem omnium controversiarum in Ecclesiâ, sanè infallibilis erit. Sine dono enim infallibilitatis frustranea foret illa constitutio divina. Sed non est infallibilis. Ergò non est de jure divino judex omnium in Ecclesiâ controversiarum. Minor per experientiam evidens est, firmissiméq; ita probatur: Qui in contradictorias sententias eunt, ii non sunt infallibiles ab utraq; parte, sed una pars necessariò fallit & fallitur, quia contradictoria non possunt simul esse vera. At diversi Pontifices sibi succedentes, iverunt nonnunquam in contradictorias sententias. Igitur non sunt infallibiles Pontifices, sed minimum ex duobus alter fallibilis est. Probatur rursus Minor exemplo Nicolai III. & Johannis XXII. Romanorum Pontificum, quorum ille omnimodam expropriationem bonorum fundatam in Evangelio esse & à Christo & Apostolis traditam edixit; hic erroneam & Scripturis contrariam pronunciavit. Alter horum definivit falsum, nempe Nicolaus III. E. infallibilis non fuit. Deinde sic etiam argumentamur contra eandem infallibilitatem: Quicunq; infectus est hæresi, ille potest definire hæresin, adeoq; non est infallibilis. Quidam Pontifex infectus est hæresi, Liberius Arianâ, Anastasius Acatianâ, Vigilius Eutychianâ, Honorius Monothelitica. Talis ergò definiet hæresin. Hæresin autem definiens, vel qui saltem in proximâ potentiâ est ad eam definiendam, sanè infallibilis non est. Audiatur ex ipso adhuc superiore seculo Hadrianus VI. ita scribens in quartum librum sentent. de Sacram. Confirmationis art. 3. §. ad sec. principale: *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare, etiã in iis, quæ tantùm fidem respiciunt, hæresin per suam deteminationem aut decretalem asserendo: plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Hæc ille, qui ipse postea fuit Pontif. Maximus, Leoni X. surrogatus. Ex hactenus negata infallibilitate firmiter & immediatè ac proximè fit progressus ad negandam illam eminentem judicandi potestatem Papæ tributam ab assentatoribus impudentibus. Volunt quidem moderni Moguntini ita debere colligi: Pontifici divinitus competit jus omnes controversias dijudicandi. Ergò & infallibilitas ipsi competit. Sed hoc foret ignotum ex ignotiore colligere. Rectiùs nos itaq; ex eo, quod maximè evidens est, inferimus, quod minùs est evidens, hunc in modum: Pontifex non est infallibilis. Ergò non est omnium controversiarum judex ab ipso Christo constitutus. Con-

Contra primatum & infallibilitatem Pontificis.

Contra utrumq; figmentum ita porrò argumentando progredimur: Quicunq; primatus Episcopi Romani planè ignotus fuit primitivæ Ecclesiæ, is jure divino niti non potest, nedum ut sit caput fidei ab omnibus sub mortis periculo credendum: Quod ejusmodi enim est, id Ecclesiam primitivam latere non potuit. At primatus hic Episcopi Romani, quem jactat in terminandis infallibili judicio controversiis, planè ignotus fuit primitivæ Ecclesiæ. Jure divino igitur niti non potest; tantum abest, ut sit caput fidei, &, ceu Bellarm. vocat præfat. libr. de Pont. Romano, *summa rei Christianæ*. Talia enim si ignorasset antiqua Ecclesia, veræ fidei ignara, hoc est, Ecclesia non fuisset. Jam constat ex praxi primitivæ Ecclesiæ, nihil infallibilitatis & potestatis ejusmodi delatum unquam esse Romano Episcopo, ut ipsius auctoritas haberetur norma quibuslibet finiendis controversiis apta & fallere nescia. Adducemus duo saltem exempla. Viguit haud diu post Apostolorum tempora *controversia de paschate*. Et initio quidem Apostoli primiq; Christiani, illi præsertim, qui inter Judæos, aut inter conversos ex judaismo vivebant, ut pentecosten & alia festa, ita quoq; pascha cum Judæis celebrarunt: Nempe 14. primi verni mensis die, in quamcunq; septimanæ feriam incidisset, circa vesperam initium festivitatis fecerunt. At qui in locis, ubi pauci vel nulli ex judaismo conversi degerent, commorabantur, diem illum 14. neglexerunt, & Dominicam, quæ proximè sequeretur, ut pascha habuerunt. Hinc discrepantia inter Orientales & Occidentales, quam minimè omnium sustulit auctoritas Romani Episcopi, diem Dominicam paschalem habere volentis. Nam & primo seculo D. Polycarpus ab Aniceto, & secundo Asiatici omnes à Victore dissenserunt, nec vel illius judicio ille, vel hujus isti standum sibi duxerunt, neutiquã idcircò Ecclesiarum Apostolicarum numero excidentes. *Neq; enim* (verba sunt Irenæi ab Eusebio relata) *aut Anicetus Polycarpo* (Romam ad se venienti) *suadere poterat, ut non observaret ea, quæ noverat Johannem discipulum Domini nostri, vel cæteros Apostolos, cum quibus semper fuerat, observasse: Neq; rursum Polycarpus Anicetum persuasit ea deserere, quæ ille dicebat à se majorum more servari. Hisq; ita se habentibus, communicarunt sibi invicem nihilo seciùs, ita ut concederet Polycarpo Anicetus etiam sacerdotali ministerio honoris duntaxat contemplatione* (in urbe Româ) *perfungi. Et ita ab invicem plenâ fide, pace integrâ & firmâ charitate discedunt, ut omnes Ecclesiæ, seu quæ ita, seu quæ non ita observarunt pascha, inter se tamen concordiam custodirent.* Habentur hæc apud Euseb. l. 5. Hist. Eccl. c. 24. De Victore itid. ibidem res tota luculenter exponitur, & epistola recitatur Polycratis, in quâ aliquot eximii Episcopi recensentur,

tur, qui in celebratione festi Resurrectionis Christi diversum statuerunt à Romano. *Imò cum Victor* (verba hæc rursus sunt Eusebii) *Romanæ Ecclesiæ Episcopus pertinaciùs agens, passim totius Asiæ ac finitimas Ecclesias sibi assensum denegantes tanquam* ἑτεροδόξως *à communitate præcidere conaretur, & literas mitteret, quibus omnes simul absq; discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret, minùs hoc placuit cæteris Episcopis, quin potius è contrario scribentes ei, jubebant, ut magis, quæ pacis sunt, ageret, & concordiæ atq; unanimitati studeret.* Deniq; extant etiam ipsorum literæ, quibus asperiùs objurgant Victorem, veluti inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem. Nam & Irenæus cum cæteris, quibus præerat, Galliarum Episcopis, scribens, confirmat quidem ut in Dominico die resurrectionis Domini mysterium celebretur: Victorem tamen arguit, *quod non rectè fecerit, abscindere volens à corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent*; & quæ porrò ibi sequuntur. Primis sanè & melioribus illis temporibus diversitatem observationis Paschatis, nullam offensionem nullumq; dissidium inter Europæos & Asiaticos peperisse, testis intemeratus est, quem modo diximus, Irenæus, epistolâ ad Victorem, cujus hoc fragmentum apud Eusebium habetur c. 15. *Presbyteri ante Soterem* (tuum videl. uno Eleuthero interjecto proximum decessorem) *qui Ecclesiam, cui tu nunc praes, gubernarunt; Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, quamvis nec ipsi hoc festum eo die, quo Asiæ Episcopi, observarent, nec aliis ita observare permitterent, nihilo tamen minus cum Episcopis Ecclesiarum, in quibus ita observabatur, ad ipsos accedentibus, concordiam pacemq; semper coluerunt, nec ulli unquam propter diversum istius festi modum ab Ecclesiâ sunt ejecti: sed Presbyteri, qui te ætate præcesserunt, etiamsi id ita minimè observarent, Episcopis tamen, qui in aliis Ecclesiis ita observabant, Eucharistiam miserunt.* Subjungitur, quod superiùs jam habuimus, exemplum Aniceti & Polycarpi. Ecce! non pro capite, sed pro collegâ & compresbytero agnoscitur Romanus ab aliorum locorum Episcopis. Quin etiam cæteræ Eccl. idem reapse cum ipso sentientes, eidem tamen fervidiori & vehementiùs in alios animato, atq; excommunicationis telum vibranti, ut talibus abstineat, mandant, acta ejus improbant, ipsum asperè objurgant, & officii commonefaciunt. Nec vola nec vestigium hîc ullius in ipso agnitæ infallibilitatis. Frustrà penitùs fuit Victor. Neq; enim obtinere potuit vel apud Asiaticos, ut consuetudinem suam repudiarent, vel apud alios, ut eâ de causâ Asiaticos communicatione privarent. Mansit itaq; res in statu, in quo fuerat, nisi quod paulatim pleriq; odio Judæorum, & ne quid cum ipsis habere

Mmm com-

commune crederentur, Dominicam prætulerunt, mansit, inquam, usq; ad Constantinum M. & magnam Oecumenicam synodum Nicenam: in quâ demum obtinuit sententia de Paschate uno eodemq; die eoq; dominico, ab Ecclesiis omnibus celebrandô.

Alterum exemplum petimus ex tertio seculo, quo S. Cyprianus cum Stephano Romano Episcopo *de rebaptizandis iis*, qui ab hæreticis erant baptizati, contendebat, tractans eum itidem ut collegam, nec ipsius decisione acquiescens, sed persistens in sua sententiâ affirmante, licet erroneâ, ipse in animo suo persuasus errare & falli Stephanum. Notabilia inprimis sunt hæc ejus verba, quibus in synodi Carthaginensis à se convocatæ exordio seu introitu mox Stephanum perstringit: *Superest*, inquiens, *ut de hac ipsâ re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes*, (tanquam jus aut potestaté in eum habentes) *aut à jure communionis aliquẽ, si diversum senserit, amoventes: neq; enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentiâ libertatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, quoniam nec ipse potest alterum judicare; sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Hæc Cyprianus, Episcopus & Martyr sanctissimus, qui si cognitãm habuisset Episcopi Romani, quæ hodie jactatur, infallibilitatem, & in totam Ecclesiam, quàm latè patet, judicialem potestatem, minimè profectò tanto conatu ipsi se opposuisset, cumq; tot præstantibus Africæ, Numidiæ, Mauritaniæq; Episcopis secum sentientibus, adeò tenaciter ipsi contradixisset.

Absit enim, ut vel omnes hos tam imperitos fuisse putemus, ut, quem Christus in Ecclesiâ constituerit supremum controversiarum judicem, ipsi ignorarent, vel tam impios, ut ordinem à Christo ipso constitutum perturbare & convellere niterentur. Adeò usq; auté nihil hac de re illi norunt, ut Cyprianus in controversiis fidei judicandis omnes *Episcopos parem potestatem habere, neminiq; eâ de re nisi Christo rationem reddituros esse*, palam dicat, imò & Stephanum ideò, quod in talibus præjudicare cæteris suis coëpiscopis, &, quid sentiendum, præscribere ausus esset, Episcopum se Episcoporum facere & tyrannidem in reliquos affectare asserat. Planè videlicet Jesuitarum fide heri & nudius tertius primùm natâ destitutus! Idem, quod hodie nemo Episcoporum ausit, *fratrem* appellat Romanum Episcopum ep. 73. ad Jubajanum: *Quia*, inquit, *desiderasti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti*

ejus exemplum, quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nihil ergò manifestius, quàm non agnovisse Cyprianum aliquid superioritatis in Romano Episcopo, quem fratrem ipse suum vocat, & errare non dubitat. Integrum quidem Pontifici hodie est Episcopos *fratres* vocare; sed ipsi vicissim eum non audent ita nominare: sicut Duces vocabant olim milites suos *commilitones*, qui vice versâ Duces non eo nomine compellabant. Atq; vel una hæc causa, quod ita penitus novum est inventum hoc, quod impugnavimus hucusque, Pontificiorum modernorum, præcipuè Jesuitarum, principium, tanti est momenti, ut meritò deterreamur, quò minus simpliciter Pontificis Romani oraculis accedamus.

Quoniam verò incidimus in controversiam, quam inter se Stephanus & Cyprianus agitarunt, quæq; postea Orthodoxis cum Donatistis denuo intercessit, pertexamus hanc telam, & quid de totâ re istâ breviter sentiendum sit, cum ad hunc doctrinæ Locum de Ecclesiâ suo quoq; modo pertineat, statim dicemus.

APHORISMVS IV.

pag. 483.

Sciendum est, Evangelium & Sacramenta efficacia esse propter promissionem Dei, non propter ministri personam.

SVnt hic nonnulla distinguenda. I. Cum persona Ministri agat in prædicando verbo & Sacramentis administrandis, tanquam causa instrumentalis: non suum enim verbum, sed Christi annunciat: non sua, sed Christi Sacramenta dispensat; hinc vis ipsa verbi & efficacia Sacramentorum ab auctore primario & causa principe dependet, non à ministro, qui instrumentaliter solummodò circa hæc versatur. Igitur nec a qualitate Ministri, ut sit scil. vel probus vel verè fidelis & non hypocrita. Nam quicquid hujusmodi est, illud impertinens est effectui, cui vocem solùm & manus suas Minister accommodat: sicut impertinens est curationi ægroti, utrum corpus Medici sanum sit an ægrum, & culturæ agri, utrum qui colit eum vir bonus sit an minus: dummodò non prætermittantur, quæ ex parte causæ instrumentalis sunt necessaria.

Evangelii & Sacramentorum efficacia non dependet à persona Ministri.

II. Si Minister sit *hæreticus*, tum vel talis est *clanculum*, ita, ut hæresin non profiteatur, sed verbum doceat incorruptum: Talis licet secum aliter sentiat, dum tamen premit adhuc & occultat hæresin, utiliter interim & docere & audiri potest; vel *publicè* talis est, ita ut profiteatur hæresin & in vulgus spargat, tumq; perniciosè docet, & aures ipsi amplius præbendæ non sunt.

III. Circa Sacramenta autem potest etiam, qui notoriè hæreticus est, incorruptè versari, *si institutionem Christi servet.* Cum sint enim Sacramenta pars minùs principalis Ecclesiastici ministerii, nil impedit, quo minus ii etiam, qui corrumpunt doctrinam, verum conferant & integrum Sacramentum; nec proinde baptismus ab hæretico collatus pro nullo est habendus: quod olim Cyprianus per errorem statuit. Nec enim, quid is, qui baptisinum administrat, vel de Trinitate vel de baptismo ipso sentiat, interest, modò eum, ut institutum est & peragi in Ecclesia solet, peragat: nam si infidelitas aut impietas Ministri baptismo ipsi deroget, non tantùm nullus hæreticus, sed nec adulter, injustus aut hypocrita quisquam eum rectè & validè conferre possit, adeoq; omnis ille incertus reddatur. Si vel maximè igitur sit hæreticus, qui Trinitatem non credat, modò in nomine Trinitatis, nihil immutata verborum forma à Christo præscripta, baptizet, verus & legitimus erit baptismus. *Sin mutet aliquid in substantialibus*, in materia vel forma Sacramenti, tum demum illius baptismus nullus erit, siq; contingat posteà eos, qui tali baptismate initiati sunt, baptizari ab Orthodoxis, non rebaptizantur propriè, sed simpliciter accipiunt baptismum, quo hactenùs caruerunt. Atque ita intelligendum decretum Concilii Niceni, quo statuitur Pauli Samosateni sectatores omninò adhuc baptizandos esse, can. 19. *Credendum est*, inquit Augustinus, *eos* (Paulianistas) *regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamq; custodiunt.* De hæresibus ad Quod vult deum, hær. 44. Ita scil. diverso modo ab hæreticis confertur baptismus. Quidam eum conferunt, servata materia & forma à Christo præscripta & in Ecclesia adhiberi consueta: Alii in his aliquid mutant. Inter hæc non distinxit Cyprianus: quod unum in tanto viro reprehensionem meretur.

IV. *Sacramentum ipsum à salutari effectu Sacramenti est discernendum, sive integritas ab utilitate Sacramenti.* Quemadmodum enim non à dignitate accipientis, ita nec à conferentis vel distribuẽtis pendet integritas Sacramenti. Itaq; verum & integrum Sacramentum etiam manifesti hæretici dare possunt. Remissionem autem peccatorũ, Spiritum sanctum & salutem nec ipsi habent, nec per ipsos accipiunt nisi infantes

fantes tantùm, qui ipſorum hæreſi non infici, adeoq; nec obicem ſalutari effectui Sacramenti ponere poſſunt. De adultis nihil mirum, eos, cum hæreſi Sacramentum ſuſcipientes ab hæreticis, ſalutari fructu Sacramenti carere; cum nec ab Orthodoxis ſuſceptus baptiſmus regeneret & à peccatis liberet, qui infideli aut hypocritæ confertur.

V. Aliud eſt, *obire miniſterium* verbi & Sacramentorum *legitimum*; id quod in ipſos hæreticos & cum manifeſtè tum occultè improbos quadrat nonnunquam: ſicut & Phariſæi, quos Chriſtus injuſtitiæ, ſuperbiæ, hypocriſeos arguit, legitimum obibant miniſterium, quatenus ſupra cathedram Moſis ſedentes ſecundùm tenorē legis Moſaicæ τὰ πρακτὰ docebant: quos proinde tantum abeſt, ut audire vetet Chriſtus, ut *obediri* etiam velit *iis talia docentibus*, Matth. XXIII, 2. 3. ſolummodò *à fermento ipſorum* h. e. falſa & inutili doctrina, quam admiſcebant, *caveri* ſibi vult à ſuis, Mt. XVI, 6. Aliud autem eſt, *obire legitimè*; quod in malos, ſive doctrinæ ſive vitæ ratione ſint mali, quatenus & quamdiu tales, neutiquam quadrat. Debebant enim *ex fide vera & conſcientia bona* id muneris peragere, ſi legitimè perfungi eo vellent, 1. Tim. III, 2. 9. Vnde ipſorum actiones, ut ſunt Baptiſmus, Ordinatio, Abſolutio, Prædicatio, Benedictio, etſi ut tales, *in genere* v. g. *Sacramenti*, aut aliàs in ſeſe bonæ ſunt & mundæ, atq; inſuper validæ & ratæ, velut olim erat baptismus Judæ proditoris & benedictio Bileami; tamen per accidens malæ evadunt & immundæ, *in genere moris*, quia mala & perverſa voluntate fiunt. Quæ malitia quidem & immundities *imputatur iis, à quibus* tale quid agitur, Pſ. L, 16. 17. Matth. VII, 22. 23. I. Cor. IX, 27. *non iis autem, cum quibus agitur*, Rom. III, 3. Phil. I, 15. 18. II, 21.

VI. Diſtinguendum ſubinde hîc eſt inter *perſonam* & *officium Miniſtri*. Nam Miniſter Eccleſiæ duplicem ſuſtinet reſpectum: Vnum perſonalem, quoad ſuam perſonam, quo reſpectu nil confert, ſive bonus ſit ſive malus; alterum miniſterialem, quoad officium, quod gerit: per hoc operatur Deus & eſt efficax regenerando, illuminando, ſalvando, ſi modò in Miniſtro, quoad ſanæ doctrinæ fundamenta, nihil deſideretur. Nam vita Miniſtrorum improba etſi offendiculo nonnullis ſit & impediat, quo minùs Auditores piè ac probè vivant, ſecundùm verbi Domini regulam, quando vident Doctores ſuos diſſolutè vivere; tamen in totum vim verbi remorari nequit, ſi fides & morum doctrina ſaltem ſeſe rectè habeat. Non deerit enim Deus verbo ſuo prædicato, quo minus aliqui veram inde fidem concipiant & morum probitate imbuantur, juxta promiſſum, quod legitur Eſa. LV, 10. 11. Nil obſtante, eum, qui prædicat, nec fide vera nec moribus bonis inſtru-

ctum esse. Quod non habet Minister male moratus aut hypocrita *formaliter*, quoad suam personam, id habet, adeoq; & dare alteri potest *ministerialiter*, in virtute officii, quod sustinet: quomodo etiam servus aulicus sæpè ne obolum quidem habet, multos tamen aureos defert, si id ipsi officii detur, à Domino suo ad alium aliquem. Officium Ministrorum verbi inter nos quorumcunq; bonum est & sanctum; licet persona ministrans sit mala & profana. *Cujusmodi quidem personas præstaret ab officio maturè removeri, quàm diutius æquo tolerari*, sicut in vet: Ecclesia depositio Clericorum in usu erat; dum tolerantur tamen, officium eorum non est defugiendum vel contemnendum: cum nec Christus Pharisæorum, nec Paulus eorum ministerio abstineri voluerit, qui ex contentione, animo non puro, Christum suo tempore annunciabant, *quæ sua erant, quærentes, non autem quæ Christi;* veluti citata sunt loca membro præcedente.

Discrimen inter errorem S. Cypriani & Donatistarum.

Deniq; VII. discrimen non negligendum est inter errorem B. Cypriani & Donatistarum. Tametsi enim ab utrâq; parte circa id erratum fuerit, quod à persona & qualitate Ministri cùm Cyprianus tùm Donatistæ suspenderint efficaciam Sacramenti, in eo tamen est differentia, quod *ille cum suis respexerit in persona Ministri hæresin solùm*, *isti* autem *malos mores Ministrorum.* Patet ex origine utriusq; erroris. Cum enim Novatiani & ante hos Montanistæ eos, qui ad ipsos ex Ecclesia transibant, tanquam immundos denuò baptizarent, æmulatione quadam accensi Catholici, in Africa præsertim & Asiæ quibusdam partibus, par pari referebant, ut illos etiam, qui ab hæreticis baptizati erant & ad Ecclesiam se recipiebant, denuò tingerent. Itaq; consuetudo jam ante Cyprianum pridem inoleverat, cum Agrippinus Ecclesiæ Carthaginensi præesset, cui in eadem Ecclesia, mediante alio, successit demum Cyprianus. Sed tempore Stephani & Cypriani disceptatio ea de re primùm exorta est; nil sanè aliud concernens, quàm hæresin, quod apud hæreticos nimirum & extra Ecclesiam verum baptismum conferri non posse Cyprianus & reliqui Africani existimarent. Donatistarum autem error aliam habet originem. Cum Cæcilianus nempe, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus, esset ordinatus, resistebant ejus ordinationi Donatus & complices ejus, objicientes ei crimina & flagitia quædam, & inprimis negantes eum verum Episcopū ideò, quod tempore persecutionis ordinatus esset à Traditore quopiam. *Traditores* autem dicebantur, qui in persecutione libros sacros & Ecclesiasticos tradebant gentilibus comburendos, ut ipsi à vi & tyrannide eorum tuti essent. Atq; ita Donatistæ respiciebant malos mores Ministrorum, ac talium baptismum, ordinationem aliaq; sacra munia irrita

esse contendebant; malè hac in re provocantes ad exemplum Cypriani, qui baptisma hæreticorum tantùm pro irrito habuit, non eorum ministerium, qui corruptè & impiè viverent, aut quocunq; modo malum exemplum præberent. Adde, quod *Donatistæ errorem suum auxerunt schismate, ipsumq; schisma tandem in manifestam hæresin verterunt.* Nam initiò quidem communione prædicti Cæciliani sese subducentes renunciarunt ministerio ejus, &, alio in Episcopum pro se electo, nomine Majorino, separatum sibi constituerunt ministerium, extructo alio altari & baptisterio. Post cum cognosceretur causa Cæciliani, auctoritate Constantini Magni, à diversis Synodis & Episcopis, ac crimina ei falsò & per calumniam esse objecta judicatum esset, isq; adeò innocens declaratus, Donato contrà cum sua factione damnato, dissensione pertinacius firmata finxerunt Donatistæ, (videntes nempe, in reliquis orbis partibus non esse ullos, qui eis suffragentur,) totam Ecclesiam defecisse, & in sola remansisse Africa penes Donatum ejusq; asseclas: quæ est profectò aperta hæresis subruens Ecclesiam Catholicam. Vnde & Catholicos ad se venientes rebaptizabant, ut est apud Augustinum, hæresi 69: quod nunquam in mentem venit B. Cypriano, qui neq; de hæresi Donatistarum quidquam somniavit unquam, & à schismate quocunq; alienissimus tota vita fuit, quippe *caritate plenissimus*, uti eum commendat Augustinus. Quapropter etiam *regnare cum Christo in æternum* dicitur à Vincentio: qui idem *Donatistas in sempiternum* dicit *arsuros esse cum Diabolo*, Commonitorii c. XI. Cæterùm ubertim & accuratissimè hæc omnia exposita qui volet legere, is libros VII. Augustini de Baptismo contra Donatistas, & unum de eodem contra Petilianum adeat. Hìc nunc ad ipsam de Sacramentis doctrinam pleniùs percipiendam nos cum Deo convertimus.

TESTIMONIA VETERVM.

Conditor noster habet vineam, universalem scil. Ecclesiam, quæ ab Abel justo usq; ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. *Gregor. M. homilia XIX. in Evang.*

Quum intus videantur, ab illa invisibili charitatis compage separati sunt. *Augustinus l. 3. de Bapt. contra Donatistas C. 19.*

Vnus est Christus, per quem omnis gens omnisq; lingua fide & confessione unita est. *Ignatius epist. ad Magnes.*

In

In nullum nomen religionis, ſeu verum ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur. *Auguſtinus l. XIX. contra Fauſtum Manich. c. XI.*

Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. *Cyprianus de unitate Eccleſ. ſeu ſimplicit. Prælat. ſect.* 4.

Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis. *Idem ſect.* 3.

Quid faciet Chriſtianus catholicus, ſi novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat. *Vincentius Lerin. adverſus prophan. voc.. novit. c. IV.*

Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, etiam in aliis provinciis, ſua privilegia ac ſuæ dignitates & autoritates Eccleſiis ſerventur. *Concil. Nicen. Can. VI. juxta verſionem Gentiani Herveti.*

Vbi verò apertè Dominus vel ejus Apoſtoli & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs, quod prædicatum eſt, uſq; ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. *Vrbanus Papa, ut citatur in Jure Canon. Cauſa XXV. Cap.* Sunt quidam.

Timotheum presbyterum à ſe creatum (*Paulus*) Epiſcopum vocat, quia primi Presbyteri Epiſcopi appellabantur. *Ambroſ. Comment. in c. IV. ad Epheſ.*

Rectè autem Hieruſalem, id eſt, Eccleſia.—In noviſſimo tempore, multiplicata iniquitate, refrigeſcet charitas, & Solis lumen recedet ab Hieruſalem, & tanta erit vaſtitas, ut difficilè ſalventur etiam electi Dei. *Hieron. Comment. in c. 1. Sophoniæ.*

LOCVS



LOCVS IX.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

APHORISMVS I.

pag. 488.

Sacramentum, nunc quidem ut in Ecclesia loquimur, vocatur ceremonia in Evangelio instituta, ut sit testimonium promissionis, quæ est Evangelii propria, videl. promissæ reconciliationis seu gratiæ.



Ocabulum Sacramenti verbale est, à supino *Sacratum*, interposita syllaba *men*: sicut à juratum fit juramentum, ab indutum indumentum, a vestitum vestimentum. Et est latissimæ significationis, ac prima sui notione significat omnem *rem sacram*, sicut ferè vocabulum Sacrificii cuilibet operi bono, secundùm Dei beneplacitum in ipsius cultum facto, accommodatur in Scripturis. Sic quoq; omnis res sacra vel doctrina sacra (ut est Evangelii doctrina) dici potest Sacramentum. Eaque significatio nec Gentiles latuit, quibus juramentum, quia sacrum erat & per Deos fiebat, Sacramentum dicebatur. Apud Varronem & Festum peculiaris occurrit significatio hujus vocabuli pro pecunia à duobus contendentibus apud Pontificem, Senatum aut quemvis deniq; alium judicem deposita, hac conditione, ut qui vinceret, suam reciperet, victi verò

Sacramenti homonymia.

ærario cederet. Istam pecuniam illi vocant Sacramentum. Quæ significatio quidem & ipsa est latior.

II. Restrictiore significatu accipitur *pro re sacra, arcana* & secreta, sive pro quovis mysterio. Sic dicitur in Vers. vulgata Dan. II, 17.18. sollicitasse Daniel socios suos, *ut quærerent misericordiam Dei super sacramento isto* h. e. ut rogarent Deum copiam interpretandi mystici somnii Regis; sicut ibidem etiam vox sacramenti statim permutatur voce mysterii, ℣. 19. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est.* Eodem modo, extra genus rei sacræ, legitur Tob. XII, 8. *Sacramentum Regis abscondere bonum est:* expedit nim. arcana Regum ita tractare, ne in vulgus dimanent. In N. Testamento frequentissima hæc est significatio. Ita gentium vocatio, Eph. III, 3. Christi & Ecclesiæ conjunctio, Eph. V, 32. Christi incarnatio, 1. Tim. III, 16. nostra redemtio, Col. I, 26.27. dicuntur mysteria, quæ Vetus interpres Sacramenta reddidit. Coincidit hæc significatio quodammodò cùm priore. Nam utiq; omne ejusmodi mysterium, qualia nobis pandit præcipuè N. Testamentum, est res & doctrina sacra: saltem τὸ arcanum ipsi superadditur; quod nemini videl. quidquam eorum innotescat citra patefactionem divinam.

Vlteriùs III. vox hæc notat *rem sacram, arcanam, symbolicam* i. e. tale quid, quod præter rem sensibilem significat vel adumbrat per symbola & figuras quasdam rem aliquam sacram mente duntaxat cognitam. Talia autem Sacramenta sive Symbola cùm dupliciter sese habere possint, ut nim. vel significent saltem, vel simul efficiant id, cui significando sunt destinata; hinc emergit

IV. Strictissima significatio Sacramenti, ut sit *ritus sacer à Deo institutus, qui, quod externè significat, idem internè confert, & spiritualiter ac supernaturaliter efficit.* Et hoc postremo significatu nos vocabulum Sacramenti h. l. accipimus.

Requisita Sacramenti strictè dicti.

Atque ut ratio Sacramenti strictè sic dicti pleniùs nobis constet, notandum, involvi in ea hæc seqq.

I. Vt sit *ritus* h. e. externa actio in sensus incurrens: qualis est ablutio in Baptismo, & comestio ac bibitio in S. Cœna.

II. Vt sit ritus *à Deo ipso institutus.* Cùm enim Sacramenta conferant gratiam, oportet ea habere auctorem Deum, qui solus est auctor gratiæ. Perinde autem est, quoad N. Testamenti Sacramenta, sive dicas à Deo, sive à Domino nostro Jesu Christo ea instituta, qui est Deus de Deo, Filius quippe æterni Patris ὁμοούσιος.

III. Institutio N. Testamenti Sacramentorum non est facta ad tempus, sed ut in perpetuum duret, *usquequò Dominus venerit*, veluti

de S. Euchar. hæc conditio expreſsè legitur 1. Cor. XI, 26. Neq; minus id de Baptiſmo certum, eum unà cum prædicatione Evangelii, cui indeſiſtibiliter adfore ſeſe Chriſtus promiſit, durare debere *usq; ad conſummationem ſeculi*, Matth. XXVIII, 19. 20.

IV. Requiritur in Sacramentis *aliquod externum* ſymbolum ſeu elementum ſenſibile, ab ipſomet Deo ſancitum & commendatum, ut ſunt panis & vinum in S. Cœna, aqua in Baptiſmo.

V. Signa hæc ſenſibilia ſenſibiliter h. e. ad eum modum, qui in oculos & aures incurrat, juxta Chriſti inſtitutionem tractata, ſive, quod idem eſt, *actiones ſenſibiles circa hæc externa ſymbola ſuſceptæ figurant rem ſacram* ſenſibus non ſubjectam. Ita in Baptiſmo externa ablutio per aquam in nomine Trinitatis facta denotat ablutionem ſordium peccati, quæ interiùs peragitur operatione Spiritus ſancti: & externa participatio benedicti panis & vini in Euchariſtia deſignat internam corporis & ſanguinis Dominici communionem, ac ſpiritualem, quæ per hæc præſtatur, animarum noſtrarum alimoniam. *Vtrobiq; aliqua intercedit analogia inter ſignum & rem ſignatam.* Ad animum videlicet noſtrum à peccatis abluendum Deus aqua utitur, qua aliàs externa corporis immundities abſtergitur. Ad eundem animum ſupernaturali & divino modo corpore ac ſanguine Filii ſui nutriendum & refocillandum adhibet panem & vinum, quæ uſitatè corporibus noſtris nutrimentum & refectionem ſufficiunt. Potuiſſet Sacramentorum N. Teſtamenti auctor, ſi ita ipſi viſum eſſet, talia ordinare ſymbola, quibus cum re ſignata planè nulla ineſſet habitudo; ſicut Joh. IX. Chriſtus luto illinens oculos cœci viſum ei reſtituit, cùm hæc duo aliàs nullam inter ſe ſimilitudinem habeant, quin potiùs luto oculis obducto cœcitas quodammodo duplicetur. Verùm maluit ſacramentalibus ſignis eſſe quandam cum reipſa, cui ſignificandæ adhibentur, convenientiam, quò minùs de interiore effectu gratiæ dubitemus.

VI. Non nuda ſignificatione & analogia abſolvitur ratio Sacramentorum N. Teſtamenti, ſed, quod in iis externa actione ſignificatur, id eadem actione ſecundùm inſtitutionem Chriſti peracta *interius realiter præſtatur.* Atq; id quidem, quod & ſignificatur per ea & præſtatur, eſt divina ac ſupernaturalis gratia: non illa ſuo modo communis, cujus auxilia ante Sacramentum dantur, ut per ea credamus & convertamur, atq; ita dignè ad Sacramenta ſuſcipienda præparemur, ſed *gratia juſtificans & ſanctificans*, à qua ſpecialiora promanant dona: remiſſio peccatorum, regeneratio, renovatio, vel certè remiſſionis obſignatio & renovationis augmentatio.

Hanc gratiam per Sacramenta significari: hanc vi & efficacia eorundem, quam ex voluntate instituentis habent, offerri & conferri dicimus. Nam hoc *posterius* volunt Scripturæ locutiones, quibus dicimur *renasci ex aqua* Joh. III, 5. *baptizari in remissionem peccatorum*, Act. II, 38. *mundari lavacro aquæ*, Eph. V, 26. *servari per lavacrum regenerationis & renovationis* Tit III, 5. I. Petr. III, 21. & corpore ac sanguine Dominico sumtis atq; haustis *manere in Christo* & *vitam habere æternam* Joh. VI, 54. 56. Quibus profectò locis hoc innuitur, Sacramenta esse non tantùm signa, sed veras causas efficientes gratiæ. Quo ipso discriminantur Sacramenta N. Testamenti à Veteris cùm typis tùm Sacramentis, quæ gratiam illam significabant tantùm, quam fides in Messiam præstabat & conferebat: cujus fidei protestatio quædam erant Sacramenta. Ipsa per se autem vacua erant gratiâ: unde *infirma & egena elementa* dicuntur Gal. IV, 9. nec uspiam, sicut nostra, leguntur salvare, regenerare, justificare. *Non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo*; ait S. Irenæus l. 4. c. 30. Erat sanè V. quoq; Testamenti temporibus justificatio à peccatis, sed non per Testamentum Vetus aut per ejus Sacramenta, sed per Testamentum N. ad quod pertinebant, quicunq; sub Veteri erant fideles & sancti. Sed & hoc eodem pacto discriminantur N. Testamenti Sacramenta ab aliis ritibus quibusdam, qui hodienum vigent in Ecclesia, nec nisi signa quædam sunt gratiæ justificæ & salvificæ, non causæ eam conferentes. Cujusmodi v. g. sunt trina adspersio in baptismo, signum crucis & similes ceremoniæ ab Ecclesia institutæ, *quæ si effectum habent spiritualem, non obtinent eum ex vi operis ita facti, sed unicè ex interna devotione agentis*. Sacramenta autem nostra, ipsa vi sua, sibi ab agente principali indita, efficiunt & operantur gratiam externis symbolis significatam. Vi sua, inquam, non propria & naturali; nam ex se & sua natura nil tale vel significant, vel præstare possunt: alioqui omnis v. g. ablutio significaret & efficeret absterisionem peccatorum; sed vi institutionis divinæ. Et non quidem id reipsa præstant sine fide & pia devotione utentis, si is adultus sit, attamen nec per eam ut causam proximam, (sic enim non majoris essent valoris, quàm vetera illa Judæorum Sacramenta:) sed *per seipsa, à Deo elevata*, qui iis utitur ut instrumentis, ad effectum ejusmodi spiritualem proximè producendum.

Discrimen Sacramentorum V. & N. Testamenti.

Discrimen inter Sacramenta N. Testamenti & Ritus Ecclesiasticos.

Atq; hoc illud est, quod *Calvinianis* ægrè facit, qui efficaciam sacramentalem omnem fidei transscribunt, Sacramento ipsi nil nisi rationem signi relinquentes, adeoq; quoad efficaciam exæquantes V. & N. Testamenti Sacramenta. Quibus opposita est *Pontificiorum* sententia, dicentium, Sacramenta N. Testamenti valere ex opere operato.

Calvinianorum sententia.

Cum

Cum quibus nos oportet, etsi non ita præcisè loqui, tamen sentire, si ritè contradicere Calvinianis velimus. Nobiscum enim sentiunt Pontificii, Sacramenta esse efficacia organa gratiæ: quæ est mens & sententia Aug. Conf. art. 5. quam probat Eccius apud Chytræum in hist. A. C. p. 232. Neq; vel ex sese & seposita divina ordinatione illum gratiæ effectum per Sacramenta vi naturali quapiam significari & conferri docent; vel deficiente fide & devotione prodesse ea nihilominus, si saltem opus externum fuerit peractum, ulli hodie defendunt, quicquid interim sit de vetustioribus; sed opus operatum opponunt operi operantis tùm ministri tum suscipientis: *idq; certo respectu. Neq; enim,* inquit Estius, *valent Sacramenta* (sive quoad integritatem, sive quoad salutarem effectum) *ex opere i. e. fide seu devotione Ministri, quemadmodum contra Donatistas multis locis docet Augustinus. Neq; etiam ex opere suscipientis. Quanquam enim in suscipiente, si rationis usum habeat, præparatio quædam per fidem & pœnitentiam necessaria sit* (ad salutarem effectum Sacramenti participandum) *idq; ex ipsa Sacramentorum institutione; non tamen inde Sacramenta suam vim & efficaciam mutuantur, sed eam accipiunt ab eo, à quo sunt instituta.* Hæc ille, comment. in lib. 4. Sent. dist. 1. §. 7.

Juxta Pontificios ergò (1.) Sacramenta habent vim justificam & salvificam: id quod ex Scripturis jam antè probavimus. Et quidem (2.) iis ceu instrumentis Deus utitur ad talem effectum. Iterum ex mente Scripturæ. Sicut enim hæc de Christo dicit, eum *lavisse nos à peccatis sanguine suo* (ceu instrumento intimè sibi conjuncto, Apoc. I, 5.) sic dicitur *mundare Ecclesiam suam lavacro aquæ*, Eph. V, 26. Quidni itidem ut instrumento? nam eædem sunt locutiones. Omne autem instrumentum habet actionem duplicem: unam propriam circa subjectum, ut v. g. aqua circa hominem, ipsam videlicet ablutionem externam; alteram, ad quam elevatur à causa principali, ut cum Deus mediante externa ablutione, ceu instrumenti propria actione, ineffabiliter animam interiùs & à peccatis emundat & dono gratiæ sanctificat. (3.) A Deo igitur principaliter ejusq; voluntate in verbo revelata hunc effectum suspendunt Pontificii, secundùm illud ab Augustino in hunc sensum contra Donatistas rectè allegatum Matth. III, 11. *Ille vos baptizabit* (Christus tanquam auctor baptismi, per quem baptismus est efficax) *Spiritu S. & igne.* *Scire oportet*, inquit l. d. Estius, *ea phrasi* (ex opere operato) *non hoc significari, Sacramenta ex natura & conditione operis effectum aliquem spiritualem producere. Nisi enim divinitus ad talem effectum instituta atq; ordinata essent, nihil tale valerent, nihilo magis quàm aliæ qualibet externæ actiones. Imò seclusa divina*

Pontificiorum sententia de Sacramentis.

vina institutione superstitiosum foret ab ejusmodi actionibus supernaturalem aliquem effectum infallibiliter expectare. (4.) Ac fides sane etiam & pœnitentia ex ipsorum mente concurrunt ad salutarem effectum Sacramenti: cum *sine fide impossibile sit placere Deo* Ebr. XI. & expresse Petrus dicat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Jesu in remissionem peccatorum*, Act. II, 38. ipseq; Christus his verbis in institutione Baptismi usus fuerit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, Matth. XXVIII. & in institutione S. Cœnæ: *Hoc facite in mei commemorationem.* Quò & illud spectat Apostoli 1. Cor. XI. *Probet homo semetipsum.* Sed (5.) ut loquitur Bellarminus, *etiamsi ista requiruntur in adultis, tamen non sunt ista, quæ efficiunt gratiam, sed ipsum Sacramentum ut instrumentum Dei* (illam sc. gratiam efficit.) lib. 2. de Sacram. in gen. c. 1. *Pœnitentia* nimirum *& fides sunt quædam dispositiones, habentes sese ut causa removens prohibens.* Tollunt enim obstacula, quæ impedirent efficaciam Sacramenti in adultis, puta incredulitatem & impœnitentiam. *Ipsum verò Sacramentum est causa efficiens immediata gratiæ sacramentalis.* Si objicias igitur Pontificiis, eos excludere à Sacramentis fidem & pœnitentiam; respondet Becanus, Th. Schol. de Sacram. in communi: *Excludimus illas ab efficientia gratiæ* (sacramentalis;) *non tamen a dispositione subjecti.* Cap. 3. q. 1. Nempe sine illis quidem non sequitur effectus salutaris: non tamen sequitur ex illis, aut producitur per illas tanquam effectivè concurrentes. In infantibus tamen, qui obicem ponere non possunt, etiam sine tali dispositione & motu deliberato sequitur effectus Sacramenti, verbi causa, regeneratio, simpliciter & nudè ex opere operato i. e. vi baptismi sic administrati & in illos collati, quemadmodum Christus instituit. Ita habemus plenam Pontificiorum de hac re sententiam, in qua vix est ut desideretur aliquid. Sed sine calumnia hæc velim accipi.

De Numero Sacramentorum.

Nunc porro de numero Sacramentorum aliquid dicendum. Facilè autem ex dictis constat, *si strictè sumatur vox Sacramenti, duo tantùm esse N. Testamenti Sacramenta in rigore sic dicta*, Bapt. & Cœnam Domini. His duobus enim exactè competunt allata sex requisita omnia & singula. Cum verò latiùs aliàs pateat usus vocabuli, inde factum, ut antiquitus non fuerit certus numerus Sacramentorum definitus, sed vagus esset & sub indifferentia quadam relictus, prout scil. quisq; acciperet vocabulum: *neq; extat auctor, qui determinaverit istum numerum, sive Græcus sive Latinus, antiquior Lambardo*, qui vixit seculo demum XIImo. Hic primus non laudabili ausu septenarium numerum invexit, qui posteà invaluit apud Scholasticos, à quibus cum ex S. Litteris

teris adstrui non posset (in his enim nullibi Sacramenta communi aliqua appellatione afficiuntur, nedum ut numerus eorum ineatur) rationes quædam congruentiæ sunt allatæ, quæ cujus sint momenti, ex Chemnitii examine Concilii Tridentini patet. *Cujus quidem Concilii audacia modis omnibus improbanda, quòd definierit, illum numerum septenarium sub anathemate*, quem ultra mille annos ignoravit Ecclesia. Et quicquid dicant Pontificii, nunquam obtinebunt, ut eorum quinque addititia Sacramenta, quæ sunt *Confirmatio, Ordinatio, Absolutio, Extrema Unctio & Matrimonium*, tàm sint Sacramenta, quàm sunt Baptismus & Eucharistia.

Latiùs loquendo posse ea Sacramenta dici, non inficiamur. Præcipuè quod attinet tria illa, Absolutionem, Ordinationem & Matrimonium, habent ea divinam institutionem & aliquam cum veris Sacramentis analogiam. Et quidem *Absolutio*, prout est ministerium applicandi generales promissiones singulis credentibus, proximè ad veri Sacramenti rationem accedit, quippe à Christo instituta Joh. XX, 21. *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos*, nempe ad evangelizandum pauperibus Esa. LXI, 1. habens & promissionem adjunctam cœlestis gratiæ ac remissionis peccatorum, Joh. XX, 23. *Quorum remiseritis peccata, remissa iis erunt: &, quicquid solveritis super terram, solutum pariter & in cœlis erit*, Matth. XVIII, 18. Sed caret externo elemento, signo & ritu divinitùs mandato. Tametsi enim constet in quibusdam locis externa ceremonia impositionis manuum, tamen hæc ipsa nullibi à Deo est mandata, adeoq; libera: sicut sanè apud nos illius usus non est, integra nihilominus & genuina existente ipsa absolutione. Absolutio.

Ordinatio seu legitima ad ministerium vocatio, & publica ejus vocationis declaratio, est & ipsa equidem à Deo instituta Rom. X, 15. *Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint?* Et habet Ecclesia mandatum de constituendis ministris, Tit. I, 5. Adest quoq; promissio de successu & efficacia ministerii: nam *Evangelium Christi est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I, 16. Verùm non habet ex mandato Divino signum quoddam externum externis ritibus adhibendum (nam impositio manuum hic rursum liberè est assumta, cum Christus ipsemet eâ non fuerit usus in ordinatione Apostolorum, sed symbolum adhibuerit afflatûs sui, Joh. XX, 22.) neq; habet promissionem de gratia remissionis & æterna salute per hoc medium conferenda ordinato. Quod enim Paulus scribit: *Salvabis teipsum & eos qui te audiunt*, 1. Tim IV, ult. ea promissio non datur ordinationi, sed sedulæ & intentæ administrationi muneris Ecclesiastici. Externæ ministrorum constitutioni sola est promissa vis & efficacia ministerii in aliis. Ordinatio.

Matri-

Matrimonium.

Matrimonium adhuc minorem habet cum veris Sacramentis analogiam, à Deo quidem institutum, sed pridem, non in N. Testamento ab ipso Christo, & duraturum quidem usq; ad finem mundi, ac interim designans rem sacram, arcanam, puta Christi & Ecclesiæ spiritualem conjunctionem: sed destitutum corporeis & aspectabilibus signis à Deo sancitis, expers præterea promissionis, quod per illud Deus efficax esse velit ad salutem, & dona sua cœlestia eo utenti vel conferre vel collata obsignare.

Ita ergò cum hisce tribus res sese habet: possunt Sacramenti nomine insigniri, tanquam res à Deo institutæ, ut ipsorum dignitas magis commendetur, maximè Absolutio seu Pœnitentia: Sæpiùs enim Pœnitentiam appellant Pontificii Sacramentum, quod tamen intelligendum non aliter, quàm accedente Absolutione. Nam in his verbis, *Ego te absolvo*, dicunt esse formam Sacramenti Pœnitentiæ: ob cujus absolutionis defectum pœnitentia in V. Testamento non sacramentum fuerit, sed virtus tantùm. Id saltem perpetuò addendum, non ita hæc esse Sacramenta, sicut sunt Baptismus & Cœna Domini.

Confirmatio.

Sed & Confirmatio & extrema Vnctio tolerari possunt inter Sacramenta, ut *ritus accepti à Patribus*, ceu vocat Apol. A. C. *Confirmatio*, Germ. **Firmung**/alio nomine *Chrisma* dicitur, à quo proverbium Germanorum ortum traxit: **Es ist Tauff und Chrisam an jhm verlohren**. Distinguitur enim hodie hoc Chrismatis Sacramentum à Baptismo: materiam habens oleum olivæ, mixtum balsamo, & ab Episcopo consecratum: formam autem inunctionem frontis ad formam crucis, cum pronunciatione verborum: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.* Minister hoc Sacramentum conferens non est nisi Episcopus aut ejus sublegatus. Sed à Christo tale quid nuspiam in Scripturis legitur institutum. Nec etiam ex antiquitate sufficientem probationem habet. Ritus quidem baptizatos ungendi oleo fuit olim usitatus in ipsa primitiva Ecclesia. Attamen I. fuit baptismo conjunctus, non constituens peculiare & ab hoc separatum Sacramentum. II. Idem ille, qui baptizabat presbyter, mox ungebat etiam in fronte vel alia corporis parte, sicut hodienum fit in Græca Ecclesia, ubi nulla Episcopis unctio reservatur. III. Effectus supernaturalis nunquam ipsi fuit à Veteribus attributus, qualis hodie fingitur à Pontificiis, *ac si conferat gratiam spiritualem, & quidem majorem, quàm ipse baptismus, in roboranda anima contra diaboli impetus.* Nam ita habet Bell. de Confirm. c. XI. Hoc vero penitùs damnabile reddit Sacramentum istud. Nam Ecclesia licet possit instituere ritus spirituale quid significantes, tamen inde-

re illis

re illis non potest effectum supernaturalem, qui ex opere operato sequatur: sed talis effectus pendet à sola institutione divina, quæ hîc desideratur. Allegant pro hac quidem Pontificii impositionem manuum Apostolicarum, ad quam in prima Ecclesia consequebatur visibilis quædam effusio donorum Spiritus Sancti, Act. IIX, 17. XIX, 6. Verùm efficacia illa, quæ tum fuit, & dona ministrantia, non, quæ Sacramentorum propria sunt, sanctificantia contulit, pridem cum reliquis miraculorum donis desiit. Et hodie apud Pontificios non est manuum impositio in toto hoc Sacramento: sed pollice in oleum intincto Episcopus crucem depingit in fronte ejus, qui confirmatur, pronunciata formula, quam diximus, & deinde alapam leviter impingit: ubi nulla est propriè dicta manûs impositio.

Idem habendum de *Extrema Vnctione.* Quatenus illa quidem est antiqua ceremonia, sub ipsum N. Testamenti initium usurpata, quamque in hodiernum diem tenet Græcorum Ecclesia, potest nomine Sacramenti venire: quatenus autem Pontificii adscribunt ei effectum gratiæ, nempe abstersionem reliquiarum peccati, non indigna tantùm est Sacramenti titulo, sed omninò itidem, ut Confirmatio, damnanda. Certè Scriptura aliam non agnoscit, quàm quæ ægris fuit, durante adhuc miraculorum dono, adhibita in sanationem corporalem, Marc. VI, 13. Jac. V, 14. Quo posteriore loco mentio quidem fit remissionis peccatorum, sed quæ ad orationem pertinet tum ipsius ægroti tum aliorum pro eo, non ad unctionem. Posteà cessante licet effectu miraculoso, mansit nihilominus in Ecclesia unctio illa: sed & exorcisatio mansit simili modo, cessante dono curandi obsessos; quæ ob id tamen non habetur pro peculiari Sacramento. Extrema Vnctio.

Tandem igitur concludamus Augustini verbis, qui de N. Testamenti Sacramentis agens: *Quædam*, inquit, *pauca pro multis* (Veteri pacto propriis) *eademque factu facillima & intellectu augustissima & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* l. 3. de doctrina Christ. c. 9 Et sic Ambrosius etiam sex libris, quos de Sacramentis, scripsit, non nisi horum duorum meminit, tanquam ab universa Ecclesia pro talibus agnitorum. Sed tamen, ut prudenter monet Apologia, *nec multum referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerent aliter; si tamen rectè conservent res in Scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numeraverunt.*

TESTIMONIA VETERVM.

JUstinus in Apolog. II. pro Christianis, Tertullianus lib. I. & IV. contra Marcionem & de Corona mil. & Cyrillus Hierosol. in Catech. suis plura, quam duo Sacramenta non agnoscit.

Hæc (*Baptismus & S. Cœna*) sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta. *Augustinus de Symb. ad Catechum.*

Sunt Sacramenta Christi in Ecclesia Catholica, baptismus & corpus ac sanguis Domini. *Paschasius de Cœna Dom.*

Non prosunt Sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi: Fides autem Christi est credere in eum, qui justificat impium, credere in Mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo. *August. tract. LIII. in Joh.*

Dona gratiæ spiritualia, quasi quædam antidota sunt invisibilia. In Sacramentis visibilibus quasi quibusdam vasculis homini porriguntur. Jam sicut quod est in vase, non est de ipso, neque ex ipso, sed cum ipso hauritur: sic gratia non est à Sacramentis, neq; de Sacramentis, sed oritur de fonte æterno, & ab illo hauritur ab anima in ipsis Sacramentis. *Hugo l. V. de Sacram. part IX. c. 2.*

Quamvis ab indignis se sumi vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen Spiritûs esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideoq; aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: quia omninò justum est, ut tanto priventur beneficio gratiæ contemtores, nec in indignis tanta gratiæ puritas sibi faciat mansionem. *Cyprianus de Cœna Domini sect. VII.*

Sacramenta sunt visibilia rerum divinarum signacula. *Augustinus de Catech. rud. c. 26.*



LOCUS X.
DE
BAPTISMO.
APHORISMUS I.

pag. 690.

Baptiſmus eſt inſtituta â Filio Dei merſio in aquam, cum pronunciatione verborum: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.



Aptiſmi nomen eſt à *βάπτω* & *βαπτίζω*, quod mergere, tingere, madefacere, & à conſequenti, abluere ſignificat. Ac *ſumitur dupliciter in Scripturis:* propriè & impropriè. *Impropriè*, pro copioſa donorum ſpiritualium effuſione aut vehementi rerum triſtium & dolorum immiſſione; vel, ut alii efferunt, pro baptiſmo flaminis ſeu ſpiritus, Act. I, 5. & ſanguinis ſeu martyrii, Matth. XX, 22. Quibus addi poteſt baptiſmus luminis ſeu doctrinæ, cujus indicium Act. XIIX, 25. ubi totum miniſterium Johannis dicitur baptiſmus. *Propriè*, pro baptiſmo fluminis ſeu aquæ, eoq; vel Legali ſeu Levitico, Ebr. IX, 10. vel ſuperſtitioſo, Marc. VII, 4. vel *N. Teſtamento peculiari* & initiationis Sacramento, Matth. XXIIX, 19. Quæ poſtrema ſignificatio hic à nobis unicè attenditur. Baptiſmi homonymia.

Atq; ut certo ordine circa hoc Sacramentum progrediamur, primò illius cauſa efficiens, & principalis quidem ac inſtitutrix, eſt *Chriſtus Dominus* & Servator noſter: qui Apoſtolos ſuos juſſit *exire in univerſum orbem & docere omnes gentes easq; baptizare*, Matth. XXIIX. Neq; tum tamen primùm baptiſmus inſtitutus fuiſſe credendus eſt, cum Ejus cauſa efficiens principalis.

ablegarentur Apostoli in omnem terram: sed jam ante per ministerium Johannis fuit in Judæa mandante Deo introductus. Qui Johannes inde etiam peculiari nomine βαπτιστὴς dictus est. Verùm per Apostolos erat juxta Christi præceptum solenniter in orbe inter omnes gentes unà cum explicita fide in Christum promulgandus. Atq; exinde cœpit esse necessarius, necessitate tum præcepti tum medii. Necessitas medii prædicta est à Christo Joh. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum Dei.* Necessitas præcepti fundatur in verbis institutionis modò allegatis: *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eas &c.* Ex quo hoc præceptum tulit Christus, additâ præcepto certa quoq; formula in baptismo adhibenda, obligatio nata est & debitum suscipiendi deinceps baptismi ab omnibus Christo nomen daturis. Tulit autem illud ascensurus in cœlos. Sed tamen executio mandati dilata est X. dies, usq; ad Pentecosten: ibi tum cœpit publicatio fieri N. Testamenti, & necessaria haberi hominibus explicita fides Christi ac susceptio baptismi. Cujus utriusq; exemplum est Act. II. Ante ascensionem arbitrarius erat baptismus, & fuerunt fideles, quos nemo potest asserere baptizatos fuisse.

De baptismo Johannis. Ac certò nobis etiam non constat, Johannem explicitè in nomine trium personarum baptizasse, quia tum nondum formula illa erat præscripta, fidesq; illa distinctior ad salutem necessaria: sed fortè conferebat baptismum in nomine Dei & Messiæ venturi. *Verus interim ac substantiæ & effectus consideratione idem erat Johannis & Christi vel Apostolorum ejus baptismus.* Baptizabat enim Johannes aqua, idq; *divina auctoritate* Joh. I, 33. & in remissionem peccatorum. Sicut enim leguntur Apostoli baptizasse *in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum* Act. II, 38. Sic prorsus eadem phrasi de Johanne legitur, Marc. I, 4.. *Baptizabat Johannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Idem repetitur Luc. III, 3. Contrarium etsi statuerint sine crimine vetustiores Patres nonnulli, magno tamen temeritatis crimine definierunt sub pœna damnationis Tridentini. Verba, quæ eò trahuntur, ab ipso Johanne prolata: *Ego baptizo aqua, Ille verò vos baptizabit* (Christus) *Spiritu S. & igne*, Matth. III, 11. qua distinctione & Christus ipse utitur Act. I, 5. non discernunt baptismum Christi & Johannis, sed personam & officium Johannis à persona & officio Christi. Nam Johannes erat minister tantùm, ac ipse per se quidem plus efficere non poterat, quàm quod aquam ministraret: virtutem autem internam & Spiritus Sancti super baptizatos effusionem ministerio ejus adjungebat & largiebatur Christus: qui penes se hanc potestatem residere docuit postea luculento symbolo visibilis effusionis

Spiritus sui super Apostolos factæ in forma ignis. Quò respiciens Baptista dicit in futuro: *Baptizabit vos*, nempe visibiliter & extraordinariè; qui nunc pro præsenti invisibiliter dat Spiritum S. & dona ejus ordinaria. Vnde alibi verbo præsentis temporis utitur Joh. I, 33. *Hic est qui baptizat Spiritu Sancto.* Vt ita certum sit, etiam temporibus ministerii Johannis efficacem fuisse Christum & baptizasse *Spiritu Sancto & igne i. e. Spiritu vehementem efficaciam habente instar ignis.* Ac manet proinde, non hic distingui baptismum Joh. à Christi baptismo, sed personam à persona. *Idq; ipsum valet eodem modo de Apostolis baptizantibus.* Ministri erant, non ipsi sua vi conferentes iis, quos tingerent, Spiritum S. & dona cœlestia, sed aquam affundentes, Christo præstante per eorum ministerum remissionem peccatorum & elargitionem donorum S. Spiritûs ad salutem. Planè sicut de ministerio verbi scribit D. Paulus: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit. Neq; ergò qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus*, 1. Cor. III, 6.7.

Quare nec qui à Johanne erant baptizati, posteà fuisse baptismate Christi peculiariter ablutos existimamus, etsi id dicant *Pontificii*, & in speciem illis faveat, quod legitur Act. XIX, 4. 5. Rectè enim distinguenda sunt verba Pauli ibi loquentis à verbis Lucæ historiam illam narrantis. Quippe quæ ℣. 5. habentur, non sunt Lucæ historici verba indicare volentis novi cujusdam baptismi collationem iis, in quos Paulus Ephesi inciderat, discipulis Johannis factam: sed sunt ipsius adhuc verba Pauli, dicentis, eos, qui audiverant, scil. Johannem, solitos baptizari fuisse in nomen Domini, subintellige, ab ipso illo Johanne. Nam cohærent ℣. 4. & 5. ut una aliqua oratio, exigentibus ita particulis μὲν & δὲ invicem se respicientibus, hoc sensu, ut Paulus dicat, Johannem nihil aliud egisse, nisi ut homines tam doctrina quàm baptismo ad Christum adduceret. Post demùm ℣. 6. addit de suo Evangelista: *Et cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus S. in eos, & loquebantur linguis.* Aliquid videl. per Paulum etiam consecuti sunt illi Ephesii, non ceremoniam quidem baptismi & dona Spiritus S. ordinaria, sed *gratias illas visibiles & extraordinarias*, quæ initio nascentis Ecclesiæ excellenter viguerunt: de quibus illud quoq; intelligendum discipulorum illorum effatum ℣. 2. *Ne quidem novimus, quod sit Spiritus S.* Nam interdum nomen Spiritus ponitur pro singularibus & admirandis donis Spiritûs, sicut & Joh. VII, 39. legimus: *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et ita etiam Samaritani, cum jam ante essent baptizati à Philippo, tempore aliquo pòst impositione manuum Petri & Johannis memorantur accepisse Spiritum S. Act. IIX, 12.17. i. e. do-

i.e. dona illa insignia & peculiaria: qualia fuerunt donũ linguarum, donum faciendi miracula, & similia. Tantùm ergò *circumstantiarũ ratione* aliquod relinquitur discrimen inter baptismum Johannis & Apostolorum, quod ille baptizarit primus, hi posteriores, & ille *in eum, qui veniebat post ipsum*, Act. XIX, 4. h.e. in Christum per prædicationem Evangelii & miracula manifestandum adhuc, passurumq; & moriturum ac resurrecturum: hi verò in Christum præstantibus signis & prodigiis jam approbatum à Deo, passumq; & resuscitatum, Act. II, 22.23.24. Rom. VI, 3. Deniq;

Christus ipse baptisma Johannis suscipiens cohonestavit illud & comprobavit, nostrumq; insimul sanctificavit, atq; suo exemplo obedientiam mandatorum Dei nos edocuit, Matth. III, 13. 15. Qui per se ipsum tamen *neminem baptizavit*: sed actionem baptizandi commisit discipulis suis, Joh. IV, 2. horumq; successoribus, qui sunt hodienum omnes legitimè vocati Ecclesiæ ministri. Per hos operatur & efficax est *ad salutẽ baptizatorum*, ut per eorum ministerium qui baptizantur, regenerentur & Spiritum S. ac jus æternæ salutis adipiscantur. Nam *distinctè licet Christus Dominus agat & ejus Minister, non separatè tamen uterq; agit*, sed externa actio ministri arctè sibi conjunctam habet virtutem interiorem Christi, ad eum modum, quo Paulus dicit de officio prædicandi Evangelium: *Quis igitur est Paulus? quis Apollo? nisi ministri, PER QVOS credidistis*. 1. Cor. III, 5. Vnde se & Apollonem *Dei cooperarios* ibidem nominat, ℣. 9.

An Baptismus ab Hæretico collatus pro rato sit habendus?

Cæterum hic tria jam ulterius quæri solent.

I. Vtrum, si minister sit hæreticus, baptismus ab eo collatus sit pro rato habendus? ℞. Maximè, *si substantialia ritè observata* fuisse constet, veluti p. 460. pluribus ostensum est. Non habent quidem hæretici potestatem baptizandi, cum non sint successores Apostolorum, quibus propriè commissum à Christus est munus baptizandi. Si tamen actionem istam perficiant, prout Christus instituit, baptismus ille non est rescindendus. Nam nec potestatem habent docendi verbum, ob eandem rationem, quia successores Apostolorum non sunt, & tamen si quid doceant, quod Scriptura & Ecclesia docent, v.g. esse unum Deum creatorem cœli & terræ, id non rescinditur, si quis ab hæresi ad Ecclesiam veniat. Id interim *dabunt operam Ecclesiæ orthodoxæ membra, ne baptismum sibi aut liberis suis petant ab iis, quos norunt hæresi laborare*, ne communionem habere videantur cum illis & operibus eorum injustis. Nam eò non spectat propositæ quæstionis affirmatio, ut quis ab ejusmodi Ministris temerè baptismum sibi aut liberis suis petat, sed ut collatum non repetat atq; illum adeò irritum ducat.

II. Quæ-

II. Quæritur: An Laicis etiam, seu viris seu feminis, liceat aliquando baptizare in necessitatis articulo? Respondetur iterum affirmatè, his quidem conditionibus, *ut privatim illud fiat, non publicè*, 1. Cor. XIV, 34. nec privatim etiam, nisi absente ordinario ministro, & simul existente tanta infirmitate infantis, ut remediis licet omnibus prudenti sollicitudine tentatis, metus tamen sit, ne sine baptismo infans decedat, antequam minister ordinarius obtineatur. Tali casu non improbamus laicorum & ipsarum mulierum baptismum, idq́; propterea, I. quia necessitas hujus Sacramenti magna est, & grave periculum, si negligatur: nam salus periclitatur infantis. Joh. III, 5. Si haberi itaq; possit, quocunq; ministrante (modò nôrit rectè secundùm institutionis verba administrare) imperat necessitas, ut ratio non habeatur ministri: qui cùm externa solùm causa sit, variari potest nihilo essentiæ Sacramenti decedente. Calvinianos necessitatem hanc parvi æstimantes nil mirum est, de laicorum etiam baptismo abjectiùs sentire. Neq; verò est, ut nos illos moremur, quia II. etiam laici, tam mares quam feminæ, possunt interdum docendi munus præstare, sicut patet exemplo *Aquilæ*, opificis & textoris, ejusq́; uxoris *Priscillæ*, Alexandrinum virum, cui nomen Apollo, exquisitiùs in via Domini informantium, Act. XIIX, 26. & ipsi Apostolo ob id συνεργῶν, *Adjutorum* nomine venientium, Rom. XVI, 3. Si possunt autem, qui sunt tales, privatim docere, quod primarium aliàs munus est in Ecclesia; quidni etiam baptizare queant, quod est munus secundarium tantùm? ut Pauli verba indicant 1. Cor. I, 17. *Non misit me Christus* (præcipuè) *ad baptizandum, sed ad prædicandū Evangelium.* Accedit III. exemplum Ziporæ filium suum circumcidentis, Mose marito suo etiam præsente, sed ab Angelo mortē ei minante in eas angustias conjecto, ut circumcisionem obire ex trepidatione non valeret, quæ administrata interim à muliere fuit coram Deo rata, & tam Mosi quam infanti salutaris, Exod. IV, 24. 25. 26

An aliis quam ministris Ecclesiæ in casu necessitatis liceat baptizare?

Jam verò III. quæritur de intentione ministri, utrum ea sit necessaria ad rationem Sacramenti? Quæ quidem quæstio videtur prorsus esse supervacanea. Nam *vel intelligitur intentio relata ad salutarem effectum baptismi.* Et hanc ne ipsi quidem, contra quos hic disputari solet, *Pontificii* hodie requirunt, cum ex ipsorum mente etiam hæretici effectum baptismi penitùs negantes, verum nihilominùs & substantialiter integrum conferre queant, & aliàs quoq; verisimile non sit, ministrum emeritum toties baptizantem semper de fine baptismi cogitare; quin eo pacto unicuiq; perpetuò ambigendum sit de integritate accepti baptismi, cùm de intentione sui baptistæ nemini constare queat: *Vel intelligitur intentio relata ad ipsam tantùm actionem externam, e-*

An intentio Ministri necessaria sit ad rationem Sacramenti?

jusq; tum materiale, quod est nuda actio, *tum formale*, prout illa actio non est communis, sed sacra. Et hanc intentionem à ministro agente separari impossibile est. Cum enim agat ut homo, & cum pleno usu rationis, non potest, dum agit, carere intentione agendi: & similiter dum agit rem sacram, non potest destitui intentione agendi rem sacram; nam ad hoc, ut sit talis i.e. sacra, determinatur per circumstantias loci, temporis, personarum, & earum præcipuè, quæ petunt baptismum sibi vel suis: quæ vel sola petitio sic determinat actionem sacram, ut non possit minister eam obire aliâ quàm hac intentione, præstandi sic actionem sacram, quam præstare rogatus est, sive, ut loquuntur Pontificii, faciendi, quod in hoc Sacramento facit Ecclesia, ipsam videlicet rem sacram. Qui & ipsi tamen *pro aliquo tempore virtualem intentionem hic putant sufficere, si cesset actualis.* Fieri nimirum potest, ob aliquam mentis evagationem, quæ in sanctissimis etiam negotiis obrepit, ut interrumpatur actualis intentio, quæ paulò ante tamen aderat, in cujus virtute etiam continuatur & perficitur externa sacramentalis actio, quæ per illam fuit inchoata. Quibus sic se habentibus, cumq; adeò posterior hæc intentio actionem externam respiciens subtrahi non possit, quin actualiter in principio adsit, & minimum virtualiter continuetur cum actione lavandi & S. Triadis nomen invocandi, priorem autem ad finem & effectum baptismi relatam nemo quisquam exigat, supersedere profectò tota hac quæstione nos posse facilè judicabunt, qui sunt sapientiores. Modò & supersedere circa eam voluissent Tridentini determinatione sua & anathemate plus nimio hîc intempestivis.

Et hæc hactenus de causa efficiente baptismi, cùm principali, tum administra.

Materia baptismi. Materia porrò baptismi est aqua, eaq; vera & naturalis. Quo ipso duo dicimus: I. *nullum liquorem esse materiam baptismi, qui non sit vera & naturalis aqua.* Turpiter enim erravit Beza, baptismum quovis alio liquore, ubi aqua defecerit, posse peragi arbitratus. Quippe mensura talium simpliciter est institutio Christi. Hæc autem jubet βάπτειν & βαπτίζειν, tingere, mergere, abluere: quod usitatè alium liquorem non requirit præter aquam. Neq; enim si famulo dicam: Ablue vas istud, concipior aliud velle, quàm ut aqua illud imbuat & expurget; nisi exsertis verbis aliud addam, & vino vel oleo aut lacte id ablui jubeam. Ex solo igitur lavacri nomine & verbo βαπτίζειν sufficienter constare nobis poterat de materia baptismi. Ne quid tamen desideretur, dicitur baptismus, cum addito, *lavacrum aquæ*, Eph. V, 26. & ingressus

greſſus in regnum cœlorum illis patere, qui *renati ſint ex aqua*, Joh. III, 5. nec aliter Eccleſia Apoſtolica unquam baptizavit. *En aquam*, ait Evnuchus Philippo Diacono; *quid prohibet me baptizari?* Act. IIX, 36. Atque hinc Petrus etiam baptiſmum *diluvio* comparat, 1. ep. III, 21. *Cur autem aquam DEVS elegerit potiùs quam aliud corpus liquidum vel quodcunq; elementum*, cauſa videtur eſſe neceſſitas baptiſmi, ut cùm nihil ſit aqua vulgarius, urgente neceſſitate ſtatim materia baptiſmi ad manus eſſe, isq; adeò de facili adminiſtrari poſſit. Deinde etiam analogia, quam habet aqua cum effectu baptiſmi. Sicut enim corporis ſordes aqua abluuntur, ita ſacro baptiſmate abluuntur peccata, ſordes animæ. Et videri poſſit reſpectum quoq; habuiſſe Chriſtus ad baptiſmata Judæorum, qui, ſi corporaliter & Leviticè immundi eſſent, aqua ſe abluere neceſſe habebant ad carnis puritatem. Similiter ergò im̃unditiem nativam aqua tolli, eodemq; elemento munditiẽ ſpiritualem conferri Servator voluit. Et quidem II. *omnem veram & naturalem aquam, quantumvis accidentaliter alteratam & mutatam, eſſe materiam idoneam ad baptiſmum* ſentimus, ſive ſcil. fontana fuerit, ſive fluviatilis, ſive frigida item, ſive calida fuerit, dummodò vera & naturalis aqua exiſtat.

Forma autem baptiſmi conſiſtit in ipſa actione, quæ partim communis eſt, partim peculiaris & ſacra. *Communis actio* eſt merſio in aquam vel adſperſio aquæ, uno verbo, lotio: quæ vel *merſione* peragitur, ſicut legimus baptizatum à Philippo Evnuchum Candaces & à Johanne ipſum Chriſtum, qui mos poſteà in Eccleſia diu manſit, & eſt repræſentativus, quoad moram ſub aqua, ſepulturæ, & quoad emerſionem ex aqua, reſurrectionis Chriſti, alludente huc Apoſtolo Rom. VI, 4. vel peragitur *adſperſione*, ſicut multis jam ſeculis fit in Latina Eccleſia: nam Græca immerſionem adhuc habet. Forma Baptiſmi.

Et utrum quidem horum fiat, tantundem eſt. Nam & ipſum verbum βαπτίζειν interdum partis ſaltem alicujus in aquam intinctionem ſignificat, cujus ſignificationis exemplum apertum eſt Luc. XI, 38. & parte hominis abluta, potiſſimùm principali, quæ caput eſt, rectè cenſetur totus homo ablutus: & in ipſis Scripturis ter mille uno die dicuntur Hieroſolymis in urbe baptizati, Act. II, 41. ubi ingreſſus ejuſmodi in aquas, qualis de Chriſto & Evnucho memoratur, vix eſſe potuit: & in veteri deniq; Eccleſia habemus baptiſmum clinicorum ſive ægrotantium, qui lecto affixi baptizari aliter non poterant quàm adſperſione, ſicut de Novatiano refert Euſebius, eum ſic fuiſſe baptizatum, qui poſtea presbyter Eccleſiæ Romanæ factus eſt: adeoq; hoc exemplo diſcitur, baptiſmum ejuſmodi fuiſſe ab antiquo pro legitimo

habitum. Cum presbyter enim factus fuerit Novatianus, legitimè oportuit baptizatum fuisse.

Quoniam verò & immersio & aspersio secundùm se vulgaris & communis est actio, accedat necesse est aliquid, quo actio ista discernatur à communibus lotionibus, & *restringatur ac determinetur* ad actionem sacram. Id verò præstat pronunciatio verborum, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ab ipso Christo præscripta Matth. XXVIII, 19. Hæc igitur recitatio potissimam hujus Sacramenti formam subit. Et idcircò retinendam invariatè hanc verborum formulam esse, semper credidit Ecclesia. Nisi etiam hæc ipsa verba accipiantur de formula baptizaturis utenda, nulla habebitur in Scripturis baptizandi forma expressa: quod absurdum. Nam quod quidam leguntur *baptizati in nomen Domini Jesu*, Act. II, 38. X, ult. XIX, 5. id non de forma baptismi accipiendum est, quod aliâ quàm à Christo ipso præscriptâ sint baptizati, sed de causa ejus efficiente, quod mandato sc. & auctoritate Christi, ejusq; instituto, vel in fidem etiam ejus baptizati fuerint. De cætero sicut indifferens est, *unam vel trinam mersionem & adspersionem* adhibere, quarum illa personarum Deitatis trinitatem, hæc essentiæ unitatem significare potest: sic nihil etiam interest, sive in principio recitationis verborum dicatur: *Ego baptizo te*, ut in Latina Ecclesia solet; sive, ut in Græca, *Baptizetur servus Christi*; sive neutrum horum dicatur, sed simpliciter fiat ablutio illis verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Hæc enim sunt ἀδιάφορα, ita tamen, ut totius alicujus Ecclesiæ arbitrio subsint, non cujuslibet privati.

Adhuc tamen aliquid videtur desiderandum, quo minùs restricta sufficienter sit & determinata Sacramentalis actio. Quid si enim puerum aliquem ad balnea deductum aut ægrum quempiam perfundi & lavari aqua contingat, nomine SS. Trinitatis super actione illa ex baptismi formula invocato, quò benè cedat illa lotio; anne dicendum, tali homini baptismum esse collatum? Nihil minùs. Hìc ergò aliquis jam usus sit illius *Intentionis*, de qua frustrà contendi paulò antè diximus. p. 479. Quoniam enim ab eo, qui sic lavat, animus & intentio baptizandi, seu id faciendi, quod Ecclesia sacris initiationis operata solet facere, longissimè abest, inde lotio illa nil est nisi communis & vulgaris actio balneatoria, non sacra & Ecclesiastica. Ad hanc enim requiri intentionem actum baptismatis saltem externum & sensibilem exercendi, quem in eo Sacramento consuevit exercere Ecclesia, negare nec possumus nec volumus: sed hanc ipsam intentionem ad Sacramenti valorem requisitam negamus separari ab actione, in qua forma Sacramenti

menti consistit, vel à baptizante ministro subtrahi posse. Itaq; adhuc maxima sui parte inanis est & frustranea illa de intentione contentio.

Pertinent autem ad formam etiam baptismi omnes illæ ceremoniæ accidentariæ, quæ ipsam huic Sacramento essentialem h. e. lavandi & Sanctissimæ Trinitatis nomen attestandi actionem, cum intentione Sacramentum conferendi factam, vel antecedunt, vel comitantur, vel sequuntur.

Ceremoniæ præcedentes baptismum sunt I. *Exhortationes ad populum*, ut de dignitate rei cogitet, ac baptizandi salutem ardentibus precibus Deo commendet. II. *Signum Crucis* in fronte & pectore, ad denotandum, totam salutem nostram unicè ex passione & morte Christi pendere. III. *Recitatio* orationis Dominicæ aliarumq; precum, ad excitandam devotionem facientium, cum impositione manuum. IV. *Exorcismus* i. e. adjuratio dæmonum per invocationem divini nominis, ut recedant ab homine baptizando. Cum autem dupliciter id fieri possit, ut dæmon discedat ab homine; vel, ut quem corporaliter obsedit, relinquat: vel, ut quos spiritualiter tenuit deserat, & potestatem in eos nullam posthac exerceat; posteriore hoc modo usurpat Ecclesia exorcismum, ut videlicet hoc ritu significetur, omnes omninò homines ab ipso ortu & nativitate sua propter peccatum, cum quo in lucem eduntur, sub potestate Diaboli tenebrarum principis esse constitutos, nec inde eximi, nisi Christo dent nomina & ejus baptismum suscipiant. De duobus ergò hic ritus monet haud inutiliter: primò quidem de extrema eorum, qui extra Christum sunt, miseria; tùm porrò de admiranda baptismatis in Christi nomine suscepti efficacia. Annexam sibi olim habebat *exsufflationem, vel, ut alii dicere malunt, insufflationem*, ut ita simul & mali spiritus expulsio & boni Spiritus afflatio significaretur. Ac utraq; consuetudo exorcisandi & exsufflandi est antiquissima: indeq; argumentum petebatur contra Pelagianos, originis peccatum negantes. *Non inveniunt*, inquit Augustinus de illis, *quid ad hoc respondeant, quod exorcizantur & exsufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideò non fallaciter exorcizantur & exsufflantur, per quid dominatur nisi per peccatum, princeps utiq; peccatorum?* Ep. CV. ad Sixtum, in fine. Neq; infantum solummodo, sed adultorum etiam baptismo eadem ceremonia constanter fuit adhibita; ut vel hinc constet, non eò illam debere trahi, quasi, antequam regeneremur, simus ἐνεργέμενοι (quo nomine vocabantur olim, qui corporaliter obsessi erant à dæmone) sed hoc saltem eâ indicari, quòd naturâ simus filii iræ, inimici

Ceremoniæ Baptismum præcedentes.

mici Dei & mancipia diaboli; quales sunt etiam adulti irregeniti, qui tamen ἐνεργούμενοι non sunt, Eph. II, 2. 3. Col. I. 13. II. Tim. II. ult. Neutrubi autem, vel in infantum vel in adultorum baptismo, tribuerunt Veteres actioni exorcisandi efficaciam aliquam ex opere operato, sed vim omnem constituebant in precatione Ecclesiæ ritibus istiusmodi adjuncta, & ipso subsequente baptismatis Sacramento. Majoris virtutis erat exorcismus in corporaliter obsessis. Ibi enim non significabat tantùm, sed efficiebat liberationem corporalem, vigente quondam dono illo imperandi dæmonibus, & eos ejiciendi è corporibus hominum; quod pluribus quidem seculis in Ecclesia viguisse, prisca monumenta docent. Liberationem autem spiritualem significat tantùm & repræsentat exorcismus, dum ea interim per Dei invocationem & lavacrum aquæ in verbo efficitur & præstatur. Non deerant plures ceremoniæ olim usitatæ ante ipsum baptismum. Erat enim *gustus salis*: erat *tactus narium & aurium*, cum dictione: Ephata! cujus mentio est apud Ambros. l. 1. de Sacram. c. 1. Erat *unctio*, quam accipiebant baptizandi, velut futuri spirituales athletæ, reges & sacerdotes: hi enim inde ab antiquissima memoria ungi solebant. Sed apud nos horum nihil observatur.

Ceremoniæ Baptismum comitantes.

Ceremoniæ comitantes baptismum sunt I. *Benedictio* baptizandi. II. *Impositio nominis*, quæ & ipsi circumcisioni erat conjuncta. III. *Abdicatio*, qua baptizandus, vel ejus loco susceptor, renunciat satanæ & operibus ac pompæ ejus. IV. *Recitatio symboli Apostolorum*, & baptizandi vel gestantium seu susceptorum testificatio ac *sponsio de fide* articulis illis sive habita sive habenda, ut sic profanatio baptismi caveatur. Non enim is conferri debet, nisi iis, qui vel credunt jam, vel inter credentes educandi, & fide illa, in quam fit baptismus, imbuendi sunt. V. *Trina adspersio*. Olim & hîc plures erant, utpote *consecratio aquæ* per preces & crucis signum, ac *observatio temporis Paschalis & Pentecostalis*, ut ordinariè omnes in Sabbatho seu vigilia Paschatos & Pentecostes, casu tamen necessitatis excepto, baptizarentur, nec quocunq; die tingerentur credentes nisi ægri, ut habet auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, qui S. Ambrosii nomine circumferuntur, ad Eph. 4.

Ceremoniæ Baptismum subsequentes.

Deniq; post baptismum induitur infans *mitra candida & albo indusio*, ad imaginem quampiam ritus veteris. Nam sumebant baptizati antiquitus vestem candentem, ad vitæ innocentiam & morum puritatem, cui studere in posterum deberent, designandam. Atq; hanc vestem gestabant per octiduum, seu, ut antiqui vocant, per octavas Paschatis & octavas Pentecostes, nec deponebant nisi proxima Dominica vel Sabbatho. Vnde etiam *Dominica Quasimodogeniti*, item *Dominica*

nica in albis dicta est. Insuper verò in usu tum quoq; erat *osculum pacis*, quo baptizati excipiebantur; & *nova unctio* (admodum enim reverenter habuit vetustas, & sæpius idcircò iteravit unctionem, in honorem Christi & nominis Christiani) & *delibatio mellis ac lactis*, *cereusq; accensus*, qui dabatur baptizato, vel, si infans esset, ei præferebatur, in signum acceptæ illuminantis gratiæ, & quòd sit translatus a potestate tenebrarum ad lumen & sortem Sanctorum. Nec quidquam frequentius apud vetustiores Patres, quàm baptismum ipsum dici φωτισμὸν, illuminationem. Hodie moris est apud nos peracto *baptismo & gratiarum actione dicta commonefieri sponsores sive susceptores* officii sui, ut velut pædagogi ac magistri rudimenta fidei rectæq; vitæ rationem doceant susceptos, ac semper paternam pro salute eorum curam gerant. Qualis quidem admonitio non legitur ab antiquo ita proximè ipsi baptismatis actui subnexa: sed tamen extra baptismum frequentes occurrunt cohortationes ejusmodi in Sermonibus Augustini. Verba inde ista memorantur apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. *Vos ante omnia tàm mulieres quàm viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoq; semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis ex sacro fonte, ostendite.* Similis apud August. locus est Serm. CLXIII. de Temp. isque maximè illustris, & ob id dignissimus adscribi, ita habens: *Hoc admoneo, fratres dilectissimi, ut quotiens paschalis solennitas venit, quicunq; viri, quæcunq; mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse, & ideò semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usq; ad nuptias servent, à maledicto vel perjurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, auguria non observent, phylacteria & characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquando suspendant, incantatores velut ministros diaboli fugiant, fidem catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentiùs currant, contemta verbositate lectiones divinas attentis auribus audiant, & secundùm quod ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lavent, pacem & ipsi teneant, & discordes ad concordiam revocare contendant, Sacerdotibus & Parentibus honorem amore veræ charitatis impendant. Hæc omnia & his similia si filios & filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter pervenietis.* Quid poterat, obsecro, dici præclarius de officio non susceptorum tantùm, sed omnium in

um in universum Christianorum ad salutem æternam adspirantium? Et tantum etiam de materia ac forma baptismi.

APHORISMVS II.

pag. 690.

Infantes sunt baptizandi.

Subjectũ baptismi

SVbjectum baptismi considerandum nunc est. Hoc verò sunt, definiente Christo, *omnes gentes*: adeoque nihil brutum aut monstrosam bruti speciem præ se ferens, unde colligi possit animam rationalem non subesse: multoque adeò minùs inanime quippiam, ut sunt campanæ, aut mortuum quid, vel secundùm partem saltem ex utero prominens: (qui enim perfectè natus non est secundùm Adamum, quî possit renasci secundùm Christum?) sed soli homines, iique vivi & perfectè ex matrum uteris egressi: & tales quidem omnes absque gentis, status, sexûs, ætatis discrimine, Gentiles & Judæi, servi & liberi, mares & feminæ, nec adulti tantùm, sed etiam infantes.

Sunt adulti.

De adultis nemo est, qui dubitet. Nam de his sonant Christi verba, Marc. XVI, 15. 16. *Profecti in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (omnibus hominibus.) *Qui crediderit* Evangelio prædicato (quod utique non nisi adultis prædicatur) *& baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit* (vobis Evangelium prædicantibus,) *condemnabitur.* Ex quibus verbis simul patet, adultis priùs prædicandum esse verbum, ut fidem inde concipiant, quàm baptizentur. Qui est etiam sensus verborum Christi apud Matth. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine P. & F. & Sp. Sancti.* Nempe docendi sunt, qui doceri possunt, & deinde baptizandi, non priùs. Quò spectabat in Veteri Ecclesia catechesis illa accurata baptismo adultorum præmitti solita, à qua *Catechumeni* græcè dicebantur, qui imbuebantur ea; latinè *Audientes & Auditores:* Qui ubi eò profecerant, ut nomina sua inter baptizandos profiteri auderent, appellari exinde *Competentes* cœperunt, quasi cum aliis simul petentes honorem baptismi. Leo M. alicubi vocat *Electos.* Ac præcipuè symbolum Apostolicum illis perdiscendum tradebatur, quod & recitare eos sæpiùs tempore scrutinii instituti, ac publicè etiam posteà pronunciare oportebat ipso baptismi die. Ex quo veteri ritu tres emergunt conditiones ab adultis, antequam baptizentur, præstandæ: quarum I. Auditus verbi & inde concepta fides. II. Professio fidei. III. Desiderium & petitio Sacramenti. Omnes hæ conditiones junctim nobis exhiben-

hibentur in Evnucho Candaces. Habebat is desiderium Sacramenti. *En aqua*, ait : *quid prohibet me baptizari*? Exigebatur ab eo fides per Philippum ei dicentem : *Si credis ex toto corde, licet.* Nec deerat professio fidei : *Credo, Jesum Christum esse filium illum Dei*, Act. IIX, 36. 37. Positis his conditionibus hodienum adultos baptizari, conveniens est: imò verò etiam necesse est, si velint Christiano nomine & æterna beatitudine gaudere. Licet enim jam ante credant, & per fidem illam, si quædam necessitas baptismum intercipiat, salvari possint: tamen, ubi Sacramentum fidei haberi potest, etiam illud necessarium illis est necessitate præcepti, cùm incumbat adultis *observatio præceptorum Dei*, 1. Cor. VII, 19. inter quæ est etiam susceptio baptismi. Dum enim Apostoli jubentur baptizare omnes gentes, pariter ipsæ gentes jubentur baptizari, sive petere & suscipere baptismum. Quare Christus etiam, ubi de adultis sermo ipsi est, fidei jungens baptismum : *Qui crediderit*, ait, *& baptizatus fuerit, salvus erit.* Verbis autem immediatè sequentibus : *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; baptismi amplius nulla quidem fit mentio : sed nec fieri opus erat : quoniam qui nolit credere prædicato Evangelio, is multò magis baptismum respuet. Et ita de adultis res sese habet.

Infantibus verò etiam semine Christiano natis, vel legitimè in Christianorum potestatem translatis, baptismum esse impertiendum dicimus, idque sub *necessitate medii*, quòd aliud medium, quo remissio peccatorum & sanctificatio Spiritûs ac jus vitæ æternæ illis conferatur, ordinariè non suppetat. Hoc sibi namque volunt Christi verba ad Nicodemum: *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod enim natum est de carne, caro est*, Joh. III, 5. 6. Vnde fit duplex argumentum. I. Quibus non negatur introitus in regnum Dei, iisdem nec illud negari debet, sine quo introitus ille obtineri non potest : quod est renascentia ex aqua & Spiritu, sive baptismus. Atqui infantibus non negatur introitus in regnum Dei: *talium enim est regnum Dei*, Marc. X, 14. Ergò iisdem negari non debet baptismus, sine quo introitus in regnum Dei hominibus est occlusus. II. Qui sunt caro de carne nati h.e. generatione corrupta & peccato obnoxia in lucem editi, atq; hinc peccatores ipsi quoque constituti, illis, per asseverationem Christi, summè necessarium est medium regenerationis ex aqua & Spiritu h.e. baptismus, ut in regnum Dei introire possint, quo exulandum alias foret propter peccatum. Atqui infantes modò egressi ex utero caro sunt de carne nati, quorum ortus ipse in vitio est. Ergò vi asseverationis Christi ipsis non minùs quam aliis hominibus summè necessarium est medium regenerationis ex aqua & Spiritu,

Et infantes.

Spiritu, videl. baptismus, si nolimus extorres eos esse, propter peccatum, quo sunt infecti, à regno cœlorum. Ita & pædobaptismus, &, quatenus necessarius est, necessitas medii firmiter ex isto Christi oraculo probatur & apodictice evincitur.

Probabile autem, sed nec ipsum tamen invalidum, argumentum ex analogia circumcisionis infantibus administratæ petitur; quod V. Testamenti Sacramentum si cum nostro contendatur, quantò hoc est administratu ac toleratu ætatulæ infantili facilius, tantò eidem minus inconveniens censebitur, quàm incisio & vulnus carnis. Probabilius illa Scripturæ loca suppeditant, ubi Apostoli leguntur integris ipsum baptismum intulisse domibus & familiis. Nam ex his sumitur non levis conjectura pro infantum baptismo. Paulus certè fatetur, se baptizasse familiam Stephanæ, 1. Cor. I, 16. Et apud Philippenses baptizata est Lydiæ domus, & carcerarius cum universa familia, Act XVI, 15. 33. Et Petrus baptizari jussit Cornelii non solùm familiam, sed etiam cognatos ac necessarios, quos ille sub adventum Petri convocârat, Act. X, 24. 48. In his familiis quis temerè dubitet fuisse nonnullos infantes aut pueros?

Accedit unum insigne argumentum ab usu *& praxi totius Ecclesiæ*, quæ & hodie, quaquà patet per totum terrarum orbem, infantes baptizat, & ab ipso initio id ipsum eodem modo fecit. Nam temporibus Augustini h. e. quinto Ecclesiæ seculo tàm vetus erat consuetudo tingere infantes, ut hujus exempli auctor ignoraretur, nec nisi ab ipsis Apostolis mos profectus crederetur. Sic enim ille l. 10. de Gen. ad lit. c. 23. hac de re scribit: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neq; ullo modo superflua reputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio. Habet enim & illa parva ætas magnum testimonii pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.* Hæc sua illa ætate Augustinus. Seculo retrò proximo S. Chrysostomus de communi Ecclesiæ consensu non minùs apertè testificans, homil. de Adam & Eva: *Prædicat*, ait, *Ecclesia catholica ubiq; diffusa, debere parvulos baptizari, propter originale peccatum.* Liquidò idem hoc asserens tertio jam seculo Origenes: *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinæ* (à generatione adhærentes) *sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent* lib. 5. explan. ep. ad Rom. c. 6. Eodem seculo præcipitante S. Cyprianus Martyr. consultus, num differre conveniat baptismum ad octavum diem, exemplo circumcisionis? negativè respondet, nolens eò usq; suspendi negotium, sed ocyùs peragi. Ipso quin

quia etiam secundo seculo S. Irenæus de Christo scriptum reliquit: *Omnes venit per semet ipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* Hæc ille temporibus Apostolorum vicinissimus l. 2. adv. hæreses c. 39. ut Apostolicam hanc esse traditionem, dubitare nefas sit. Quanti hoc argumentum fecerit noster Philippus, videre est in Corp. Doctr. p. 480. 487. 498.

Quis ergò malus genius effascinavit infelices *Anabaptistas*, ut impugnarent consuetudinem parvulos baptizandi tàm canam, & inde ab Apostolorum ævo continuis mille quadringentis annis in Ecclesia observatam? Non hoc ausi sunt Pelagiani, tametsi inficiati id, cujus remedium est baptismus, originis peccatum, æquè ut inficiantur id Anabaptistæ. Concessere nihilominùs parvulos baptizandos esse, licet non in remissionem peccati, tamen ad hoc, ut admittantur ad possessionem regni Dei; existimantes videlicet, etiamsi infantes peccatum non habeant, tamen haud sequi, eos statim habere jus adeundi cœlestis regni: vel potiùs metuentes sibi, si *apertè illi ætati lavacrum regenerationis & peccatorum remissionis auderent negare, ne hoc Christianæ aures ferre non possint*, ut loquitur Aug. l. 2. contra Pelag. & Cælest. c. 1. Vid. ibid. c. 5. 6. 18. 19. 22. Quadam igitur necessitate compulsi *parvulos*, ut est apud eundem, *baptizandos esse concedunt, qui contra autoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt.* lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 26. Sed audacior his Anabaptistica secta hanc universalis Ecclesiæ regulam ac sententiam necquidquam reverita pædobaptismū palàm in quæstioné vocare cœpit, imò damnare non erubuit, ipsa multis retrò seculis, antequā esset unquam nata, damnata in Concil. Milevit. can. 2. *Placuit, ut quicunq; parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit.* Argumenta fanaticorum hominum hic recensere & confutare, parùm refert. Palmarium ex iis, quod illud est: Qui non sunt capaces doctrinæ & fidei, iidem nec capaces sunt baptismi. Sed infantes non sunt capaces doctrinæ & fidei. E. neq; baptismi; ansam dedit spinosæ & intricatissimæ quæstioni de fide infantum. De qua ut certi quid definiamus, vix suppetit. Sed ne tamen nihil dicamus, aliquot constituemus hypotheses, unde judicium qualecunq; de ista quæstione fieri possit.

Baptismi infantum adversarii.

I. Id quidem certum est, ante baptismi perceptionem nullos infantes fide donari. Nec obstat, quod ante aspersionem aquæ quæritur: *Credis in Deum Patrem?* &c. & nomine infantis respondetur: *Credo.* Nam ritus ille huc solummodò tendit, ut, qui huic actioni præsentes adstant, commonefiant, in quam fidem parvulus baptizetur.

De Fide Infantum.

Credisne, i.e. visne in hanc de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto fidem baptizari? Quæ quæstio, ut & eam excipiens ac subsequens sponsio ac responsio patrini, ideò sic instituuntur, ut caveatur baptismi profanatio, ceu suprà dictum est. p. 484. Sic neq; preces, quæ fiunt pro baptizando, quibus fidei donum à Deo petitur, alium scopum habent, quam ut in ipso baptismi actu DEVS velit in parvulis esse efficax, & baptismo eorum cœlesti sua virtute benedicere; non autem ut quamprimùm fide donentur infantes etiam ante actum, à quo baptismus nomen obtinet.

II. Certum & hoc est, per baptismi actum transire infantes in numerum fidelium. Non uno loco id dicit Augustinus. *Vbi ponis*, ait hominem Pelagianum allocutus, *parvulos baptizatos? profectò in numero credentium. Nam ideò & consuetudine Ecclesiæ antiqua canonica fundatissima parvuli baptizati fideles dicuntur. — Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus. Ergò ideò habent vitam æternam, quia, qui credit in Filium, habet vitam æternam.* T. 10. Serm. 14. de Verbis Apostoli. Iisdem ferè verbis T. 7. usus: *Vbi parvulos*, inquit, *ponimus baptizatos nisi inter fideles? sicut universæ ubiq; Ecclesiæ clamat auctoritas. Ergò inter eos, qui crediderunt.* l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 33.

Jam verò quæritur III. quomodo sint inter fideles & eos qui credunt? Et quidem *juxta Augustinum* ex duplici fundamento inter fideles computantur, I. *quia credunt fide aliena* offerentium eos ad baptismum, & ipsorum nomine dicentium: Credo. II. *quia perceperunt Sacramentum fidei.* Nam ita rem istam explicat locis modò allegatis. *Credit in altero, qui peccavit in altero. Ad verba aliena sanatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum: fit interrogatio: dicitur, Credit; & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offerentium responsionem. Noli eis sine ista fide & sine isto Sacramento hujus fidei promittere vitam æternam.* Eadem de re in eundem sensum alibi loquens sic infit: *Parvuli pueri portantur ad Ecclesiam, &, si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur: accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant: aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam, quod ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur.* Serm. 10. de Verb. Apost. Porrò l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 19. quæstionem formans: *Nunquid tantillus potest aliquid pœnitere?* mox respondet: *Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi*

non-

nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non priùs etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium diabolo & huic seculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit, vi Sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Capite immediatè sequente: *In quo,* inquit, *genere ponemus infantes? in eorum, qui credunt in Filium, an in eorum, qui sunt increduli Filio? In neutro, ait aliquis, quia cum adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc judicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adjungit — propter virtutem celebrationemq; tanti Sacramenti; quamvis suo corde atq; ore non agant, quod ad credendum confitendumq; pertineat.* Rursum T. 2. ep. 23. ad Bonifacium Coëpiscopum: *Regenerans*, ait, *Spiritus in majoribus offerentibus & parvulo oblato renatoq; communis est: ideò per hanc societatem unius ejusdemq; Spiritûs prodest offerentium voluntas parvulo oblato.* Hæc ibi ille de fide aliena, posteà de Sacramento fidei subjiciens: *Sacramentum*, inquit, *fidei fides est* (infantibus.) *Nihil est autem aliud credere quàm fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum. — — Itaq; parvulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non ad rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo.* Quod si quæras, quomodo prodesse parvulis Sacramentum queat absq; fide, qua ad rem ipsam annuatur? responsio ibidem addita est in fine epistolæ: *Parvulus etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit; unde Sacramentum ejus salubriter percipit.* Si quis instet, dicendo: Spiritum sanctum utiq; operari in infantibus, ut justificationem & sanctificationem ipsamq; vitam æternam accipiant: id verò sine fide hæc tanta bona cognoscente & amplectente fieri non posse; legitur responsio ep. 57. ad Dardanũ, habere parvulos in se Spiritum sanctum habitantem ac talia operantem, semet ipsis nescientibus. *Nam scire*, inquit, *divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriã, quando id loquendo suademus, ubi omnes vires officiumq; sermonis facilimè superat evidentia veritatis. — Dicimus ergò, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam: cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu.* Vid. ibid. plura.

Hæc adeò eſt Auguſtini de hac re ſententia, quin totius Antiquitatis: nam in diverſam ſententiam nemo Veterum conceſſit. Hodie autem plura dantur opinionum divortia, ac ſollicitiùs quæritur, quî credentibus annumerentur infantes? Vtrum ſic, quod actu credant fide propria, meritum & beneficia Chriſti apprehendente? quæ communis eſt *noſtratium* ſententia: an quòd actu quidem credant, ſed aliena fide, & propter fidei Sacramentum illis impenſum, perq; iſtud poſteà donentur fide propria, qua juſtificentur, ſed habituali, excluſa actuali? ut Pontificii ſentiunt: vel num ita, ut ſemen & Spiritum fidei habeant ex vi divinæ benedictionis & fœderis Evangelici, eò, quòd fidelium ſint liberi? ceu viſum eſt *Calvinianis*: vel denique, quòd effectûs ratione aliquid habeant *analogum fidei*, nempe ejusmodi aliquam operationem Spiritus ſancti adjunctam baptiſmati eorum, quæ idem præſtet in ipſis ad conſequendam remiſſionem peccatorum, adoptionem in filios Dei & jus hæreditatis vitæ æternæ acquirendum, quod verbum auditum & inde concepta fides præſtat in adultis? Nam totidem hodie, ſi non plures, circa hanc rem ſunt variantes ſententiæ. Quas nos quidem ſingulas diſcutere, & earum unam facere noſtram, pro præſenti ſuperſedemus.

Nec enim IV. opus eſt aliquid hic determinare, cùm praxin, propter quam eſt doctrina de Sacramentis, hæc quæſtio nil juvet: id quod ipſe ſenſus & experientia docent. Praxis in hoc Sacramento eſt, ut quibus convenit & neceſſarius eſt baptiſmus, offerantur baptizandi vel per ſe vel per alios. Jam conſtat, hos omnes, quos enumeravimus, licet tàm diverſa de fide infantum ſentientes, tamen ſummo conſenſu ſervare praxin & infantes ſuos ad baptiſmum offerre. *Fundamentum igitur pædobaptiſmi*, ut rectiſſimè loquitur Chemnitius, *non eſt difficilis & obſcura illa diſputatio de fide infantium: ſed inter argumenta, quæ poſt conſtitutam veram ſententiam opponi & objici ſolent, illa ſunt præcipua, quod ſcil. in inſtitutione baptiſmi bina illa conjunguntur, I. docere & baptizare. II. credere & baptizari. Neutrum autem, vel doceri vel credere, videtur infantibus convenire.*

Veruntamen V. etiam hoc argumentum citra quæſtionis de fide infantum determinationem ſolvi poteſt. Auguſt. l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 27. cum mentionem illorum Chriſti verborum feciſſet: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*; hæc ſubnectit: *Quis autem neſciat, credere, eſſe infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari*? Innuens, ſufficere infantibus ad hoc, ut credentibus aggregentur, quod teſſeram credentium baptiſmum ſuſceperint. Et certè referenda eſſe inſtitutionis

verba

verba propriè & proximè ad adultos, quorum auribus insonare solet Evangelii prædicatio, ipsa series textûs apud Matthæum & Marcum luculenter ostendit. Cujusmodi adultiores, cùm doctrinæ & fidei sint indubiè capaces, si ex infidelitate voluerint converti, docendi sunt utique & ad fidem priùs perducendi, quam tingantur. De infantibus autē alia est ratio. Licet enim hi doceri non possint; ac posito etiā eos non posse credere, propterea tamen à baptismo arcendi non sunt. Quippe & in V. Testamento circumcisio ex institutione Dei habebat sibi in adultis prævia doctrinam, & erat signaculū justitiæ fidei: ac nihilominùs cōferebatur infantibus doceri & (ex hypothesi loquor) credere nesciis. *Abraham*, inquit Augustinus, *signum accepit circumcisionis, signaculū justitiæ fidei, & sic accepit, ut deinceps etiam omnes parvulos domûs suæ circumcidere juberetur, recentissimos à visceribus matrū, octavo die nativitatis eorum, ut etiam hi, qui corde ad justitiam credere nondum possent, justitiæ tamen fidei signaculum sumerent.* l. 2. contra Pelag. & Cælest. c. 30. Qui videlicet adulti convertebantur, illi circumcidebantur adulti & priùs informati, ut Abraham & domus ejus: qui verò nati erant ex parentibus fidelibus, illi statim die octavo à partu circumcisionem receperunt, nec informatio eorum expectata fuit, ut de Isaaco patet. *Et* (cum Chemnitio jam rursum loquor) *quia illud ex ratione circumcisionis Apostolis tunc notissimum erat: ideò Christus de baptismo parvulorum nihil peculiariter tradidit, sed contentus fuit generali mandato de baptizandis omnibus, qui salvandi essent.* Locus uterq; extat part. 2. Exam. Conc. Trid. pag. 48. 49.

His ergo sic stantibus, cumq; tot ambiguis sententiarum recessibus obnoxia sit, nec vel praxin dirigat, vel solvendæ Anabaptistarum objectioni admodùm faciat evolutio quæstionis de fide infantum; id denuò judicamus *tutissimum, rem in medio relinquere, & determinati nihil hic statuere:* dummodò hoc maneat, esse infantibus baptismum ad salutem necessarium, non minùs quàm adultis; his quidem mandati, illis autem medii necessitate, cùm aliud sensibile medium non detur, cujus interventu agi cum illis possit; adeoq; summo studio illis procurandum esse, utpote absq; quo salvari ordinariè nequeant, ex edicto Christi Joh. III, 5. sicut id semper hoc sensu intellexit Catholica Ecclesia.

Ordinariè, inquam. Nam si fortè infans ex parentibus Christianis progenitus, antequam vel nasci cœperit, vel plenè natus fuerit ex matris utero, vel momento pòst exstinguatur, ut impossibile sit per ullam humanam industriam compotem eum reddi baptismatis, mitior & sine dubio verior sententia tenenda est, Deum pro tali casu non ita esse adstrictum Sacramento, ut neminem sine eo salvum esse velit, aut facere

Baptismus est salutis medium ordinariū.

facere possit. *Vult* enim, etiam supposito peccato originis, *omnes homines salvos fieri* 1. Tim. II, 4 & hinc necessariò etiam de mediis obtinendæ salutis toti hominum generi, & singulis sub eo contentis providit. Quale medium hîc esse potest *votum parentum*, liberos suos baptizari unicè desiderantium. Quod votum ex fideli & pio animo profectum, irritum esse vix poterit. Sicut ergò votum proprium adultos, v. g. catechumenum aliquem ante Sacramenti perceptionem vita functum; ita votum piorum parentum infantes eximet ab illa pœna Joh. III, 5. prædicta, haud aliter ac si ipsorum proprium hoc fuerit votum. Quod enim infantum loco hic agunt parentes, imputatur ipsis infantibus: quippe infans & parens moraliter habentur una persona. Hinc quando parentes offerunt tenellulos suos ad baptismum, id accipitur, ac si ipsi se obtulissent tenelluli. Itaq; &, ubi baptismus ipse obtineri nequit, votum parentum erit interpretativè ipsorum liberorum votum. Nî ita fuerit, aut aliud medium ponatur, vel Deo relinquatur, per quod tales liberi exitium evadant sempiternum, (quanquam aliud convenientius dari vix possit) sequetur, Deum magnæ parti generis humani (videlicet omnibus, qui in partu abripiuntur, antequam baptismo potiantur) de medio capessẽdæ salutis non prospexisse adeoq; nec tales salvos velle: quod pugnat cum ejus φιλανθρωπίᾳ, qua vult omnes homines servari, perire neminem, ac in specie cum voluntate ejus erga parvulos, indice ipso Christo, ita penitùs propensa, ut nolit perire ullum ex illis; Matth. XVIII, 14. Posse verò etiam ejusmodi dispensationem circa Sacramenta fieri, ut, ubi contemtus abest, necessitas excuset actionis intermissionem, exempla fidem faciunt eorum Israëlitarum Jos. V, 5. 6. 7. qui per 40. annos, sive infantes, sive adultiores, in deserto diem suum incircumcisi obierunt, ubi continuum iter circumcisionis administrationem inhibuit: quorum salutem nemo hactenùs in dubio posuit. Et hæc etiam de subjecto baptismi.

APHORISMVS IV.

DEVS salvat nos per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto. Tit. III, 5.

De Fine & Effectu Baptismi.

SVb finem de fine & effectu baptismi nonnulla hîc etiam annectenda sunt. Multiplex autem ille est & insignis admodùm. Ac summatim dicendo, *Remissio & ablutio peccatorum*, Act. II, 38. XXII, 16. Eph.

Eph. V, 26. *Regeneratio & adoptio in filios Dei*, Gal. III, 26. Tit. III, 5. *Societas & communio cum Christo per baptismum induto*, Gal. III, 27. *Tranquillitas conscientiæ*, I. Petr. III, 21. *Sanctificatio & vita novitas*, Rom. VI, 4. Tit. III, 5. 6. & deniq; *Salus æterna*, Tit. III, 5. 1. Petr. III, 21. *Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa. —— —— Aqua verò subservit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus & cœno fœdatum corpus aqua lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadente incorporeum splendorem significantes*: scribente adeò Gregorio Nysseno, orat. de sancto baptismate, T. 1. p. 458. Vt ita aliqua quidem analogia & significatio Sacramento tribuatur, sed non nuda, verùm comitem habens realem exhibitionem ejus, quod significatur: nam ideò ipsum baptisma Gregorius dicit esse expiationem peccatorum & regenerationis ac renovationis causam; subintellige, instrumentalem

Non enim statuimus, vim regenerandi in aqua hærere, sed aquæ conjungimus gratiam & operationem divinam, ceu agens principale, cujus non nisi instrumentum est aqua baptismi. Jam notum est, instrumentum non tàm agere sua virtute, quàm vi & influentia principalis agentis, & ab hoc elevari ad producendum effectum, quem subjectivè in se non continet. *Primariò igitur & principaliter* pendent & promanant enumerati effectus à divina institutione & operatione: secundariò autem & instrumentaliter à baptismo, per quem tot ac tanta bona hominibus offerre & conferre, vel etiam jam antè per fidem collata obsignare, liberrima voluntate DEUS decrevit.

Nempè *infantibus* actualissimè conferuntur hæc bona per baptismum, cùm nullus ab illis collationi ejusmodi ponatur obex. *Adultis* autem cum debita dispositione & fide hoc Sacramentum suscipientibus non quidem primùm conferuntur, sed tamen obsignantur ac confirmantur, & quædam ex illis (ut gaudium & securitas conscientiæ, ac gratia sanctificans) etiam augentur. *Hypocritis* verò nihil horum vel confertur, vel obsignatur & augetur, sed offertur tamen veraciter & largiter omnis illa gratia, quæ infantibus & verè credentibus actualiter tum quoad initium, tum quoad incrementum contingit. Vnum tamen est, quod cum utrisq; his commune est etiam hypocritis baptizatis: externa scil. & visibilis incorporatio in Ecclesiam Christi. Ex mero enim opere operato, quicunq; ponatur obex salutari effectui, sequitur hic effectus externus, ut, qui baptizatur, eo ipso, quo confertur ipsi integrum Sacramentum, fiat ex vi illius nudi operis membrum visibile visibilis Ecclesiæ. Et hic *effectus universalissimus* est, omnibus baptizatis ex æquo competens. Act. II, 41.

Imò

Imò verò salutaris etiam effectus in eo, qui fidem simulans baptisma accepit, sese adhuc exserere potis est, si recesserit hypocrisis & verè fidelis esse inceperit, qui priùs erat hypocrita: *Incredulitas* enim *hominum fidem* seu promissionem *Dei non facit irritam*, Rom. III, 3. & *si infidi nos sumus, ille tamen fidus manet: negare seipsum non potest*, 2. Tim. II, 13. Quamvis ergò hypocritæ infidelitas impediat, quò minùs fructu divinæ promissionis in præsenti quidem perfruatur; tamen ipsa promissio & donorũ oblatio ipsi in baptismo facta, & fœdus ipsum, quod pepigit cum illo homine Deus, nihilominùs respectu Dei irrevocabile manet, ita, ut quandocunq; homo deposita hypocrisi animo non fucato præstanda præstiterit, protinùs ex vi promissionis semel factæ (quæ per hominis incredulitatem evacuari respectu Dei non poterat) compos ille reddendus sit eorũ omnium bonorum, quæ in ipsius baptismo quasi deposita fuere. Idem de iis sentiendum, *qui cum hæresi baptismum susceperunt ab hæreticis*: nam & his, eandem ob causam, incipiet is (si modò integrum acceperunt) esse salutaris, ab hæresi ad fidem veram conversis.

Nec, quantum ad hoc, absimilis eorum ratio, qui baptismi sive in infãtia sive in ætate adulta salutariter jam percepti fœdus abnegatione salutaris veritatis, vel vita improba & perditis moribus fregerunt. Qui equidem malitiosè seipsos privarunt bonis, quibus potiti semel sunt, dum baptizarentur: sed tamen per seriam pœnitentiam dabitur illis se recipere ad ipsum illud fœdus gratiosum, quod Deus cum illis in baptismo iniit, capientq; de novo plenum baptismi fructum & effectum, haud aliter ac si nunquam isto excidissent. Idq; rursum ex hac ratione, quoniam *fœdus Dei æternum est*, Esa. LIV, 10. Hos. II, 19. omnis rupturæ & incisionis nescium à parte Dei, qui, licet homines fœdifragi existant, &, quatenus ac quamdiu tales, jus nullum habeant bonorum fœderalium, se tamen illis non ita penitùs subtrahit, quò minùs velit & paratus sit, quamprimùm pœnitentiâ ducti ad ipsum accesserint & priore pacto gaudere ambierint, ad illud eos rursum admittere & fidelissimè iis pactas promissiones præstare. Ipse quin etiam ultrò reconciliationem eis offerens: *Tu*, Israël, ait, *fornicata es cum amatoribus multis: Tamen revertere ad me* (qui adulteram redeuntem non abjiciam) Jer. III, 1. Sam. II, 38. Nec opus ceremonias repeti & novũ quoddam sanciri pactum iterato baptismo: quandoquidem nec maritus adulteram recipiens nova init sponsalia, aut novas cum ea nuptias celebrat: sed sufficit revocari prius pactum, jubendo haberi ratum, quod ob unius partis malitiam fuit aliquandiu irritum. Actus ipse enim & ceremonia baptismi non ita, ut baptismi gratia, iterationem & innovatio-

nem

nem sustinet, sed initerabilis est; non ideò quidem, quòd Sacramentum hoc characterem quendam imprimat indelebilem, quem *Pontificii* fingunt, qui faciat, ut pluribus vicibus uni homini id conferri non possit: nam ignotius est & magis dubium, imprimi talé aliquem characterem, quàm baptismum ipsum repeti non posse: sed quia mandatum & exemplum iterationis in Scriptura nuspiam apparet. De Sacramento Cœnæ scriptum legimus I. Cor. XI, 25. 26. *Hoc facite, quotiescunq; biberitis.* Item: *Quotiescunq; ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis &c.* Nihil autem tale, quod iterandi mandatum redoleat, de baptismo legitur. Cui rationi si adjunxeris *consensum Antiquitatis*, quæ baptismi repetitionem nullam unquam agnovit, rem confectam habebis.

Qui errantur hîc porrò notabiliores errores, unus in excessu, Pontificiorum proprius, alter Calvinianorum, in defectu, notati sunt jam alibi à nobis: sed tamen hîc quoq; paucis tangendi.

Visum est *Pontificiis*, talem remissionem & ablutionem peccatorum in baptismo fieri, qua tollantur peccata in solidum adeò, ut non tantùm nulla imputentur ampliùs, sed nulla sint etiam, quæ imputari possint. Tractæ hîc sunt Scripturæ phrases, *mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi.* Quæ sanè de baptismo alicubi usurpantur, Act. XXII, 16. Eph. V, 26. sed & aliàs de condonatione peccatorum ante & post baptismum facta adhibentur. Nihil igitur pertinent ad singularem efficaciam baptismi magis, quàm pœnitentiæ & fidei demonstrandam. Et pariter omnes rectè explicantur de reatûs abolitione perfecta, & vitii vel maculæ inchoata mortificatione; ceu dictum est & de causa formali Justificat. ad arg. 10. Error I. Pontificiorum. p. 398.

Additur ab illis hæc ratio: peccatum & justitia, sanctitas & impuritas, lux & tenebræ simul habitare non possunt. Atqui justitia & lux atq; sanctitas per baptismum conferuntur. Peccatum ergò & impuritas ac tenebræ penitùs oportet absint à baptizatis. Concedo, simul hæc habitare non posse, scil. in pari gradu, ut utraq; dominentur. Sed cum renovatio & sanctificatio nostra ex semisse fiat, non ex asse, possunt in gradibus remissis simul stare vetustas & novitas, lux & opacitas, sanctitas & macula; sicut cum incipit dies oriri, aër nonnihil lucidus est, & nonnihil simul habet opaci. Atq; ita, ipsis fatentibus Pontificiis, *peccata venialia in sanctis cohabitant justitiæ, nec tollunt justitiam & sanctitatem:* veluti est apud Bellarm. l. 1. de amiss. gratiæ & statu pecc. c. 5. Quod prætendunt, concupiscentiam post baptismum reliquam peccatum non esse, nisi quando libera voluntate ejus desideriis consentimus, ad id responsum est in fine doctrinæ de Pecc. Orig. p. 319.

II. Calvinianorum. *Calviniani* autem detrahentes efficaciæ baptiſmi ſtatuunt alium externum baptiſmum aquæ, alium internum Spiritûs, & illum priorem nihil facere ad peccatorum ablutionem contendunt, cum hæc vis peccata abluendi ſit merè divina, quæ creaturæ competere non poſſit. Quibus obvertimus Scripturam, quæ baptiſmum non niſi unum & unius generis agnoſcit, Eph. IV, 5. conſtantem *aquâ* ſimul *& Spiritu*, Joh. III, 5. ita, ut ipſe externus ille, quem vocant, ſit *lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu ſancto*, Tit. III, 5. & aqua ipſa baptiſmi organon ſalutis, ſecundùm illud Petri, 1. ep. III, 21. *Aqua nos ſalvat in baptiſmo:* non ſanè vi ſua creata, ſed tamen virtute divina, aquæ conjuncta & per ipſam operante. Sed illi nimirum non de adultorum tantùm baptiſmo ita abjectè ſentiunt, verùm ipſis quoq; infantibus nihil conferre eum volunt, niſi ſignum regenerationis acceptæ & ſignaculum fœderis gratuiti, in quod jam antè recepti ſint, dum in uteris matrum eſſent: quandoquidem ex ſanctis naſcantur ſancti, ex fœderatis & Dei filiis fœderati ac filii & amici Dei, vi promiſſionis divinæ, Gen XVII, 7. *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*; verborumq; Apoſtoli tenore: *Nunc autem filii veſtri ſancti ſunt*, 1. Cor. VII, 14.

p. 312. Confutavimus autem hunc quoq; errorem ſuperiùs in medio doctrinæ de pecc. Orig. Hîc ſaltem ad Scripturæ loca paucis reſpondendum eſt. Et quidem Gen. XVII. non abſolutè intelligenda eſt promiſſio Abrahæ & ſemini ejus facta, ſed ſub conditione ſervati fœderis, quæ exprimitur ibidem mox ℣. 9. *Tu autem pactum meum ſervabis, & ſemen tuum poſt te.* Pactum autem illud exigebat tum temporis circumciſionem, hodiè baptiſmum. Circumciſione inſuper habita nemo fœderis divini olim conſors habebatur. Eadem hodie baptiſmi ratio, qui idcircò cum promiſſione divina ſimul inculcatur, tanquam aliqua conditio præſtanda, Act. II, 38. 39. Quantum ad verba Pauli, non loquitur ille de ſanctitate interiore & univocè ſic dicta, quæ propriè & proximè Chriſtianum faciat, ſed de externa quapiam & analogicè dicta, eaq; vel *Eccleſiaſticâ*, qua liberi ex altero parente fideli nati liberiorem præ aliis habent acceſſum ad Eccleſiam & media illa, quibus inſerantur Chriſto, quippe ſanctitati deſtinati à fideli parente; vel, quod malim, *politicâ*, qua cenſentur ejuſmodi liberi eſſe legitimi, è legitimo thoro nati: ad quem modum res omnes fidelium, quæ legitimè & illæſa conſcientia ab iis habentur & uſurpantur, dicuntur ſanctæ; ipſa v.g. uxor infidelis, quæ fideli marito cohabitat, ibidem ℣. eodem, & cibi, qui à fidelibus ſumuntur, 1. Tim. IV, 5. Illi deniq; aſſerto, ex fœderatis & adoptatis naſci ſimiles liberos, opponimus clariſſima Chriſti verba Joh. III, 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu*, id

demùm

demùm ſanctum & *ſpirituale eſt. Non enim* Filii Dei naſcuntur *ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo,* Joh. I, 13. *quia & renovati parentes non ex primitiis novitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter gignunt*, dicente Auguſtino l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 27. *Sacramentum autem baptismi*, ſcribente l. d. eodem, *profectò Sacramentum regenerationis eſt. Quocirca, ſicut homo qui non vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt: ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt. Ex quo conficitur, neminem in ſuo parente renaſci potuiſſe non natum.* Quibus verbis totum hunc de Baptiſmo locum obſignamus.

TESTIMONIA VETERVM.

NEc quenquam movere debet, quod aſpergi vel perfundi jubentur ægri, cum gratiam dominicam conſequuntur, quando Scriptura S. per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: *Aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris.* Item in Numeris: *Accipe Levitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos. Et ita facies purificationem eorum, circumſpergens eos aqua purificationis.* Et item: *aqua aſperſionis purificatio eſt.* Vnde apparet, aſperſionem quoq; aquæ inſtar lavacri ſalutaris obtinere &c. *Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum.*

τὸ βάπτισμα τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον. *Juſtinus Dial. cum Tryphone.*

Baptiſmus eſt μεγάλη περιτομὴ, circumcidit enim nos à peccatis. *Epiphan. l 1. hær. 8.*

In baptiſmo non ſolùm præteritorũ (*peccatorum*) remiſſio, ſed & futurorum dona proponuntur. *Baſilius in exhort. ad bapt.*

Ab Apoſtolis traditum, ut infantes baptizentur. *Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. c. ult.*

Propter quod neminem putamus à gratia conſequenda impediendum eſſe ea lege, quæ jam ſtatuta eſt, nec ſpiritalem circumciſionem impediri carnali circumciſione debere; ſed omnem omninò hominem admittendum eſſe ad gratiam Chriſti: quando & Petrus in Actibus Apoſtolorum loquatur, & dicat. *Dominus mihi dixit, neminem communem dicendum & immundum. Cyprianus ep. 59. ad Fidum.*

Baptiſmi ſanè vicem aliquando implere paſſionem, de latrone

trone illo, cui non baptizato dictum est, *Hodiè mecum eris in Paradiso*, non leve documentum beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atq; etiam considerans, invenio, non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemq; cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporis succurri non potest. Neq; enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec, quia credidit, passus est, sed, dum patitur, credidit. Quantum itaq; valeat, etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Augustinus l.* 4. *de Bapt. c.* 22.

Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. *Idem Tract.* 5. *in Joh.*

Per hanc enim potestatem, quam Christus solus sibi tenuit, & in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiæ, quæ significatur per columbam, de qua dictum est: *Vna est columba mea: una est matris suæ.* Si enim — transferretur potestas à Domino in ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent: & jam non staret unitas baptismi. *Idem Tract. 6. in Joh.*

Hortator ille primus, & Doctor novæ
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum pietas lavit errorum notas.
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cœlo refulgens influebat Spiritus.

Prudentius de Johanne Baptista *Cathemer. Hymn.* 7.

Hoc ex lavacro, labe demta criminum,
Ibant renati non secus, quàm si rudis
Auri recocta vena pulcrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.

Idem ibid.

LOCVS



LOCUS XI.

DE

SACRA COENA.

APHORISMUS I.

pag. 707. Dodec. 862.

Cœna Domini eſt communicatio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut in verbis Evangelii, inſtituta eſt, in qua ſumtione Filius Dei verè & ſubſtantialiter adeſt, & teſtatur ſe applicare credentibus ſua beneficia,& ſe aſſumſiſſe humanam naturam propter nos — & nos ablutos eſſe ſanguine ſuo.



Rincipaliſſima hujus loci controverſia eſt illa, quæ inter nos & Calvinianos agitatur de reali & ſubſtantiali præſentia corporis & ſanguinis Domini in Sacra Cœna: quam præſentiam nos ſanctè & ſine fuco credimus ac profitemur. Vbi ante omnia ſupponitur ab utraq; parte, cauſam efficientem hujus Sacramenti eſſe Mediatorem N. Teſtamenti, Jeſum Chriſtum, *inſtitutionis* quidem ſolum illum, *exhibitionis* verò eundem, ſed non ſolitariè agentem, verùm per miniſtros verbi ſui, poſtquam ſemel inſtituit hoc Sacramentum, id nobis ſua auctoritate exhibentem. De

Cauſa efficiens Eucharistiæ.

Materia Euchari-stiæ. materia, quod ea sit *panis & vinum*, itidem neutra partium dubitat. Nempè panis oportet adsit verus & substantialis, qualis ex frumentaria farina & aqua probè subactis virtute ignis coquitur. Similiter vinum naturale & verum requiritur ex uvis expressum. Christus vocat *genimen* seu fructum *vitis*, Matth. XXVI, 29.

Dubitatur tamen, azymus, an fermentatus panis usui Sacramentali convenientior sit. Et illum quidem Latina, hunc Græca Ecclesia inde ab antiquo adhibuit. Soli ex Latinis sectatores Calvini, ut more suo singulares sint, fermentato utuntur. Sed interim non displicet moderatum Leidensium de hac re judicium, disp. 45. th. 20. *Vsus est*, ajunt, (Servator) *azymo seu infermentato, nempe ex accidenti, propter circumstantiam primi diei azymorum legalem, usurus aliàs vulgari. Vnde Christus Joh. 6. similitudinem sumit à vulgari pane, & Apostolus de Cœna loquens mentionem facit simpliciter panis, qualis Corinthiis usitatus, azymo cum agno paschali reliquisq; ceremoniis abolito. Aliàs sanè indifferens id fuerit, si absit necessitatis opinio. Inanis itaq; Græcorum & Latinorum super hac re concertatio.* Hæc illi. Qui paulò pòst modestiæ obliti. *Sanè*, inquiunt, *non leviter Pontificii aliiq; eorum æmuli peccant, qui pane non-pane utuntur*, id est, *minutulis, nummulariis, tenuissima forma & umbratili levitate à veri panis specie alienis, & eo vocabulo indignis, pascendiq; vim non habentibus, nempe obliis seu oblatis, ut vocant: itemq; infermentato, tanquam ex Sacramenti, exemplo Christi, necessitate. th.* 23. Sanè verò qui panis verus & pastioni seu nutritioni aptus non sit, qui ex farina triticea (nobilissima farinæ specie, quam aliàs similam vocant) & ex aqua in unam massam conglutinatis & igne coctis arte pistoris confectus est? licet accidentariam formam crassam & spissam communis & usualis panis non habeat. Nec enim formam ejusmodi Christus determinavit. Ipsi ergò viderint, quàm nobis temerè peccatum, idq;, ut loquuntur, non leve imputent. Quod de infermentato annectunt, id falsò rursum nobis tribuunt, qui hoc inter adiaphora habemus: nec Pontificii etiam alio rem istam loco habent. Audiatur hîc saltem Tannerus, cujus hæc est assertio T. 4. Theol. Schol. disp. 5. q. 2. dub. 4. n. 113. 115. *Ad valorem Sacramenti nil interest, sitne panis azymus, an fermentatus. Ita cum S. Thoma* part. 3. q. 74. art. 4. – *docent Scholastici omnes, & est de fide, ex Concilio Florentino – & Tridentino. --- Ratio assertionis est, quia uterq; panis est verus panis, & uterq; in Scriptura simpliciter vocatur panis. Et quamvis azymus non adeò sit in frequenti usu, id tamen solùm per accidens est, quia deest videlicet ei aliquod accidentale condimentum, cujus defectû substantiam panis non evertit. Neq; verum est, fermentum (si tamens specie*

specie differt à reliqua massa) in se convertere massam, cùm quantitate sit minor, nec massa vim & proprietates fermenti acquirat: sed potiùs ipsum fermentum tandem convertitur in substantiam massæ, ex fermenti tamen admixtione nonnihil alteratam; in quem sensum intelligitur Apostolus 1. Cor. 5. ℣. 6. & Gal. 5. ℣. 9. Unde quia plus ex Scriptura & traditione non habetur, quàm ad Eucharistiam requiri verum panem triticeum, nullum est dubium, quin uterq; panis validè consecretur, sive demùm Christus in hoc, sive in altero pane consecraverit. Simile quiddam accidit in vino: quamvis enim Christus determinatè aut album aut rubrum consecraverit; nemo tamen propterea dixerit, alterum determinatè esse de necessitate Sacramenti. Hactenùs Tannerus. Qui posteà quidem n. 124. hanc etiam assertionem habet: *Tàm Græci quàm Latini obligantur ad servandum sua cujusq; Ecclesiæ ritum, cum in ea celebrant (Sacramentum,) idq; sub peccato mortali. — Ratio est*, ait, *quia quisq; ad certam Ecclesiam pertinens tenetur ejus Ecclesiæ præcepta honesta ac instituta servare.* Quo tamen asserto *nil dicitur contrarium prioribus, sed indicatur solùm necessitas hypothetica faciens ad excludendum scandalum & Ecclesiæ contemtum: sine scandalo enim & publico contemtu nemo in illis Latinæ Ecclesiæ locis, ubi servatus hucusq; est azymi usus, fermentatum altari intulerit: tale autem scandalum & contemtus talis est equidem mortale peccatum.*

Porrò forma hujus Sacramenti *consistit in actione, quæ vel est communis & ex se indifferens*, ut quod porrigitur aliquid edendum & bibendum, porrectumq; sumitur, editur & bibitur; *vel peculiaris & propria*, ut benedictio seu consecratio, & ejus, quod manducandum ac bibendum datur, indicatio. Hæ omnes enim actiones partim ab ipso Christo præstitæ sunt, partim ab eodem mandatæ, verbis: *Accipite, edite, Accipite, bibite.* Imò universæ mandatæ, verbis: *Hoc facite*, scil. quod ego vos jam facere jussi & me facere vidistis. Qua tamen verborum forma peregerit is benedictionem seu consecrationem, non expressum legimus. Et absurdum tamen sit, modum consecrandi penitùs ignotum & nullibi in SS. Litteris scriptum esse; aut aliis hoc Sacramentum, quàm ipsius Domini, nempe hominum verbis confici, cùm baptismus præscripta ab ipso Christo verborum forma gaudeat. Absolvi itaq; consecrationem existimamus oratione Dominica, & potissimùm recitatione verborum Institutionis, maximè illorum: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Hæc enim sunt Domini nostri verba, & propriè ac strictè Sacramentalia. His ergò super symbola in S. mensa posita recitatis, *propriè & proximè* ea consecrantur, h. e. efficitur & præstatur, ut panis & vinum, quæ vulgaria erant & communia

Forma Eucharistiæ.

nia corporis alendi adminicula, segregentur ab usu vulgari, & ad sacrum finem officiumq; spirituale translata evadant symbola, imò vehicula corporis & sanguinis Domini, nobis in cibum & potum vivificum destinati & propositi. Qualem verborum Cœnæ enarrationem cum Calviniani etiam habeant (certè in Germania habent) miramur ferè *Marcum Antonium de Dominis* alicubi scribentem, sibi ambiguum esse, num verum Eucharistiæ Sacramentum sit apud illos, qui Calvinum sequuntur, propterea quòd consecrationem omittant. Nisi fortè in Anglia, quò diverterat ille, alius quàm in Germania mos obtinet.

De fractione Panis.

Illud autem inter nos & illos hîc controvertitur, utrum inter actiones huic Sacramento essentiales sit panis fractio, eamq; omitti nefas sit? quod nos haud immeritò negamus. Non per se enim, sed *per accidens*, sicut panis azymus, ita & actio frangendi cum hoc Sacramento cohæret. Ille propter tempus paschale, quo tempore Judæi ejusmodi pane vescebantur; hæc, ut distributio fieri posset: absq; hoc fuisset, panem jam divisum Christus non fregisset. Sicuti nec legitur à Christo facta infusio vini in calicem (quæ est actio fractioni analoga) cùm jam antè contineretur in calice vinum. Sicut nos ergò dicam nullam scribimus Calvinianis panem ad exemplum Christi frangentibus, cùm nondum fractum ad Cœnæ Sacræ celebrationem afferre soleant: ita vicissim nobis libertatem nostram volumus esse integram, qui fractum & divisum afferre eoq; uti solemus. Placentulæ enim nostræ orbiculares quid aliud sunt, quàm panis in certas portiones jam antè divisus & distributioni idoneus? Neq; frangendi actionem tantùm aliis relinquimus, sed actionis quoq; hujus significationem piam esse, eâq; notanter repræsentari *fractionem corporis Christi*, quam Paulus per Metaphoram vocat I. Cor. XI, 24. i. e. cruciatus ejus & flagella, quibus corpus ejus laceratum & usq; ad animæ separationem discerptum fuit, ultrò fatemur: veluti etiam effusione vini in calicem effusio sanguinis Christi oculis animisq; hominum haud inefficaciter ingeritur. Veruntamen in his talibus consuetudo semel recepta pro cujusq; loci indole, donec scandali metus non cessat, retinenda est.

De sumtione Panis & Calicis.

In ipsa dein sumtione liberum itidem esse volumus, pro ratione hujus aut illius Ecclesiæ, panem & calicem accipere alterutro modo, seu ore tantùm, seu manu & ore simul. Nam etiam de eo, cujus ori saltem aliquid admovetur, τὸ λαμβάνειν usurpatur in Scripturis, Joh. XIX, 29. 30. Fruantur ergò & hîc impunè Calviniani sua consuetudine, & sacra symbola tradant in manus communicantium: qui modus convenit cum ratione panis apud illos usitati. In nostris interim Ecclesiis, quæ panem in partes minutas fractum exhibent, nemo facilè

nega-

negaverit, convenientius esse, si ille in ora communicantium indatur ab ipso Ecclesiæ ministro. Et tantum etiam de forma hujus Sacramenti.

Finis ejus est commemoratio passionis & mortis Dominicæ, nam ita suis loquens ipse Christus: *Hoc facite*, ait, *in mei commemorationem.* Quorum verborum interpretem habemus Apostolum dicentem: *Quotiescunq; ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, usquequò venerit.* 1. Cor. XI, 26. Vtrobiq; autem innuitur recordatio fidei, qua beneficia Christi, inprimis cruentam mortem ejus, sedulò recolamus & Christi meminerimus, non ut ad nos nihil pertinentis, sed ut ejus, qui ex profundissimo amore seipsum tradidit pro nobis, & nos sibi adunitos membra fecit vivifici corporis sui: ex quo sensu fideli, tantæ scilicet gratiæ, nascitur gratiarum actio, roboratur fides ac spes, accenditur & augetur charitas Christiana. Atq; hîc in reipsa nihil controversi; nisi quod finem hunc malè applicat gens *Calviniana* ad negandam realem præsentiam corporis & sanguinis Domini. *Memoria* enim (ajunt) *præsentiæ corporali opponitur, si quidem memoria sit non futurorum, neq; præsentium, sed præteritorum:* verba sunt Bucani, Instit. Theol. Loc. 48. q. 92. Cùm Christus igitur nos voluerit memoriam sui celebrare in S. Cœna, ipse inibi corporis sua substantiâ, uti illi colligunt, non erit præsens. Tandem ergò ad hanc capitalem controversiam deveniendum est, in qua nobis pensitanda duo: 1. Thesis. 2. Antithesis.

Finis Eucharistiæ.

Thesis nostra est, corpus & sanguinem Domini post consecrationem panis & vini revera in sanctissima Eucharistia præsentia esse, ubi cunq; locorum illa celebratur, nosq; ut in ea exterius & visibiliter symbolis illis vescimur & potamur, ita simul interiùs & invisibiliter, ac indistanter ipso substantiali corpore & sanguine Christi pasci & potari.

Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna.

Quæ sententia nostra ex Scripturis liquidò probatur. Et I. ex verbis illis Christi Joh. VI, 53-56. *Amen, Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo ipsum ultimo illo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vbi disertissimè & distinctis vicibus objectum Sacramentalis comestionis caro Christi esse dicitur, bibitionis sanguis. Oportet ergò carnem & sanguinem Christi esse substantialiter præsentia in Sacramento Cœnæ. Neq;, quò minùs ex h. l. argumentum ejusmodi petam, movet me aliorum sententia hodie communiter dicentium, de spirituali solùm manducatione hîc

Probatur I. ex Scriptura.

ne hîc Christo sermonem esse. Etenim magis, & potiore etiam jure, unanimi moveor Antiquitatis consensu. Veteres enim omnes, & qui commentaria scripserunt in Johannem, & qui aliàs loci hujus meminerunt, de Sacramento Eucharistiæ eum exponunt. Et textus ipse hanc expositionem clarè loquitur. Nec enim si ex instituto quis maximè de Eucharistia loqui velit, loqui apertiùs de ea poterit, atq; hic factum à Christo. Et qui vacuus à præjudiciis tenuem solummodò sensum hujus Sacramenti habet, non potest hæc verba legere & intelligere, quin mox animum cogitatio subeat de ipso illo Sacramento. Idq; adeò hæc insuper ratio exposcit. Quater enim accuratè à se invicem distinguuntur caro & sanguis, cibus & potus, comestio & bibitio, verbis, quæ paulò superiùs citavimus: cùm in spirituali manducatione isthæc distincta minimè sint. De alia ergò quàm spirituali sermo hîc fuerit. Quanquam non negamus, de varia imò triplici manducatione ac cibo agi in hoc sexto cap. Joh. nempe I. de materiali, ℣. 5. seqq. II. de spirituali, quæ est fidei, ℣. 27. & demùm III. de Sacramentali, ℣. 53. Atq; post istum quidem versum non fit ampliùs ulla fidei mentio: qua tamen facta potuisset Christus Judæis sermone suo offensis facillimè omnem scrupulum eximere, qui relictus illis erat ex istis ejus verbis ℣. 51. ***Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*** Licet enim fortassis nondum loqueretur ibi Christus de alio pane, quàm qui fide sumitur oblationi & morti ejus innixa, Judæi tamen certè novum quiddam & aliud à prioribus proponi judicantes, veram & propriè dictam carnis Christi comestionem secum conceperant. Dubitare autem ecquis velit, opinionem hanc, si erronea fuisset, & à præsenti scopo penitùs aliena, exemturum ipsis fuisse hominum salutis cupidissimum Doctorem & Magistrum, qui id poterat tribus verbis, ad modum triti illius? ***Crede & manducasti***, vel, ut dixerat in prioribus: ***Ego sum panis vitæ: qui credit in me habet vitam æternam.*** At ille nil in eis corrigit: quin contrà vehementi cum asseveratione (***Amen, Amen*** dicens) orditur inculcare peculiarem comestionem, addita sanguinis & potûs mentione, cùm pridem non nisi carnis & panis meminisset; isthac nimirum occasione prædicturus Sacramentum anno vertente instituendum: sicut solenne ipsi aliàs erat futura mysteria prænunciare. Nam eodem modo prædixit suam passionem, mortem ac resurrectionem, Luc. XVIII, 32. 33. ascensionem, Joh. XVI, 28. missionem Spiritus sancti, ibid. 7. & Sacramentum baptismi, Joh. III, 5. Quidni ergò mysterium quoq; Cœnæ? de quo nihil prorsus scriptum reliquisse Evangelistarum aquilam, S. Johannem, qui de baptismo multa præclara annotavit c. 1. 3. & 4. ferè absurdum sit. Quoniam tamen prædictionem tantum, non insti-

institutionem S. Cœnæ nobis exhibuit, mirum non est, elementa externa & visibilia panis & vini apud illum non distinctè exprimi: hæc enim per futuram institutionem innotescere debebant. Aliquid autem vicissim apud eum hîc exprimitur, de quo nihil posteà attingit ipsa tota institutio: idq; est excellentia & fructus hujus Sacramenti, quem habet ex sua videlicet parte, si nihil obstet à parte sumentis. Tum enim sicut baptismus nos regenerat & Christo induit ac salvat, sic Eucharistia Christo nos unit & ad vitam æternam saginat. Quem nobilissimum fructum nullibi Scripturarũ explicuisse Christum, quis crederet? nec verò præter hunc locum Johanneum ullus, in quo explicuerit eum Servator, ostendi potest. Simili ratione nec medii necessitas, qua præter necessitatem mandati ex institutione elucescentem hoc Sacramentum est necessarium, alibi in Scripturis traditur, si hîc loci eam tradi neges. Quæ tamen ipsa eò usq; extendi non debet cum Veteribus nonnullis, ut propter allegata illa Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem &c. non habebitis vitam in vobis*, dicatur Eucharistia ipsis etiam infantibus necessaria; cum à Paulo restringatur ea manifestò ad illos, qui probare se possunt, h. e. adultos, I. Cor. XI, 28. Sed hæc jam aliò spectant: quæ nihilominùs reticenda hîc nobis non fuere, ne cui videretur inefficax argumentum, quod arcessimus ex Johanne pro reali præsentia corporis & sanguinis Domini in S. Cœna.

Jam verò II. & præcipuè probatur hæc præsentia ex ipsa hujus Sacramenti institutione. Satis clarè enim micant Christi verba dicentis in distributione panis benedicti discipulis suis: *Accipite, edite*, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *Hoc est corpus meum.* Et ejusdem distribuentis inter eos calicem: *Accipite, bibite*, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *Hic est sanguis meus.* Quæ verba propriè, & ut sonant, accepta nil sibi volunt aliud, quam verum corpus & sanguinem Domini accipi ac sumi ab iis, qui panem Eucharisticum comedunt, & de poculo consecrato bibunt. Si hæc autem reverà ita sumuntur à communicantibus, necesse est compræsentia sibi invicem esse panem & corpus Domini, vinumq; ac sanguinem Domini; non dicenda aliàs simul & indistractè porrigi ac capi. Nihil rotundius; nihil simplicius. Ita autem omninò, ut sonant, intelligenda hæc verba esse proprio & simplice sensu, inde patet, I. quia communis hæc est & primaria Scripturam interpretandi regula, ut accipiantur verba propriè & literaliter, nec ad improprium & figuratum sensum, nisi evidenti urgente necessitate, cujusmodi hîc nulla ostendi potest, deflectatur. II. *Insigne mysterium est, quod à Christo hîc instituitur, imò sublimius, quàm ut vel hominum ingenio comprehendi vel*

enarrari verbis queat, fatente totidem verbis ipsomet Calvino l. 4. Inst. c. 17. n. 32. In mysteriis autem à littera recedere planè præposterum est: cùm non nisi ex Scripturæ littera aliquid nobis de mysteriis constet. Qui hanc ergò deserit, quid aliter agit, quam ut evacuet ipsa mysteria? Sicut itaq; mystica cœlestis Patris verba desuper testantis de Jesu in Jordane baptizato: *Hic est filius meus, dilectus ille, in quo acquiesco*, Matth. III, ult. nudè & simpliciter capimus, iisq; moti Jesum confitemur verum ac naturalem Dei filium: Ita prorsus filio huic cœlestis Patris testanti de eo, quod porrecturus erat manducandum & bibendum, id esse corpus suum & sanguinem suum, simplicem assensum præbere convenit, nec alio quam proprio & nativo sensu mystica hæc ejus verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sangis meus*, interpretari par est, ac tenore eorundem credere & confiteri, verum ac naturale corpus suum & sanguinem suum Apostolis suis eum porrexisse, eademq; posteritati fidelium in cibum ac potum reliquisse. III. Cum Spiritus sanctus per tres Evangelistas ac per quartum insuper testem Apostolum Paulum disertè affirmet, Christum in institutione hujus Sacramenti dixisse: *Hoc est corpus meum*, si quid iis verbis improprietatis inesset, unde in errorem fideles ducerentur, saltem per unum aliquem illorum, quod concisiùs à reliquis vel obscuriùs dictum esset, supplevisset & ampliùs declarasset; optimè gnarus, quantum universæ Ecclesiæ intersit, ea de re veritatem tenere. At verò non solùm nihil legimus ullibi in Scripturis annotatum, unde Christum impropriè locutum fuisse possit colligi: sed IV. etiam ea continuò ipsis illis verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, subjunguntur, quæ verborum, cum quibus cohærent, proprium sensum omninò postulant. Ita enim integra habet oratio: Hoc est corpus meum, *quod pro vobis traditur*: Hic est sanguis meus, *qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Nullo modo autem corpus symbolicum seu figuratum, sed proprium ac substantiale Christi corpus, quod ex virgine natum & in cruce suspensum mortem obiit, pro nobis est traditum, & verus ac naturalis Christi sanguis fusus pro nobis est, quo eluerentur peccata nostra. Nec opus plures rationes congerere. Satis hæ evincunt proprium verborum Institutionis sensum. Pro reali tamen corporis & sanguinis Christi præsentia aliquid ulterius addendum.

III. Igitur probatur ea ex Apostolo Paulo ad Corinthios scribente I. ep. X, 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Ecce, mutato subjecto prædicationis Sacramentalis, illius nempe toties jam iteratæ: *Hoc est corpus meum*, mutat

Apo

Apoſtolus ſimul prædicatum, cumq; ſubjecti loco poſuiſſet vocem *Panis*, non dicit, panem eſſe corpus Chriſti, ne viam aperiat tropicæ expoſitioni, cùm impoſſibile ſit, ut panis ille ſit verus & naturalis panis & ſimul verum ac naturale corpus Chriſti: ſed voce aliqua prædicato addita *panem* dicit *communicationem* eſſe *corporis Chriſti*. Quod ſi autem hoc, ergò qui comedit panem in S. Cœna, fit ſimul particeps corporis Chriſti: quod proinde verè & ſubſtantialiter adeſſe neceſſum eſt. Idem rurſus I. Cor. XI, 27. 29. *Itaq; quisquis ederit panem hunc, vel biberit poculum Domini indignè, damnas erit corporis & ſanguinis Domini—— —— non diſcernens corpus Domini.* Vult dicere, reatum à multis incurri, cibum ac potum Sacramentalem indignè tractando. Vt pateret autem hunc cibum non eſſe ſolum panem, rationem, quare quidam ſibi judicium manducent, non iſtam reddit, quod panem Euchariſtiæ non dijudicent, ſed quod *non diſcernant corpus Domini*, h. e. quòd hanc eſcam cœleſtem, ipſius filii Dei corpus, irreligiosè tractent, veluti quemlibet alium cibum id indiſcertè negligenterq; ſumentes. Sumitur ergò & editur ab omnibus ad S. Cœnam accedentibus, ſeu dignè præparati accedant ſeu minùs, corpus Domini, adeoq; & verè ac realiter in hoc Sacramento adeſt. Eadem, quæ corporis, ſanguinis quoq; eſt ratio. Et ita etiam ex Paulo hæc præſentia adſtruitur.

Poſt Scripturas locum meritò damus Antiquitati Eccleſiaſticæ, quæ variis modis noſtram hanc theſin confirmat. Nam 1. Patres Euchariſtiam abſolutè appellant *corpus & ſanguinem Domini.* Ignatius apud Theodoretum, Dial. III. *Euchariſtias & oblationes* (Gnoſtici) *non admittunt, quòd non confiteantur, Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* II. Ajunt, non tantùm animum, ſed etiam carnem corpore Chriſti paſci. Juſtinus Apol. 2. ad Antoninum: *Cibum* (Euchariſticum,) *qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus, conſecratus eſt, & quo ſanguis CARNESq; noſtræ per transmutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe, edocti ſumus.* Irenæus l. 4. adv. hær. c. 34. *Quomodo* (hæretici) *dicunt, in CARNEM corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? —— Quemadmodum enim, qui eſt à terra, panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiã jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Tertullianus l. de Reſurr. carnis, c. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.*

II. Ex Antiquitate Eccleſiaſtica.

III. Christum in hujus Sacramenti sumtione ad nos ingredi, & naturaliter percipi, totumq; nobis uniri asserunt Origenes hom. 5. in loca N. Testamenti, tractans historiam de Centurione ejusq; puero paralytico: *Quando* (ait) *sanctum cibum illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tum Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Hilarius l. 8. de Trin. *Si verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter* (verè ac substantialiter) *manere in nobis existimandus est?* Greg. Nyssen. orat. Cathechet. magnâ, c. 37. *Per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus & contemperatus corporibus credentium.* Chrysost. hom. 50. in Matth. (juxta Latinam editionem, 51.) historiam hæmorrhousæ exponens: *Tangamus & nos fimbriam vestimenti ejus; imò potiùs, si volumus, ipsum totum habemus. Nam etiam corpus ipsius propositum nobis jam est: non vestimentum tantùm, inquam, sed etiam corpus, ut non tangamus solùm, sed ut edamus & saturemur. Accedamus igitur cum fide, quicunq; ægrotamus. Quod si enim, qui fimbriam vestimenti ejus tetigerunt, tantam virtutem traxerunt; quantò magis ii, qui totum eum tenent?* Cyrillus Alexandrinus l. 10. in Joh. c. 13. *Considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem esse intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali*, i. e. adesse non solùm efficacia, sed etiam substantiâ, ut Philippus in Loc. exponit, Corp. Doctr. p. 503.

IV. Manibus corpus Christi, & ore cùm corpus tùm sanguinem accipi, frequenter dicunt. Cyprianus serm. de Lapsis, contra indignè communicaturum: *Quòd non statim Domini corpus inquinatis MANIBVS accipiat, aut ORE polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur.* August. T. 6. lib. 2. contra adversarium Legis & Prophetarum, c. 9. *Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde atq; ORE percipimus.* Theodoretus in 1. Cor. XI. *Quemadmodum probris affecerunt Christum Judæi, ita ignominia eum afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis MANIBVS accipiunt, & in pollutum & incestum OS immitunt.* Leo Magnus, serm. 6. de jejunio VII. mensis: *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ORE sumitur, quod fide creditur.* Gregor. M. hom. 22. in Evangelia. *Quid prodest, corpus & sanguinem Christi ORE percipere, & ei perversis mori-*

moribus contraire? Ibid. *Sanguis agni super utrumq; postem ponitur, quando non solùm ORE corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Notabilia autem cumprimis sunt verba Ambrosii objurgantis Theodosium Imperatorem & arcentis illum à communione, ob cædem in urbe Thessalonicæ commissam, quæ narrantur à Theodoreto l. 5. hist. Eccl. c. 17. *Quo, obsecro, ausu MANUS injustæ cordis cruore respersas extendes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipies? Aut quomodo preciosum ejus sanguinem ORI admovebis, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi? Quapropter discede, neq; velis priorem iniquitatem hac alia iniquitate augere.* Deniq; non tantùm signum & figuram corporis & sanguinis Domini, sed ipsum ejus corpus & sanguinem nobis exhiberi docent, Damasc. l. 4. de orth. fid. c. 14. *Dominus ipse dixit:* τοῦτό μου ἐστὶ, οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα. *Hoc est non corporis signum sed corpus meum, nec sanguinis signum, sed sanguis.* Theophylactus in c. 14. Marci: *Hoc est corpus meum: hoc, inquam, quod sumitis. Non enim figura tantùm & exemplar quoddam Dominici corporis panis est.*

Et hæc hactenùs de Thesi: cui ex veterum Ecclesiæ Doctorum scriptis confirmandæ operam haud inutilem navavit *Philippus*, peculiari libello Wittebergæ edito, quo sententiam sanctorum Patrum de S. Cœna bona fide, ut inscriptio habet, recitavit. Peucerum decebat, si is bona fide colligere Philippi opera & edere voluisset, istum quoq; reliquis ejus scriptis libellum inserere: quod secus tamen ab ipso factum. Nec enim in Tomis Philippi ille uspiam apparet. Aliquam tamen ejus partem & quidem ἐπίκρισιν, quam Patrum sententiis Philippus subjunxit, reperio parte 8. Obj. & Resp. Theologicarũ ex Philippi scriptis contextarum opera & studio Christoph. Pezelii, p. 171. seqq. Confer ibidem 201. Habetur aliàs integer libellus iste ter excusus: primò Wittebergæ anno 1530. tum eodem loci, anno 1581. tertiò Dialogo Oecolampadii, quem de S. Cœna scripsit, insertus est. Ad quem dialogum, qui simul contrarias auctoritates Patrum adfert, Philippus non respondit. Vnde Pezelius colligit l. d. p. 199. 200. *Philippum exactiùs* (ut loqui amat) *rem totam perpendisse*, nec dubitat aliam ei sententiam tribuere, cum qua priorem commutârit; imò verò & ipsi Luthero. p. 303. seqq. Quo jure, quave injuria, animus nobis otiumq; non est hic excutere. Animo autem sedet, illam tueri constanter Philippi, sed quid Philippi dico? quin potiùs Scripturæ & Antiquitatis sententiam, quæ asserit, Christum præsentem esse corpore & sanguine suo in S. Cœna *verè & substantialiter:* quibus vocabulis Philippus utitur defi-

definiens Cœnam Domini in Exam. Theol. & communem nostrarum Ecclesiarum sententiam reponens Aug. Confess. art. X. & in Apol. ejusdem. Hæc nostra, inquam, thesis esto: cui probandæ non est quod diutiùs immoremur.

Zvvinglii & Calvini sententia.

Antithesis lubrica est. Nam Zwinglius quidem Eucharistiam constituit nudum signum Christi absentis. *Calvinus* autem emendaturus Zwinglium videri vult nobiscum credere veram, substantialem ac realem Christi præsentiam, ita ut *S. Cœna non sit* (quæ sunt ipsa ejus verba) *figura nuda & simplex, sed veritati suæ & substantiæ conjuncta*, Libello de Cœna, quem scripsit anno 1540. Et ibidem: *Necesse est*, inquit, *nos in Cœna verè corpus & sanguinem Christi recipere.* Et paulò post: *Fatendum est — substantiam interiorem Sacramenti visibilibus signis conjunctam esse, & quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi, ut ejus participes simus, nobis communicari.* Et mox iterum: *Intelligimus Christum nobis in Cœna veram propriamq́ corporis & sanguinis sui substantiam donare.* Extant hæc in Opusculis ejus in unum volumen collectis p. 133. 134. Rursum comment. in 1. Cor. XI. *Concludo*, ait, *realiter, ut vulgò loquuntur, nobis in Cœna dari Christi corpus.* Quæ utinam sincera & perpetua ipsius sententia fuisset! At longè aliud sonant ejus effata in libello, cui titulus: *Consensio mutua in re Sacramentaria cum Tigurinis*, sub cuius finem (in Opusculis, p. 825. seq.) ita loquitur: *Tollenda est qualibet localis præsentiæ imaginatio. Nam quum signa hîc in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus; Christus, quatenus homo est, non alibi quam in cœlo, nec aliter quam mente & fidei intelligentiâ quærendus est.* Et posteà: *Quia*, ait, *corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terra.* Quæ postrema verba mutuo sumsit à Zwinglio, totusq́; hic libellus pugnat cum iis, quæ anteà citavimus, adversa fronte.

Quod ita ostenditur. Quicquid continetur cœlo tantùm, ita, ut extra illud præsens non sit, illud verè & realiter præsens non est in S. Cœna, quæ hìsce in terris celebratur. Atqui, secundùm Calvinum, corpus Christi continetur cœlo tantùm &c. Ergò. Porrò: Qui mente tantùm & fidei intelligentiâ quærendus est, ille secundùm substantiam corporis non est nobis præsens. Atqui Christus mente tantùm & fidei intelligentia quærendus est. Ergò. Minor iterum est Calvini. Maj. prob. quia implicat, esse præsentem substantialiter & mente tan-

tùm

tùm ac fide teneri: substantia enim rei & nudus conceptus mentis invicem sibi contradistinguuntur. Sic v.g. dum cogito de amico, & jucunda ejus memoria obversatur menti meæ, non potest ille dici substantialiter præsens esse mihi, sed quoddam ejus ὁμοίωμα solùm. Quale etiam de Christo format fides: nec proinde, qui fidei intelligentia Christum quærit & apprehendit, dici hoc ipso potest ullo modo sibi eum habere verè & substantialiter præsentem, sed objectivè tantùm & intentionaliter. Atq; ita manet hoc, revera Calvinum cum suis substantialem Christi à S. Cœna absentiam statuere, præsentiam inficiari, quocunq; tandem fuco errorem suum pingant.

Idq; ulteriùs testatum reddunt argumenta ipsorum, quæ nobis solent opponere, quorum potiora ista sunt. (1.) Impossibile est, unum corpus simul & semel esse in pluribus locis: tùm quia corpus est & quantum, cujus natura exigit, ut ejus partes partibus loci coëxtendantur & commensurentur, totumq; adeò, dum in hoc loco est, simul alibi non ponatur; tùm quia unum quid est, cujus præsentia multiplicari citra multiplicationem ipsius substantiæ non potest. Jam autem Christus habet verum corpus & unum corpus. E. non poterit corpore illo suo, salvâ manente essentia & unitate ejus, præsens adesse tot inter se divisis locis, quibus simul ac semel Eucharistia celebratur. (2.) Dicit Scriptura, Christum per ascensionem corpus suum cœlis intulisse ibiq; versari, nec rediturum inde usq; ad diem judicii. Marc. XVI, 19. *Assumtus est in cœlum.* Joh. XVI, 28. *Relinquo mundum.* Matth. XXVI, 11. *Me non semper habebitis.* Phil. III, 20. *Nos autem ut municipes cœlorum nos gerimus: unde etiam Servatorem expectamus Dominum JesumChristum;* nempe venturum ad judicandum vivos & mortuos, ut habetur in Symb. ex 2. Tim. IV, 1. Ergò nec vult Christus ante illud tempus judicii, præsens sistere corpus suum in his terris. (3.) Si præsens est corpus Christi in S. Cœna, manducabitur in ea: cùm dicat Christus porrigendo panem: *Accipite, edite: hoc est corpus meum.* At corpus Christi manducari nequit: necesse enim sit, illud, utpote cibum solidum, dentibus conteri & comminui: quod dicendum non est. E. nec præsens illud est in S. Cœna. (4.) Dantur plures tropi in verbis Cœnæ. Obviat enim ibi Synecdoche, Metonymia, Metaphora. Synecdoche, in illis verbis: *Hoc est corpus meum*, ubi, interpretibus nobis ipsis, τὸ *Hoc* supponit confusè pro toto illo, quod Christus dare volebat, pro pane scilicet & corpore suo. In illis item Luc. XXII, 20. *Hic calix est N. Testamentũ in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.* Nam *calix* ponitur synecdochicè pro eo, quod hauritur ex calice, continens pro contento.

Calvinianorum argumenta contra præsentiã corp. & sanguinis Christi in S. Cœna.

 tento.

tento. Metonymia est in iisdem verbis. Quippe N. Testamentum dicitur metonymicè pro causa N. Testamenti, vel eo, quod constituit & fundat N. Testamentum. Metaphora deniq; est apud Paulum 1. Cor. XI, 24. scribentem: *Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur.* Vbi *frangi* dicitur per metaphoram, pro cruciari. Quid ergo obstet, quò minùs etiam corpus tropicè denotet signum corporis? (5.) Vulgari etiam sermone signa nominibus rerum signatarum appellantur, ut pictura leonis dicitur leo, & digito monstratâ aliqua pictura dico: Hic est leo, hic est Cæsar, hic est Antonius. Imò etiam cum addito: Hic est Cæsar, qui vicit Pompejum. Eodem ergò sensu dici à Christo poterit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur.* (6.) Memoria est rerum absentium. Atqui in Sacramento Cœnæ est memoria Christi. E. Christus ipsemet in eo non est præsens. (7.) *Caro non prodest quicquam*, Joh. VI, 63. nempe oraliter manducata, ut Calviniani explicant. De manducatione ergò carnis Christi multò alia quàm propria & orali, népe spirituali, quæ maximè & semper prodest, intelligenda veniunt, quæ Joh. VI. & in ipsa institutione Christus dixit, sicut rursum ipse loco alleg. ait: *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt*, i. e. spiritualiter intellecta vitam in se continent. (8.) Si verè adest & manducatur corpus Christi in Cœna, percipient id etiam impii & indigni. Hoc autem videtur indecens, tantam majestatem & tàm sanctam carnem intrare in corpus peccatis subditum. Et cùm illud, quod impii accipiunt, illis vergat ad judicium, ob eam etiam causam non videntur ipsum substantiale corpus Christi accipere, cùm testetur Christus, *se non esse missum in mundum, ut judicet mundum*, Joh. III, 17. (9.) Patres subinde Eucharistiam vocant *imaginem, figuram, signum, symbolum corporis & sanguinis Domini, ac cibum & potum spiritualem.* Non ergò sentiunt, corporaliter ibi adesse Christum, ipsumq; corpus & sanguinem ejus accipi à communicantibus.

Resp. ad Objectiones Calvinianorũ.

Hæc ferè potiora sunt ipsorum contra nos argumenta, ad quæ omninò respondendum nobis est.

Ad I. itaq; dicimus, nec naturam corporis nec unitatem ejus obstare, quò minùs unum idemq; uno eodemq; tempore per supernaturalem divinam potentiam existere possit in diversis & dissitis locis, sive id fiat localiter, adeoq; cum extensione & commensuratione ad diversa loca, sive illocaliter & sine divisione atq; extensione locali. Vtrumq; enim possibile est. In Cœna tamen illocaliter existit corpus Christi, ac proinde sine ejusmodi extensione & commensuratione. Neq; enim hæc est de natura corporis; cùm ne ipsa quidem quantitas sit de illius natura,

túra, ſed accidens ſolùm ejus ſit, atq; idcircò infinitâ Dei potentiâ ſeparabilis à corpore, tametſi in Sacramento ſeparationem ejusmodi non ſtatuamus. Multò igitur minùs de eſſentia corporis erit id, quod quantitate ipſa poſterius eſt, ut commenſuratio & extenſio localis, quæ à quantitate eſt ut à cauſa, & proinde effectus quantitatis, eâq; ob id poſterior: priùs enim res in ſe magna eſt & apta replere locum; deinde replet locum. Nihil autem poſterius eſt de eſſentia prioris, cùm eſſentiæ in indiviſibili conſiſtant. Poterit ergò corpori ſua ſubſtantia pariter & quantitas conſtare, etiamſi *actualis* ad locum commenſuratio removeatur. Manet interim *aptitudinalis*: nec major hîc eſt difficultas, quando ſtatuitur corpus quantũ non occupare locũ, quàm cum legitur inhibitũ corpus grave, quò minus deorſum tenderet; coloratum, quò minus videretur; lucidum, quò minùs luceret; calidum, quò minùs calefaceret. Quæ omnia facta eſſe SS. Litteræ tradunt. Chriſtus enim & Petrus corporibus gravitatem habentibus *ſuper aquas ambulârunt*, nec ſubmerſi ſunt, Matth. XIV, 26. 29. Idem Chriſtus *inviſibilem ſe* non ſemel *fecit*, Luc. IV, 30. Joh. VIII, 59. & corpore ſuo poſt reſurrectionem lucidiſſimo, ita ut excœcaretur Paulus ejus adſpectu, Act. IX, 9. apparuit Apoſtolis ſine ullo inſolito ſplendore, Joh. XX. & alibi. *Ignis* deniq; *babylonicus* ſua natura calidus nec uſſit nec combuſſit corpora trium virorum, Dan. III, 25. Hæc credunt Calviniani. Credant igitur etiam, corpori quanto poſſe contingere, ut quantitas effectum, quem per ſe producere apta eſt, non producat, Deo cohibente, ne tale corpus actu ſecundo locum repleat eoq; terminetur. Eadem enim hîc & illic ratio obtinet. Nam ſicut gravitas eſt cauſa deſcenſus, luciditas ſplendoris &c. ſic magnitudo ſeu quantitas occupationis loci cauſa eſt, atq; ita hoc ſuo effectu prior, à quo proinde non dependet & ſine illo eſſe poteſt. Sed nec unitati corporis quidquam hoc pacto metuendum: cùm iſta repugnantia, quæ ſumitur ab unitate rei, non minùs inveniatur in ſpiritu quàm in corpore. Vtrumq; enim eſt unum & à ſe diſtrahi ac divelli non poteſt. Et tamen Deus, ſimpliciſſimè unus permanens, in diverſiſſimis locis præſtò eſt: & noſtra anima ſimul eſt in pluribus ubi, tota in toto corpore & in ſingulis partibus tota exiſtens. Et hæc ad primum argumentum.

Ad II. Dicit quidem Scriptura, Chriſtum in cœlis verſari, nec in terras deſcendere uſq; ad diem judicii: ſed non eo ipſo negat omnem ejus præſentiam in his terris, verùm tantummodò viſibilem & familiarem, ac inter homines uſitatam. Nam inviſibilem promiſſam habemus in verbis Cœnæ. Viſibilem autem & majeſtate ſua dignam ſublatus in cœlum Paulo præſtitit, ſemel in via, Act. IX, 3. ſemel in car-

cere, Act. XXIII, 11. Et constanter retinet nihilominus suam stationem cœlestem, nec ab ea discedit vel descendit, usq; ad supremum diem. Quam enim Paulo exhibuit & nobis in Cœna exhibet præsentiam, non dicimus fieri per descensum, per itum & reditum aliquem, sed *per multiplicationem præsentiæ*, ut idem corpus, quod permanet in cœlo, sistatur simul præsens in his terris.

Ad III. Si negatur, corpus Christi verè manducari, erunt omnia metaphoricè accipienda, hunc in modum: Accipite & credite, dum manducatis & bibitis: quod ubi feceritis, efficiemini per fidem compotes eorum, quæ Christus vobis acquisivit oblatione corporis & effusione sanguinis sui. Quam interpretandi rationem contortam esse & inferri in Scripturæ verba, non inde efferri, quilibet videt. Neq; profectò quicquid non atteritur dentibus, dicendum est non verè comedi, si sit solidior cibus. Nam de essentia manducationis non est, cibum dentibus comminuere: aliàs pueri & senes edentuli non manducarent: sed sufficit cibum in os ingeri, & per guttur in ventriculum demitti. Quanquam satius esset, mysterii modum silentio venerari.

Ad IV. In subjecto propositionis, *Hoc est corpus meum*, non agnoscimus ullum tropum: non enim Synecdochen rhetoricam sustinet τὸ *Hoc*, sed grammaticam solùm, quæ nullum infert tropum, sed excidit nobis maximè propriè loquentibus, quoties videl. duo simul porrigimus & subjecti loco ponimus pronomẽ *Hoc*; tum enim utrumq; confusè denotamus per τὸ *Hoc*, id autem, quod ex illis minùs patet sensibus vel dignius est, exprimimus in prædicato, sicut v. g. ostenso sacco dici solet, Hoc est avena. De cætero concedimus dari *locutiones tropicas in verbis Cœnæ*; sed *quæ vel familiares & faciles intellectu sunt*, ut quando *calix* ponitur pro eo, quod ex calice hauritur: *vel aliàs sæpiùs in Scripturis frequentantur*, ut quando *calix* dicitur *N. Testamentum* i.e. causa novi Testamenti: hoc enim solenne est Scripturis, & apud Ebræos præcipuè ac Syros (quorum lingua Christus locutus est) obtinet, ut effectum pro efficiente ponant, dicendo, Deus est vita, salus, fortitudo nostra, cùm causa sit horum omnium; *vel quæ deniq; alibi explicantur in Scriptura & evolvuntur*, sicut hæc ipsa propositio: Hic calix est N. Testamentum in meo sanguine, alibi exponitur ita: *Hic est sanguis meus N. Testamenti:* quomodo & illud Pauli: Hoc meum est Corpus, quod pro vobis frangitur, alibi ita explicatur, ut fractio non nisi metaphorica nobis intelligenda relinquatur, dum *negat Scriptura, os Christo comminutum esse*, Joh. XIX, 33. Calvinianorum autem tropus, quo volunt *Corpus* accipi pro signo corporis, nec per se facilè intelligibilis est, nec Scripturæ usitatus, nec ullibi in eis explicatus. Quippe duo

tan-

tantùm significata habet Corpus Christi in Scripturis, & notat vel *verũ & naturale* Christi corpus, vel corpus ejus *mysticum*, quod est Ecclesia. Hîc autem in verbis Cœnæ non est sermo de corpore Ecclesiæ. E. de vero & naturali Christi corpore. Similiter verum & naturalem Christi sanguinem è poculo bibi, luculenter contra Calvinianos indicant ipsa illa tropo affecta, & modo, quo dictum est, evoluta Lucæ verba: *Hoc poculum* (quod ex hoc poculo bibitur) *est N. Testamentum* (causa & basis N. Testamenti) *in meo sanguine* (constituti) *quod* (poculum seu potiùs contentum in poculo) *pro vobis effunditur*. Inde enim fit tale argumentum: Quod ex poculo Eucharistico bibitur, id constituit & fundat N. Testamentum. Atqui non figura sanguinis Christi, sed verus Christi sanguis constituit & fundat N. Testamentum. E. non figura tantùm & signum quoddam sanguinis (V. Testamenti propria) sed verus Christi sanguis ex poculo Eucharistico bibitur.

Ad V. Rectè dico de imagine: Hic est Julius Cæsar, qui Pompejum vicit; etsi eum tantùm significet: quia tota ad unum & tale quid determinandum & repræsentandum est destinata. At panis non sic est destinatus aut determinatus ad significandum corpus Christi animam nostram nutriens: neq; Christus antè admonuerat Apostolos, ut videntes panem mensæ appositum de corpore ipsius cogitarent, ipsumq; tanquam sui corporis signum adspicerent. Talis igitur de eo non potest fieri prædicatio, qualis de alia imagine ad significandum suapte naturâ comparata.

Ad VI. Memoria, quæ celebratur in Cœna, est utiq; rei absentis, nempe, indice Apostolo, passionis & mortis Domini 1. Cor. XI, 26, quæ dudum præteriit, & absens est; ipso interim Christo, quoad corporis & sanguinis substantiam, actioni huic præsentissimo.

Ad VII. Oralem manducationem habet Scriptura, habent Patres; si intelligatur non quidem physica & communis, sed vera tamen & propriè dicta manducatio, quæ inter physicam & spiritualem sit intermedia. De Patribus id jam suprà ostensum. In Scripturis clara p. 510. micant Christi verba: *Edite, hoc est corpus meum.* Quod si autem editur corpus Christi, ore accipitur: cùm natura nullum aliud instrumentum comestioni destinârit. Neq; huic manducationi contrarium quid habetur Joh. VI. Non enim dicit Christus: Caro MEA non prodest quicquam: sed *Caro* i. e. carnalis intelligentia, carnalis sensus, adhærens solummodò iis, quæ in oculos incurrunt, nec humo se attollens, *non prodest quicquam.* Vult nimirum Christus, non, quod humum tantùm sapiat, intelligi, sed spiritualiter sermones suos capi, non figuratè tamen & impropriè, de manducatione, quæ merè spiritualis sit (nisi etiam Virgilii & Horatii verba figurata velis spiritualia dicere) sed

ſed mentem attollendo ad virtutem ſpiritûs, judicioq; hujus, non ſenſuum, res divinas metiendo. Quod cùm facere detrectent Calviniani ſenſu & ratione ſua abutentes ad negandum Dominicæ præſentiæ in S. Cœna myſterium longè ſupra ſenſus & rationem poſitum, juſtiſſimè in illos hoc Chriſti dictum retorquentes dicimus: *Caro* i. e. carnalis brutusq; affectus, quo ducuntur, *non prodeſt quicquam*, ſed illis maximoperè obeſt. Conferantur, quæ de hoc loco Johanneo habet D. Salom. Glaſſius, Rhet. Sac. p. 100.

Ad VIII. Non indecens eſt bonitati divinæ, ut præſentem ſe nobis corporaliter ſeu corpore ſuo exhibeat Dominus, eatenùs non diſcernens inter bonos & malos; cùm iſtud non ſit diſcretionis tempus, ſed miſericordiæ, in quo vivimus, & ad quod uſus Sacramentorum pertinet. Ac *per ſe* equidem Chriſtus non venit ad judicium in hunc mundum: *per accidens tamen* ad id ſe veniſſe ipſe dicit Joh. IX, 39. vitio nimirum hominum: quo fit etiam, ut ſanctiſſimum & ſaluberrimum corpus ejus multis comedentibus in judicium cedat, qui illud indiſcreta ſumtione manducant indignè.

Ad IX. & ult. Vocatur ſanè à Patrum nonnullis Sacramentum hoc *figura & ſignum corporis Chriſti*, ſed nusquam nudum & inane ſignum, aut ſignum tantùm, vel abſentis corporis ſignum. *Spiritualis* item *cibus*, non quod verè carnem & corpus Chriſti non contineat, ſed quia finis illius eſt ſpiritum alere, non corpus, licet per inſtrumentum corporis ſumatur, & quia inviſibiliter ad modum ſpiritûs ſumitur ac nutrit, ſicut & *ad modum ſpiritûs adeſſe Chriſti corpus in Sacramento* rectè dicitur, i. e. non magis replendo locum, quàm ſi eſſet ſpiritus. Et
p. 509. verò, quæ genuina Patrum ſententia fuerit, ſatis in ſuperioribus expoſitum à nobis eſt, recenſione quinq; modorum, quibus præſentiam Chriſti in S. Cœna docent. Nec difficile nobis eſt, adjicere illis quinq; adhuc duos modos, dum I. *etiam à maximè indignis precioſum Chriſti corpus & ſanguinem accipi aſſeverant*. II. *IN, CVM, & SVB pane corporis Chriſti nos participes fieri* pronunciant. Prius eſt apud Æg. Hunnium lib. de Sacr. c. 14. p. 543. ſeqq. Poſterioris generis teſtimonia extant in concione accuratiſſima, quam anno hujus ſeculi 28. pl. Rev. & Excellentiſſimus D. D. Georg. König, Senior Collegii noſtri optimè meritus, habuit de S. Cœna: cui jungi etiam illa poteſt, quæ ab eodem habita eſt anno 23. Breviſſimis veram ſententiam complectentes finimus cum Philippo noſtro, *verè & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum in ſumtione hujus Sacramenti*. Si verè, ergò non figuratè ſeu ſignificativè tantùm, ut *Zwinglius* volebat. Si ſubſtantialiter, non igitur intentionaliter tantùm & objectivè, ſicut *Calvinus* cum ſuis per ſolam

fidei apprehenſionem eum nobis præſentem relinquit. Ita enim uterq; hic error voculis illis duabus fortiſſimè excluditur.

APHORISMUS II.

pag. 711.

Neceſſe eſt Papiſticam miſſam taxari, vitari & aboleri.

SVfficienter, ut puto, de Calvinianorum controverſiis dictum hucusq; eſt. Ordine ergò ſic exigente ad eas, quas Pontificii nobis movent, nunc progredimur. Quæ cum plures ſint nec prioribus illis minores, ad tres tamen capitales redigi poſſunt, quarum I. eſt de Transſubſtantiatione. II. de Communione ſub una. III. de Sacrificio Miſſæ. De ſingulis ſeorſum.

Et transſubſtantiatio quidem, ſi verum fateri velimus, origo & radix eſt omnium, quibus hoc Sacramentum adſperſum eſt, abuſuum & ſuperſtitionum. Poſitâ ſc. illâ ſtatuitur corpus & ſanguis Chriſti ita craſsè adeſſe, ut poſſit manibus tractari, pixide includi, in terram projici, effundi, conculcari. Hinc enata mutilatio Sacramenti & privatio benedicti calicis, ob periculum effuſionis. Poſita transſubſtantiatione dicendum quoq; erit, Sacramentum hoc eſſe aliquid permanens. Admiſſo autem hoc, non malè fiet aſſervatio ejus & circumgeſtatio, ſiq; conſpiciendum quocunq; modo exhibeatur, juſtè eò dirigetur adoratio. Quin ſequetur mox etiam ſacrificium. Si enim ita adeſt corpus Chriſti, ut manibus tractari poſſit, poterit etiam ad modum externi ſacrificii offerri. Poſito autem ſacrificio propriè dicto, ab uno illud offerri non inconveniens erit. Hinc Miſſa ſine communicantibus. Quæ tandem omnia ad evehendum plus juſto Clericorum ordinem tendunt. Nam magna ſanè eſt dignitas, Chriſtum, quem Maria ſemel peperit, tàm frequenter, & quoties viſum fuerit, voce ſua evocare in manus ſuas, ac Creatorem quodammodò creare, & ἱλαςήριον mundi manibus ſuis cœleſti Patri pro hominum peccatis expiandis offerre, imò Dominum cœli & terræ, quò lubeat, ferre & circumferre, reponere, ſecludere, promere, quotidieq; integrum ſacramentum ſive ſacrificium ſumere, cujus non niſi dimidiati aliis copia fiat.

De Transſubſtantiatione.

Operæ

Operæ precium igitur fuerit, ante omnia illud, unde cætera propullulârunt, Transsubstantiationis dogma excutere & prosternere. Quod faciemus unico argumento, eoq; tali: Quodcunq; dogma (1.) fundamentum solidum in Scripturis non habet, (2.) quin contrarium potiùs est Scripturis, (3.) & noviter inventum (4.) ac compluribus obnoxium absurdis, ipsâq; absurditate sua imperceptibile, illud meritò est taxandum & rejiciendum. Sed dogma transsubstantiationis est tale. Ergò. Major per se patet. Minor facilè potest probari juxta singula membra.

Dicimus I. hoc dogma *in Scripturis non esse solidè fundatum.* Idq; verissimè dicimus. Debebat enim ex Scripturis valida probatione deduci: sed talis probatio nulla suppetit. Constat propriam hujus totius doctrinæ sedem esse in iis Scripturæ locis, ubi institutio hujus Sacramenti habetur. Et dicit quidem Thomas de Aquino, fundamentum transsubstantiationis esse in illis verbis Christi, *Hoc est corpus meũ,* quæ verba negat veritatem suam obtinere, nisi substantia panis transeat in substantiam corporis Christi. Sed frustrà id dicit, ac propositum minimè evincit. Quid communius enim est in familiari sermone, quam cum duæ res sunt conjunctæ & conjunctim ostenduntur, eam, quæ minùs in sensus incurrit vel nobilior est, prædicati locum tenere & utramq; simul denotari in subjecto per δεικτικὸν Hoc? Sic enim v. g. ostenso poculo dicimus: Hoc est pharmacum; ostenso marsupio: Hoc sunt C. aurei. At tales locutiones omnes intelliguntur sine facta aliqua transsubstantiatione. Ergò & dicta propositio Sacramentalis eodẽ modo intelligi & verificari poterit sine substantiali aliqua conversione facta. Agnoverunt hoc Scotus, Durandus, Thomas Argentinensis, Occam & alii Scholasticorum: atq; idcircò maluerunt vel ex Patrum quibusdã dictis, vel ex sola Innocentii III. definitione in Concilio Lateranensi facta hanc suam sententiam adstruere, quàm ad Scripturas provocare; homines sanè ingeniosi & subtiles, minimeq; adeò existimandi ulla ratione tantum argumentum missum facturi, si quidquam eo obtineri posse vel leviter perspexissent. Hujus rei evidentia Bellarminum & ipsum adegit, ut scriberet, *id, quod Scotus sensit, non esse omninò improbabile,* l. 3. de Sacr. Euchar. c. 23. Hoc unum est.

II. *Idem dogma Scripturis etiam contrariatur,* quæ aliquoties disertè panem jam consecratum & in ipso Sacramentali usu constitutum adhuc nihilominùs *panem* appellant, 1. Cor. XI, 26. seqq. *Quoties ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis.— Itaq;, quisquis ederit panem vel biberit poculum Domini indignè, damnas erit corporis & sanguinis Domini. Exploret autem quisq; seipsum*

ipsum, & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat &c. Necesse est ergò verus panis sit id, quod sumitur edendum, & verum ac substantiale vinum, quod accipitur bibendum, nulla in eis substantiali mutatione, sed nobis tamen cum eis participatione facta corporis ac sanguinis Domini. Hinc itaq; sicut præsentiam corporis & sanguinis Domini contra *Calvinianos*, ita pariter symbolorum præsentiam credimus contra *Pontificios*. Dicunt hi quidem, etiam baculum, cum in serpentem versus esset, dici nihilominùs *baculum*, nec alium interim intelligi, quam qui fuit baculus, Exod. VII, 12. Sed hoc exemplum eos non juvat: quia manifestò constabat, & historica narratio satis ostendit, factam fuisse conversionem. Si similiter illi ostenderint commutationem panis in corpus Christi, ibimus oppidò lubentes in ipsorum sententiam & Pauli verba exponemus de pane, qui fuit panis.

III. *Noviter id est inventum.* Concilium enim Lateranense, in quo Innocentius III. Papa Romanus, sub anathemate dogma illud primus sanxit, unde id pariter ad Scholasticos transivit, habitum est seculo XIII. ineunte. Sequente XV. Constantiense, in quo Joh. Wiclefus, Anglus, dpgmati huic contradicens damnatus est, coactum fuit. Quod excepit postea Tridentinū. Prioribus & melioribus seculis nihil Ecclesiæ de Transsubstantiatione constitit. Jam autē fides Christiana & quicquid fidelibus sub anathemate credendum proponitur, non debet recens adeò esse, ut per XII. secula inauditū fuerit in Ecclesia: sed pervetus sit oportet, & inde ab Apostolis continua traditione ad nos derivatū. Nec enim Deo placuit, Ecclesiam posteriorū seculorum regere novis revelationibus, quibus peculiaris doctrina fidei populo fideli antehac incognita proponatur credenda: sed una est & permanet fides, *quæ semel tradita est sanctis* (i. e. primis fidelibus) ut dicitur in Epist. Jud. ℣. 3. Cum hac fide Transsubstantiatio ad nos non dimanavit. Et gratis omninò à quibusdam dicitur, quòd antiqui Patres eam statuerint. Certè ex antiquissimis Irenæus Martyr l. 4. adv. hær. c. 34. panem adhuc post consecrationem agnoscit & ex eo Eucharistiam constare dicit. *Jam non est*, ait, *communis panis* (qui consecratus videl. est per benedictionem & preces) *sed Eucharistia, ex duabus rebus constans* (rebus, puta, quæ simul sunt:) *terrena & cælesti.* Panem fatetur; saltem communem esse negat. Attamen cæteri, inquies, frequentant I. in communi istam propositionem: *Panis est corpus Christi*, quæ hoc importare videtur, quod panis non sit ampliùs panis, sed in corpus Christi conversus. II. Corpus Christi confici ajunt à ministro consecrationem peragente. Ita enim Hieron. ep. 85. ad Evagrium: *Ad presbyterorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur.* Confici autem idem est quod fieri,

eri, & cum mutatione conjunctum est, quæ mutatio posteà conversio & transsubstantiatio dici cœpit. III. Ipsum terminum mutationis identidem adhibent, & panem ac vinum in corpus & sanguinem Domini μεταβάλλεσθαι καὶ μεταποιεῖσθαι, converti seu commutari dicunt. Resp. ad I. quod propositio illa, *Panis est corpus Christi*, triplicem *sensum habere possit*, nempe vel Pontificium: Panis (non qui adhuc est, sed qui fuit panis) est corpus Christi; vel Calvinianum: Panis est signum corporis Christi merè significans; vel orthodoxum: Panis est signum corporis Christi non significans tantùm, sed simul id, quod significat, exhibens, vel, quod eodem recidit, est medium, cujus interventu corpus Christi nobis communicatur. Et hoc postremo sensu Patres propositionem illam usurpant: quo pacto ea coincidit cum Paulina: *Panis est communicatio corporis Christi*. Interim satius est, verba ipsa Pauli retinere, & illa Christi: Hoc est corpus meum. Nam hæ duæ propositiones sunt Biblicæ: Illa autem Patrum est Ecclesiastica tantum. Ad II. & III. Respond. Christi corpus confici prævia consecratione dici, dum panis communis accepta benedictione efficitur sacer & transit in cibum Sacramentalem, qui sumtus fit κοινωνία corporis Christi. Vbi aliqua sanè intervenit *mutatio*, at non substantialis, qualem Pontificii fingunt, sed *accidentalis*, qua fit, ut non quidem substantia panis & vini tollatur, verùm ut qui nudus antè & vulgaris panis erat ac nudum vulgareq; vinum, participatio corporis & sanguinis Christi efficiantur, sicut modò diximus Paulum hæc explicare. Quod si quis instet, Patres non ut de accidentali, sed veluti de substantiali mutatione loqui, dum ajunt: *Panis non iam est, quod ante erat, transiit & mutatus est in corpus Christi*: *Ante consecrationem est panis, post eam est corpus Christi: Videtur esse adhuc quidem panis, sed revera corpus Christi est*; sciendum, nihil inde pro substantiali conversione firmiter concludi. Nam eodem modo Scriptura loquitur de regeneratione, tanquam de substantiali immutatione (ipsa generatio enim pro termino habet substantiam) & regeneratum vocat novum hominem, novam creaturam; nec tamen nisi accidentalis illa est aut alia mutatio, quàm qua ex infideli fiat fidelis, ex inimico Dei amicus Dei, ex improbo probus: sed supernaturalis tamen & excedens omnes vires naturæ: cujusmodi supernaturalem mutationem hîc quoq;, ubi de Sacramento agimus, intellectam volumus. Et sic novitate sua corruit Transsubstantiatio.

IV. *Multa post se trahit absurda*. Nam sanctissimum Christi corpus injuriæ & ignominiæ exponitur, si panis consecratus statuatur esse ipsum Christi corpus, quem contingit frangi, dentibus atteri, in locum im-

immundum projici, à mure arrodi, aut à bruto devorari, vel comburi, aliisq; modis corrumpi: quæ omnia, transſubſtantiatione poſita, in corpus Chriſti redundare neceſſe eſt: à qua indignitate piæ aures meritò abhorrent. Fit ſenſibus etiam noſtris injuria, quibus objiciuntur color, odor, ſapor, mollities, quantitas & figura, uno verbo, omnia accidentia veri panis, quem tamen non eſſe panem intellectus credere jubetur. Negativè haud quidem legitimè argumentantur Calviniani: Corpus Chriſti non ſentitur: E. non adeſt. At affirmativum ejusmodi argumentum rectè petitur contra Pontificios: Sentimus verum panem in Sacramento Cœnæ. E. adeſt. Sed & *imperceptibile penitùs* hoceſt Pontificiorum dogma. Quid enim tandem eſt illis Transſubſtantiatio? Eſt *totalis converſio ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Domini*, deſcribente Bellarmino l. 3. de Sacr. Euch. c. 18. Si ſtatueretur annihilatio panis & vini, & ſucceſſio corporis ac ſanguinis Domini in eorum locum, res utcunq; intelligi poſſet. Et ratio cogit, annihilationem, ex illorum hypotheſi, fieri. Aut enim tota ſubſtantia panis manet, aut tota perit. Si prius, habemus quod volumus, Sin poſterius, ergò tota ſubſtantia annihilatur. Sed annihilationem illi nolunt, unicè converſionem urgentes. Converſio autem hîc eſſe non poteſt, quia terminus ad quem (intellige corpus ſacrum Dominicū) plenam exiſtentiam ſuam jam ante habet; quod cum converſione non congruit, quæ requirit, ut terminus ad quem non fuerit anteà, ſed incipiat eſſe & noviter per motum converſionis producatur, ſicut vinum fuit productum per motum iſtiusmodi in nuptiis Cananæis. Sin adducitur quid tantùm, non producitur, (veluti de corpore Dominico ſentiunt Pontificii) converſio dici nequit, ſed eſt accidentalis latio de loco in locum, &, ſi id, in cujus locum quid adducitur, ſecundùm totam ſubſtantiam ſuam eſſe deſinat (quæ eorundem de pane ſententia eſt) *ſucceſſio* dici debet cum annihilatione termini à quo conjuncta, converſio nullatenùs. Quis deinceps verò id quoq; capiat, quod dicunt, ſubſtantiam totam mutari, remanentibus omnibus accidentibus? Enimverò tantundem hoc eſt, ac ſi dicas, hominem ſubſtantialiter mutari in brutum, manente figura & omnibus accidentibus hominis. Vt de eo nunc taceam, quod accidentia panis & vini ſubſiſtere finguntur ſine ſubjecto, cui inſint: quod ipſum etiam capi vix poteſt, eſſe quid accidens, nec ſubjecto tamen ineſſe: quanquam hoc quidem variè poſſit diſputari, de qua re ſuo olim tempore, volente Domino. Stat ergò Minor noſtra & conſequenter etiam Concluſio, ac fides dogmati huic Pontificio meritiſſimè derogatur.

Si nulla autem talis est Transsubstantiatio, sua sponte corruunt, quæ ei proximè superstruuntur, asservatio superstitiosa hostiarum, theatrica earundem circumgestatio & religiosa adoratio. De quibus tamen singulis aliquid in specie monere non gravabimur.

De Asservatione hostiæ.

Asservari hostiæ sanè etiam apud nos solent; sed non-consecratæ. Hîc autem quæstio est de *consecratis*. Et has etiam ipsas asservari modico tempore in usum ægrotorum, quale quid veteri Ecclesiæ fuit aliquantisper in more positum, nolim peccatum dicere: Convenientius tamen sine dubio est, & ad commemorandam mortem Domini efficacius, integrum ritum Cœnæ in domibus infirmorum (ut apud nos fieri amat) celebrare, adeoq; consecrationem etiam ipsam inibi coram eis peragere, quàm consecratam hostiam eò deferre, & prætermissa verborum Institutionis recitatione ægroto præbere manducandam. Id autem omninò superstitioni deputandum, quod hostiam reservatam Pontificii pro Sacramento habent, eoq; propriè dicto. *Catholici*, ait Bellarminus, *omnes conveniunt, panem ritè consecratum, sive corpus Domini sub specie panis contentum, verè & propriè esse Sacramentum, sive sumatur, sive servetur in pixide.* l. 4. de Sacr. Euchar. c. 2. Atq; hinc *Sacramentum hoc illis est* (secus quàm baptismus) *res permanens, ratione* nempe *materiæ*, quòd in pane consecrato corpus Domini permanenter existat; licet aliàs quoad formalem rationem Sacramentum hoc (æquè ac baptismus, annuentibus illis) consistat in actione transeunte. Hoc verò est, quod nos impugnamus. Nihil enim habet rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum. Vbi ergò nulla manducatio, ibi nullum Sacramentum Eucharistiæ. Nam ad manducandum & bibendum est hoc Sacramentum institutum. Ast ubi & quamdiu reservatio est, ibi & tamdiu nulla est manducatio. E. nec ibi & tantisper est Sacramentum. Si tamen à Patribus aliquando *panis consecratus Sacramentum* dicitur, antequam sumatur, id commodè intelligendum est: quòd sit videl. materia Sacramentali usui destinata, vel etiam signum visibile invisibilis gratiæ: quæ est latior vocis significatio. Quo sensu possit etiam panis, dum actui subest, vel jam tractus inq; altari adhuc positus est, dici, verbis Apostoli, κοινωνία corporis Christi, actu scilicet primo, quòd sit idoneus isti communicationi, & infallibiliter ac certò futurum, ut hoc ipsum corpus unà cum eo distribuatur & sumatur. Ipsa interim κοινωνία non nisi tum ponitur actu secundo, quando fit sumtio & manducatio. Extra hunc usum in pane consecrato corpus Domini esse & permanenter etiam, ut inde adeò Eucharistia sit Sacramentum permanens, assertio est temeraria nec habens de Scriptura auctori-

ctoritatem. Quin clara in contrarium sunt Christi verba: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* Et sensus eorundem facilis: Hoc ita acceptum & editatum est corpus meum. De eo, quod non accipitur, non comeditur, sed asservatur, nuspiam, quod corpus Christi sit, legimus. Verba itaq; *hypotheticè* quodammodò capimus: Si hoc acceperitis & comederitis, est corpus meum. Qui sensus impanationi Pontificiæ directè est oppositus. Si namq; ad sumtionem & comestionem restringitur præsentia corporis Domini, non ergò ante illos actus id adest in hostia altari superimposita, aut pixidi vel cibario inclusa. Quod si fortè objicias, communiter in nostris Ecclesiis dici, non tantùm *CVM pane* sumi corpus Christi, sed etiam *IN & SVB pane* illud adesse, atq; hoc posterius facilè rapi posse in sensum Pontificium, quasi in & sub eo istud lateat, antequam ad ipsam sumtioné perventũ sit; responsio in parato est, uti nos illis particulis non ad modum præsentiæ determinandum, sed ad ipsam simpliciter designandam veritatem præsentiæ; nec id etiam ex necessitate: cùm sufficienter sine illis præsentia doceri & defendi possit. Et propriè equidem ac in rigore corpus ac sanguis Domini præsentia non sunt in pane & vino, sed in sumtione utriusque. Vnde cadit Pontificiorum Sacerdotum superba præsumtio, venditantium, suis se manibus contrectare corpus Christi, dum altari assident & ministerium consecrandi ac distribuendi peragunt, vel pixidi id inserunt, aut inde id rursum depromunt. Jungitur enim illud cum sumente potiùs quam cum ministrante, & mutatio, quæ fit in symbolis externis ex veterum phrasi, quoad actum, quem diximus, secundum in ore fit utentis & accipientis, non in manu consecrantis vel porrigentis. Quamobrem nec circumgestatur propriè corpus Christi, sed panis communicationi corporis Christi in usu legitimo idoneus.

Et verò circumgestatio illa (ut de ea quoq; paucis dicamus) consuetudini vetustioris Ecclesiæ penitùs repugnat. Quippè antiquitus in tanta veneratione hoc fuit mysterium, ut non modò ad ejus perceptionem, sed ne inspectionem quidem admitterentur nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse constabat. Catechumeni & qui publicam pœnitentiam agebant, omnes ante consecrationem voce præconis exesse cœtu sacro jubebantur, & Ostiariorum ministerio secludebantur. Tantum aberat, ut circumgestationis pompa adornaretur, & Sacramentum hoc ostentui haberetur, ac spectandum promiscuè offerretur omnibus, sicut id hodie Pontificii in publicis processibus ostentant vagæ multitudini & quibuscunq; præsentibus non fidelibus tantum, sed &, si qui adsint, Judæis & Turcis.

De Circumgestatione hostiæ.

Ab institutione Christi hunc morem aberrare, nemini ignotum esse potest.

De Adoratione hostiæ. Adoratio deniq; sicut rectè ad Christum, qui in Sacramento præsens est, dirigitur; ita ad eum, ut ibi præsens est, vel *ad ipsum Sacramentum*, ut Pontificii loquuntur, sive ad hostiam consecratam dirigi non debet. Hæc enim creatura est, non Deus, nec Deo etiam personaliter unita, ut coadorari, & idem latriæ cultus, qui Deo solet, tribui illi debeat. Objectum igitur interioris cultus religiosi & summæ illius inclinationis animi, quam latriam vocant, esse nequit. Debetur interim uti Christo, sic pariter externis symbolis sua reverentia externa, & opera nobis danda, ne indignè ea, sed honorificè tractentur à nobis, ob conjunctionem, cui inserviunt, tùm corporis tùm sanguinis Domini. Ut rem brevibus expediamus: adest Christus in ipsa sumtione. Rectè igitur is, qui sumit, quando sumit, veneratur & adorat. Quia tamen nec extra actum sumtionis nec sensibiliter adest, adoratio ad aliquod objectum externum sensibile dirigi non potest: sed sufficit eum qui sumit, interea dum sumit, præsentem Christum interna animi & spiritûs devotione, quam tamen externo etiam corporis gestu (genuflexione vel capitis inclinatione) non malè testetur, venerari & adorare. Tantum de hisce.

De Communione sub una. Sequitur altera controversia capitalis, quæ est nobis cum Pontificiis de communione sub una. Notum est enim, Laicis sub Papatu carendum esse calice benedicto, per decretum Concilii Constantiensis confirmatum Synodo Tridentina, nec Laicis tantùm, sed ipsis quoq; Clericis, si non sint conficientes sive consecrantes, vel agonizantes; Præbetur quidem aliquod etiam in speciem *poculum* plebi ipsi, verùm non benedictum, sed, ut vocant, *ablutionis* tantùm, ad reliquias hostiæ, si quæ fortè palato aut dentibus adhæserint, abstergendas & facilimè deglutiendas. Nos contrà, institutionis Dominicæ tenaces, utramq; speciem, h. e. non tantùm panem sed etiam vinum benedictum, omnibus ad sanctam Eucharistiæ communionem admissis præberi oportere asseveramus, hoc unico sed fortissimo argumento usi:

Quod instituit Christus, ut fideles omnes memoraturi mortem ejus faciant, ad id faciendum omnes illi sunt obligati.

Sed ut omnes fideles memoraturi mortem ejus sumto pane benedicto etiam è poculo benedicto bibant, id Christus instituit.

E. ad id faciendum omnes illi sunt obligati.

Major

Major per ſe patet. Minor nititur verbis Inſtitutionis, ubi iisdem & eàdem verborum forma, qua iis dictam erat, *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum*, mox etiam iis dicitur: *Bibite ex hoc omnes, Hic eſt Sanguis meus N. Teſtamenti.* Quàm latè ergò priora, tàm latè ſe etiam poſteriora hæc verba extendunt. Res liquida eſt quam maximè. Sed quid non tentatur ab hominibus claram litteram deſerentibus? Majori opponit Becanus diſtinctionem inter Inſtitutionem & Mandatum. *Multa*, ait l. 1. Manual. c. 9. *à Deo inſtituta ſunt, quæ tamen omnibus præcepta non ſunt, ut Matrimonium, Ordo Eccleſiaſticus &c.—— Vnde ſicut hæc conſequentia non valet: Matrimonium eſt à Deo inſtitutum. E. omnibus præceptum eſt: Ita ſimiliter hæc non valet: Communio ſub utraq; ſpecie à Chriſto inſtituta eſt. E. omnibus præcepta.* Reſp. Concedimus ultrò, non omnibus promiſcuè præcepta eſſe, quæ ſunt divinitùs inſtituta. Qui tamen aliquid à Deo inſtitutum ſuſcipere vel peragere volunt, iis omnibus mandatum eſt, quicquid ſpectat ad illius officii vel ſtatûs aut actûs rectitudinem. Sic licet Matrimonium & Ordinem Eccleſiaſticum DEVS non imperârit omnibus, tamen omnibus matrimonium contrahere volentibus id incumbit ex mandato, ut cum uno pro præſenti contrahant, non cum pluribus; & qui ordini Eccleſiaſtico admoveri volunt, iis omnibus hoc in mandatis datur, ut ſint apti ad docendum & ritè nôrint ſecare verbum Doi Eodem ergò modo utut communio ſub utrâq; omnibus ſimpliciter hominibus mandata non ſit, certè non infidelibus nec fidelium liberis, quicunq; tamen idonei ſunt & volunt communionem Sacram à Chriſto inſtitutam peragere, præcepto tenentur ſumendi non panem tantùm, ſed vinum etiam benedictum. Hoc præſidio dejectus Becanus conatur alia ratione infringere vim Majoris, ne credatur videl. S. Cœna celebranda nobis eo modo, quo Chriſtus inſtituit. Quippe, ait, *veſperi & poſt agitatam Cœnam vulgarem inſtituit Chriſtus Euchariſtiam, nec nos tamen hæc Chriſti inſtitutio obligat ad eam ſub idem tempus peragendam.* Reſp. Aliud eſt dicere: Chriſtus Euchariſtiam veſperi inſtituit; aliud viciſſim, Chriſtus inſtituit, ut Euchariſtiam veſperi & cibo ac potu communi jam antè repleti celebremus. Si poſteriore hoc modo inſtituiſſet, teneremur eam prorſus ita peragere ex mandato. Nam eatenùs coincidunt Inſtitutio & Mandatum, & idem eſt, ſive dicas: Chriſtus inſtituit, ut hoc fiat, ſive, Chriſtus mandavit, ut hoc fiat. Jam verò non poſſum ita dicere: Chriſtus inſtituit, ut veſperi S. Euchariſtia celebretur. Exemplum ergò hoc ad Majorem noſtram non quadrat, nec ſub ea poteſt ſubſumi.

Ad Minorem Bellarminus excipit, *verba Christi: Bibite ex hoc omnes, dicta esse solis Apostolis, cum alii fideles tum non adfuerint; non ergò ad omnes fideles ea debere trahi.* l. 4, de Euch. c. 25. Resp. Per accidens hoc contigisse, ut soli tum essent præsentes Apostoli, qui interim non aderant ut Apostoli, nec etiam ut futuri Ecclesiæ Doctores, sed ut fideles. Et verò iisdem etiam solis priora dicta sunt verba: *Accipite, edite*, quæ rectè nihilominùs ad fideles omnes trahuntur, cùm Apostoli tum temporis repræsentârint Ecclesiam omnium fidelium Christianorum & idoneorum Christi convivarum. Quæ ergò ratio verborum: *Accipite, edite*, eadem illorum quoq; fuerit: *Bibite ex hoc omnes*: & vel omnibus fidelibus permittendus usus calicis, æquè ut communio panis, vel si illo interdicatur aliquibus, pariter hac etiam interdicendum iisdem fuerit: quo pacto communio Laicorum in totum abolebitur. Constrictus hac responsione Bellarminus elabi tamen nititur & discriminis rationem afferre inter usum panis & calicis, arripiendo illa verba: Hoc facite, *quotiescunq; biberitis*, in mei commemorationem. *Post panis*, ait, *consecrationem absolutè ponitur: Hoc facite in meam commemorationem: post calicem autem idem repetitur, sed cum conditione (apud Paulum,) Hoc facite, inquit, quotiescunq; bibetis. Et certè non sine causa Spiritus sanctus modum loquendi mutavit. Non significant igitur hæc verba posteriora, ut calix debeat dari vel sumi necessariò, sed modum præscribunt, ut, si id fiat, fiat in memoriam Dominicæ passionis.* Resp. paucissimis: *Quotiescunq;* applicatur ab eodem Paulo ad manducationem panis, ℣. 26. *Quotiescunq; manducaveritis panem hunc.* Atq; ita totus usus Eucharistiæ non necessarius ampliùs, sed liber & indifferens erit, quod ἀτοπώτατον. Nihil ergò afferri potest, quod vim nostri argumenti infringat aut debilitet.

Argumenta Pontificiorum pro Communione sub una.

Nec adversariorum etiam argumenta nos feriunt, quæ pro sua negante solent afferre. Certè ex Scripturis, quæ memorant, *Dominum in vico Emaus sumto pane benedixisse & fractum dedisse duobus discipulis*, Luc. XXIV, 30. Dominiq; Apostolos *perdurasse in fractione panis*, Act. II, 42. nihil pro una specie concluditur. Nam Emahunte Christus suis non impertiit Eucharistiam: alioqui sequeretur, licere etiam ad exemplum Christi sine vino consecrare, quod nec Pontificii admittunt. Vulgare ergò epulum illud fuit; in quo tamen instar patrisfamilias sese gessit Christus, more consueto (unde etiam agnitus illis est, ℣. 35.) panem acceptum & fractum distribuens inter suos, precibus & gratiarum actione sibi itidem solennibus adjunctis, sicuti eadem phraseologia habetur extra materiam Sacramenti, Matth. XIV, 19.

Marc.

Marc. VI, 41. Luc. IX, 16. Quod Apostoli autem dicuntur *in fractione panis perdurasse*, si maximè de Sacramento accipiatur, Synecdochicè capiendum est, velut & analoga huic Græcorum appellatio συμπόσιον.

Antiquitas Ecclesiastica tota itidem nostra est, nec aliter integris mille annis Eucharistia in publicis cœtibus celebrata, quàm unà cum pane poculum benedictum præbendo. Ac frustrà in contrarium id urgetur ex Tertull. & Cypr. quod primis Ecclesiæ seculis, quibus persecutiones vigebant & rari conventus à Christianis agi poterant, Eucharistia in manus tradita fuerit fidelibus domum asportanda, & quidē non aliter quam sub specie panis. Vtraq; enim Sacramenti pars in solenni cœtu populo exhibita est; sed alteram, nempe panem, quidam privati ex religioso erga Eucharistiam affectu sibi servabant, & domi vel in itinere comedentes ex intervallo sacrum hoc epulum instaurabant sive absolvebant. Aut potiùs panis sacri, quem traditum in manus acceperant, in partes divisi partem saltim aliquam secum absportarunt, reliquo in ipsa Sacramenti celebratione comesto. Quod quidem cum aliquantisper Ecclesia tolerasset, postea tamen decretis Conciliorum Toletani primi & Cæsaraugustani abrogavit. Et Cyprianum quod attinet, sicuti seculo ante ipsum Justinus Martyr & Irenæus pro nostra sententia dixerunt aperta testimonia, ille Apol. 2. *Ministri distribuunt unicuiq; præsentium* (in cœtu fidelium) *ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem & vinum & aquam* (vinum aqua mixtum) *& ad absentes perferunt*; iste l. 4. c. 34. similiter usum panis & calicis conjungens, indeq; resurrectionem omnibus communem arguens: *Quomodo dicunt* (hæretici) *carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?* Ita non minùs ipsemet hos secutus, dum reprehendit eos, qui sua ætate vino (fortè prætextu temperantiæ) omisso aquam adhiberent, nobis patrocinatur, unam hanc afferens causam, quod institutioni & mandato Christi (nam pro iisdem hæc habet) inhærere oporteat, nec ab iis aliquo modo discedere. *Quodsi*, ait ep. 63. *nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantò magis tàm magna, tàm grandia, tàm ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemtionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitùs institutum sit, humana traditione mutare?* Seculo labente ætati Cypriani proximo, post natum Christum quarto, Julius Episc. Rom. eos, qui compendii causa pane in vinum intincto Eucharistiam complebant, hac itidem sola de causa, quod ab institutione recedant (quam eatenùs mandato æquiparasse necesse est ut dicamus, ni

frivolum velimus haberi ejus argumentum) carpit. *Nec hoc* enim, ait, *prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit* (Dominus.) *Seorsum enim panis & seorsum calicis commendatio memoratur.* c. Cum omne, de Consecr. d. 2. Quinto porrò Ecclesiæ seculo *Manichæi* deprehensi sunt sumto pane se subducere & calicis haustum renuere, hoc ipso indicio notati & à Catholicis dignoti, eoq; nomine sacris pulsi, jussu Leonis Magni, qui de illis Serm. quadragesimali quarto: *Ore*, ait, *indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostræ haurire omninò declinant.* Omnibus ergò hauriendus is offerebatur. Aliter enim ejus declinati indicio Manichæi manifestari non potuissent. De *communione Laica*, quam adversarii ex antiquitate solent objicere, ita paucis habendum. Non fuit ea, ut Bellarminus & nonnulli alii fingunt, communio sub una, Laicorum hodie in Papatu propria: sed Clerici aliquod crimen committentes jubentur Laica deinceps communione uti, h. e. ab officio remoti in statu esse Laicorum, nec communione Ecclesiastica alia gaudere, quàm quæ Laicis ad invicem intercedit. Nempe non Sacramentalis communio ista voce designatur, quæ tunc vel inprimis sub utrâq; specie viguit, cùm Clericorum depositio ex veteri disciplina in frequenti usu adhuc esset: sed in genere communio sanctorum, uti in Symbolo dicitur, vel societas fidelium intelligitur, in qua aliorum conditio Laica tantùm est, aliorum autem dignitas Clericalis. Ab hac arcebantur & ad illam redigebantur, qui morum turpitudine isthac se indignos reddiderant. Et discrimen inter hæc erat ordinis & officii dignitas, non sacramentalis communionis disparitas.

Communio Laica.

Ex ratione deniq; duo præcipuè urgentur à Pontificiis, sed irrito itidem conatu: I. *Periculum effusionis.* II. *Concomitantia*, quam vocant, h.e. sufficientia unius speciei, quòd sub alterutra sit totus Christus, & sumto ejus corpore accipiatur unà sanguis corpori ipsius animato naturaliter conjunctus. ℞. ad I. Id niti falsa hypothesi Transsubstantiationis, quasi, si quid contingat effundi è benedicto calice, illud quod effunditur, sit ipse Christi sanguis: quæ hypothesis non admittitur. Huc accedit, quòd periculum illud fuerit ignotum vetustiori Ecclesiæ, in qua omnes fideles primitùs quotidie, tum deinde singulis Dominicis communicabant, nec ab effusione tamen illa sibi metuebant quidquam, ne quidem cum dabatur Eucharistia puerulis. Ad II. Esto, corpus Christi, quod mediante pane accipitur, non esse exsangue, tamen non servatur solo pane accepto institutio & mandatum Christi, qui jussit *seorsum*, uti ex ipso Julio Papa Romano audivimus, sumere sanguinem, & ad modum potus. Sub pane autem non potatur vel bibitur

bitur sanguis, ut per se patet. Non ergò adimpletur præceptum Christi: *Bibite ex hoc omnes*! Tantum etiam de hac controversia.

Quam nunc excipit tertia de sacrificio Missæ. Vbi I. *non de vocabulo Missæ controvertitur, an illud rejiciendum sit*, necne? Cùm enim sit pervetustum, nec propriè & proximè aliud quàm missionem seu dimissionem populi significet, sicut *remissa* Cypriano & aliis remissionem usitatè significat, repudiari & rejici non meretur, utut res ipsa eo nomine significata in usu esse desierit. Nempe duplex olim erat *Missa*, sive populi dimissio: Vna *catechumenorum*; altera *fidelium*. Catechumeni & cum iis pœnitentes (qui ob grave notorium scelus pœnitentiam publicam exsolvebant) & energumeni (à dæmone obsessi & acti) dimittebantur, quin secedere jubebantur è cœtu publico, antequam fideles munera sua, panem & vinum, materiam celebrationi S. Cœnæ præbitura, ad altare offerrent, & antistes Ecclesiæ ea consecraret. Fidelibus autem ipsis dabatur dimissio post peractam S. Eucharistiam. Hæc sunt, quæ prima sui origine vocabulum Missæ importat: de quibus nemo est, qui litem moveat. De Sacrificio Missæ.

Sed nec II. *quæritur, utrum Missa in totum abolenda sit? Quin potiùs Missam nos constanter retinemus*, si ipsa sacra actio, quæ post dimissionem Catechumenorum olim fieri solebat, h. e. celebratio Cœnæ Dominicæ eo nomine significetur; nam hoc etiam sensu vocabulum Missæ posteà fuit acceptum. Huc respiciens præclarissimus Lunæburgensium olim Theologus, Vrbanus Regius, de form. cautè loq. c. 3. *Missa*, ait, *Christi & Apostolorum est peractio Cœnæ Domini in Ecclesia, quando juxta institutionem Christi & ritum Apostolorum edimus corpus Domini & sanguinem ejus bibimus in commemorationem Christi, annunciantes salvificam mortem Domini, donec venerit i. e. usq; ad diem judicii extremi.* Et ipsa Aug. Conf. artic. 3. abusuum: *Falsò*, inquit, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant.* Ejusq; rei rationem reddens Apologia: *Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis & aliis festis, in quibus porrigitur Sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atq; absoluti. Et servantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus & alia similia.*

Cæterum *neq;* III. *de eo cum quoquam contendendum, num possit aliquid simul esse Sacramentum & Sacrificium*? nec enim hæc repugnat simul esse. Certè agnus paschalis erat, uti nos omnes fatemur sacramentum. Sed idem & sacrificium, eoq; nomine venit in ipsis sacris litteris. Vocatur enim זבח *victima*, Exod. XII, 27. & קרבן *res oblata Domino*, *Num. IX*, 13. *Et nisi sacrificium fuisset, quomodo sacrificii*

ficii Christi cruenti typus esse potuisset? veluti benè colligit D. Christianus Matthiæ, quondam in hac Academica Professor Theologiæ primarius, disp. de verbis Joh. I. *Ecce agnus Dei &c.* Fuisse id autem talem typum, Apostolus declarat I. Cor. V, 7. scribens: *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus.* Neq; obstat, quod agnus ille non à Sacerdotibus fuerit oblatus, nec in altari. Nam hoc non est de ratione sacrificii. Siquidem & Cain & Abel sacrificia obtulerunt, qui nec Sacerdotes erant, nec in altari sacrificabant.

IV. Igitur *neq; in eo controversiæ cardo vertitur, an in celebratione Missæ sive Sacramenti Cœnæ Dominicæ nullo modo sit sacrificium?* nec enim hoc etiam temerè debet afferi. Est utiq; aliquod ibi sacrificium, ex consensu veterum, nec unum, sed *multiplex*; tum quia ipsa victima, quæ in cruce pro nobis oblata est, i. e. corpus & sanguis Domini, in Eucharistia præsens adest & communicantibus dispensatur: tum quia memoria sacrificii Christi in cruce peracti illic recolitur, & pro eo gratiæ aguntur: tum quia salutarem illam victimam corporis & sanguinis Christi nos ibi per preces nostras Deo Patri offerimus, & quidem non vulgari modo, ut aliàs, sed cum intuitu ad illam ejus substantialem præsentiam; Deum videl. rogantes per illum, qui pro nobis corpus suum in cruce obtulit & sanguinem effudit, perq; ipsum illud sacrosanctum corpus ac sanguinem, quo in Eucharistia pascimur & potamur, ut propitius nobis dignetur esse, & tàm temporalia quàm cœlestia bona largiatur. Sic ergò habetur ibi *sarificium laudis & precum*: habetur sacrificium *quoddam memorativum*: imò verò ipsa illius *sacrificii, quod commemoratur, materia*, quæ est corpus & sanguis Domini, ibi eadem prorsus habetur, non minùs atq; olim in ipsa cruce, & mediantibus symbolis externis panis ac vini distribuitur iis, qui ad mensam Domini accedunt, ab iisq; accipitur non minore cum fructu & effectu, si in fide & caritate hoc sacrum peragant, quàm si ipso illo momento corpus in mortem traderetur & sanguis effunderetur, adeoq; actio sacrificandi, quam in cruce peregit Servator, ibi reapse præstaretur.

Jam verò his suppositis & concessis, *hoc unum est in quæstione positum: Vtrum missa vel celebratio Eucharistiæ habeat rationem sacrificii propriè & formaliter ita dicti, in tantum, ut inibi revera immoletur Christus quotidie per Sacerdotes sub signis visibilibus panis & vini, Deoq; Patri offeratur in propitiationem pro peccatis vivorum & mortuorum, externâ & eâdem quoad speciem actione sacrificandi, qua ipse se in cruce Patri suo cœlesti pro nobis obtulit?* Atq; hoc illud est, quod Pontificii asserunt: in quo ut tantillum cedamus illis, adducemur nunquam. Validissimas enim, cur ab illis hìc dissentiamus, rationes habemus. Ex quibus prima hæc est.

Omnis

Omnis sacrificii realis & externi adeoq; propriè dicti natura exigit, ut *res, quæ offertur, immutetur, &, si animata sit, occisione destruatur*, ceu patet ex iis omnibus locis, quæ agunt de sacrificiorum externorum ritibus, itemq; ex eorum omnium exemplis, qui unquam de rebus animatis sacrificia realia & externa Deo obtulerunt. Hinc ita inferimus: Si hæc est natura veri & externi sacrificii, ut victima destruendo & occidendo immutetur, & Christus jam immutari & destrui occisione nequit, certè Christus non potest in Missa verè & propriè sacrificari. Antecedens est verum & fundatum in ipsa sacrificii natura illoq; Pauli asserto: *Christus suscitatus ex mortuis non amplius moritur: mors ei non amplius dominatur. Nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.* Rom. VI, 9. 10. Ergò. Excipiunt, in Missa fieri mutationem, dum substantia panis & vini mutatur in corpus & sanguinem Christi. Resp. Sit ita, licet aliter esse suprà ostensum sit: substantia igitur panis & vini erit illa victima, quæ Deo offertur; non autem corpus & sanguis Christi, quod illi volunt.

Rationes contra sacrificium Missæ pontificiæ.

I.

p. 520.

Nam isthæc mutatio non quadrat in Christum, sed in panem & vinum. Argumentum hinc tale conficitur: Quod transmutatur, id sacrificatur. Panis & vinum transmutatur, non corpus & sanguis Christi. E. Instat Bellarminus, &, ut sanctissimo etiam Christi corpori mutatianem affricet: *Per consecrationem*, inquit, *corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neq; obstat, quod corpus Christi nullam in se læsionem patiatur neq; esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia: nam amittit esse sacramentale, & proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.* l. 1. de Missa, c. 27. Quem jubemus meminisse suorum verborum, quæ dicto lib. c. 2. ita habent: *Omnia omninò, quæ in Scriptura dicuntur sacrificia, necessariò destruenda erant; si viventia, per occisionem; si inanima solida, ut simila & sal & thus, per combustionem; si liquida, ut sanguis, vinum & aqua, per effusionem. Lev. I. & II.* Et sub finem illius cap. *Ad verum*, ait, *sacrificium requiritur, ut id, quod offertur Deo in sacrificium, planè destruatur, i. e. ita mutetur, ut desinat esse id, quod ante erat: & in hoc maximè differt à simplici oblatione, quæ interdum ritu mystico elevabatur coram Deo sed non destruebatur, nisi quando verè sacrificabatur.* Rationem hanc ibidem assignat, *quia sacrificium est summa protestatio subjectionis nostræ ad Deum & summus cultus externus, qui exhiberi possit. Summa autem ista protestatio*, eodem judice, *requirit, ut non solùm usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia: & ideò non solùm usus, sed substantia consumatur.* Ita, mi Bellarmine, ex propria mente tua requiritur ad verum

rum sacrificium, ut esse substantiale consumatur: at tuum esse sacramentale & esse in altari, de quo loqueris, non est nisi accidentale, nec ullus sanus dixerit, propterea corpus destrui per occisionem, desinere esse id quod erat, substantiam consumi. Nisi tu fortè, quoties è loco in locum transportaris, toties te occidi & destrui existimas. Nostrum itaq; argumentum manet inconcussum.

II. Alterum sumimus *à propria ratione sive affectione sacrificii Christi, quæ est initerabilitas, cujus causa est perfectio*: sicut contrà sacrificiorum V. Testamenti affectio erat iterabilitas, & hujus causa imperfectio, cùm oblationis tùm ipsorum Sacerdotum offerentium. Non enim quæ in V. Testamento offerebantur sacrificia, sustulerunt peccatum: quia impossibile est, etiam ratione dictante, peccata tolli sanguine brutorum. Hinc subinde repeti oportuit, ceu docet epistola ad Ebræos, c. X, 1-4. Christi autem sacrificium, æterni nempe ipsius Dei filii, cùm perfectissimum fuerit, & ob infinitam personæ offerentis dignitatem abundè, semel licet oblatum, sufficiat eluendis totius mundi peccatis, (quippe *unica oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur*, Ebr. X, 14.) ideò nulla hîc iteratione opus, quam inde exsertis etiam verbis Paulus removet Ebr. VII, 26. 27. IX, 25. seqq. Ac per consequens nullum in Missa est veri nominis sacrificium, aut specie idem cum eo, quod in cruce semel oblatum est. Quæ enim sacrificii species est repetenda, illa imperfecta est & tollendis impar peccatis. Ebr. X, 1. 2. 11. 18. Quod absit, ut de absolutissimo Christi sacrificio cuiquam in mentem veniat.

Hoc argumentum, si ullum aliud, fortissimè adversatur Missæ Pontificiæ propugnatoribus: ideoq; variis distinctiunculis id tentant eludere. Sanè, inquiunt, unica oblatione consummati sumus, scilicet *cruenta*. Interim non tollitur sacrificium *incruentum*, quale est in Missa. Ast ubi locorum hanc distinctionem Scriptura tradit? Imò verò ipse dudum præoccupavit Apostolus Ebr. IX, 26. assignata initerabilitatis sacrificii Christi hac causa, quòd *alioqui, si sæpiùs semet ipsum offerre Christus debeat, pati quoq; ipsum ac mori sæpiùs necesse foret*. Oblationem ergò nullam aliam agnovit præter eam, quæ infert cruentam passionem & mortem. De incruento sacrificio, quo admisso vis perit Paulinæ consequentiæ (poterit enim sæpè offerri Christus, nec propterea tamen pati, cùm possit offerri modo incruento) nihil Apostolo constitit: Proinde nec nobis id ullatenùs probatur.

Pergunt: Semel obtulit semet ipsum Christus, quoad redemtionem & satisfactionem. At nos sæpiùs ipsum in Eucharistia offerimus *quoad applicationem* redemtionis. Resp. Applicatio sacrificii non est obla-

oblatio, seu non est sacrificium. Si Eucharistia ergò est applicatio tantùm sacrificii redemtorii in cruce peracti, & non ipsa per se sacrificium expiatorium & satisfactorium, non est ipsum illud sacrificium, sed actio ab eo distincta. Deinde ad applicationem etiam non opus est repetita oblatione & sacrificio, sed fide & conversione, Rom. III, 25. Quod si Eucharistia quoq; medium haberi debeat applicativum sacrificii crucis, non aliter tamen hoc medio nobis sacrificium crucis applicatur, quàm dum corpus & sanguinem Christi participamus & mortem ejus annunciamus. Hoc autem Eucharistiæ competit ut sacramento, non ut sacrificio.

Porrò: Vnum est, inquiunt, sacrificium crucis; sed iteratò tamen repræsentandum per Sacrificium Missæ. Fit enim in hoc repræsentatio sacrificii illius semel in cruce oblati, dum corpus sub specie panis frangitur & sanguis sub specie vini funditur, atq; ita offertur & donatur Deo in sacrificium. *Repræsentantia* autem *Sacrificia* & commemorantia multiplicari, non est inconveniens. Verùm hoc quoq; commentum illis plus obest, quàm prodest. Si enim in Missa est tantùm repræsentativum sacrificium, E. non ipsum verum sacrificium Christi, seu essentialiter & quoad speciem tale, quale erat illud Christi in cruce, ibi habetur: nam hoc non erat repræsentativum, sed reale. Quantum scilicet interest inter mortem à Duce bellico fortiter oppetitam & à Tragœdo posteà repræsentatam, tantum inter sacrificium Christi in cruce præstitum, & à Sacrificulo missificante repræsentatum interesse dicendum fuerit. Nec juvat eos exceptio, secus hîc quàm in tragœdia rem se habere, cùm adsit utrobiq; tàm in Missa quàm in cruce idem numero Sacerdos primarius, qui offerat, scilicet Christus, eademq; victima, corpus scilicet Christi. Vnde consequi videtur, sacrificium Missæ idem esse cum sacrificio Crucis, non tantùm repræsentativè, sed etiam realiter. Enimverò illam ipsam victimam in Eucharistia communicantibus distribui, quæ oblata est in cruce, adeoq; materiam sacramenti hujus & sacrificii Christi revera eandem esse, concedo. At non propterea ipsa Eucharistia & sacrificiũ illud reapse & formaliter unum quid sunt, sed materialiter tantùm. Eundem autem Sacerdoté, & in actu quidem offerendi ac sacrificandi utrobiq; esse, nego. Non enim nisi semel Deo Patri se pro nobis Christus obtulit, quando in cruce passus est: In Eucharistia autem non Deo, sed nobis corpus ac sanguinem suum offert, dum nos illis cibat ac potat, & unà cum iis omnia beneficia mortis suæ dignè participantibus impertitur. Nos etiam contrà ipsum Deo offerimus, dum per eum & ipsius præsentissimum corpus ac sanguinem & sanctissimam passionem, cujus memoriam ibi recolimus, ipsi,

ipsi, ut gratia sua nos prosequatur, supplicamus. Hæc est ibi & nulla alius generis oblatio.

III. Tertium & ultimum argumentum *ex institutione S. Cœnæ* depromimus. Si enim unquam instituta Missa est, qualem Pontificii dictitant & agitant, tum, cum institueretur Eucharistia, instituta est. Verùm inde nil tale peti posse, res ipsa docet. Nullo enim apice, quòd vel obtulerit se ipsum Christus Eucharistiam instituens, vel se offerri jusserit, apud ullum IV. Scriptorum, qui accuratè eam institutionem consignarunt, reperitur. Perlustrentur omnes ac singulæ actiones, sive à Christo tum temporis præstitæ, sive præstandæ Apostolis injunctæ, num inter eas ulla actio sacrificandi inveniatur. Legimus, Christum accepisse panem & calicem ac benedixisse, panem fregisse, eundem ac calicem dedisse discipulis & dixisse: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis meus N. Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*, subjunctis his deniq; ab utrâq; parte verbis: *Hoc facite in mei commemorationem.* Obtulisse eundem sese, dum hæc diceret atq; ageret, in sacrificium, vel offerri jussisse, id verò nuspiam legimus.

Bellarminus tamen, mirus artifex, exsculpere id ex prædictis verbis magno ausu aggreditur l. 1. de Missa, c. 12. Nempe quoniam Christus dicit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, ideò, dum hæc verba proferuntur, corpus tradi & sanguinem effundi, h. e. Christum ipsum tum offerri sive sacrificari contendit. Hæc verò est mirabilis Logica, juxta quam ex illis ejusdem Christi verbis Joh. VI, 51. *Ego sum panis* ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, *de cœlo descendens*, concludendum foret, hæc loquentem tum, cum ea verba proferret, è cœlo descendisse, qui ultra annos XXX. jam in terris versatus fuerat. Sciendum itaq;, verba hujusmodi nihil aliud esse, quàm declarationem prædicati, nec ullam, quæ, simul ac dicerentur, facta fuerit, sed tamen, quod ad verba Cœnæ attinet, proximè futuram actionem significare. Dicit idem rursus Servator alibi etiam in præsenti: *Animam meam depono pro ovibus*, Joh. X, 15. quod nihil est aliud dicere, quàm, pro ovibus me meis offero in sacrificium, & mortem obeo pro illis. Velisne autem inde elicere, Bellarmine, aliquod sacrificium illo ipso temporis articulo à Christo præstitum? Æquè contortum est, quod alii communiter mandato, *Hoc facite*, præcipi actum sacrificandi volunt. Quicquid enim sit de verbo *Facere*, & posito, id interdum habere significationem sacrificandi, tamen Christus non absolutè dixit, *Facite*, sed, *Hoc facite*, quod utiq; refertur ad id, quod præcessit, illam scilicet integram actionem, quæ consecratione,

fra-

fractione, præbitione, ſumtione, non oblatione & ſacrificio conſtat. Hoc facite, nempe, quod vos juſſi jam facere, & etiam à me factum vidiſtis. Ac ſeorſum circa calicis diſtributionem, Hoc facite, ait Servator, *quotieſcunq; biberitis*, in mei commemorationem; Vt ita, quodcunq; faciendum hiſce verbis injungitur, omnibus bibituris injungatur, quibus omnibus ſacrificare non licet.

Ita patet, Euchariſtiæ inſtitutionem nihil planè pro Pontificia Miſſa facere. Multò ergò minùs dicta & typi V. Teſtamenti rem conficient, quibus multùm tamen à Pontificiis tribuitur. Certè palmarii inſtar habetur dictum Mal. I, 11. *Ab ortu Solis uſq; ad occaſum ejus magnum erit nomen meum in gentibus & in omni loco incenſum offeretur nomini meo & munus purum ſive oblatio munda.* Quaſi verò per oblationem mundam Miſſæ oblatio intelligi debeat. Solenne Prophetis eſt, ut deſcripturi ſpiritualem cultum ſive λογικὴν λατρείαν Chriſtianorum, loquantur ex more V. Teſtamenti, dicantq; facturos ſacrificia & oblationem, ut etiam eſt Eſa. XIX, 21. Talibus enim ceremoniis Deus olim colebatur. Ita planè Malachias hîc vel Deus potiùs ipſe apud Prophetam *legali phraſi deſignat cultum Evangelicum ſive ſpiritualem illum colendi Dei ritum*, quem Rom. XII, 1. pulcrè Apoſtolus explicat & carnalibus legis Moſaicæ ceremoniis tacitè opponit. Hujusmodi ſpirituales hoſtiæ dicuntur *mundæ*, utpote profectæ ab iis, quos Deus mundat, Ezech. XXXVII, 23. & per Jeſum Chriſtum obl atæ atq; hinc Deo acceptæ, 1. Petr. II, 5. & ad diſcrimen V. Teſtamenti dicuntur in omni loco offerendæ, quaquà ſcilicet orbis patet, in quem univerſum prædicatio Evangelii pervenire debebat: quæ ipſa primarium eſt hujus generis ſacrificium N. Teſtamenti, Rom. XV, 16. & cui vel ſoli hæc prædicata, *eſſe oblationem mundam inq; omni loco offerendam*, maximè apprimè competunt. Si verò etiam Euchariſtiæ accommodare hoc vaticinium velis, quod fecerunt plurimi ex Patribus, faciendum id & intelligendum ſenſu laxiore, in quo omnis cultus Dei à Deo ipſo inſtitutus ipſiq; placens ſacrificium dicitur. Quæ appellatio ſacrificii eò etiam potiore nomine in Euchariſtiam quadrat, quoniam hæc non qualiſcunq; eſt Dei cultus, ſicut fides, gratiarum actio, eleemoſynæ, quibus ſacrificii nomen tribuitur Phil. II, 17. IV, 18. Ebr. XIII, 15. 16. ſed ſenſibilis cultus & ritus quiſpiam præ cæteris illuſtris, ſurrogatus in locum Paſchalis victimæ aliorumq; externorum ſacrificiorum V. Teſtamenti. *Et hæc etiam oblatio verè munda eſt, cùm conſtet ex mundiſſimo corpore ac ſanguine Chriſti*; neq;, ut ſacrificia V. Teſtamenti tantum Hieroſolymis ſolebant, ſed in omni loco offertur ubivis gentium & populorum, qui mortem Domini annunciare poſſunt atq; volunt.

Quoniam autem victimæ paſchalis modò meminimus; paucis de ea ulterius quid annectamus. Duos poſt Malachiæ dictum urgere præcipuè ſolent typos Euchariſtiæ, ex quibus unus eſt celebratio agni Paſchalis. Hæc fuit, nobis ipſis concedentibus, immolatio victimæ Deo oblatæ. Fuit autem etiam expreſſa figura celebrationis Euchariſtiæ; quod nos rurſum ultrò admittimus. Sequetur itaq;, quod volunt Pontificii, celebrationem Euchariſtiæ eſſe immolationem victimæ & ſacrificium propriè dictum, ut figuratum figuræ reſpondeat. Sed non eſt, quod metuamus propterea. Paucis hoc dubium expediri poteſt. *Erat agnus paſchalis ſimul & Sacramentum & Sacrificium.* Poterit itaq; ſufficere, ſi typũ fuiſſe Euchariſtiæ dicamus alterutro horum modorũ, nempe quâ parte Sacramentũ erat: quatenus autem ſacrificium, ſic reſpexiſſe ſacrificium Chriſti, quod ipſius figuratum equidem preſsè reſpondet figuræ, tanquam propriè imò propriiſſimè dictum ſacrificium. Latiùs autem ſumendo vocabulum ſacrificii, ſic poſſe id etiam Euchariſtiæ, & cum reſpectu quidem ad agnum paſchalé adaptari, jam modò expoſitum eſt. Inquies: Jamjam id dictum eſſe, in locum paſchalis victimæ aliorumq́; ſacrificiorum ſucceſſiſſe Euchariſtiam; vel ſic ergò conſtitui ipſam quoq; ſacrificium, quale erant illa, quorum hodie locum ſupplet, h. e. propriè dictum. Verùm quæ hæc eſt connexio? Annon enim baptiſmus quoq; locum hodie circumciſionis tenet? Num efficitur verò inde baptiſmus circumciſio propriè dicta? nihil minùs, tametſi ab ipſo Paulo appelletur *circumciſio Chriſti*, Col. II, 11.

Alter typus isq́; primarius & qui utramq; illis paginam facit, eſt Melchiſedeci factum. Melchiſedecus, ajunt, obtulit oblationem incruentam, panem & vinum, Gen. XIV, 18. Ergò Chriſto quoq; ſimilis aliqua oblatio incruenta conveniet: quoniam hic eſt *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedeci*, Pſ. CX, 4. Ebr. V, 6. Reſp. I. Antecedens abludere à textu. Neq; enim Moſes obtuliſſe Melchiſedecum, ſed *protuliſſe* dicit panem & vinum; idq́; non Deo in ſacrificium, ſed Abrahamo in commeatum. Quamobrem etiam verbum Ebræum הוציא Græci verterunt ἐξήνεγκεν, *extulit*, addito etiam pronomine ἀυτῷ, ut & S. Epiphan. hær. LV. legit. Ita enim ipſorum verſio habet: ἐξήνεγκεν ἀυτῷ ἄρτȣς ϰ̀ οἶνον, depromſit ſeu protulit ipſi (Abrahæ) panes & vinum. II. Conſequentia eſt nulla. Non enim quæcunq; Melchiſedecus fecit, in iis omnibus typum Chriſti geſſit: ſed inhærendum hîc Scripturis, quæ ſacerdotii Chriſti cum Melchiſedeciano ſimilitudinem accuratè tractant, & ne verbulo tamen hanc typi partem, quam Pon-

Pontificii potissimam maximeq; propriam jactitant, attingunt. Videatur epistola ad Ebræos c. VII. eiq; jungantur. Interpretes.

Ex hactenùs disputatis deducitur hoc corollarium: Missas privatas, quales ingenti numero sub papatu in templis, in sacellis, in oratoriis, in capellis hospitiorum, & ubi non locorum? celebrant, non posse defendi. Missæ privatæ autem, quas rectiùs *solitarias* dixeris, sunt illæ, quæ fiunt sine communicantibus, ubi videl. Sacerdos consecrans solus sumit Sacramentum, neq; aliis distribuit, cùm vel non adsint alii, vel, si adsint maximè, intentio tamen quicquam iis distribuendi desit. Qui est magnus abusus Cœnæ Dominicæ, fundamenta alia non habens, quam quæ eversa sunt hactenùs. Quod posterius ipse nos docet Bellarminus l. 2. de Missa c. 9. scribens: *Si adversarii concederent, Missam non solùm esse sacramentum sed etiam sacrificium, fortasse in hac re facilè convenirent: siquidem ad sacrificium, ut sacrificium est, nihil refert, si multi vel pauci vel nulli intersint aut communicent, cùm sacrificium offeratur Deo pro populo; potest enim Sacerdos pro populo offerre, etiamsi populus nec adsit nec communicet. Et confirmatur ex lege veteri; cum enim sacrificia offerebantur pro peccato, nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur, ut patet Lev. VI. & VII. & tamen illi proderat.* Hæc ille. Quæ de sacrificio propriè & strictè ita dicto possunt quadantenùs admitti: sed tale non esse Sacram Cœnam, abundè probatum est. Si hanc adversarii concederent propriè esse Sacramentum, impropriè autem solummodò sacrificium, sine dubio ipsis quoq; meliùs nobiscum conveniret, & solitariæ Missæ non admodùm iis ampliùs probarentur, quæ non uno nomine nobis improbantur. Præter enim ea, quæ contra sacrificiũ formaliter dictum hactenùs disputavimus, repugnat Missis solitariis ipsa institutio hujus Sacramenti, quod à Christo ad distributionem & sumtionem est ordinatum: gratiis enim actis panem sacramentalem & poculum non ipse solus sumsit, si tamen sumsit, sed dedit discipulis & dixit: *Accipite, edite, Accipite, bibite &c.* Ritè igitur & institutioni primævæ conformiter hæc sacra actio non peragetur, si nullus adsit, cui presbyter Eucharistiam tradat, & qui ab eo istam accipiat. Repugnant iisdem appellationes συνάξεως, κοινωνίας seu *communionis & fractionis panis*, quæ, ut cogatur cœtus aliquis & in commune usum plurium apparetur hoc sacrum epulum panisq; fractus distribuatur (nam distributioni solebat fractio, cujus Act. II, 42. mentio fit, inservire) exigunt. Repugnat consuetudo Apostolicæ & Apostolorum temporibus proximæ Ecclesiæ, ubi omnes pariter manducabant & ad manducandum conveniebant, sicut inquit Apostolus: *Convenientibus vobis in Ecclesia in unum &c. Itaq; fratres mei, cum congregami-*

De Missis Solitariis.

p. 533.

gamini ad edendum, 1. Cor. XI, 18. 20. 33. Et sic de sui temporis ministris Justinus Martyr Apol. 2. *Distribuunt*, ait, ἑκάστῳ τῶν παρόντων, *unicuiq; præsentium, & ad absentes* (ægrotos) *perferunt.* Nec potest ex omnibus Ecclesiasticis scriptoribus ullus proferri, qui vel unam, nedum plures Missas ἀκοινωνήτους (in quibus nimirum solus & unus Sacerdos rem divinam fecerit, citra intentionem faciendæ ad alium vel alios distributionis Eucharistiæ) celebratas primitùs, non dicam approbatas fuisse, verbulo uno tradat. Repugnat deniq; ipsum nomen *Missæ*, quod importat, ut adsint, quibus dici possit: *Ite, missa est.* Et in canone Missæ verba illa quid nisi ludus & jocus sunt solitariè missificantibus? *Supplices te rogamus, omnipotens Deus — ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Non enim adsunt sumentes. Nos hìc Locum de S. Cœna finimus, & Deo gratias agimus, quod B. Lutheri auspiciis Ecclesiam nostram ab erroribus & corruptelis, quibus oppugnandis hucusq; occupati fuimus, repurgarit, eundem, ut in sancta veritate nos confirmet, supplices precati.

TESTIMONIA VETERVM.

Mirabilem quandam victimam, sacrificiumq; eximium Patri suo operatus (*Christus*) pro nostra omnium salute obtulit, ejusq; rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. *Eusebius Cæsar. de Demonstr. Evang. l. 1. c. 10.*

Sacramentum ergò visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. *Augustinus l. 10. de C. D. c. 5.*

Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. *Tertullianus l. de Idolol. c. 7.*

Vnus panis omnibus fractus est, & unum poculum omnibus distributum est. *Ignatius epist. 6. quæ est ad Philadelphenses.*

Dominica Cœna omnibus debet esse communis: quia Dominus omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta. *Hieronymus Comment. in I. Cor. XI.*



LOCVS XII.

DE

POENITENTIA.

APHORISMVS I.

pag. 514.

Præcipua vox Dei est in Ecclesia: Agite pœnitentiam & credite Evangelio.

POenitentiæ vocabulum propriè significat angi & dolere de commisso & nolle commissum fuisse. Agell. Significa-
l. 17. c. 1. *Pœnitere tum dicere solemus, cum, quæ ipsi* tio vocis
facimus, aut quæ nostra voluntate nostroq́; consilio facta Pœniten-
sunt, ea nobis incipiunt displicere, sententiamq́; nostram tiæ.
in iis demutamus. Hoc verò non fit sine quodam morsu & pœna animi: unde Isid. l. 6. Orig. c. 19. *Pœnitentia quasi punientia, eò quòd ipse homo in se puniat pœnitendo, quod malè admisit.* Vulgata versio hoc vocabulo utitur pro conversione hominis peccatoris ad Deum, quæ tamen plus includit, quam illud displicere & dolere. Aptiùs & pleniùs conversionis actum exprimit Ebræa vox תשובה, à radice שוב. Et Græca etiam vox *μετάνοια* significantior est Latinâ, denotans cogitationem, quæ sufcipitur post factum, illud considerans, erratum animadvertens & improbans, item emendationem & mutationem mentis. Affinis vox est *μεταμέλεια*, cujus tamen rarior usus in sacris. Nos hîc Latinam retinemus longo jam usu receptam, & à prima ac propria significatione translatam *ad significandem totam conversionem hominis* intransitivè sumtam.

Conversio sumitur vel transitivè, vel intransitivè.

Nam dupliciter sumitur *Conversio*, transitivè & intransitivè. *Transitivè* sumta est actio Dei ex gratia per Verbum mentem hominis & voluntatem mutantis & novis viribus supernaturalibus donantis, illâ sui & Christi cognitione collustrando, hanc ad ea, quæ salutem æternam spectant, appetenda inclinando & movendo. Hoc sensu capitur vox, quando *Deus* dicitur in Scripturis *hominem convertere*. Convertere enim istud est transitivum quid: nempe actio Dei transiens in hominem. Et hoc modo tractatur de Conversione, ubi de Viribus hominis agitur. *Intransitivè* accepta conversio est actio hominis peccata sua agnoscentis & de iisdem dolentis, fideq; in Christum se rursum erigentis, cum pio vitam emendandi proposito. Hoc sensu dicitur in Scripturis *homo se ipsum convertere*. Quid enim frequentius hac divina exhortatione? *Convertimini ad me*. Atq; hoc posteriore modo si accipias, sedes doctrinæ de Conversione est, ubi de Libero Arbitrio & de Pœnitentia tractatur. Planè enim hoc sensu coincidunt Conversio & Pœnitentia, completè quidem accepta.

Pœnitentia sumitur vel Completè, vel Incompletè.

Scilicet & *Pœnitentia vox* sumitur dupliciter in Scripturis: *Incompletè*, pro contritione & dolore de peccatis, idq; toties, quoties ei adjungitur fides vel aliquis effectus fidei, qualis est justificatio & remissio peccatorum, ut cum scriptum est: *Agite pœnitentiam & credite Evangelio*, Marc. I, 15. Jussit in nomine suo prædicari *pœnitentiam & remissionem peccatorum*, Luc. XXIV, 47. Et *Completè*, prout unà cum contritione comprehenditur sub ea etiam fides in Christum, qua posita proximè & immediatè ponitur reconciliatio cum Deo & restitutio in gratiam ac remissio peccatorum, quæ sine fide in Christum haberi non potest, nec ad contritionem secundùm se & seorsum acceptam consequitur. Hæc remissio peccatorum ubi est, ibi pœnitentia est completa. Est autem ibi, ubi est fides. Pœnitere quidem non significat credere, sed prima sui origine, uti diximus, dolere significat.

P. 541.

Ceterùm usus obtinuit apud scriptores latinos Ecclesiasticos, ut pœnitere non saltem is dicatur, qui dolet, sed qui, cùm doleat, recumbit simul fide in Christum & ejus meritum, cujus virtute Deum confidit se habiturum propitium ac consecuturum remissionem peccatorum, à quibus etiam deinceps abstinere & accuratè sibi cavere proponit. Et in hac completa significatione legimus Luc. XV, 7. *Dico vobis, ita fore gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitente, magis quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est pœnitentiâ*. Et II. Petr. III, 9. *Non vult Deus ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti*. Hoc sensu non refragantur nostri, *Evangelium* quoq; *pœnitentiæ prædicationem* appellari.

Porrò

Porrò utroq; hoc modo accepta pœnitentia vel est *infidelium* sive eorum, qui extra Ecclesiam positi & veri Dei ignari ad fidem Christianam primùm adducendi sunt, qui usitatiùs dicuntur converti, quàm pœnitere; vel *eorum, qui sunt membra* veræ *Ecclesiæ.* Et hæc rursum duplex: nempe vel *stantium* seu eorum, qui cùm apud Deum in gratia constituti veram ac vivam fidem & inhabitantem in se Spiritum sanctum habeant, tamen ex infirmitate peccant, ac propterea opus habent quotidiana pœnitentia & precatione humili: *Dimitte nobis debita nostra*; vel *lapsorum*, qui per peccata regnantia statu gratiæ exciderunt, fidemq;, quali ad salutem opus, & Spiritum sanctum excusserunt, perq; seriam & luctuosam ac lamentabilem pœnitentiam in statum divinæ gratiæ restitui necesse habent.

Pœnitentia est vel Infideliũ vel Fidelium.

Pœnitentia Fideliũ alia est Stantium, alia Lapsorum.

De pœnitentia infidelium sermo est Act. XI, 18. *His auditis quieverunt & glorificarunt Deum, dicentes: Nempè etiam gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam.* De fidelium & stantium pœnitentia intelligendum illud Lutheri: *Dominus & Magister noster Jesus Christus dicendo, Pœnitentiam agite, omnem vitam fidelium pœnitentiam esse voluit.* Quibus verbis disputationem suam contra corruptelas Pontificias primam auspicatus & exorsus est. Cui assertioni non repugnat Christi dictum Luc. XV, 7. ubi mentio fit *justorum, qui non indigent pœnitentia.* Vel enim id κατὰ δόκησιν ita dicitur, quòd sua falsa opinione justi sint & pœnitentiæ non indigi, ut Pharisæi, ibid. ℣. 2. vel κατὰ σχέσιν, quòd, cùm sint revera justi, non indigeant pœnitentia tali ac tanta, atq, illi publicani & peccatores, qui in eodem textu memorantur ℣. 1. Ob illa interim, *quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt* delicta, quotquot verè sumus fideles & justi, crebrò dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*: & hoc ipso *manifestamus, habere nos, quod nobis dimittatur, atq; in iis verbis humiliantes animas nostras quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus*; sic loquente & nos instruente Augustino T. 2. ep. 108. ad Seleucianam. De lapsorum deniq; pœnitentia habemus 2. Cor. XII, 21. loquentem Apostolum: *Ne me, postquam iterum venero, deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum, qui ante peccarunt, nec pœnitentiam egerunt super impuritate & scortatione & lascivia, quam patrarunt.*

Hanc *lapsorum pœnitentiam per hypotheses suas abolent Calviniani & Novatiani.* Illi, cum negant, hominem fidelem posse per peccata regnantia excidere gratiâ Divinâ & amittere fidem, Spiritum sanctum ac vitam æternam. Si hoc enim ita est, & renatus gratiâ excidere non potest,

potest, nihil opus est, ut in peccatum quantumcunq; prolapsus, & mœchus v. g. vel scortator aut homicida factus, pœnitentiæ interventu in gratiam cum Deo redeat. Quod est sanè tollere pœnitentiam lapsorum. Idq; egerunt ab altera etiam parte, & pridem, Novatiani, lapsis post baptismum veniam ab Ecclesia dandam esse inficiati. Etenim quæ pœnitentia caret veniâ, ea non est agenda, cùm frustrà agatur. At lapsorum pœnitentia, ex Novatianorum mente, caret venia. E. nulla à lapsis agenda est pœnitentia; quod dictu absurdum est. Calvinianorum errorem deteximus jam suprà, Loco de Justificatione.
p. 403. Hîc nonnulla disertiùs de Novatianis monenda.

De Novatianis. Occasio hæreseos Novatianæ extitit persecutio, quam tertio Ecclesiæ seculo excitavit Imperator Decius, in qua cum plures, quam unquam antea, tormentis, quæ acerbissima infligebantur, succubuissent & à confessione fidei ad idola defecissent, qui posteà pænitentiâ ducti ad Ecclesiam redire & pristina ejus communione gaudere gestiebant, accuratè nec unâ in synodo causa illa cognita est & in communem sententiam itum ab Africanis & Romanis, oportere severitatem lenitate temperari & spem lapsis fieri communionis recuperandæ, si tamen priùs sufficientia pœnitentiæ signa iusto tempore edidissent. Placuit hæc sententia toti Christiano orbi, uni Novatiano displicuit, qui cùm Presbyter esset Romanus, isq; primarius & confessor insuper, episcopatum illius loci Cornelio præ se cessisse doluit, & invidiâ erga illum, inq; lapsos, quos ille recipiebat, superbiâ inflatus contrarium sensit, *& solam pœnitentiam lapsis concedendam, veniam autem, etiamsi, quæ ad pœnitentiam requiruntur, omnia fecissent, indulgendam nullatenùs, sed Deo relinquendos esse*, ut in nondum lapsis acuere videretur constantiam, docere cœpit. *Haud negans quidem, eos consequi posse remissionem peccatorum coram Deo, sed Ecclesiæ fores talibus obseratas esse debere contendens: unam enim tantùm pœnitentiam esse:* μετὰ δὲ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεεῖσθαι παραπεπτωκότα, *si quis autem post baptismum prolapsus esset, nullam erga eum misericordiam ampliùs adhiberi posse*, ut narrat Epiphan. hær. LIX. *nec in potestate esse Ecclesiæ, ut mortale peccatum donet, &, nî ipsa peccato velit obstringi, taliter peccantes ad sui communionem queat rursum admittere, utpote quæ virgo sit sancta & pura Christi sponsa non habens maculam nec rugam.* Vnde & sectatores ejus *Cathari*, à puritate & munditie, cujus prætextu errorem suum velabant, dicti sunt; qui Novatiani aliàs audiunt à Novatiano, quem diximus: *Novatianani* propriè appellandi, nisi consuetudo aliter obtinuisset apud scriptores: qui pleriq;, Græci potissimùm, Eusebius,

bius, Epiphanius, Theodoretus, Socrates, ſed & Auguſtinus de hæreſibus c. 38. *Novatianum cum Novato Epiſcopo Africano confundunt*, atq; hinc tanquam à Novato Novatianorum nomen deducunt, *ſchismatis Novatianani non minimo quidem authore* (qui videl. Romam veniens eo tempore, quo adhuc vacabat ſedes Epiſcopalis, omnia ibi, uti pridem in Africa, perturbavit, ut in ſchisma res tandem deſineret, & Novatianus pſeudoepiſcopus à ſuis crearetur) *ſed non item conditore hæreſeos.* Verùm hoc obiter.

Scripturarum oracula Novatiani hæc præcipuè ſollicitabant. Matth. X, 33. *Quisquis abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo, qui eſt in cœlis.* Ebr. VI, 4. *Fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintq; donum illud cœleſte — ſi prolapſi fuerint, denuò renoventur ad pœnitentiam.* c. X, 26. *Si ultrò peccaverimus, poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia, ſed horrenda quædam expectatio judicii &c.* c. XII, 17. *Non reperit* (Eſau) *pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis illam exquiſiſſet.* 1. Joh. V, 16. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut quis roget.* Neq; verò à Novatiano etiam hæc hæreſis primùm eſt inventa, *ſed ex Montani ſchola* primò omnium prodiit. Is quippe prohibebat, qui ex fidelibus mœchi & ſcortatores facti eſſent, recipi in gremium Eccleſiæ: ad cujus proin dogmata cum deflexiſſet Tertullianus, hoc ipſum quoq; propugnatum ivit peculiari lib. de Pudicitia, & non ita de mœchis tantùm & ſcortatoribus pronunciavit, ſed de idololatris etiam atq; homicidis paria docuit, cùm ſcriptum ſit 1. Cor. VI, 9. *Ne errate: neq; ſcortatores, neq; idololatræ, neq; mœchi — regni Dei hæreditatem poſſidebunt.* Argumenta Novatianorum.

At enimverò erronea & vero Scripturæ ſenſui adverſa ſunt hæc omnia, quin toti Evangelicæ doctrinæ adverſa. Quippe ſuppoſita in homine lapſo vera ac ſeria, quin & diuturna pœnitentia (qualem imponere tum maximè temporis Eccleſia ſolebat,) certò ex Evangelio colligitur, tales homines ad eum modum pœnitentes à Deo recipi in gratiam & *transgreſſiones eorum nullas memorari ampliùs*, ut eſt apud Ezechielem. Sanè certum aliàs ac indubitatum & illud eſt, mœchos, homicidas, idololatras, fidem abnegantes, & horum ſimiles, regni Dei poſſeſſionem non adituros; ſed *in ſenſu compoſito* intellectum, nimirum *quatenus & quamdiu ſunt tales.* In ſenſu autem diviſo non repugnat tales aliquando cœleſtis regni compotes fore, cùm poſſint *mutare animum & deſinere malefacere ac diſcere benefacere, reverti à viis ſuis peſſimis & converti ad Dominum Deum ex toto animo, atq; abnegationis crimen aliaq; plangere ac amaris lachrymis eluere*, ſicut factum legimus à Da- Ad ea Reſp.

 vide,

vide, Manaſſe, Petro & aliis. Ubi tùm profectò futurum eſt, ut *peccata eorum, ſi fuerint velut dibapha, tanquam nix exalbeſcant, & improbus ita converſus vivat nec moriatur, ipſo Domino exercituum reverſo ad taliter revertentes & eos ulnis ſuis amplectente, quia gratioſus & miſericors eſt, longanimis & amplus benignitate, & quem pœnitet mali*, juxta indubia Scripturæ effata, Eſa. I. 16. Jer. III, 1. Ezech. XVIII, 21. XXXIII, 11. Joël. II, 12. Zach. I, 3. Luc. XV, 20. Quod cùm ita ſit, quidni poſſit Eccleſia hanc Evangelii vocem annunciare verè & ex corde, quantum humanitùs dignoſci poteſt, pœnitentibus ac converſis, & jubere eos hac de re certos eſſe, adeoq; abſolvere à peccatis, inq; communionem ſuam denuò recipere? Sicut enim *ligare* ad tempus poteſt ob mortalia crimina, ſic alio tempore rurſum poteſt *ſolvere*, cùm parem utriusq; à Chriſto poteſtatem acceperit, ſi cauſæ utrobiq; ſint pares, juſtæ videl. cùm ligandi tùm ſolvendi rationes, quales ſunt utiq; in enormiter lapſis & ſalutariter pœnitentibus. Joh. XX, 23. Imò debet hoc etiam facere. Nemo enim, qui eſt in Dei gratia, debet excludi à communione Eccleſiæ, nî contraire velis univerſæ doctrinæ Evangelicæ. Habemus præterea hujus receptionis evidentiſſima exempla; in Chriſto, qui Petrum poſt abnegationem ſui non tantùm venia dignatus eſt, ſed in priſtinum etiam Apoſtolatûs locum reſtituit eiq; oves ſuas diligenter commendavit, Joh. XXI, 15. & in Paulo, qui inceſtuoſo apud Corinthios & ſcortationis, quæ ne inter gentes quidem tùm nominabatur, reo, quem Satanæ antè tradiderat, ipſiq; Corinthii à ſe magno zelo ſegregaverant, in conſpectu, ut loquitur, Chriſti iterum condonavit, utq; Eccleſia idem faceret, eundemq; luctu & ſqualore ſatis maceratum deinceps complecteretur & conſolaretur, inſuper mandavit 2. Cor. II, 7. VII, 11.

Iisdem veſtigiis inſiſtens purior antiqua Eccleſia conſimilem moderationem adhibuit, *ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eò quod ſibi Eccleſia cluderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viverent, nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ & voluntates & neceſſitates ſingulorum*: quam unanimem ſynodi Africanæ & Romanæ ſententiam fuiſſe, totidem verbis narrat Cyprianus ep. LII. ad Antonianum. Et omninò ita, nec aliter factum eſt primitùs, ut ſub ipſa ſpe communicationis & veniæ traheretur dolentium pœnitentia tempore longiore, nec facilè ſolveretur, niſi vel urgente nova perſecutionis procella, vel mortis neceſſitate lapſis incumbente. Contigit nimirum, ut qui lapſi fuerant & pœniten-

nitentiam agere ac lamentari, & Dominum deprecari à primo lapsus sui die non destiterunt, impendentis alterius infestationis tempore pacem ab Ecclesia peterent & ad pugnam paratos atq; defectionem pristinam martyrio se pensaturos profiterentur. Contigit item, ut lethali morbo correpti finem vitæ suæ adesse sentientes Ecclesiastica communione se donari & extremo viatico communiri flagitarent. His utrisq; subventum redditâ maturè Ecclesiastica pace & præbitâ S. Eucharistiâ, quo munimento armandos tùm martyria facturos, tùm & alios in ultimo agone constitutos, Ecclesia piè credidit. Certè juxta Cyprianum *mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* Horum autem periculorum neutro urgente restitutio lapsorum sat diu fuit dilata, & nonnullis trium, aliis septem, aliquibus decem vel XII. annorum spacium, intra quod pœnitentiâ fungerentur, præscribi solitum. Interea carendum illis participatione S. mensæ Dominicæ: abstinendum nuptiis (nisi juvenes essent) & officio susceptorum in baptismo: orandum flexis genibus etiam in diebus Dominicis & tempore paschali, quando fideles non nisi stantes orabant: crebrò jejunandum: sacco & cineri incumbendum: pulla veste & capite vel detonso vel velato incedendum: ad balnea & convivia nulla eundum, ne quidem si invitati essent; & quæ similes ipsorum pœnæ erant.

Pœnæ pœnitentium in Vet. Ecclesia.

Gregorius Neocæsariensis Archiepiscopus in epistola Canonica, & alii, certos insuper gradus commemorant, per quos Lapsi ad priorem conditionem & statum Fidelium promoti sunt. Primò consistendum ipsis aliquot annos (tres ut plurimùm) erat antè fores, sive in ipso primo aditu Ecclesiæ, in squalore & pædore, qui locus à fletu πρόκλαυσις *Anteploratio* dicebatur: ibi enim crimina sua lugebant & flebant, *omnibus fidelibus legationes deprecationis injungentes*, ut loquitur Tertull. l. de Pœnit. h. e. compellantes eos, ut pro sese ad Deum orarent; ipsi quidem non à Fidelibus solùm hoc primo gradu separati, sed infra ipsos Catechumenos abjecti. Triennio, quod dixi, expleto intra portas Ecclesiæ admittebantur ad audiendas sacras lectiones: qui locus dictus est ἀκρόασις h. e. *Auditio*, ipsis cum Catechumenis Audientibus communis. Quem excepit tertius gradus sive locus, ὑπόπτωσις, *Prostratio*, quædam videl. interior admissio, ubi tres alios annos humili etiamnum & dejecto animo Episcopis se subjicientes, arguente id ipsa voce ὑποπτώσεως ab ὑποπίπτειν deductâ, stabant, precum Ecclesiæ participes cum Catechumenis Competentibus, quibus exeuntibus ipsi quoq; exibant. Collocandi inde in ulteriore gradu, cui nomen

σύςασις i. e. *Statio, seu Consistentia*, ubi duos persæpè annos agebāt stādo interFideles, cum quibus ejusdem jam erant conditionis quoad cætera: neq; jam cum Catechumenis exibant; sola participatione mysteriorum cæteris fratribus inferiores. Cujus participationis jure tandem recuperato pervenisse ad consummationem pœnitentiæ existimati sunt; isq; adeò erat quintus & ultimus pœnitentium gradus, à jure *communicandi* μέθεξις appellatus.

Tum temporis necessariæ.

Hæreticorum & Clericorum pœnitentia.

Ecce! tam severa & acerba disciplina lapsis, ubi Ecclesiæ fores pulsabant, ordinariè subeunda erat, antequam plenè intromitterentur. Qui rigor modum penè excedere videri possit alicui; nisi id cogitetur, fuisse primis illis temporibus necessarium, ut duriùs aliquantò Ecclesia in lapsos animadverteret, propter Imperatorum, qui gentiles tum erant, ἀταξίαν, qui vel prorsus non plectebant scelera, sicut sanè scortatio simplex non habebatur flagitium ab eis, neq; pœna ei constituta erat; vel ipsimet ad ea sollicitabant, ut ad idololatriam, cui cum obnoxii per se essent, pariter alios ad eam invitabant præmiis & cogebant suppliciis. Hoc rerum statu profectò opus quam maximè fuit Ecclesiasticâ censurâ, qua scelera ejusmodi corrigerentur & ab iisdem alii absterrerentur, quorum alioqui finis non erat futurus. Mitiùs cum hæreticis agebatur, à quibus nil postulatum fuit aliud, quam confessio erroris: quâ factâ (debebat autem voce & scripto fieri) manus illis imponebantur & aditus ad Ecclesiam patebat, sine prævia *pœnitentia publica & solemni*; salva insuper dignitate, quam in clero priùs habuerant: cùm contrà cæteri, quibus ob crimina commissa pœnitentia imponebatur publica, si Clerici essent, confestim clericali dignitate exuerentur, nec recuperarent eam unquam. Est hoc utrumq; apud S. Augustinum ep. L. ad Bonifacium, sub finem. *Cum ad radicem catholicam veniunt* (ait de hæreticis) *nec eis, quamvis post erroris sui* (aliquam) *pœnitentiam, honor clericatûs vel episcopatus aufertur, fit quidem aliquid — contra integritatem severitatis. Veruntamen — charitas cooperit multitudinem peccatorum. — — — Et beatum Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, utiq; Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. — Habeant ergò isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem, & veniant ad Ecclesiam Christi veram h. e. matrem catholicam: sint in illa clerici, sint episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter. Non invidemus; imò amplectimur &c.* Rursum ibidem: *Sed ne forsitan*, ait, *de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam*

tiam (publicam) *nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis.* Hæc ille T. 2. p. 227. 228.

Severitatis, cujus meminit, pars quoq; erat, quod secundùm adulteris, aut altera vice scortantibus, abnegantibus & quibuscunq; ad vomitum redeuntibus, cujusq; gratia publicè pœnituerant, peccatum iterantibus ne quidem gravis illa & diutina castigatio, quam persenserunt pridem, denuò indulgebatur, quòd semel fidem datam fefellissent: nam sub reconciliationem promittebant, se tale crimen nunquam patraturos. Tutò igitur illis credi ampliùs non poterat, sed Deo commissi sunt. Nec decebat etiam committere Ecclesiam, ut acre illud & operosum remedium crebra iteratione vilesceret & contemtui exponeretur. Ad ἀκρόασιν tamen fortè sunt admissi, qui pœnitentiæ signa præ se tulerunt; ad Sacramenti autem perceptionem nunquam, quoad viverent. Aliquando nec in hora mortis: nam eò severitatis processere quidam Doctores privati. Symbolum autem Nicenum, ubi de lapsis tractat, decernit generaliter, *ut Dominico viatico non fraudentur, qui morituri id petant.* Can. XIII. Quæ verba æquè de iis, qui altera vice lapsi sunt, quam de aliis, possunt intelligi. Peccata iterantium pœna.

Atq; ex his omnibus id nunc intelligitur, quam nihil causæ habuerit Novatianus cum suis scindendi Ecclesiam, & morem Apostolicum recipiendi lapsos oppugnandi. Nec enim illorum seculorum Ecclesia tales unquam recepit aliter, quam Paulus incestuosum Corinthium: nempe intercedente seria & lugubri ac humilima longoq; temporis tractu continuata pœnitentia. Sic scilicet constantia fidei & vitæ probitas in nondum lapsis acuebatur satis, quando videbant, tàm abjectæ conditionis esse pœnitentes, ut infra catechumenos dejiciantur, tamq; gravem ac lentam de iis pœnam sumi, ut non nisi post multas lamentationes & deprecationes locum inter fideles inveniant. Sic καθαρὴν h. e. puram & mundam se Ecclesia sufficienter præstitit & sine macula & ruga servavit, quantum in hac vita fieri potest, (propriè enim & strictè id in alteram vitam quadrat) quando eos à communione sua exclusit, qui abnegatione aliisq; criminibus se commacularunt: quos eosdem nihilominùs ad se justè rursum admisit, postquam per pœnitentiam accuratam se laverunt & emundarunt. Sic demùm & illud Novatiani, *Lapsos esse Deo committendos,* si de iis, qui secunda vice lapsi sunt, intelligas, non esse reprobandum; & alterum illud, *Unam esse pœnitentiam,* si de publica pœnitentia, quæ post baptismum agitur, accipiatur, verum ipsum quoq; esse & priscæ catholicæ Ecclesiæ constitutione munitum, ex dictis patet. Qua de re ita Augustinus, ep. LIIII.

Cautè salubriterq; provisum est, ut locus ille humilimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemtibilis fuerit. Et Ambrosius l. 2. de Pœnit. c. 10. prorsus appositè: *Meritò*, ait, *reprehenduntur, qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam posteà non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum* (est pœnitentia,) *illa graviorum.* Hæc rectissimè Ambrosius.

Eo sensu autem, quo Novatianus unam esse pœnitentiam dixit, eam intelligendo, quæ est ante baptismum, tanquam si posteà nullus esset pœnitentiæ locus, sed simpliciter res Deo committenda foret, falsissimum illud esse assertum, itidem ex illis, quæ hucusq; diximus, satis liquet. Vbi non possumus, quin rursum Augustini verba in medium producamus, rem totam insigniter exponentia, quæ ita leguntur ep. 108. ad Seleuc. *Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis, ita tamen, ut etiam baptizentur, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, loquente Petro ad Judæos & dicente: Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomine Domini Jesu Christi, & dimittentur vobis peccata vestra. Agunt etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari & posteà reconciliari mereantur: sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia locutus est Apostolus Paulus, ubi ait: Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt & non egerunt pœnitentiam super immundicia & luxuria & fornicatione, quam egerunt; neq; enim scribebet ista, nisi eis, qui jam baptizati fuerant. Habemus etiam in Actibus Apostolorum, Simonem jam baptizatum, cum pecunia vellet emere, ut ei per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus, admonitum à Petro, ut de hoc gravi peccato ageret pœnitentiam. Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* p. 548. *debitoribus nostris*; & quæ porrò ibi sequuntur superius jam citata.

Ex quibus manifestum evadit, unitati pœnitentiæ pravè intellectæ & Scripturam refragari & totius antiquæ Ecclesiæ praxin, juxta quam quidam *propriè*, ut ait Augustinus, sive peculiari modo *appellati Pœnitentes* certum in Ecclesia ordinem constituerunt, nomenq; Pœnitentium fuit status nomen, sicut Catechumenorum & Fidelium. Nam tres isti in Ecclesia veteri potiores ordines exstiterunt. I. *Catechumeni*, qui vel audientes erant, vel competentes; ut in loco de Baptismo di-

Tres Ordines in veteri Christiana Ecclesia.

p. 486.

ctum

ctum est. II. *Fideles*, qui rursum duplices: Clerici & Laici. Clericorum nomine omnes ordines Ecclesiastici intelligendi veniunt. Laici autem peculiariter nomen fidelium ad se traxerunt & retinuerunt. Tertius demum ordo erat *Pœnitentium*, sive eorum, qui admissa crimina pœnitentiâ luebant publicâ. Hi distinguebantur ab ambobus prioribus ordinibus. A Catechumenis quidem, quod communiter jam essent baptizati: Communiter, inquam; nam *poterat aliquando etiam Catechumenus esse inter Pœnitentes.* A Fidelibus autem, quod lapsi essent contra conscientiam. Ab utrisq;, quod essent excommunicati. Dabatur ergò non una saltem eaq; baptismum antegressa pœnitentia, sed & alia lavacrum istud insecuta: nempe *pœnitentia*, ut vocant, *lapsorum*. Quæ appellatio lapsorum (ut hoc quoq; addam) interdum generalis est, omnes eos complexa, *qui quocunq; scelere suscepto* è statu gratiæ præcipites dati sunt: interdum autem specialis, eos solos denotans, *qui in persecutione fidem Christi* vel professi non sunt, cum necessitas esset, vel apertè negarunt, aut aliis modis se professione sua indignos gesserunt. Hi κατ᾽ ἐξοχὴν dicebantur Lapsi: sicut apud Cyprianum integer in hanc rem sermo habetur, qui inscribitur *de Lapsis.* Quales erant I. *Traditores*, qui sacros codices tradebant Ethnicis. II. *Libellatici*, qui ære redimebant libellos ab avaris præfectis & præsidibus, quasi sacrificassent, atq; ita simulabant se idololatras. III. *Sacrificati & Thurificati*, sicut deponentaliter Cyprianus eos ep. 52. ad Antonianum appellat; qui nempe revera idolis sacrificarant & thus adoleverant. Quæ erat plenaria defectio & summa improbitas. Et ab aliis quidem hoc fiebat ultrò accurrentibus: ab aliis non nisi metu aut vi tormentorum perculsis. Quò respiciunt illa synodi Africanæ verba: *Examinandas esse causas & voluntates & necessitates singulorum.* Sed hæc obiter

Pœnitentia Lapsorum dupliciter sic dicitur.

Lapsi κατ᾽ ἐξοχὴν dicti.

Nunc ad Scripturæ loca, quibus Novatiani abusi sunt, brevibus est respondendum. Et quidem Christi verba, Matth. X. *Qui abnegaverit me, abnegabo eum & ego*; similiterque illa Pauli, à Montanistis prolata, 1. Cor. VI. *Neq; scortatores, neq; idololatræ, neq; mœchi — regni Dei hæreditatem possidebunt*, intelligenda esse *sensu composito, non diviso*, propter exempla contraria Davidis, Manassis, Petri & aliorum, jam pridem diximus. *Et certè de avaris, ebriosis & maledicis simul dictum est* (eos hæredes regni Dei futuros non esse.) *Responde frater, an nullus ejusmodi vestra pace teneatur?* inquit Pacianus argutè, ep. 3. Innuens, hos quoque in perpetuum excludendos esse ab ecclesia, si ita simpliciter excludendi sint, quibus futura regni Dei hæreditas denegatur. Locus Ebr. XII, 17. *Non reperit* (Esau) *pœnitentiæ locum &c.* ineptè prorsus

p. 545.

huc

huc accomodatur. Non enim loquitur de pœnitentia, quam ipse peregerit Esavus cum dolore offensæ Dei, cum fide & proposito emendandi: cujusmodi pœnitentiæ motus ille nusquam in Genesi testificatus legitur: sed, ut circumstantiæ textus ostendunt, negat effici potuisse pœnitentiam in animo Isaaci, ut eum pœniteret facti sui & benedictionem in Jacobum, quamvis per errorem collatam, retractaret. *Μετάνοια hîc* ergò *ponitur pro retractatione & mutatione sententiæ paternæ*, quam impetrare, licet multis lachrymis effusis, non potuit Esavus. Ecquid hoc verò ad præsens?

Tria reliqua loca, quæ sunt Ebr. VI, 4. & X, 26. & 1. Joh. V, 16. ad unum omnia ab Interpp. communiter *de peccato in Spir. Sanctum*, h. e. cognitæ perspectæque veritatis cœlestis blasphema ac merè voluntaria insuperque pertinacissima impugnatione solent exponi; unde nec ipsa ad rem faciunt, de qua disceptatur: nam peccatum, quod dicto modo in Spir. Sanctum, Spiritum illum veritatis, committitur, irremissibile esse, nec vel Deo vel ecclesiæ reconciliari posse, qui id designant, quin adeò nec preces etiam pro iis, quos constiterit ad eum modum peccare, concipiendas ampliùs esse, extra controversiam est; cùm Christus ipse neget, id genus peccati remitti posse sive in hoc seculo sive in futuro, Matth. XII, 31. Marc. III, 29. Quod non alia tamen ratione negatur, quàm quatenus ad hoc peccatum accedit justo Dei judicio horrenda induratio & obstinatio, qua homo consultò respuit omnem cum Deo & ecclesia reconciliationem, & unicè placet sibi in sua pervicacia. Quid mirum ergò, talibus interclusum esse reditum ad Dei gratiam & ecclesiæ communionem, cùm ipsi sibi eum animo ad mala obfirmato intercludant? Hic ergò inexpiabilis ille lapsus, de quo locis citatis ambo Apostoli, Paulus & Johannes. Neque quidquam hæc omnia ad Novatianos, qui peccatores ad frugem se recipientes & de malefactis pœnitere ecclesiæque satisfacere volentes præfractè repellebant. Plura apud Interpp. videantur. Hæc interim de appellatione & distinctionibus pœnitentiæ sufficiant.

De quanā Pœnitentia hîc agatur?

Sed quæritur tamen, de quanam pœnitentia hîc potissimùm agatur? num de infidelium pœnitentia, quæ baptismum præcedit, atque inde baptismalis dicitur? an de fidelium? & rursum, cùm alii fidelium sint stantes, alii lapsi, utrum de illorum, an horum pœnitentia hîc sermo sit? an verò de his speciebus omnibus simul nobis agendum? Respondemus breviter: pœnitentiæ infidelium seu baptismalis nullum ferè usum hodie esse, quoniam rarissimè fit, ut adulti apud nos baptizentur, quibus illa pœnitentia convenit. De hac ergò non est, quod verba plura faciamus. Quod spectat baptizatorum pœnitentiam, quam Augustinus

ſtinus quotidianam vocat, quæ propria eſt fidelium inque fide ſtantium & peccata contra conſcientiam ſtudio omni evitantium, imbecillitates tamen aliquas, ob quas dolent, in carne circumferentium, nec de ea hîc propriè tractatio ſuſcipitur, quoniam minùs propriè & ſecundùm quid tantùm pœnitentiæ nomen ſortita, nec operoſa eſt, ſed facilis negotii. Itaque remanet ſola pœnitentia lapſorum, ſeu eorum baptizatorum, qui in peccata regnantia inciderunt, perque ea ſtatu gratiæ Divinæ exciderunt, in quem volunt reſtitui. Quæ reſtitutio, niſi mediante pœnitentia eâque operoſiore, fieri non poteſt.

Sed nunc rurſum alia eſt lapſorum pœnitentia interna, alia externa. De utrâque ut dicamus, hujus loci eſt. Et priorem quidem Pontificii *virtutem* vocant, poſteriorem autem *Sacramentum*. Neutrum ſatis rectè. Nam quod pœnitentia interna non ſit animi habitus ſeu virtus quæpiam, ſed propriè loquendo actus ſeu motus & mutatio aliqua, probatur inde, I. Quia illa quædam eſt converſio, ſcil. à malo ad bonum, à peccatis ad Deum: Converſio autem ubique in Scripturis ut actus & motus deſcribitur, non ut habitus & virtus. II. Bonum eſt argumentum Cajetani ad Thomam: Pœnitentia, qua quis hominem ſe ſine cauſa offendiſſe dolet, non eſt peculiaris virtus. Ergò nec illa, quâ quis Deum ſe offendiſſe dolet. III. Nulla virtus in ſubjecto ſuo peccatum ſeu vitium ſupponit. Pœnitentia autem ſupponit. Ergò non eſt virtus. Quod ipſum etiam argumentum à Cajetano affertur, & firmum eſt. Infirma contrà, quæ objiciuntur à Pontificiis argumenta. Vtpote I. Omnis actus moraliter bonus eſt virtutis actus. Pœnitentiam agere eſt actus moraliter bonus. Ergò eſt actus virtutis ſive à virtute profectus. II. Quicquid à Deo præcipitur, illud eſt virtus. Pœnitentia à Deo præcipitur, quando Chriſtus inquit: Pœnitentiam agite, Marc. I, 15. Ergò eſt virtus. Nam facilè reſpondetur ad utrumque: Omnem actum moraliter bonum & à Deo præceptum eſſe virtutis actum, h. e. vel à virtute profectum, vel viam & motum ad virtutem: ſic enim debet utraque Major propoſitio ampliari. Quod vel ex doctrina Civili conſtat, in qua virtutis actus non illi tantùm dicuntur, qui à virtute jam parta adeoq; ex habitu fluunt, ſed etiam qui pararii ſunt virtutis, ſeu per quos virtus ipſa acquiritur ejusq; habitus progignitur. Et hi poſteriores etiam ſunt moraliter boni caduntq; ſub præceptum. Sic ergò non refragamur, quod & pœnitentiam agere actus ſit virtutis h. e. ad virtutem tendens, non autem ex virtutis habitu fluens. Et ne quidem ex habitu divinitùs infuſo; nam acquiſitâ virtutem eſſe pœnitentiam negant ipſi moderni Pontificii, contra Durandum & Scotum, permoti manifeſtis Scripturæ dictis, quibus *Deus* dicitur *nos convertere*,

Lapſorum Pœnitentia eſt vel Interna, vel Externa.

Interna non eſt virtus, ſed actus vel motus.

Jeri XXXI, 18. & *dare pœnitentiam*, 2. Tim. II, 25. Quod utcunq; tolerari potest. Sed si tamen pœnitentia non est virtus, ut responsum est, nec infusa virtus fuerit. De quo enim negatur genus, de eodem & species negatur, Licet aliàs verum sit, pœnitentiam veram & salutarem Dei opus & donum esse, ac unicè divina virtute peragi: quod citata Scripturæ loca evincunt. Interim non omne Dei donum est virtus à Deo infusa, aut quicquid divino auxilio fit & peragitur, statim est actus ab infusa virtute profectus.

Nec majoris roboris est illa Pontificiorum probatio, qua ulterius volunt respondere, pœnitentiam non virtutem tantùm esse, sed specialé virtutem à reliquis omnibus distinctã, ex eo quòd habeat pro objecto formali specialem rationem honestatis, respiciendo peccatum præteritum, prout offensa Dei est, abolendum, delendum, destruendum, per modum cujusdam satisfactionis & compensationis: uti cum Thoma in Suppl. q. 85. a. 2. sentiunt Fr. Suarez & Greg. de Val. Commentariis in illum locum, & Adamus Tannerus T. 4. disp. VI. q. 2. §. 7. Imò hoc ipso in majora absurda incidunt. Destruere enim, delere & abolere præterita peccata, non virtutis alicujus, in homine ceu subjecto existentis, sed merum ipsius Dei & Christi opus est. Esa. XLIII, 25. c. XLIIII, 22. Ps. LI, 1. Joh. I, 29. 1. Joh. III, 8. Alicubi sanè & *homines se purificare* dicuntur & amovere malignitatem actionum suarum ab oculis Dei, Esa. I, 16. 2. Cor. VII, 1. 1. Petr. I, 22. verùm non delendo peccata præterita, sed credendo in eum, qui præterita peccata remittit, & futura cavendo. Nulla hic etiam satisfactio & compensatio obtinet; namq; & hanc solus Christus unicè & perfectissimè præstitit. Quod si à nobis quidquam tale præstetur, interveniet ratio justitiæ, dum pœnitentiam agimus, & pœnitentiæ virtus vel simpliciter justitia fuerit, ut vult Durandus, vel ad justitiam quàm proximè accedet; sive ad commutativam, ut Thomas putat, sive ad distributivam, & specialiter vindicativam, ut Scotus; atq; sic Deus nobis placabitur per justitiam nostram vel aliquem ejus actum: quod à Scripturæ mente est penitùs alienum. *Non* enim, inquit Daniel, *propter ullam justitiam nostram nos procidentes deprecamur TE*, Jehova, *sed propter miserationes tuas amplissimas*, c. IX, 18. Et similiter David Ps. LI, 1. *Gratiam fac mihi, ô Deus, secundùm benignitatem tuam.* Et servo debitori Matth. XVIII, 32. dicitur: *Serve male, totum debitum illud remisi tibi, quoniam me precabaris.* Precibus autem & benignitati & miserationi ubi locus est citra ullam justitiam nostram, ibi equidem justitiæ & compensationis satisfactionisq; ratio omnis penitùs exulat.

Vnum fortè urgeri adhuc possit: Legi in Scripturis sanctos tota vita pœnitentiam exercuisse de peccatis, à quibus pridem sese converterunt ad Deum. Pœnitentiam ergò non esse motum transitorium, sicut est conversio, sed virtutem & animi habitum: nec enim nisi ex habitu pœnitentiæ fluere illa pridem conversorum subinde iterata pœnitentiæ ἀσκήματα: cujusmodi leguntur Ps. XXV, 6. 1. Cor. XV, 8. 9. 1. Tim. I, 13. 15. Resp. paucis: *Fluere ex habitu*; *at non pœnitentiæ*, qui habitus, juxta Pontificiorum doctrinam, respicit, ut objectum formale, peccata præterita adhuc delenda, cùm conversorum peccata sint pridem deleta: sed ex habitu amoris Dei & justitiæ, cum respectu ad crimina futura cavenda, & accendendum è contrario virtutis ac operum bonorum studium.

Pœnitentiam ergò internam non esse virtutem, ita liquet. Sed nec externa est Sacramentum. Quod antequam pergam declarare, termini distinctionis hujus explicandi sunt; nec enim aliter res ipsa intelligi potest. Dicitur autem *interna pœnitentia* ea, quam homo interiùs agit secum reputando & agnoscendo animitùs peccata sua, deq; iis dolendo & confessione eorum emendationisq; promissione seria Deo factâ implorando ipsius misericordiam, per quam sibi eorum fiat remissio. Hanc pœnitentiam virtutem non esse, ex dictis constat. *Externa* autem dicitur, qua homo peccata se sua agnoscere, detestari & assumto vitæ melioris proposito ad infinitam misericordiam Dei confugere extrinsecùs testatur, aperiendo & confitendo sua peccata Ecclesiæ Ministro, cum petitione absolutionis. Hanc externam pœnitentiam Sacramentum faciunt Pontificii, idq; propriissimè dictum: cujus materia sint tres actus pœnitentis, Contritio, Confessio, Satisfactio. Formã autẽ in illis Sacerdotis verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, positã volunt. Quibus nos non sine urgente ratione denuò contradicimus, negantes in hac pœnitentia inveniri sacramenti rationem. Equidem nolumus λογομαχεῖν, & morosi ac molesti cuiquam esse circa appellationem sacramenti, quæ ἄγραφος est. Quin oppidò lubentes Pœnitentiæ inter quinq; addititia Pontificiorum Sacramenta palmam tribuimus, quòd *ea quàm proximè ad Baptismum & S. Cœnam accedat* ob verbum mandati & promissionis. Quam ob causam non tantùm Patres interdum pœnitentiam cum baptismo conferunt, ratione remedii & salutaris effectûs, quem pœnitentia sibi promissum habet; nam & in baptismo remittuntur peccata & in pœnitentia, ea videl. quæ post baptismum sunt commissa; sed & Apologia Aug. Conf., ubi de numero sacramentorum tractat, Baptismo & Cœnæ Dominicæ Pœnitentiam

Pœnitentia externa non est Sacramẽtum.

tiam annumerat. Idq; ita explicat: *Si*, ait, *Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta.* Et mox: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei & promissionem gratiæ, quæ est propria N. Testamenti.* Hæc illa. Si nempe intra hanc Sacramentorum definitionem stetur, quam Apologia assignat, res extra controversiam est de Pœnitentiæ Sacramento. Adest enim mandatum & institutio Christi: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* Adest promissio gratiæ: *Quorum remiseritis peccata, iis remissa erunt*; uti antehac dictum est. Adest ritus quoq; aliquis sensibilis, qui involvitur in
p. 471. ipsis his verbis Christi: *Quorum remiseritis peccata &c.* Oportet enim remissionis hujus aliquam ad alterum testificationem fieri à remittente, & huic vicissim innotescere alterius pœnitentiam, tanquam necessariam conditionem subjecti, interveniente utrobiq; ritu & signo quopiam sensibus perceptibili. Et hactenùs sacramenti nomen participat, imò, ut Apologia loquitur, *verè est Sacramentum pœnitentiæ vel absolutio.*

Veruntamen cùm Baptismus & Cœna Domini non sint ritus qualescunq; à Deo mandati & promissione gratiæ nobis commendati, sed ritus, quibus adest ceremonia visibilis, stata & ordinaria, quæ ex divino instituto interni effectûs signum sit; inde diximus in generali Sa-
p. 471. cramentorum doctrina, Pœnitentiam non tàm esse sacramentum, quàm sunt Baptismus & Cœna Comini. Licet enim & pœnitens, & qui pœnitentem absolvit, ritu aliquo & signo sensibus subjecto, minimùm quidem voce sua, se, quod facit, facere testari necesse habeat, cùm aliter verba Christi: *Quorum remiseritis peccata*, verificari non possint; tamen cùm signa illa non tàm oculis pateant, ut in Baptismo fit & in S. Cœna, quàm solis auribus percipantur (potissimum enim voce peragitur cùm pœnitentis confessio tùm remittentis absolutio:) vel, si maximè visibile quoddam signum accedat, v. g. humiles & luctuosi gestus pœnitentis & impositio manuum ab Ecclesiæ ministro facta, tamen hæ ceremoniæ ad prædicamenta accidentium pertineant, quippe meræ actiones, non ad prædicamentum substantiæ, in quo sunt symbola aquæ, panis & vini: insuper etiam istæ ceremoniæ posteriores statæ non sint, quæ semper & ubiq, obtineant, præcepto quippe divino destitutæ; unde etiam Thomas & Pontificii passim negant, manuum impositioné hîc esse necessariam, ceu est apud Becan. part. 3. Th. Schol. tr. 2. c. XXIX. q. 3. §. 5. idcircò agnoscenda utiq; est differentia inter duo illa indubitata & hoc Pœnitentiæ Sacramentum.

Neq;

Neq; tamen impræsentiarum hanc differentiam admodùm urgebimus: sed posito, symbolum seu ritum externum sufficienter à Bellarmino assignari *signa pœnitentiæ & verbum absolutionis*, l. 1. de Pœn. c. 10. sive, ut habetur c. seq. 11. *Confessionem pœnitentis & absolutionem voce corporali à Sacerdote pronunciatam:* admisso etiam, quod idem scribit eod. c. 11. *Vtrum ea signa ad prædicamentum substantiæ, an ad prædicamenta accidentium pertineant, & utrum oculis, an auribus percipiantur, nihil interest: neq; enim Christus nos de prædicamentis sollicitos esse voluit, neq; facilius ipse per substantiam, quàm per accidentia homines justificat*; adhuc tamen in eo dicimus deficere ultimam & plenariam rationem Sacramenti propriissimè dicti, quòd *in ritu confessionis externæ non est efficacia instrumentalis ad producendum sacramentalem effectū:* qualis efficacia requiritur, in externo symbolo sacramenti strictè dicti. Enimverò confessio hominis pœnitentis, quæ fit Episcopo aut Presbytero, etiamsi necessaria conditio sit hominis absolvendi, tamen instrumentaliter non attingit remissionem peccatorum. Neq; enim, sicut in Sacramento Baptismi & Cœnæ Dominicæ per symbola aquæ, panis & vini, sensibiliter tractata, contingit gratiæ effectus, tanquam per causas instrumentali efficientiâ conferentes gratiam, sic videlicet, ut possim dicere, per ablutionem externam, quæ fit aqua baptismali, hominem interiùs ablui à peccatis, & per externam comestionem panis & bibitionem poculi benedicti hominem interiùs pasci & potari corpore & sanguine Christi, omniumq; ejus beneficiorum fieri participem: ita per confessionem, quæ fit coram Ecclesiæ Ministro, tolluntur & delentur peccata hominis suam confessionem edentis; hoc enim dici non debet: sed hic effectus unicè contingit per absolutionem, vi institutionis Christi, qui per gratiam suam in absolutione ita operatur, ut peccata tollantur & deleantur; quanquam non sine externa pœnitentis operatione id præstet. Atq; hoc illud est, quod præcipuè & identidem urgeri hîc à nobis debet contra Pontificios: nempe, observante pridem Chemnicio, *expendendum est, an illa Christi sententia (quorum remiseritis peccata) hoc, quod Pontificii volunt, efficiat: ad remissionem sc. peccatorum necessariam esse contritionem, oris confessionem & operis satisfactionem, ita, ut externæ illæ operationes pœnitentium sint materia: ad quas si verbum absolutionis accedat, fiat inde Sacramentum, quod sit causa efficiens & conferens reconciliationem & remissionem peccatorum. Hic enim est status controversiæ.* p. 2. Exam. p. 176. Quamdiu hic status tenetur, h. e. de efficièntia quæritur, puta instrumentali, nec desinunt pro materia vel symbolo externo haberi actus pœnitentis, qui usitatè uno *Confessionis* nomine exprimuntur, com-

comprehensâ sub hac voce simul contritione, quæ per confessionem sese profert, voluntateq; subjiciendi se satisfactioni impositæ, tamdiu pœnitentia caret plenariâ ratione Sacramenti propriè dicti; nam omnis ejus vis in absolutione posita est: confessionem autem vel similes actus instrumentaliter operari & conferre remissionem peccatorum, quî possit admitti?

Pœnitentia est motus quispiam & actus.

Distinctionem ergò ipsam, qua dispescitur pœnitentia in interiorem & exteriorem, utut probemus & amplectamur, tamen nec virtutem propriè nec sacramentum, horum respectuum aliquo, esse agnoscimus pœnitentiam, sed simpliciter motum quempiam & actum esse asseveramus. Actum autem intellige I. quidem voluntatis nostræ, adeoq; liberum: sed tamen II. non naturalem, aut ex naturalibus voluntatis seu liberi arbitrii viribus elicitum, sed supernaturalem & ex speciali divina gratia dependentem. Nimirum datur hujus actûs, sicut & aliorum talium, duplex principium, Quod & Quo. *Principium quod* est nihil aliud quàm subjectum, quod denominatur agere: & est vel propinquum, ut h. l. voluntas hominis; vel remotum, nempe ipsum suppositum, ipse homo, cujus est voluntas, quæ pœnitentiam agit. *Principium quo est* h. l. vis illa superna, quæ suppositum vel potentiam aliquam ejus, uti est voluntas in homine, elevat & instruit ac habilem reddit ad actum pœnitentiæ inchoandum & complendum, quem ipse homo aut voluntas ejus viribus suis nativis sine inspiratione & adjutorio divino nec inchoare nec complere posset. Atq; horum utrumq; facilè probatur.

Voluntarius.

Esse enim pœnitentiam actum nostræ voluntatis, adeoq; intrinsecè voluntarium actum & liberum, probamus I. quia Scriptura exigit ab homine conversionem sive pœnitentiam *ex toto corde*, Joël 2. & alibi; nomine cordis usitata dictione voluntatem intelligens, uti in illo notorio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* II. quia continet pœnitentia mutationem voluntatis & novum ipsius propositum. E. est in voluntate, & est liberæ electionis. III. quia actus pœnitentiæ opponitur peccato, quatenus peccatum est: at peccatum est actus voluntatis, & contraria versantur circa idem. *Supponitur tamen actus intellectûs*, ut homo resipiscat & cognoscat ac judicet, se malè egisse. *Et conjungitur interdum actus appetitûs sensitivi*, ut aliquod consequens. Dum enim voluntas pristinos mores odio prosequitur & de malefactis dolet ac vitæ novitatem sibi proponit, secum ferè trahit appetitum inferiorem, ut & ipse dolorem aliquem concipiat de peccatis & forinsecùs eum prodat gemitu, planctu, jejunio & afflictione corporis, qui dolor est passio intrinsecè & secundùm se; actus autem liber

ber & laudabilis per denominationem extrinsecam, & ut subest electioni voluntatis. Sicuti autem interdum hoc saltem fit, ut dolor voluntatis redundet in appetitum corporeum & sensitivum; cùm sæpè id possit vel omninò vel magna ex parte impediri ob corporis hanc aut illam dispositionem: ita carentia hujus affectûs in sensu non est signum certum impœnitentiæ voluntatis; veluti nec contrà lachrymæ & aliæ motiones sensibiles sunt signa indubitata pœnitentiæ voluntatis, cùm possint ex variis causis oriri, utpote ex offensione amicorum vel potentum, ex despectu, egestate & detrimento opum, metuq; aut sensu suppliciorum ac similibus, quæ sequi solent peccatum & movere proximè appetitum sensitivum, deficiente interim proprio motivo pœnitentiæ, quod est offensa Dei afficiens voluntatem. Communiter ergò *& proximè ac propriè ad voluntatem refertur pœnitentia.*

Esse autem eam voluntatis non sibi relictæ sed supernaturalibus auxiliis instructæ & adjutæ actum, probatur itidem ex manifesta Scriptura, qua moveri jam suprà diximus Pontificios modernos, ut non acquisitam, sed divinitùs infusam virtutem esse dictitent pœnitentiam. Quippe sicut in Scripturis fides & charitas, ita etiam pœnitentia dicitur esse donum Dei: quo loquendi modo dona supernaturalia & merè gratuita indigitari solent. Sic namq; S. Paulus 2. Tim. II, 24. scribit: *Servum Domini oportet mansuetum esse — tolerantem malos — experturum, num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis & sanitate mentis recepta evasuri sint ex diaboli laqueo, ab eo captivi facti ad ipsius libitum.* Quo testimonio usus Leo Papa ep. 91. *Ipsam*, inquit, *pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Et Aug. l. 5. contra Jul. c. 3. *Nisi ipse dederit, quis aget pœnitentiam?* Similis locutio est Act. V, 31. *Hunc Deus dextera sua sursum sublatum constituit Principem ac Servatorem, ut det pœnitentiam Israëli & remissionem peccatorum.* Vtrumq; ergò est donum Dei, quod nobis per merita Christi conceditur, pœnitentia & remissio peccatorum. Et hoc ipsum est, quod Ezech. XI, 19. promittitur: *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri, & amovebo cor lapideum è carne vestra & indam vobis cor carneum.* Eodemq; pertinet oratio Jer. XXXI, 18. *Converte me, ut convertar, tu quippe es Jehova Deus meus: nam postquam conversus fuero, pœnitebit me.* Quorum verborum vim expendens Hieronymus: *Vide*, inquit in comment. *quantum sit auxilium Dei & quàm fragilis humana conditio, ut hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, nequaquam implere valeamus.* Objicias hìc fortè, quòd nec Ethnici prorsus ignorarint pœnitentes

Et supernaturalis.

P 553.

tentiam: potuisse ergò ab iisdem pœnitentiam naturaliter cognitam agi viribus naturalibus; alioqui notitiam illam frustra fuisse: non igitur actum pœnitentiæ esse simpliciter supernaturalem. Constitisse illis autem naturaliter de pœnitentia, ex Aristotele liquet, qui VII. Ethic. c. 7. de incontinente ait: *Necesse est hunc non esse ejusmodi, ut eum pœniteat: quocirca etiam incurabilis est: nam quem non pœnitet, est incurabilis.* Et Ovid. l. 1. de Ponto scribit de Diis suis:

Sæpè levant pœnas ereptaq; lumina reddunt,
Dum benè peccati pœnituisse vident.

Resp. Loqui nos hic de pœnitentia non qualicunq; sed salutari, quæ ex fide est & cum fide conjuncta: quæ fides cùm sit supernaturale donum, idcirco &, quæ in ea fundatur, pœnitentia merum divinæ & supernaturalis gratiæ donum est. Quomodo autem pœnitentia ex fide sit, mox clariùs intelligetur.

APHORISMVS II.

pag. 514.

Voco pœnitentiam, ut in Ecclesia loquimur, conversionem ad Deum, & hujus conversionis *partes seu diversos motus* docendi causa discerno. Dico partes esse, Contritionem & Fidem. Has necessariò sequi debet nova obœdientia, quam si quis vult nominare tertiam partem, non repugno.

AD partes pœnitentiæ nunc nos ordo vocat, postquam de illius natura & divisionibus sufficienter egimus. Ingens autem hîc sententiarum est discrepantia. Aliter enim pœnitentiæ partes enumerant Pontificii, aliter Calviniani, aliter Nostrates.

Partes Pœnitentiæ, I. juxta Pontificios.

Pontificii partes attribuunt externæ tantùm pœnitentiæ, quam Sacramentum dicunt, non internæ: hæc enim cùm sit virtus, ex ipsorum hypothesi, & simplex qualitas ac animi habitus, partes non habet. Externa autem pœnitentia sive Sacramentum pœnitentiæ, si illos consulas, habet partes, easq; cùm essentiales tùm integrales. *Essentiales*

sunt

sunt materia & forma. Materia duplex est, proxima & remota. Materia proxima hujus Sacramenti sunt tres actus pœnitentis: Contritio, Confessio, Satisfactio. Materia remota sunt ipsa peccata: de his enim homo pœnitens dolet per contritionem, hæc confitetur, pro his satisfacit. Forma autem consistit in illis verbis: *Ego te absolvo.* Hæ ergò secundùm illos sunt partes essentiales pœnitentiæ externæ. Partes *integrales* sunt iidem illi tres actus pœnitentium: Contritio, Confessio, Satisfactio. Quoniam enim generaliter loquendo materia proxima est actio pœnitentis, & verò actio illa non est simplex, sed contritione, confessione & satisfactione constat, ideò hi ipsi actus habentur ut partes materiæ, quæ in rebus materialibus integrales appellari solent. Nempè sicut substantia quælibet materialis suas habet partes essentiales, materiam & formam, homo v. g. animam & corpus, ex quibus illa formæ, hoc materiæ rationem habet; rursumq; materia constituitur distinctis partibus integrãtibus, cujusmodi in corpore hominis sunt caput, cor, manus, pedes: ita per analogiam denominatio hæc partium essentialium & integralium traducta est ad pœnitentiæ Sacramentum, & actio pœnitentis quasi materia, verbumq; Sacerdotis quasi forma, eidem sunt attributæ; ac pars materialis rursum in partes distributa tres, contritionem, confessionem & satisfactionem, tanquam integraliter complentes totum, quod à pœnitente requiritur: veluti hæc omnia docet Thomas, Suppl. q. 84. a. 2. 3. q. 90. a. 1. 2. 3. & ex Thoma Bellarminus l. 1. de Pœnit. c. 15. 17. eademq; hodiè communis est Pontificiorum mens & sententia.

Contrà Calvinus l. 3. Instit. c. 3. §. 8. duas constituit pœnitentiæ partes: *Mortificationem carnis & vivificationem spiritûs*; per mortificationem intelligens abnegationem sui & refrenationem vitiosorum affectuum, sive aversionem à malo; per vivificationem autem vitæ innovationem & pium studium benè operandi, h. e conversionem ad bonum; juxta Scripturæ scil. dicta, Ps. XXXIV, 15. *Desine à malo & fac bonum.* & Esa. I, 16. *Quiescite agere perversè & discite benè facere.* Ex his enim locis partitionem suam deducit. II. juxta Calvinianos.

Nostrates itidem duas utplurimùm pœnitentiæ partes statuunt, *Contritionem* & *Fidem*. Nonnulli tamen addiderunt tertiam, *Novam obedientiam.* Vel ipsam etiam *mortificationem* & *vivificationem* posuerunt esse partes pœnitentiæ: non tamen sensu Calviniano, sed re eâdem per mortificationem & contritionem, perq; vivificationem & fidem significatâ, nempe *mortificationem* interpretati *animæ dolorem & terrorem ex agnitione peccati & sensu judicii Dei conceptum; Vivificationem* contrà *consolationem, quæ ex fide nascitur: ubi scil. homo peccati* III. juxta Nostrates.

conscientiâ prostratus ac Dei timore perculsus, posteà in Dei bonitatem, in misericordiam, gratiam, salutem, quæ est per Christum, respiciens sese erigit, respirat, animum colligit & velut è morte in vitam redit; quomodo à nonnullis acceptas esse istas voces, testis est his ipsis verbis Calvinus l. d. §. 3. Et utrumq; est apud Philippum, scil. & tres esse pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem & Novam obedientiam, in Exam. Theol. Dodec. 844. &, *pœnitentiam mortificationem nostri esse in vitam, seu ut renovemur*, Dod. 780. ubi etiam statim hæc annectitur explicatio: *Mortificatio fit per legem: nam hæc conscientiam terret & occidit — Vivificatio fit per Evangelium. — Quod mortificationem nos vocamus, Scholastici contritionem voluerunt dici.* Hæc ibi Philippus. Qui in Examine etiam, ubi tres partes numerat, mox subjungit: *Hanc partitionem docendi causâ bono consilio sic tradidimus, & petimus eam sine calumniis intelligi.*

Ita ergò à variis variæ de partibus pœnitentiæ sentitur; Nunc quid ex re & vero statuendum sit, & quousq; nobis cum hac aut illa parte conveniat, ostendendum est.

Et verò cùm totum & partes dicantur propriè de substantiis ac præcipuè corporeis & materiatis, quæ habent suas partes essentiales, materiam & formam, & integrales, h. e. integrantes alteram partem essentiæ, nempe materiam; ideò *pœnitentia, quæ accidens est & materiâ caret, propriè loquendo partes non agnoscit*, nec essentiales nec integrales. Vnde est, quod Pontificii sacramento pœnitentiæ non tàm materiam & formam, quàm *quasi materiam & quasi formam attribuunt.* Hæc enim est Bellarmini propositio tertia, l. 1. de Pœn. c. 15. *Actio pœnitentis quasi materia, & verbum Sacerdotis quasi forma sacramenti pœnitentiæ rationem atq; essentiam complent.* Erit ergò hîc non nisi analogum aliquid materiæ & formæ. Idq; si velis accommodare contritioni & fidei, quæ nostrâ sententiâ sunt partes pœnitentiæ, oportebit dicere, quod præcedit fidem & ad eam præparat, esse quasi materiam: *Contritio* ergò *materiæ analogiam habebit, ipsa autem fides formæ.* Sicut enim forma dat esse rei: sic fides, ut pœnitentia sit, quod esse debet, h. e. salutaris, proximè efficit. Posita enim fide homo habetur salutariter pœnitens, & justificationis gratiæ, quò tendit pœnitentia, compos. Hæ duæ ergò sunt *quodammodo essentiales partes pœnitentiæ.*

Sed *possumus etiam de partibus pœnitentiæ loqui, ut integrantibus*, accepto hoc termino non quidem in ordine ad partes materiæ, cùm materia hîc propriè non sit, sed prout *illæ dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio totius integratur*, ut habetur apud Thomam, Suppl. q. 90. a. 3. *Quo pacto tres pœnitentiæ partes esse*, non malè, Philippum sequu-

ſequutus, dixeris: ex tribus enim illis, contritione, fide & nova obedientia, ſimul acceptis, integratur perfectio pœnitentiæ, ceu totius alicujus. Quippe ſicut ad eſſentiam pœnitentiæ pertinet, ut homo peccata priora deteſtetur, & ſibi proponat Deoq; ſanctè promittat priſtinæ vitæ emendationem: ita, ut propoſitum promiſſumq; in rem conferat, eſt de perfectione pœnitentiæ. Neq; obſtat, quod pœnitentiæ fructus eſt nova obedientia, juxta illud: *Facite fructus dignos pœnitentiâ* (qui deceant verè pœnitentes) Matth. III, 8. quodq; finis & effectus pœnitentiæ, juſtificatio & remiſſio peccatorum, habetur ante novam obedientiam. Inde enim hoc *ſaltem ſequitur*, *novam obedientiam non eſſe partem eſſentialem* (quod nec Philippus ullibi ſcripſit, aut unquam ſenſit:) vel ſequitur etiam, *non eſſe æquè integralem partem*, ut ſunt contritio & fides. Eſt enim inter ipſas integrales partes aliqua differentia, ut aliæ ſint principales, ſine quibus eſſentia rei nullo modo conſiſtere poteſt, quales ſunt in homine caput & cor; aliæ minùs principales & ſecundariæ tantùm, ſine quibus poteſt rei eſſentia conſiſtere, licet imperfecta & mutila, quales ſunt in homine manus & pedes. Ita ergò per analogiam quandam principales partes pœnitentiæ ſunt contritio & fides, ſine quibus nullo modo eſſe poteſt vera pœnitentia: nova obedientia autem eſt pars ſecundaria, quæ poteſt abeſſe ſalvâ, ut ſic dicam, eſſentiâ pœnitentiæ: ſicuti manifeſtum eſt in illis, qui in fine vitæ converſi tempus non habent novam obedientiam exſerendi. Sin prorogetur vita & tempus benè operandi adſit, nec tamen homo in novitate vitæ ambulet, pœnitentia ejus manca eſt; quin & brevi futurum, ut quam adeptus eſt juſtificationis gratiam rurſum amittat, utpote quæ cum intermiſſione novæ vitæ diu non conſiſtit. Et ſic *licet non ad ipſam effectûs ſalutaris ſubſtantiam, tamen ad ipſius permanentiam neceſſaria eſt nova obedientia.*

Cæterum *Calvinus* vapulare dignus, qui *pœnitentiam merè poſuit in actionibus, quæ veram pœnitentiam conſequuntur.* Mortificatio enim vitiorum & pius benè vivendi affectus cùm ſint fructus fidei juſtificantis, adeoq; etiam juſtorum, & tota vita perficiantur, utiq; ut juſtificationem, ſic ipſam pœnitentiam, quæ via eſt ad juſtificationem, ſeſe priorem habent ac utramq; inſequuntur. Antecedens eſt apud Calvinum l. d. §. 1. Nec Scripturæ loca, quibus utitur, aliud ſibi volunt, quàm ut ad pœnitentiæ fructus edendos commonefaciant homines: quod *ſæpè fit in Scripturis, ut deſcribatur pœnitentia à ſuis fructibus, quos minimè convenit ſolitariè ſumere* in conſtituendis partibus pœnitentiæ. Et, ut ad Philippum redeam, id peculiariter in eo nobis probatur, quod partes pœnitentiæ interpretatur motus ſeu actus; *Converſionis*, in-

quiens, *partes seu diversos motus docendi causa discerno.* Corp. Doctr. 514. Revera enim pœnitentiæ partes sunt idem, quod actus seu motus ab homine pœnitente requisiti. Plura aliàs ad pœnitentiam requiruntur: sed non sunt idem, requiri ad pœnitentiam, & esse partem vel actum pœnitentiæ: quandoquidem Dei auxilium, supernaturale cumprimis, ad pœnitentiam requiritur, sed non ut pars ejus, verùm ut principium & causa. Ideoq; dico, partes pœnitentiæ esse motus requisitos ab ipso homine pœnitente.

Interna Pœnitentia constat duobus præcipuè motibus interioribus.

Porrò cùm interiorem æquè ac exteriorem pœnitentiam actionem esse dicamus, secùs quàm Pontificii, qui internam pro virtute habent; inde utriq; suas vindicamus partes, & *internam constare profitemur duobus præcipuè motibus interioribus: Contritione & Fide.* In quam rem extant præcepta & exempla in S. Litteris. Præcepta, quibus contritio injungitur iis, qui per pœnitentiam volunt cum Deo redire in gratiam, hæc sunt potiora. Jer. III, 7. 8. *Benignus sum, ait Jehova, non asservo iram in seculum. Tantummodo agnosce iniquitatem tuam, te à Jehova Deo tuo defecisse.* Joël. II, 12. 13. *Convertimini ad me ex toto animo vestro; & jejunio, & fletu, & planctu. Lacerate igitur corda vestra.* Quibus mandatis illa addatur promissio, quæ legitur Esa. LXVI, 2. *Intueor in pauperem & contritum spiritu ac trepidantem ad verbum meum.* Ubi ipsum vocabulum Contritionis nobis traditur, sicut & Psl. LI, 19. ubi David inquit: *Sacrificia Dei sunt spiritus fractus: animum fractum & contritum, ô DEUS, non spernis.* Fidem verò etiam sub præcepto exigi à salutariter pœnitentibus, constat ex illo Marc. I, 15. *Agite pœnitentiam & credite Evangelio.* Nec minùs in exemplis verè pœnitentium gratiamq; Dei ambientium uterq; hic motus manifestò conspicitur. Conturbati sunt *Ninivitæ* horribili denunciatione excidii, & sacco ac cinere induti Deo supplicarunt, sperantes, quod converti posset Dominus & averti à furore iræ suæ. Jon. III, 5. Affecit *Davidem* animus ejus, postquam numerasset populum: quapropter dixit Jehovæ, *Peccavi valdè in eo, quod feci*, simulq; in Dei bonitatem intuitus oravit: *Sed nunc Jehova transfer, quæso, iniquitatem servi tui, nam stultè egi valdè*, 11. Sam. XXIV, 10. Agnovit idem homicidii & adulterii crimen, objurgante Nathan, & se coram Domino prostravit, veniam ab ipso expectans *secundùm amplas miserationes ejus*, 11. Sam. XII, 7. Psl. LI, 1. Talis fuit eorum pœnitentia, qui ad prædicationem Petri *compuncti* sunt *corde*: sed Dei bonitate confisi addiderunt: *Quid faciemus, viri fratres?* Act. II, 37. Talis & *Petri* ipsius, qui *flevit amarè* & sperare non desiit. Matth. XXVI, 75.

Atq;

Atq; hoc & non alio modo agendam esse pœnitentiam, *ratio quoq; firmiter evincit.* Vt quis enim summo Deo placetur, quem peccatis offendit, necesse profectò ante omnia est, ut malè eum habeat, quòd ipsum offenderit, & mutata pristina voluntate optet non offendisse, proindeq; apud se graviter affligatur, & iram ejus extimescens humiliter culpam deprecetur. Id quod est contritionis; quæ nec inter homines abest, si quis alteri, in quem peccavit, reconciliandus sit ex animo. Ne tamen cauterio peccati vulneratus homo & Deum duntaxat ultorem cogitans, in eo sensu deficiat, necesse est fidem accedere misericordiæ Dei, qua erectus & recreatus peccator ex perturbatione emergat nec ea absorbeatur. Quæ fides nisi posita fuerit, inutilis & otiosa erit pœnitentia, nec finem suum adsequetur unquam, qui est remissio peccatorum & vita ac salus æterna. Ezech. XVIII, 32. Act. III, 19. XI, 18. Imò verò *pœnitentia fide carens est quoddam inferorum atrium*, quò jam in hac vita ingressi Cain, Saul, Judas, cœperunt à facie iræ majestatis Dei pœnas dare, tremendo exemplo, Gen. IV, 13. 1. Sam. XV, 30. XVI, 1. XXXI, 4. Matth. XXVII, 4. Sic ergo utrumq; actum, Contritionis & Fidei, ad internam pœnitentiam requiri à parte hominis pœnitentis, ex dictis patet.

Obj. Calvinianorum I. contra Contritionem.

Videamus autem paucis, quid Calvinus, Beza, Martyr, Zanchius, in contrarium opponant, quibus nec contritio nec fides pars est pœnitentiæ. I. Contritio, ajunt, est ipsa tota interna pœnitentia. Ergò non est pars pœnitentiæ. II. Contritio non est per se salutaris. Nec igitur pœnitentiæ, quæ ad salutem ducit, pars aut actus. III. Contritio præcedit pœnitentiam, quia Act. II, 37. illis, qui *compuncti* erant *corde* i. e. contriti, postmodò dicitur: *Pœnitentiam agite.* Non ergò contritionem, ut partem sui aliquam, pœnitentia complectitur. Hæc sunt, quæ contritioni oppugnandæ afferunt.

Resp.

Ad quorum I. Resp. contritionem esse totam pœnitentiam internam, si vocabuli vim attendamus præcisè: *Cùm vera pœnitentia vel pœnitudo æstus sit & dolor in corde resipiscentis natus, si vim vocis spectes.* Sumunt autem Nostrates pœnitentiam non solùm pro eo, quod ipsa vox sonat, sed pro tota & perfecta resipiscentia, cujus non nisi pars est contritio. Nec enim contritione res isthæc absolvitur, sed *ad veram pœnitentiam pertinet, ut agnoscat peccator sua peccata, doleat ipsi ex animo, quòd peccavit; resipiscat & mutet mentem & malæ vitæ studia, ac convertatur ad Dominum, credens illius promissis, imploransq; & sperans misericordiam:* sicut hæc omnia nobiscum ferè totidem verbis fatetur ingeniosissimus & moderatissimus *Wolfg. Musculus*, Loc. de Pœnit. n. 1, & 3. edit. ult. p. 255. 256.

Ad II. Nego, contritionem non esse salutarem. Licet enim per se i. e. sola ac nuda à nostra parte non sufficiat ad justificationem & salutem, tamen ad eam disponit & via est ac gradus ad resipiscentiam & salutem; juxta illud Pauli II. Cor. VII, 10. *Qui secundùm Deum est dolor*, i. e. qui est ob peccata in Deum & metu divini judicii, *resipiscentiam efficit ad salutem*. Salutaris ergò est contritio, etsi non immediatè & proximè, tamen remotè. Quippe nisi peccata sua homo agnoscat sibiq; displiceat, nunquam convertetur, neq; adducetur, ut ope se indigere putet & gratiam Dei imploret, inq; Christi merito consequendæ salutis fiduciam ponat, facientem proximè ad justitiam & æternam salutem.

Ad III. Sic habendum, nihil esse inconveniens, eos, qui jam sunt corde compuncti, ulteriùs hortari ad agendam pœnitentiam, sive, quòd nos corda hominum introspicere non possimus, utrum in iis vera compunctio & contritio adsit; sive, quòd non tantùm de uno scelere, quod præ cæteris notorium est, quale in Judæis illis corde compunctis erat occisio Christi, sed de omnibus etiam aliis peccatis, quibus onusta sunt corda, pœnitentiam agere, &, ut agatur, homines commonifieri oporteat; sive, quòd pœnitentiam apud eos, qui contriti jam sunt, etiamnum urgendo, fides potissimum, quæ in Christum est, proponi & commonstrari queat, in quam mox baptizati sunt Judæi, quibus Petrus prædicavit: nam his tribus modis textus ille accipi potest.

II. contra Fidem.

Jam verò quoniam nec fidem partibus pœnitentiæ accenseri sustinent, quid adversùs hanc in medium proferant, porrò audiamus. I. Fides, inquiunt, & pœnitentia ponuntur ut duo distincta. Marc. I, 15. *Pœnitentiam agite & credite Evangelio*. Act. XX, 21. *Testificans Judæis & Gentibus pœnitentiam in Deum & fidem in Jesum Christum.* Non ergò fides comprehenditur sub pœnitentia, ut pars ejus. II. Fides præludit pœnitentiæ, & est quoddam ejus principium: non ergò pars. Atq; eadem hæc argumenta vehementissimè inculcant etiam *Pontificii*, qui easdem hîc cum Calvini asseclis tibias inflant. *Distinguitur*, ait Bellarminus, *in utroq; loco* (Marci & Actorum) *fides à pœnitentia. Non enim Dominus apud Marcum ait: Pœnitentiam agite credentes Evangelio; sed:* Pœnitentiam agite & credite Evangelio. *Duo sunt igitur ac diversa, pœnitentiam agere, & credere Evangelio. Sic etiam beatus Paulus non ait: Testificans in Deum pœnitentiam, quæ ex fide & terroribus constat*, (uti scil. in Aug. Conf. dicitur,) *sed:* Testificans in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. *Deinde fides pœnitentiam præcedit eamq; gignit, ut exemplum Ninivitarum & ratio manifesta docet.* Crediderunt, *inquit Scriptura Jon. III.* Nini-

Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium & induti sunt saccis. *Et sanè intelligi non potest, quòd seriò aliquis pœnitentiam agere incipiat, nisi priùs credat vera esse, quæ Deus tùm peccatoribus comminatur, tùm pœnitentibus pollicetur. Quod si fides pœnitentiam præcedit, certè causa ejus esse potest, pars autem nullo modo.* Ita ille l. 1. de Pœn. c. 19. p. 106. 107.

Verùm neq; hæc tanti sunt, ut diu atq; acriter de responsione cogitandum sit. Etenim ad I. reponere est, pœnitentiam in illis locis, ubi fidei opponitur, ab eaq; distinguitur, sumi non pro tota conversione hominis, uti nos hîc sumimus, sed incompletè pro contritione; quæ est sanè motus à fide distinctus. Ad II. id scire oportet, *duos esse actus fidei, assensum & fiduciam, & respectu utriusq; efflagitari fidem ad pœnitentiam*; atq; adeò utrumq; verum esse, & quòd principium ac causa pœnitentiæ fides sit, & quòd pars. Nam ratione prioris actûs fides pœnitentiam, ut causa ejus, præcedit: continetur autem eâdem ut pars ejus, ratione posterioris. Certè, ut quis convertatur ad Deum, debet novisse, quis sit verus Deus, quem offendit: neq; hoc tantùm, sed etiam peccatorum, quibus eum offendit, gravitatem, pœnarumq;, quas peccatoribus comminatur Deus, atrocitatem, quin misericordiæ quoq; pœnitentibus obviæ promissionem cognitam habere debet, rationem deniq; intelligere & modum, quo liberari à reatu peccatorum & Deum ex irato propitium sentire queat. Hæc omnia autem per revelationem verbi Domini & fidem illi habitam innotescunt. Hoc itaq; respectu ex fide pœnitentia est, ut ex causa: idq; exemplum Ninivitarum rectè probat à Bellarmino adductum. Ideò enim Ninivitæ pœnituerunt, quia crediderunt Deo per prædicationem Jonæ illis excisionem comminanti. Estq; hoc ipsum, quod nos suprà diximus: Salutarem pœnitentiam esse supernaturale donum, cùm sit ex fide, quæ à supernaturali revelatione Dei & ejusdem peculiari gratia intùs operante pendet. Vbi vox *fidei* pro assensu divinæ revelationi per adjutorium gratiæ habito supponit: qui assensus pœnitentiâ ipsâq; contritione equidem prior est.

Resp.

p. 559.

Et non aliter fidem, sicubi dicitur antecedere pœnitentiam, nisi pro assensu & quæ ex eo est notitiâ sumi, testis est ipse Bellarminus l. 1. de Pœn. c. 4. disputans contra Heshusium, qui *errorem esse* dixerat, *quod fides non sit pars pœnitentiæ, sed eam antecedat.* Ibi contrà Cardinalis: *Hanc*, inquit, *sententiam, si per fidem intelligatur id, quod Catholici intelligunt, firmus videl. ASSENSVS ad ea omnia, quæ Deus verbo suo revelare dignatus est, nec Lutherani, nec ulli omninò homines negare poterunt. Nisi enim quis Deum, peccatum, judicium & alia id ge-*

nus

nus esse certò credat, fieri non potest, ut ad pœnitentiam adducatur: quare nisi fides præcedat, pœnitentia nunquam subsequetur. Hæc rursum ille.

Sin fidei vocabulum, prout fiduciam designat, accipias, fides in ipsa pœnitentia includitur, & pars ejus altera, quæ contritione posterior sit, existit, causa autem nullo modo. Quod puto ita esse manifestum, ut longiore deductione vix indigeat. Ecquid enim morari refert Petrum Martyrem scribentem, Loc. Clas. 3. c. 18. §. 18? *Cum mens amplexa fuerit bonitatem Dei & remissionem peccatorum per Christum, tum sequitur renovatio, ut deponamus veterem hominem & assumamus novum. Fides ergò* (significando ipsam fiduciam) *non est pars sed inchoatio quædam pœnitentiæ: pœnitentia verò consequens, ut effectum adjunctum.*

Enimverò verba hæc manifestum produnt abusum vocabuli pœnitentiæ; quod nos pro pœnitentia lapsorum accipimus, Martyr autem cum suis ad fidelium, seu, ut vocant, stantium pœnitentiam inflectit: quia nimirum secundùm eorum hypotheses nulla est propriè
p. 543.
lapsorum pœnitentia, sicut superiùs innuimus. Ipsis profectò fidelibus & fiduciâ bonitatis Dei per Christum justificatis competit renovatio, de qua Martyr loquitur, & depositio veteris hominis atq; assumtio novi, ad quam Paulus Ephesios jam conversos hortatur cap. IV. Ex Pontificiis nemo id temerè dixerit, fiduciam in Dei gratiam & Christi meritum, causam esse & fundamentum pœnitentiæ; si modus ille est pœnitentiæ agendæ juxta Concilium Tridentinum, quem Gregor. de Valentia esse dicit T. 4. disp. 7. q. 7. punct. 2. *ut aliquis agnito peccato per legem Dei, illud prohibentem, iram Dei expavescat, & deinde per fidem & spem à lege tanquam à pædagogo ad Christum (sciens, quia non justificabitur ex operibus legis omnis caro) ad misericordiam Dei per redemtionem, quæ est in Christo, confugiat.* Hoc enim pacto fiducia contritioni, ipsum pœnitentiæ actum ingredienti, postponitur, & ut res distincta opponitur. Quanquam *lubricè hîc multi Pontificii loquantur, ita contritioni jungentes fidem, ac si in illâ hæc simul involvatur,* ipsaq; contritio dolor sit fiduciâ gratiæ divinæ informatus, si efficax contritio & salutaris esse debeat. Quod minùs profectò accuratè dictum est. Propriè enim loquendo sicut consolatio non ponitur nisi post angorem & tristitiam, ac realiter ab his distincta est, nec iis continetur: ita fiduciam, in qua solatium spirituale est positum, omninò angore & dolore illo, quem secum vehit contritio, posteriorem esse, & motum animi à dolore distinctum constituere, dicendum est. *Debent hæc duo ab invicem non separari; sed nec confundi debent.* Quicquid autem

autem de re ista sit, & qualitercunque contritio fiduciam sibi conjunctam habeat, manet hoc, quod fides, ut fiducia est, pœnitentiam non antecedat, consentientibus Pontificiis; quod sufficit ad solutionem alterius illius argumenti: Fides præcedit pœnitentiam. Ergò pars pœnitentiæ non est. Nam hæc collectio procedit de fide, ut est assensus: qua ratione T. A. C. At *nos fidem pro fiducia accipimus, quando eam pœnitentiæ partem esse docemus*: quam fiduciam pœnitentiâ non esse priorem, in confesso est. Nil causæ ergò superest, quare fides negetur pars esse pœnitentiæ. Multò minùs, cur justè ob hanc nostram sententiam damnemur à Pontificiis: qui minimè dissimulant ipsimet, fidem, etiam ut fiduciam notat, in Dei misericordia Christique merito collocatam, ad pœnitentiam omninò requiri. Sic namq; ipsa Synodus Trid. sess. 14. de Pœnit. c. 4. *Fuit*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ista Patres Tridentini: iidem videlicet, qui cap. immediatè præc. *eorum sententiam damnarunt, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt.* Rem indignam! Cùm diffiteri nequeant, fiduciam misericordiæ divinæ ad pœnitentiam & remissionem peccatorum unà cum contritionis motu esse necessariam, negant interim, imò anathemate feriunt eorum sententiam, qui fiduciam illam pœnitentiæ partem esse contendunt. Atqui *nec pœnitentiæ partem eam dicentes quidquam sentimus aliter, quàm motum fiduciæ unà cum contritionis motu esse necessarium requisitum à parte hominis pœnitentis, ad finem & effectum pœnitentiæ consequendum, remissionem scil. & veniam peccatorum.* Quæ ergò, bone Deus, intemperies Tridentini anathematis! An unicus ille terminus, quod partem eam pœnitentiæ appellamus, nos damnabiles præstat? Sed abrumpo hic, & post generaliorem hanc de partibus pœnitentiæ doctrinam nunc ad specialiora me converto.

Intelligimus ex dictis, contritionem & fidem, seu, ut alii vocarunt eodem sensu, mortificationem & vivificationem, partes esse internæ pœnitentiæ. Nunc ut intelligamus, quid peculiariter involvatur in contritione, & qualis hîc requiratur fides, allaborandum est.

Quod igitur contritionem spectat, pertinet ad eam I. agnitio peccati, quæ non est simplex peccati admissi notitia & conscientia, sed judicium practicum, quod fert homo de se ipso, judicans malè se egisse, hoc aut illud peccatum his & illis circumstantiis perpetrando. Talis agnitio in Scriptura præcipitur, Jerem. III, 8. *Tantummodo agnosce iniquita-* Requisita contritionis.

quitatem tuam, te à Jehova Deo tuo defecisse. Et in exemplis nobis ostenditur, Psl. LI, 5. *Defectiones meas ego agnosco & peccatum meum obversatur mihi jugiter.* Jerem. XIV, 20. *Agnoscimus, Jehova, improbitatem nostram, iniquitatem patrum nostrorum; nos peccasse tibi.* O. at. Man. vers. 3. *Peccavi, Domine, peccavi & iniquitates meas agnosco.* Piè August. de Temp. serm. 88. *Quotiescunq; delinquitur, peccata nostra judices nos sentiant, non patronos: accusatores suos, & non defensores esse cognoscant; secundùm illud, quod scriptum est: Iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper. Tu agnosce, & Deus ignoscit. Nam quo pacto Deus dignetur ignoscere, quod in se homo dedignatur agnoscere?* Tom. X. p. 785. Hoc ergò primariò ad contritionem pertinet.

II. Dolor de peccato præterito & seria ejusdem displicentia ac detestatio: de cujus defectu conqueritur Deus, Jer. VIII, 6. *Nullum virum pœnitet malitiæ suæ, ut dicat; Quid feci?* ubi perspicuè refertur pœnitentia ad peccata præterita detestanda. *Quando sic pœnites,* ait rursum Augustinus, *ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc benè ingemiscis ad Deum & dicis, Tibi soli peccavi & malum coram Te feci.* serm. 7. de Temp. Atque hæc sine dubio illa est Joël. II. mandata *cordis scissio.* Requiritur verò

III. Actualis quoque cessatio à peccatis, cum efficaci proposito abstinendi ab iisdem in posterum totâ vitâ. *Derelinquat improbus viam suam & vir iniquus cogitationes suas: revertaturq; ad Jehovam, ut misereatur ipsius,* inquit Scriptura Esa. LV, 7. Et Joël II. *Convertimini ad Dominum ex toto corde.* Non potest autem totô corde ad Dominum converti, qui studium peccandi non deponit, & peccatorum tramite relicto viam justitiæ sese ingressurum non seriò cogitat. Et hic motus proximè excipit priorem, juxta illud Ambrosii l. 2. de Pœn. c. 10. *Dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.* De utroque motu Chemnicius, part. 2. Exam. Conc. Trid. de Pœnit. c. 4. pag. 185. *Quod,* ait, *ad descriptionem contritionis attinet, nemo pugnat, quin contritio continere doceatur non tantùm cessationem à peccato & novæ vitæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium & peccatorum detestationem.* Et universam contritionis rationem nervosè complexus idem in Enchiridio per Paul. Chemn. Lipsiæ edito: *Pœnitentia,* inquit, *seu contritio tunc fit & existit, quando homo peccata sua agnoscit, comminationes iræ divinæ seriò in corde suo considerat, iram Dei verè timet, & de peccatis ita dolet, ut proposito non simulato ab eis se avertat, ac sollicito corde*

anga-

angatur, ne in æternum damnetur, &c. Ubi igitur talis mutatio in homine non fit, nec motus hujusmodi existunt, ibi nec veram ullam esse conversionem seu contritionem, certum est. tit. de Lib. arb. p. 136. *Atq; hinc rectè æstimari potest*, ut habetur in eod. libello, pag. 132. *nimis verum esse illud Augustini dictum: Quod multi non agant, sed fingant pœnitentiam.*

Hæc simplex est doctrina, de requisitis contritionis: in qua utinam acquievissent Dd. Scholastici! Sed hi nimirum ut alibi, ita hic etiam curiositati multùm indulserunt. Inde factum, ut de intensione, duratione, extensione veræ contritionis, & ab hac distinctæ attritionis ratione, quæstiones moverentur. Nos de singulis mentem nostram paucis aperiemus.

Intensio doloris in contritione etsi videatur requiri summa & vehementissima, dum jubemur converti ad Deum ex toto corde, nobisque in exemplum proponitur David, ubertim deflens sua peccata, non sine maximo dolore, quin usque ad liquefactionem spondæ & conturbationem ossium defatigationemque & languorem virium, Ps. VI. & alibi; tamen *non datur ulla, quæ æquet magnitudinem offensæ* & iræ divinæ: talis non sine dubio impossibilis est: nec proinde exigi potest sub conversione ex toto corde, quæ impossibilis non est, quippe facta ab aliquibus, teste Scriptura 2. Reg. XXIII, 25. Jerem. XXIV, 7. Imò verò nulla hîc exigenda penitùs, cujuscunque gradûs, certa intensio. Cùm enim *nuspiam in S. literis* inveniatur quidpiam hujus rei certò determinatum, temerarius sit, qui vel cum Adriano, Richardo, & aliis è Scholasticorum numero, intensionem summi gradûs hîc requirat, *Scriptura reclamante*, quæ tradit, intensiore gradu pœnituisse Petrum amarè flentem, quàm publicanum pectus tundentem, & utroque intensiùs mulierem peccatricem, lachrymis suis Christi pedes irrigantem: qui interim omnes rectè, ut oportet, & sufficienter ac salutariter pœnituerunt; Vel qui etiam cum Scoto statuat, ad contritionem requiri saltem, ut certam habeat intensionem soli Deo cognitam: nam hæc quoq; sententia est inconveniens, tum quia in re incognita perpetuo fluctuandum esset homini pœnitenti, nec difficilis tantùm sed perplexa eo modo redderetur salutis via, & non nisi casu ab aliquibus attingeretur justa doloris mensura: tum quia nec in fide, dilectione, spe, & similibus actibus, intensio certa est necessaria: tum quia mortalis peccati actus, cujuscunque intensionis sit, dejicit hominem à gratia Dei: Ergò è contrario cujusvis intensionis contritio sufficiet ad eandem recuperandam. Quò accedit, quòd inter homines quoq; venia pro offensa datur, nullo efflagitato certo intensionis gradu in eo, qui de offensa dolet, mo-

Certa doloris intensio in contritione non requiritur.

dò bona fide doleat. Solummodò igitur hoc requiritur, quando jubemur *toto corde converti*, ut vera & seria sit contritio, non ficta, non simulata, nec partim peccata detestemur, partim illis afficiamur, aut tenuiter & leviter de grandibus gravibusque peccatis doleamus, & nobismet ipsis blandiamur, sed cum Davide magnitudinem peccati rectè expendentes ad dolorem nos solicitemus tùm intellectûs & rationis, h. e. displicentiam & odium peccati, tùm ipsius quoque sensûs h. e. lachrymas & gemitus; si nil impediat. Potest enim impediri hic sensitivæ partis dolor, in ægrotis maximè ac malè habentibus mortisque propinquitatem sentientibus, ubi *dolor spiritûs*, absente *dolore sensûs*, quem exigere, vel suadere saltem, absurdum sit, abundè solus potest sufficere; sed & in hominibus sanis ac benè valentibus: quoniam voluntatis & rationis imperio sensitivus appetitus non plenè subest: Inde enim nec commotio sensuum in nostra semper est potestate. Et in his omnibus nobiscum sentiunt recentiores Pontificii, Bellarm. l. 2. de Pœn. c. 11. Becan. Theol. Schol. de Sacramentis c. 35. q. 2. Tannerus Th. Schol. T. 4. Disp. 6. q. 6. dub. 2. & alii. Nempe unanimiter negant, requiri in contritione certam actus intensionem, nedum ut *intensivè summam* esse debere & divinæ iræ respondentem contritionem statuant; solùm *appretiativè summam* propugnant: hoc sibi volentes, majoris fieri debere peccatum perpetratum, quàm quodvis aliud malum vel damnum perpessum æstimetur, inque tantum esse detestanda peccata, ut parata sit voluntas omnia potiùs alia mala perpeti & omnibus sibi charis privari, quàm mortaliter rursum peccare. Quod ipsum tamen ita vicissim mitigant, ut dicant, non esse necesse, sæpe nec consultum, formalem cum cæteris malis, (ut sunt mors, gravis injuria, contumelia,) instituere comparationem, sed *sufficere virtualem ejusmodi detestationem*, uti post Greg. de Val. & Suarezium notavit Tannerus l. d. n. 24. Inque similem sensum ipsorum Scholasticorum mentem interpretatus optimus & concordiæ cupidissimus Georgius Cassander, Consult. de articulis A. C. a. 12. *Docent*, ait, *Scholastici*, (*quibus potissimum hic error*, oportere contritionem esse sufficientem, *tribuitur*,) *dolorem in contritione esse duplicem: alterum esse dolorem sensûs, qui qualiscunq; sufficiat, cùm non sit in nostra potestate: alterum esse dolorem intellectus seu rationis, qui est displicentia & detestatio peccati propter offensam: quam hactenus oporteat esse maximam, quòd sit de admissione majoris mali, & de amissione majoris boni. Rectè autem monent, non debere hominem se tentare super his, & confessionem nec privatim nec publicè deberè simplicibus tendere laqueos tentationis: sed hoc tantùm à pœnitente requirendum esse, si pœnitet, & si dolor ejus insufficiens sit, an vellet dolorem sufficientem habere, &, si non habe-*

habeat, hoc ipsum sibi displicere; & hoc ipsum sufficere juxta illud: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas; & secundùm illud: Adjuva Domine incredulitatem meam. Hæc ille. Nobis ab intensione nunc ad durationem progrediendum.

Neque verò vel duratione certâ opus hîc est, assentientibus iterum Pontificiis, easdem ferè ob causas: Quia nempe sine Scripturæ fundamento, solo hominum arbitratu, conficta est contraria sententia, quæ Scoto tribuitur: nam nullo temporis spacio ad pœnitentiæ durationem requisito promittit Scriptura verè contritis remissionem peccatorum. Ezech. XXXIII, 12. *In sua improbitate improbus non corruet, quo tempore reversus fuerit ab improbitate sua.* Zach. I, 3. *Revertimini ad me, & revertar ad vos, ait Jehova exercituum.* Apoc. III, 10. *Ecce, sto ante ostium & pulsô: si quis audierit vocem meam & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Tum etiam, quia aliàs nemo posset in fine vitæ converti: cujus contrarium patet exemplo Latronis: Tum verò, quia nec ad hoc, ut quis verè dicatur credere, sperare, diligere, certa mensura temporis requiritur: Quia denique pronior est Deus ad veniam, quàm ad vindictam. Cùm ergò statim eo momento, quo justus se avertit à justitia sua & in Deum contumaciter peccat, is sibi iram Dei & reatum æternæ damnationis attrahat, ut colligere est ex Ezech. XXXIII, 13. quidni potiore ratione eodem instanti, quo ab injustitia sua se avertit peccator & veram contritionem elicit, misericordiam & gratiam consequatur? Huc pertinet illud Leonis Magni ep. 91. *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Si tamen tempus & vires suppetant, utile est, uti intensiùs sic longiùs de peccatis dolere, quàm vulgò fieri consuevit. Nam & David complures noctes lamentationibus insumsit, ut liquet ex Psal. VI. Atque ad hanc utilitatem respiciens antiqua Ecclesia longam ac duram pœnitentiam publicam imposuit lapsis: quos commonefaciens S. Cyprianus, sermone, quem ad ipsos habuit, cap. 18. *Quàm magna*, inquit, *deliquimus, tàm granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit.* Quæ verba non malè exponit Bellarminus l. d. *proportionem illam inter peccata & dolorem de peccatis esse debere, ut de majore peccato magis,* (quoad intensionem & durationem) *de minore minùs doleamus.* Sed & ipsa hæc expositio capienda cum restrictione modò assignata. Tandem huc reducenda omnia, potissimùm & principaliter mente, non tempore, nec copioso lachrymarum profluvio, sed pœnitentis animo metiendam esse veram contritionem: nam qui verè & ex animo dolet, rem confectam habet,

Neq; certa duratio.

bet, seu pauco, seu longo tempore, intensiùs aut minùs intensè doluerit.

De Extensione Contritionis.

Sequitur extensio, quæ hîc consideratur ex parte objecti: quæritur enim, ad quænam objecta extendi debeat contritio? Dicimus autem missis Scholasticum tricis, circa omnia crimina, quorum sibi conscius est peccator, eam debere versari, ut qui v. g. perjurium commisit & adulterium, doleat non tantùm de adulterio, sed simul de perjurio, atque utrumque deinceps cavere firmiter statuat. Nam hoc quoque exigitur sub illo præcepto: *Convertimini ad me ex toto corde*, Joël. II. Si ex toto corde debet fieri conversio, utique in totum omnibus renunciandum est peccatis gravioribus, quæ regnantia aliàs dicuntur. Idque expressis etiam verbis habetur Ezech. XVIII, 31. *Abjicite à vobis omnes defectiones vestras, quibus defecistis.* Vid. ib. vers. 21. 28. *Quid enim prodest*, ait Greg. Magnus, *si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat?* hom. 34. in Evangelia. Certè unum grande peccatum sine alio non remittitur: itaque permanente vel unico, reconciliatio cum Deo iniri statusque gratiæ recuperari nequit. Abjicienda ergò sunt omnia & singula. *Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas*, scribente Apostolo Jacobo, ep. c. II, 11. qui inde mox colligit: *Quod si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor legis.* Vnde vicissim nos: Quod si mœchari desiisti & facinus illud planxisti, occisionis autem crimine nondum torqueris, manes transgressor legis & reus iræ ac ultionis transgressoribus incumbentis. Igitur *dolendum de singulis talibus*; *non tamen sigillatim*, ex necessitate; sed sufficiet, ut omnibus, quoad fieri potest, in memoriam revocatis, contritio in ea omnia *collectim* feratur, uno detestationis motu.

De Attritione.

Restat, ut quid attritio sit, & num convenienter à contritione distinguatur, videamus. *Nomen verò attritionis merè scholasticum est*, Scripturæ & Patribus incognitum. A Scholasticis id acceperunt Pontificii, qui utriq; in eo conveniunt omnes, quod voce illa denotetur contritio quædam seu peccatorum detestatio imperfecta. *In quonam autem imperfectio illa propriè consistat, ingens est sententiarum diversitas.* Alii enim collocarunt imperfectionem illam in minore intensione & temporis duratione: quam sententiam esse falsam ex dictis patet: cùm possit vera & perfecta sive sufficiens contritio esse minùs intensa, minùs diuturna. Alii attritionem esse dixerunt, quando quis pluribus criminibus obnoxius ita dolet de uno & fortassis etiam altero, ut de omnibus tamen non doleat, nec propositum habeat à reliquis desistendi, vel

di, vel firmum & efficax non habeat, sed infirmum & ambiguum aut ad certum tempus restrictum, non statuens, velle id criminis tota vita cavere studio maximo: qualis dolor equidem vera contritio non est; sed nec attritionis nomen hodie meretur post habitum *Concilium Trid. in quo* (ut aliorum inter se variantes sententias, quæ plurimæ adhuc sunt, taceam) *tota discriminis ratio hæc ponitur, quod contritio proficiscatur ex motivo charitatis Dei: attritio autem ex consideratione turpitudinis tantùm peccati vel ex gehennæ & pœnarum metu concipiatur:* cùm interim utraq; sit dolor de peccato commisso, ejusq; detestatio, cum proposito non peccandi de cætero.

Et verum id sanè est, permoveri hominem ad contritionem, si recogitet, Deum se peccatis offendisse, qui præ rebus omnibus summè diligendus erat, utpote summum bonum, & cui obsequium ante omnia præstandum erat, ob beneficia non temporalia tantùm, quæ ab ipso exhibentur hominibus, sed intuitu potissimùm æternæ beatitudinis, quam sibi obsequentibus destinavit: cui proinde obedire maxima hominis felicitas est, immorigerum & ingratum esse extrema miseriæ linea. Et qui ita de peccatis dolet, charitate Dei commotus, in ejus contritione non est, quod quidquam desideretur. Cæterum *quid obstat, quò minùs ille etiam verè contritus sit & dicatur, qui dolet ob peccati turpitudinem & gehennæ ac pœnarum metum;* si modò ex animo de suis peccatis, nec aliquibus, sed omnibus, cumq; certo & firmo ac in perpetuum porrecto emendationis proposito doleat? Hæc posteriora enim si adsint, vera erit contritio, & talis, qualem Scriptura passim describit: sive postmodò *peccati turpitudine* & Dei arbores infrugiferas exscindentis timore, ac gehennæ metu perculsus conteraris; sive magis charitate & dilectione Dei, eâq; non vulgari, sed quæ sit super omnia, inductus peccata oderis. Nullum enim in agenda pœnitentia metûs & amoris Dei discrimen Scripturæ nobis inculcant. Quin pariter utrumq; potiùs ibi proponitur: nempe, & *duros corde ac resipiscere nescios ipsos sibi thesaurum recondere iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei*, Rom. II, 5. cùm certo certiùs sit statuta dies, qua *omnes nos manifestos fieri oporteat coram tribunali Christi, ut unusquisq; reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, sive bonum, sive malum: quò scientes terrorem illum Domini* homines *ad* pœnitentiam & *fidem* se patiantur *adduci*, II. Cor. V, 10. 11. *metuentes eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna*, Matth. X, 28. & amabilissimo Patri cœlesti gravem, dum in ipsum peccamus, fieri injuriam, qui in nos contulerit tot *ab utero matris* beneficia, Sir. L, 24. & sui amantes æternùm beet, I. Cor. II, 9. cui *agglutinari* oporteat, per dilectio-

lectionem & mandatorum ejus observationem, *ut unus cum eo spiritus simus*, I. Cor. VI, 17. cùm contrà *iniquitates nostræ disterminent inter nos & Deum nostrum*, Esa. LIX, 2. à quibus tamen reversi ad ipsum habeamus adhuc, quod speremus: cùm *nolit quenquam perire*, II. Petr. III, 9. sed *conversione impii delectetur* unicè, Ezech. XIIX, 23. non abjiciens quenquam ad se venientem, sed expositissima clementia prosequens & obvia manu recipiens, quos malefacti pœnitet, *projecturus in profundissimum mare omnia peccata* istorum, Mich. VII, 17. gratiamq; ac gloriam iisdem tributurus: quæ optimi Patris benignitas animo concepta profectò admirationem ejus & amorem conciliat, eliciendæ contritioni facientem. Et potest uterq; motus, timoris & amoris, simul concurrere in vera conversione. Seorsum verò prioris generis *contritio, ex pœnarum* scil. *metu orta, in Ninivitis conspicienda*, qui metu exitii, & temporalis quidem, reversi à via sua pessima, & contritionis signa ostendentes, pœnam sibi divinitùs intentatam & per os Prophetæ annunciatam averterunt, fortiterq; cum spe veniæ inclamando Dominum misericordiam consecuti sunt. Jon. III, 5. 6. 9. 11. Quorum pœnitentia, ut illustre exemplum in N. etiamnum Testamento imitandum, proponitur ab ipso Christo Matth. XII, 41. Luc. XI, 32. At ibi de dilectione Dei super omnia & dolore ex ea profecto altum silentium. Ergò si saltem pœnarum metu quis seriò convertatur & pœniteat, erit contritio, quanta ad impetrandam gratiam sufficit; non attritio solùm, ut Pontificii sibi imaginantur. Quos insuper inde convincimus, unde illi Scotum & alios, certum doloris gradum & certam temporis mensuram in contritione requirentes: quos *perplexè* ajunt *docere & conscientias illaqueare viamq; salutis reddere ambiguam*. Dic, obsecro, annon eodem crimine ipsi tenentur, scrupulosè disputantes de dolore pœnitentis, ex timoréne divinæ iræ, an ex amore potiùs Dei, & eo non quocunq; sed super omnia proficiscatur? Cui enim ita penitùs semet ipsum excutere integrum, ut non ambigendum ipsi sit, propositis ei ambobus pariter motivis istis, priore magis, an posteriore modo feratur in Deum, dum admissa dolet? Ipsi tandem igitur sibimet diffisi, cùm *dolorem* aliàs *appretiativè summum*, & animi propositum mala quævis patiendi potiùs quam Deum ulteriùs offendendi exposcant, quòd ita demùm peccator convertatur ad Deum ex toto corde, si de peccato doleat, tanquam de malo, quod ex summo illo Dei amore summè i.e. præ omnibus malis detestetur, simili appretiationis modo, quo Deus summè i. e. præ omnibus bonis diligendus est; perplexitate opinionis animadversâ eò, ut indicavimus suprà, confugiunt, ut nolint, com- p. 572.
parationem cum cæteris malis fieri in particulari, aut propositum ejus-
modi

modi esse formale, sed in generali sufficere, malis omnibus deterius ducere peccatum, & virtuale istiusmodi propositum satis esse, (miras inflexiones!) nec referre etiam semper, utrum perfecta adsit contritio reapse, seu talis, quæ ab attritione differat, sed per opinatam seu existimatam, qualis in illis est, qui se contritos esse bona fide putant, cùm revera sint attriti tantùm, obtineri id quandoq; in pœnitentia interna cum voto sacramenti conjuncta, quod verè existenti contritioni alioquin confertur. Imò attritionem etiam cognitam, si voluntatem peccandi excludat nec spe careat veniæ, sufficere in pœnitentia externa, quæ adjunctum videl. habet sacramenti usum: virtute enim sacramenti, dum absolutio homini peccata sua confesso impenditur à Sacerdote, suppleri defectum istum & fieri ex attritio contritum, si non formaliter, saltem quoad effectû. Vid. inter alios Tannerum l. d. dub. 4. n. 75. 77. Quod si ad hoc, ut quis à Sacerdote absolutionem petat & accipiat, sufficit attritio, etiam cognita; detur ratio à Pontificiis, cur sit insufficiens eadem ad absolutionem vel peccatorum remissionem ab ipso Deo petendam & accipiendam? si præsertim in necessitatis articulo sacerdotalis absolutio haberi non possit. Interea dum illi cogitant de ratione & non inveniunt, nos ad alia.

Contritio cujusmodi esse debeat in pœnitentia interna, nemini obscurum amplius esse potest. De fide igitur sive fiducia misericordiæ Dei per Christum, quæ & qualis hîc exigatur, circumspiciendum. Minùs autem obscurum hoc quoq; relictum arbitramur, si id ante omnia quis meminerit, quod priores partes in pœnitentia contritioni debeantur. Talis ergò sit oportet *fides, quæ contritionem sibi habeat præviam*, h. e. quæ existat in homine verè de peccatis suis dolente & ab illis omnibus cessante, nec ullo modo in iis perseverare volente. Non enim qualicunq; fiduciâ absolvi salutarem pœnitentiam, sed tali, cui præludat peccatorum admissorum detestatio & vitæ in melius commutandæ propositum, Christus nos docuit Marc. I, 15. præcipiens: *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio;* requirens pœnitentiam, i. e. ut eo loci capitur, agnitionem & odium peccatorum voluntatemq; emendandi vitam, antequam credatur Evangelio & fiducia collocetur in gratuitis illius promissionibus. Eodemq; sensu Matth. XI, 5. *Pauperes*, inquit, *accipiunt Evangelii nuncium*, h. e. qui suæ inopiæ sensu oppressi jacent. Et Luc. V, 32. *missum se profitetur ad sanandum*, sed *contritos corde.* Nisi præcedat ergò cordis contritio, frustrà sanationem in Christo quæret & apprehendet fides. *Præcedit*, ait Ambrosius, *pœnitentia; sequitur gratia. Neq; pœnitentia ergò sine gratia, neq; gratia sine pœnitentia.*

Fidei Requisita.

tentiæ. Debet enim pœnitentia priùs damnare peccatum, ut gratia possit abolere. T. 3. Ep. 76. p. 232.

Talem pœnitentiam damnantem peccatum ritè excipit fiducia bonitatis Dei & meritorum Christi, ipsa nempe fides illa, de qua hîc nobis sermo: quæ secundùm se in hoc posita est, quòd homo peccator in spem bonam erectus confidit, Deum misericordiarũ Patrem sibi, seria peccatorum pœnitudine ducto, & ad thronum gratiæ ejus confugienti, inq; Christi nomine remissionem peccatorum juxta ipsius voluntatem postulanti, fore propitium; applicando sibi generales promissiones, quæ pœnitentibus & per Christum ad Deum accedentibus factæ sunt, & ad se eas attinere firmiter statuendo: cùm ipsa id exposcat promissionum latitudo & certitudo, ut de se quisq; optimè speret, qui talis fuerit, qualem illæ pollicitationes requirunt. Huc referenda Scripturæ *dicta*, Exod. XXXIV, 6. 7. Ps. CIII, 8. 9. seqq. CXXX, 7. 8. Esa. I, 16. 17. 18. LV, 6. 7. Ezech. XXXIII, 11. Mich. VII, 18. 19. Luc. XV, 7. Joh. III, 14. 15. Act. X, 43. Rom. III, 24. 25. X, 11. 12. Eph. II, 18. Ebr. IV, 16. 1. Joh. V, 14. & *exempla*, Davidis, Publicani, Mulieris peccatricis, Petri, Latronis, ac eorum etiam, qui Christum Dei filium interfecerunt, Act. II, 36. 38. III, 15. 19. quod postremum inculcans Augustinus tr. 31. in Joh. *Nemo*, ait, *de sui peccati dimissione desperet, quando etiam illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt.* Confer Tr. 92.

Hæc verò *consequendæ veniæ seu spes seu fiducia* (utroq; enim nomine ferè indiscriminatim hîc utuntur Scriptores Ecclesiastici) *necesse est secum insuper trahat novam obedientiam ac omne genus bona opera*, quibus incumbere debent, qui profitentur veram pœnitentiam, mandante id adeò Scripturâ Matth. III, 8. *Facite fructus convenientes pœnitentiæ*; ut ne scilicet putemus, satis esse solam externam pœnitentiæ & fidei professionem, tanquam in arbore folia, sed foliis addamus fructus veros à solida sanctitate vitæ, quorum fructuum *finis* est ipsa *salus æterna*, Rom. VI, 22. quam *sine sanctimonia neminem aditurum* asseverat sanctè Apostolus, Ebr. XII, 14. qui ob id *Judæis & Gentibus annunciavit, ut resipiscerent & converterent se ad Deum, opera facientes convenientia pœnitentiæ.* Act. XXVI, 20. Quin omninò juxta illud Tertull. l. de Pœnit. statim in princ. *Vbi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, i. e. hominis saluti.*

Vt summatim ergò complectamur omnia, *hæc est fidei proprietas, quod uti contritionem habet anteambulam, & essentialis formæ loco veram in Christum fiduciam, ita novam obedientiam semper habet pedissequam*; scribente Gerhardo, Enchir. Consolator. morti opponendo,

G. 5. Quæ hujusmodi est fides, non alia ulla, perducit hominem ad finem & effectum pœnitentiæ, qui est justificatio & remissio peccatorum ipsaq; salus æterna. Non, inquam, nuda sufficit gloriatio de fide, sive talis fiducia in Dei misericordiam & Christi meritum, quæ sit sine pœnitentia, sine bono proposito & absq; sequentibus operibus. *Vbi enim*, inquit Chemnitius, *non est pœnitentia* (animus de peccatis seriò dolens,) *sed manet propositum perseverandi in sceleribus, ibi nec vera fides existere potest: ac fides, quæ non efficax est per charitatem, sed manet sine bonis fructibus, non est vera, sed simulata & mortua fides.* Eodem igitur doctore, *homines assiduè & diligenter admonendi, ut seipsos probent, an sint in fide* (2. Cor. XIII, 5.) *ne vana opinione fidei, h. e. ficta seu mortua fide se decipiant. In eo autem* (sic ille pergit) *probatio illa consistit. Vbi nulla contritio in corde existit, sed manet propositum perseverandi in peccatis, ibi certè non est vera fides. Fides item, quæ per charitatem non est efficax, seu quam non consequuntur bona opera, utiq; mortua est. Justificat autem fides, non propter bonum propositum, vel quia per charitatem efficax est seu bona opera parit, sed ideò tantùm, quia Christum cum suo merito in promissione Evangelii apprehendit.* Enchir. capitum doctrinæ, tit. de Fide, p. 179. 182.

Ita ergò se habent partes pœnitentiæ internæ, ac utriusq; partis propria requisita. Vbi id tamen adhuc quæri potest: quare inter requisita contritionis non posuerimus cum nonnullis veram coram Deo humiliationem & ingenuam peccati confessionem? Resp. Ideò, quòd hæc duo sint communia contritioni pariter & fidei. Nam ipsa fiducia misericordiæ divinæ & alienæ justitiæ, ejus nempè, quæ Christo inhæret, est humiliatio coram Deo & agnitio nostræ indignitatis, nostræ injustitiæ, dum abnegamus nos ipsos & opera nostra qualia qualia, & extra nos quærimus, quod in nobis non invenimus, nullum prætendentes jus, unicè sitientes gratiam & clementiam illius, qui in Scripturis miserator audit & misericors. Simili ratione, dum confitemur Deo peccata nostra & culpam deprecamur, si permovere eum hic conatus noster debeat, oportet unà meminerimus meritorum Christi, quibus innixi compellare Deum & clementiam ejus rogare ac sperare audeamus. Sic ergò utraq; pars, Contritio & Fides, involvit humiliationem, & involvitur in confessione ac deprecatione coram Deo.

Humiliatio & Confessio peccati pertinent æquè ad Contrit. ac Fidem.

Nunc ad partes externæ Pœnitentiæ nobis progrediendum. Ecquæ istæ, amabo? Præfiscine dicam, *Contritio*, *Confessio*, *Satisfactio*. Et Contritio quidem, non ut est actus internus, sed prout extrinsecus testata redditur vel per lachrymas pœnitentis, vel per obtestationes petentis redire in gratiam cum Ecclesia. De ea namq; pœnitentia jam

Partes Externæ Pœnitentiæ.

loquimur, quam more antiquo peragunt, qui in graviora crimina lapsi sunt, ut Ecclesiæ reconcilientur. Reconciliatio autem cum Ecclesia pendet ab exterioribus actibus, quemadmodum reconciliatio cum Deo ab interioribus. Neq; repugnat, diversis his respectibus Contritionem esse partem internæ & externæ pœnitentiæ. Sic Confessio etiam, quæ & quatenùs fit Deo, pertinet ad internam: quæ verò fit Ecclesiæ, ad externam pœnitentiam. Nec poterat externa hæc antiquitùs per agi sine tali confessione. Oportebat fateri delictum coram Ecclesia & publicè illud deprecari, si remissio per claves Ecclesiæ obtinenda esset. Et hæc confessio dicitur communiter à vetustioribus *Exomologesis*, indeq; Psalmum LI. Irenæus vocat *Psalmum exomologeseos*, l. 4. c. XXXV, qui & de mulierculis à Marco Valentiniano, hæretico & mago, seductis id testatur, conversas eas sua crimina coram Ecclesia esse confessas. l. 1. c. 9. *Conversæ*, ait, *ad Ecclesiam Dei confessæ sunt*; & quæ ibi porrò sequuntur. In specie autem de quadam à mago isto corrupta & longo tempore eum secuta, *Cùm*, ait, *magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc quam passa est ab hoc mago, corruptelam.* Ejusdem Exomologeseos & Tertullianus meminit, lib de Pœnitentia, c. 9. *Is*, inquit, *actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologesis est.* Dicit, Exomologesin actum esse, quo pœnitentia administratur. Et Cyprianus l. 3. ep. 14. 15. 16. juxta Erasmi editionem, incusans eos, qui præproperè admiserant lapsos ad Eucharistiam, nondum cessante persecutione, & citra conscientiam Episcoporum: *Cum in minoribus*, inquit, *peccatis, quæ non in Deum committuntur, agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per manûs impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant, nunc in his gravissimis & extremis delictis* (abnegationis fidei,) *crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur* (apostatæ) *& offertur nomen eorum & ante actam pœnitentiam, ante exomologesin gravissimi atq; extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, eucharistia illis datur.* Videmus hîc apertam distinctionem pœnitentiæ & exomologeseos. Ergo exomologesis actus ipse pœnitentiæ fuit, illi conjunctus. Confessis sua crimina posteà, interposito judicio Ecclesiæ, imponebatur publica satisfactio, nunc gravior, nunc exilior, ad præscriptum tempus, ut quibusdam certis officiis tum corâ Deo interiorẽ animi pœnitentiã excitarent & exercerent, tum etiã Ecclesiæ, verè se atq; ex animo peccati pœnitere, declararẽt, & aliis hæc spectacula terrori essent, ne similibus peccatis se obstringerent. Vocaban-

II. Confessio, Exomologesis dicta.

III. Satisfactio.

cabantur hæc præscripta officia *Canonicæ satisfactiones* & pœnæ, quibus nimirum, secundùm Canones quorundam Conciliorum, *lapsi* pro scandalo dato *satisfacerent Ecclesiæ, i. e. tantum præstarent, quantum Ecclesiæ, in quam peccaverant, satis videretur.* Expletionem earum sequebatur tandem reconciliatio cum Ecclesia & jus communionis per impositionem manuum, sive, quod eòdem recidit, remissio peccati in foro Ecclesiastico. Qua de re S. Augusst. *Rectè*, ait, *constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur.* Enchir. c. 65. T. 3. Atq; hoc potissimum ritu publicæ satisfactionis, *potestas Ecclesiastica* clavium in ligando & solvendo i. e. pœnitentiam indicendo, à communione separando & rursum eandem impertiendo, manifestissimè fit conspicua. Hæ ergò ab antiquo partes erant pœnitentiæ externæ, sive illius, quæ in foro Ecclesiæ humano agebatur à criminosis & sceleratis.

Ex quo vetere ritu nata est successu temporis enumeratio trium pœnitentiæ partium apud Pontificios recepta, observante id rectissimè Chemnicio: Omninò enim, &, ut ipse loquitur, *extra omnem dubitationem prima* (partium istarum) *origo fuit ex spectaculis publicæ pœnitentiæ, quam magna severitate vetus Ecclesia in manifestis & atrocibus criminibus servabat. In illa enim requirebantur externa signa contritionis, requirebatur exomologesis seu confessio criminum: & priusquam rursus reciperentur* (criminosi) *in communionem Ecclesiæ, imponebantur certa quadam externa castigationes, cùm exempli causa propter alios, tum verò explorationis gratia, an seria esset pœnitentia.* Habet hæc Chemnic. Exam. Conc. Tr. de Pœn. c. 1. Idem ante eum vidit & fassus est, quoad alteram pœnitentiæ externæ partem, B. Rhenanus, Annotationibus ad Tertull. Hæc namq; ejus verba sunt præfat. in lib. de Pœn. *De exomologesi publica i. e. actu pœnitentiæ coram Ecclesia facit* (Tertullianus) *mentionem* (*cujus etiam Leo Papa meminit de Pœn. dist.* 1.) *eamq́ eleganter ob oculos ponit, qua Majores nostros statim post initia nascentis Ecclesiæ severissimè usos constat: ex qua, nisi multùm fallimur, confessio secreta sumserit originem, qua hodie conscientiam nostram Sacerdoti detegimus usq; ad circumstantiarum omnium minutias.* pag. 469. Et hactenùs benè habet, quod externæ pœnitentiæ partes arcessunt ex antiquitatis institutis.

Enumerationis trium Pœnitentiæ partium apud Pontificios origo.

At malè illud, quòd, dum prisca vocabula nullibi non ore crepant, interim longissimè à more vetusto recedunt, totamq́; veterum Ecclesiasticam pœnitentiam invertunt. Quod ostendi potest multis nominibus. Nam I. Pœnitentia externa omnis antiquitùs *in publico* agebatur: signa contritionis, confessio & satisfactio erant publicè conspicua.

Pontificii à more Pœnitentiæ vetusto longissimè recedunt,

I. mutando pœnitentiam publ. in privatam.

Nec de alia, quàm publica pœnitentia, loquuntur Irenæus, Tertullianus, Cyprianus & ejus ætatis alii, quando exordinarium luctum, planctum, supplicationes, exomologesin, satisfactiones memorant. Isti contrà pœnitentiâ publicâ sublatâ in ejus locum *privatam* substituunt, & huic partes illas, præter antiquitatis mentem, accommodant. Non enim nisi privatam confessionem habent, quam auricularem dicunt, & pro publicis satisfactionibus indicũt privatas, in ipsis publicis criminibus. Ritu prorsus veteribus incognito. Certè Rhenanus l. d. nil dissimulans, *Tertullianum*, ait, *de clancularia ista admissorum confessione nihil locutum*. p. 471. Malô insuper exemplo, Nam de occultis quidem criminibus congruenter in occulto agi potest pœnitentia: qui publicè autem Ecclesiam scandalizavit, debet omninò etiam publicè Ecclesiam ædificare & scandalum ab ea tollere: Secretò de notoriis pœnitere, quoad Ecclesiasticam pœnitentiam, est indecentissimum. Agnoscens hoc G. Cassander: *Canonicæ satisfactiones seu pœnæ*, inquit, *ut paulatim imperitiâ Episcoporum & Pastorum in abusum, ita quoq; negligentia & segnitie tàm Pastorum quàm populi prorsus in desuetudinem venerunt, nisi quod in privatis confessionibus aliqua ejus rei vestigia remanserint, cùm pœnitenti aliqua pietatis opera, sed privatim, indicuntur: publicæ verò satisfactionis obscurum tantùm vestigium in homicidis reconciliandis aliquibus in locis relictum est: quem tamen publicæ satisfactionis priscum & Apostolicum morem, ob publica & graviora peccata, restitui, utile ac propemodum necessarium sit.* Consult. super August. Conf. a. 12.

Disciplinæ Ecclesiasticæ neglectus quidã etiam apud Protestantes.

Dolendum verò maximè, ex illa, quam Cassander dicit, *Pastorum segnitie* ad nosmet neglectum veteris disciplinæ emanasse: *abusum* autem, quem appellat, id effecisse, ut res tam salubris, tam necessaria, non negligeretur solùm, sed omnium præterea odio exponeretur. Nempè ex quo placidæ & medicinalis excommunicationis usus nullus fuit, qua scandalosi ad tempus corrigerentur, contraq; viguit dira & terrifica excommunicatio, cujus fulmine ad Pontificis & Episcoporum nutum percussi Reges & Principes exciderent regnis ac ditionibus suis, quamq; unà cum Magistratibus subditi etiam luere necesse haberent: nam his propter vitia regnantium Interdicebatur sacrorum usu, iniquissimo more; inde laxatio genuinæ disciplinæ horrorem quoq; ejus odiumq; ingens secum traxit: quod ut ponerent & Ecclesiasticæ censuræ qualicunq; colla subderent, qui superiore seculo onerum, quibus supra modum anteà gravabantur, pertæsi, ex Papatu primùm emerserant & veritatem eminùs cognoverant, equidem, verum fatendo, remissiùs allaborarunt primi reformatores, *doctrinæ repurgandæ & propugnandæ, pro illorum temporũ ratione, magis, quàm instaurandæ disciplinæ intenti*; sed

sed & si laborassent plurimùm, videntur parum permoturi fuisse suæ ætatis plerosq; ægerrimè sine dubio laturos, sese Pontificio jugo vix dum levatos alio novo indui: cùm hodienum apud nos, multò illis confirmatiores, multorum delicatæ aures nomen Ecclesiasticæ disciplinæ & excommunicationis ferre non possint. Non desunt interim alicubi apud nos exercitia publicæ pœnitentiæ, &, ut passim extent in omnibus Ecclesiis, pia vota ac præclara monita, tum eorum, qui primi in curam reformationis incubuerunt, tum successorum, sibimet relictum *perficiendum, quod priores illi negotiorum mole obruti plenè in rem conferre nequiverunt*, haud abs re existimantium. Videatur Dodecas nostra p. 201. 604. 1347. & venerandi Sauberti nostri p. m. libellus utilissimus, cui titulus, Zucht-Büchlein der Evangelischen Kirchen/ cujus parte priore, cap. 10. continentur testimonia Lutheri & Philippi huc facientia. Quibus jungatur hoc Chemnitianum: *Publicæ pœnitentiæ exempla quædam apud nos servantur. Et quidem optamus, posse in hoc genere plura quædam ex veteris Ecclesiæ disciplina in usum revocari, quæ in Pontificia Ecclesia vel prorsus collapsa, vel in superstitiones & ludibria conversa sunt.* Exam. Conc. Trid. de Pœn. c. 5. p. 195. Rebus sic stantibus & externâ Veterum pœnitentia publica nondum reductâ, partes externæ pœnitentiæ, ex usu nostrarum Ecclesiarum, dicimus esse humilem peccatorum confessionem, seu omnium generalem seu quorundam specialem, coram Ecclesiæ ministro, perceptioni sacræ Eucharistiæ præviam, fideiq; insimul in Dei misericordiam & Christi meritum coram eodem protestationem, cum petitione absolutionis & novæ obedientiæ pollicitatione. Ad quem modum superiùs externam pœnitentiam descripsimus, cum controversiam, num Sacramentum ea sit, tractaremus.

Quænam partes Externæ Pœnitentiæ in nostris Ecclesiis?

p. 555.

Jam verò, qui pœnitentiam externam publicam abrogatam commutarunt in privatam, iidem II. *necessitatem* affingunt *externæ privatæ*, sub metu nunquam recuperandæ divinæ gratiæ & æternæ salutis, si non agatur vel in re vel in voto. Vt clariùs dicam, volunt, hoc cuivis post baptismum, lapso esse ad remissionem coram Deo futuramq; salutem necessarium, ut peccata sua, quæ post diligens examen memoriæ succurrunt, detegat & in aurem commemoret proprio sacerdoti, omnia ac singula, & cum omnibus circumstantiis, ad absolutionem ab eo accipiendam, & ut debita satisfactio pro modo delictorum ab eodem ipsi imponi possit: aut si minùs actu hæc fieri queant, quòd copia sacerdotis non sit, ut votum tamen pœnitentiæ hujuscemodi adsit, necesse dictitant. Multum hîc quoque à Veterum mente alieni: qui externam pœnitentiam, in notoriis quidem criminibus, & quæ publicum

II. privatæ necessitate affingendo.

cum scandalum parerent, accuratè irrogabant, ejusq; necessitatem ex Scripturis deducebant, ut patuit suprà (p. 550.) ex epistola Aug. ad Seleuc. 108. ad revelanda auté occulta, tametsi gravia peccata, neminem compellebant, sed poterat, qui sic peccarat, occultè cum Deo transigere, & sufficiens ei judicabatur interna culpæ agnitio ac secreta secretorum confessio facta Deo; nisi sua sponte, & quod illud è re sua esse arbitraretur, vellet quis occulta pandere Episcopo vel Presbytero, consilii aut consolationis ergò, vel ipsis ea subjicere clavibus Ecclesiæ, & ultrò se offerre ligandum Ecclesiastico vinculo rursumque solvendum, tutioris cautelæ ergò, ut ex obtenta in his terris solutione Ecclesiastica esset quàm certissimus de impetrata in cœlis remissione. In quo genere, & quoad remedium clavium præcipuè, sanè extant cohortationes veterum Ecclesiæ Doctorum, qualis illa est apud Augustinum T. 10. lib. 50. Homiliarum, homil. 49. *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occultè ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergò sine causa dictũ est. Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergò sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei?* Hæc ille. Quibus connectamus aptè cohærentia ista Cypriani: *Quantò & fide majore & timore meliore sunt, qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt!* serm. de Lapsis. Hisce tamen cùm monitis tùm exemplis nemo ita tenebatur adstrictus ad necessariò utendum clavibus Ecclesiæ, ut, nisi uteretur, remissio coram Deo salutisque consecutio ei negaretur: hoc quippe nemini unquam vetustiorum in mentem venit.

Ad peccata, quæ occulta erãt, revelanda nemo olim compellebatur.

Largimur aliàs ex illorum sententia & ipsius rei veritate, ad remissionem per claves Ecclesiæ impetrandam esse necessariam externam pœnitentiam, neque sine hac illius quempiam fieri compotem: cùm mutuò se respiciant forum Ecclesiæ externum, & actiones pœnitentis externæ. Largimur insuper, si quem, sive voluntariè peccata sua confessum sive sufficienter convictum, Ecclesia ritè ligavit, per quandam ipsius ab se abjectionem, ei nec remissionem coram Deo sperandam esse, nisi sit paratus quærere externam cum Ecclesia reconciliationem. At cujus peccata, etiam grandia, adhuc recondita sunt & in latebris sita, quique adeò propter illa haud dum ligamini subest Ecclesiæ, quæ non nisi de cognitis judicat, ei necessitatem incumbere illa aperiendi & distinctè enarrandi proque iis satisfaciendi, vel solummodò votum habendi præstandorum actuum istorum, si quidem absolvi

ſolvi velit in foro divino, quod internum eſt, hoc pertendimus inconvenientiſſimum & falſiſſimũ eſſe, ac priſcis omnibus inauditũ. Nam quorſum aliàs Ambroſius? *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo, Non invenio, quid dixerit: invenio, quòd fleverit. Lachrymas ejus lego: ſatisfactionem non lego. Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavent lachrymæ delictũ, quod voce pudor eſt confiteri: Et veniæ fletus conſulunt, & verecundiæ: lachrymæ ſine horrore culpam loquuntur: lachrymæ crimẽ ſine offenſione verecundiæ confitentur.* ſuper Lucam ad c. XXII. Ecce! ſoli internæ pœnitentiæ per lachrymarum effuſionem in oculis Dei conteſtatæ remiſſionem dari aſſerit, citra confeſſionem & ſatisfactionem. Dicit, lachrymas non veniæ tantùm, ſed verecundiæ etiam, & honori conſulere, excludens quemvis privatum confeſſarium, cui peccata propria ut prodas ſine omni horrore & læſione verecundiæ, impoſſibile eſt. Negat, Petri ſatisfactionem ſeſe legere, non negans hoc ipſo ſatisfactiones Canonicas, quas alibi adſtruit, ſed poſſe remiſſionem obtineri docens beneficio ſolius internæ pœnitentiæ Deo cognitæ, nulla accedente externa & Eccleſiaſtica. Paria his leguntur apud Chryſoſt. hom. 2. in Pſal. L. *Si confunderis alicui dicere, quæ peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua. Non dico, ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea.* Et ſerm. de Pœnit. & Confeſs. *Confuſio eſt peccare, non eſt confuſio confiteri peccata. Nunc autem neq; neceſſarium præſentibus teſtibus confiteri: cogitatione tua fiat delictorum exquiſitio: ſine teſte ſit hoc judicium: ſolus te Deus confitentem videat.* Sine teſte confiteri, ſoli Deo & nuda cogitatione, profectò locum non habet coram ſecretiſſimo etiam confeſſario.

Fruſtrà igitur Pontificii hæc de exomologeſi publica interpretantur. Ac nihili eſſe ipſorum hoc commentum, vel inde patet, quod Chryſoſtomus hæc ſcripſit poſt abrogatam à Nectario, cui ipſe in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſit, conſuetudinem peccata privatim confitendi presbytero. Quippe jam tum in Græca Eccleſia confeſſio publica, quam multi refugiebant ob pudorem, & ne inimicis ſe ſuis ludibrio exponerent, tranſierat in privatã, & ſoliti ſunt, qui lapſi eſſent poſt baptiſmum, accedere presbyterum ac ei ſuos confiteri lapſus tum publicè notos, tum etiam occultos. Qui presbyter dicebatur *Pœnitentiarius*, eò quod lapſorum pœnitentium confeſſionibus audiendis deputatus eſſet, & in ampliſſima Conſtantinopoleos eccleſia non niſi unicus erat; nempe ſeligebatur è tanto presbyterorum illius loci numero, qui *vitæ integritate* præ cæteris *conſpicuus* eſſet, ac *ſecretorum tenax* crederetur, uti expreſsè habet Sozom. l. 7. hiſt. c. 16. Tali presbytero cùm fortè mulier nobilis eſſet confeſſa, Diaconum Eccleſiæ ſecum concubiſſe

Confeſſio publica apud Græcos quando mutata in privatam?

cubuisse, scelere hoc in publicum propalato & magno inde oborto scandalo multisq; in sacrum ordinem jactis conviciis factum est, ut & Diaconus ex Ecclesia ejiceretur & ipse Pœnitentiarius exauctoraretur, ac in universum cessaret, Nectario decernente, privata confessio, quæ anteà fieri consueverat à lapsis ante usum S Cœnæ, relicto unoquolibet communicaturo suæ conscientiæ: moxque Nectarium Ecclesiarum fermè omnium præsules imitati sunt, ut est l. d. & apud Socratem etiam l. 5. hist. c. 19. Huc itaque & Chrysostomus respiciens, soli Deo vult confessionem fieri tanquam ex necessitate, & tali confessione Deo facta hominem se sufficienter probare ad dignè participandum S. Cœnam, tradit, exponens illud Pauli: *Probet homo seipsum. Non jubet*, inquit, *ut alter alteri probetur, sed ipse sibi faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem, quæ careat testibus.* hom. 28. in 1. ad Cor. Et clariùs sensum Paulinum exprimens: *Intùs*, ait, *in conscientia, adstante nemine, præter eum, qui cuncta videt, Deum, qui & scrutatur, & de peccatis judicat, & omnium vitam quasi lance quadam librat, judicium peccatorum statuens & vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito: reforma, quod deliquisti; atq; sic pura conscientia sacram attinge mensam.* hom. 8. de Pœnit. in fine. Nec votum etiam confessionis externæ requirendum esse, Gabriel Biel disputat in 4. sent. dist. 17. q. 1. *potest enim quis habere*, ait, *sufficientem contritionem absq; confessionis voto.*

Hæc cùm luce sua radient, utcunque possent sufficere refellendæ sententiæ Pontificiæ, qua statuitur necessitas confessionis & satisfactionis, adeoque externæ pœnitentiæ, ad hoc, ut quis reconcilietur Deo & salvus fiat. Veruntamen moræ nonnihil faciendum, ut solvatur adversariorum argumentum primarium, quod deducunt ex verbis Christi, Joh. XX, 23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc, ajunt, confert Christus Apostolis eorumque successoribus *judiciariam potestatem absolvendi* peccatores à suis peccatis. Judex autem non potest de re judicare, nisi causa plenè cognita. Ergò necesse est ex Christi institutione, sacerdotes priùs audire confessiones, quàm ferant sententiam absolutionis: & per consequens necesse est quoque de jure divino confessionem, eamque plenam & integram, ad illos fieri. Item: Data sacerdotibus est *potestas ligandi* peccatores *& retinendi* eorum *peccata*: ideoq; sicuti remittunt iis peccata sua, quoad culpam & pœnam æternam, sic possunt ac debent peccata retinere, quoad pœnam temporalem, & quos absolverunt, eosdem justâ satisfactione impositâ ad certa pœnitentiæ

Obj. Pontif. pro necessitate Confessionis.

opera

opera alligare. Ita est apud Bellarm. l. 3. de Pœnit. cap. 2. & l. 4. c. 5. Confer Becani Theol. Schol. de Sacr. in specie, c. 36. q. 1.

Multis autem modis ad has ratiocinationes responderi potest. Etenim I. dubium est, an rectè sacerdotes dicantur judices in impertienda absolutione. Scriptura certè quidem non judices eos appellat, sed *Christi ministros & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. Cor. IV, 5. fungentes *ministerio* (non judicio) *reconciliationis*, 2. Cor. V, 18. Nec profectò ex eo, quòd dicuntur remittere peccata, idque efficaciter, ut verè sint remissa in cœlis illorum peccata, quos ipsi absolvunt, id consequitur, eos judiciali potestate peccata remittere. *Potestas* ibi quidem aliqua eis confertur, quæ alibi metaphoricâ voce *Clavium* promissa legitur, Matth. XVI, 19. sed non plena, qualis est in judice, verùm *ministerialis*, & perhibentur remittere peccata, dum pœnitentibus annunciant remissionem peccatorū in verbo Evangelii oblatam & Christi passione ac morte paratam, sive, ut hæc explicat Lucas, c. XXIV, 47. *prædicando Christi nomine pœnitentiam ac remissionem peccatorum*, videl. summatim multis, vel sigillatim aut privatim huic vel illi; quod faciunt non ut judices, sed ut ministri judicis, declarando videl., confirmando, testificando sententiam Dei absolventem, hoc ipso, quòd applicant promissiones generales ad certas personas, in quibus sufficientia pœnitentiæ signa deprehendunt. Neque interim nuda declaratione & annunciatione hæc res absolvitur, sed revera ipsi præcones remittunt peccata, quodque voce eorum significatur, id ipsum verè contritis & credentibus realiter voce illa mediante præstatur & exhibetur, vel confirmatur divinitùs, tàm firmiter, ac si coràm Christus ipsemet pœnitenti diceret: *Confide, remissa sunt tibi peccata tua.* Nempe uti in baptismo per aquæ affusionem, & in Sacramento Cœnæ per traditionem symbolorum panis & vini, efficax est DEUS ad abluenda peccata & reficiendas vivifico cibo ac saluberrimo potu corporis & sanguinis Dominici nostras animas; ita hìc per verba ministri absolventis efficaciter delictorum gratiam impertit & confert iis, quibus dignè præparatis id beneficium annunciatur: unde est, quod Absolutio in Apol. Aug. Conf. Sacramentis annumeratur. Sed adhuc tamen discrimen ingens est inter DEUM vel Christum principaliter agentem, propriaq; & formaliter competente auctoritate peccatorū vincula solventem, qui agendi modus solius Dei & Christi proprius est, Marc. II, 7. Ebr. III, 6. Apoc. III, 7. & inter sacerdotes ministerialiter ac instrumentaliter solutionem illam sive remissionem efficientes, ad eum modum, quo auditores suos *salvare* dicuntur, 1. Tim. IV, 16. Quod sanè officium non ut judices peragunt: *Unus* enim *est* talis, *quem penes est salvare & perdere*, Jac. IV, 12; sed ut ministri.

Accedit illud, quod judicis valet sententia semel pronunciata, nec potest, qui per eam absolutus est, utut indignissimus, non esse & haberi absolutus. At contrà, in præsenti, *sententia absolutoria, quam Ecclesiæ ministri ferunt, non valet coram Deo, nisi digni sint* (ut paulo abhinc verbo innuimus) h. e. pœnitentes & credentes, qui absolvuntur: cùm non nisi talibus Deus peccata remittat. Idque adeò verba quoque Christi indicant: *Si quorum remiseritis peccata.* Non dicit, *quæ* peccata remiseritis, sed *quorum.* i. e. quos deprehenderitis ita se habere, quemadmodum Evangelium requirit, inque eo statu esse, ut dignè possint iis remitti peccata, iisdem si annunciaveritis remissionem, verè sunto remissa peccata coram Deo. *Vult scil. Servator attendi ad statum personæ.* Fieri itaque potest, ut, quibus sacerdos remittit peccata, si fallant eum hypocrisi, maneant ligati coram Deo: & vice versa, is, cui ex malitia sacerdos non vult remittere peccata, obtineat, si pœnitens & credens sit, apud Deum remissionem peccatorum, invito sacerdote. Hoc verò ipsum invictissimo argumento est, non judices agere, qui absolutionem pronunciant in peccatores, sed judicis ministros. Nihilominùs ad hanc eorum, saltem ministerialem, absolutionem, utque per eam alieni, puta divini, beneficii copia nobis fiat, sanè prærequiri agnoscimus aliquam pœnitentis confessionem, & fassi id dudum sumus: nec enim aliter externa remissio per sacerdotem ministrari potest pœnitenti, nisi hic externo actu & signo suam illi pœnitentiam probet. Sed nil hoc ad illam, quam Pontificii sibi deposcunt, *integram confessionem*, seu specialem omnium, quorum memoria est, peccatorum circumstantiarumque omnium recensionem: cùm *generalis professio possit esse satis ad indagandum pœnitentis animum.* Et hæc prima esto responsio nostra.

p. 587.

Deinde verò concedi potest, nec ab hactenùs responsis abludit, *sacerdotes esse judices in conferenda absolutione: sed impropriè dictos & ministeriales,* exercentes judicium discretionis, quod in eo est positum, ut probentur, ceu modò diximus, Ecclesiæ ministro, qui absolvi petunt, & discrimen habeatur eorum, qui rectè tenent capita doctrinæ Christianæ, qui minus, quosque moraliter certum est verè pœnitere, quos minùs. Hoc tale judicium fieri absque omni confessione externa non posse, extra controversiam est: absque Pontificia non posse, ridiculum est. Quid enim opus anxia secretorum confessione Pontificiis solenni ad hoc, ut quis judicetur verè esse pœnitens? potest judicium hoc aliunde sumi, ex generali rerũ confessione, ac ea etiam alia, quàm privata & auriculari, utut externa. Quod privatam igitur nos in nostris Ecclesiis retinemus, liberè fit, ob commoditates, quas habet, & vel ipsam hanc maximè ob causam, ut hoc pacto cujusque exploretur pœnitentia &

Iudicium discretionis.

tia & fides, quamque serio, penes & per quem, remissionem quærat, quidque propositi melioris adferat, indicium judiciumque fiat. *Quæ consuetudo privatas confessiones obeundi pia equidem est & laudabilis*, jamque aliquot seculorum usu roborata; cui tamen sufficit, ab utilitate commendari, licet de jure divino necessaria non sit, generaliterque fieri pronunciando, se peccatorum omnium pœnitentia pungi: *quamvis hoc quidem non impediat, quò minùs integrum cuilibet sit, suo pastori secretum animi sui vulnus aperire, & ab eo instructionem consolationemq; specialiorem petere:* id enim propriæ cujusque libertati relictum est, sicut confessio ipsa secundùm se subjacet arbitrio totius Ecclesiæ.

III. Vlteriùs concedo, esse quoddam magis propriè dictum judicium cum potestate jurisdictionis (etsi non coactivæ) conjunctum, quod competat Ecclesiæ præsidibus circa absolvendos publicorum scelerum reos. Sicut enim hi judicium Ecclesiasticum subeunt, dum criminum convicti excommunicantur: ita eodem judicio interveniente, ubi resipuerunt, recipiuntur in gratiam, & pax Ecclesiastica ac jus communionis illis datur. Mentio fit hujus jurisdictionis in Art. Smalc. ubi peculiaris titulus de ea habetur (vid. Dodec. 557.) & in ipsa Apol. A. C. hæc de ea leguntur in fine: *Placet nobis vetus partitio potestatis* (Ecclesiasticæ) *in potestatem ordinis & potestatem jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis h. e. ministerium Verbi & Sacramentorum: habet & potestatem jurisdictionis h. e. autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus & rursus absolvendi eos, si petant absolutionem.* Dodec. 498. *Et ea*, inquit Philippus in Locis, *absolutio coram Ecclesia valet, etsi is, qui absolvitur, simulat tantùm pœnitentiam.* C. D. 533. Si ullibi itaque sacerdotes sunt cum judiciaria potestate, hîc profectò sunt in ferenda sententia excommunicationis lapsorum & receptionis eorundem. Ac ad differentiam prioris, quod dicebatur judicium discretionis, dixeris hoc rectè *judicium auctoritatis.* Nec nego, accurata hic causarum cognitione opus esse, & ipsas circumstantias facti expendendas, ut cognitio hæc dirigat judicium. Num autem hoc facit pro Pontificiis? Ipse, quisquis es, cogita, quæ hæc consequentia sit: Non licet quenquam vel excommunicare publicè, vel recipere, & absolutione forum Ecclesiæ spectante donare, sine prævio judicio, quod præexigit facinoris manifesti distinctam cognitionem: Ergò nec privatim cuiquam licet annunciare vocem Evangelii, quod remissa sint ei coram tribunali divino peccata sua, nisi præcesserit specialis peccatorum pluriũ, & abditissimorum, revelatio & de illis judicium. Itane ab absolutione publica ad privatam, à manifestis ad arcana flagitia, à reconciliatione cum Ecclesia ad reconciliationem cum Deo argumentari

Judicium auctoritatis.

tari fas est? *Satis*, ait rursum Philippus, *intelligunt eruditi discrimen esse inter illud publicum judicium & inter hanc partem ministerii applicantis Evangelium pro conscientia.* T. 4. Operum, 739. Conf. 740. *Nam ministerium*, inquit porrò, *ad conscientiam pertinet, & est testimonium divinæ absolutionis. Sed judicium alia res est, & ad manifesta crimina pertinet*, C.D. 533. Et sic passim. Confer ejusdem Examen Theologicum, ubi de Confessione tractat. (Dodec. 854.) Et hæc nonnihil fusiùs ad palmarium illud argumentum, quod à potestate judiciaria desumitur ad probandam necessitatem plenæ confessionis coram Sacerdote faciendæ.

Alterum pro necessitate satisfactionis, ex verbis Christi: *Si quorum retinueritis peccata*, item, *quicquid ligaveritis super terram*, deductum, solvemus concisiùs, dicendo, *textum integrum loqui vel de successiva retentione & remissione peccatorum unius ejusdemq; personæ*, cui peccata retinentur ad tempus, & posteà alio tempore remittuntur; *vel de distinctis etiam personis*, pœnitentibus & impœnitentibus, quorum illis remittenda sint peccata, his retinenda: quo posteriore modo Apol. A.C. verba illa: *quicquid ligaveritis*, exponit *de retinendis peccatis illorum, qui non convertuntur.* Dodec. 396. Homini uni eidemq;, quem peccatorum pœnitet, ex parte remittere peccata, ex parte retinere, uno & eodem tempore, ut Pontificii factitant, id verò absonum est & à mente Christi alienissimum.

Confessio Pontificiorũ auricularis absurdis laborat.

Neq; verò hos intra terminos stat Pontificiorum de partibus externæ pœnitentiæ doctrina, sed pluribus aliis absurdis ac perniciosis novitatibus laborat. Nam Confessioni quidem, quatenùs ea ad recensionem extenditur peccatorum omnium, quæ diligenter cogitanti & sese excutienti in mentem veniunt, adhæret magna perplexitas. Quid enim si quid *justæ diligentiæ* defuerit? Hîc hærebit peccator, hîc periclitabitur, ne in judicium Deus revocet, quæ in confessione prætermissa sunt: quia ubi integra non est confessio, mutila etiam est spes veniæ. Deinde Sacerdos ipse suspensus hæreat necesse est, dum nescit, an bona fide enumeret peccator sua mala. Ne nunc dicam, quicquid est confessionis apud eos particularis, id non tàm pœnitentium animarum beneficio, quàm extollendo Clericorum ordini; quàm vanis & lascivis cum fœmineo sexu confabulationibus, quæ à spiritu incipiunt & desinunt in carnem; quàm deniq; politicis explorationibus & affectuum à proprio ad alienum principem abalienationibus & id genus corruptelis sæpè inservire.

Eorum Satisfacti-

Satisfactio autem, Deus bone, quot quantisq; scatet abusibus & veteris doctrinæ ac disciplinæ inflexionibus perversionibusq;! Olim

satis-

satisfactio omnis præstabatur *pro culpa potissimùm*, non pro sola pœna, & hinc necessariò *præcedebat absolutionem*, hujusq; impetrandæ gratia peragebatur; paucissimis casibus exceptis, ubi extraordinariè in articulo mortis communio dabatur pœnitentibus, etiamsi nulla aut non plena præcessisset satisfactio: quæ explenda tamen postmodò fuit, si quis illorum præter spem convaluisset. Hodiè prorsus contraria ratione satisfactio absolutionem subsequitur ordinariè, & imponitur non pro culpa, quæ virtute absolutionis jam sublata est, sed pro pœna, cujus luendæ debitum remanere dicunt post factam remissionem culpæ. Quamvis enim largitate misericordiæ culpam donarit Deus, & cum culpa pœnam æternam, intuitu satisfactionis Christi; reatu tamen pœnæ temporalis hominem, sic requirente justitia Dei, etiamnum ajunt teneri, donec novis satisfactionibus fuerit hoc debito exsolutus.

, ones ab antiquis multùm differunt.

Porrò *antiquæ satisfactiones referebantur ad forum Ecclesiæ*, ut huic peccatis enormibus offensæ satisfieret pro datis scandalis per externas illas castigationes, iisdemq; explorarentur animi pœnitentium, aliiq; inde discerent cautiùs ambulare. Pontificii ad ipsum Deum expiandum & vindicem iram ejus sedandam suas referunt. Quod si maximè etiam *in scriptis Patrum legitur, Deo oportere satisfieri*, (nec enim pauca sunt ejusmodi loca) impropriè id verbi capitur pro eo, *quod est culpam deprecari*, veniam sollicitare, nolle talia patrata esse, vel aliàs alicui se probare officii cujusdam executione: hæ quippe acceptiones occurrunt apud Latinos optimæ monetæ auctores. At illi propriè accipiunt pro compensatoria, & ex condigno pœnam temporalem redimi operibus laboriosis contendunt, ut habet Bellarm. l. 4. de Pœn. c. 7. Opera illa laboriosá injungi pœnitentibus solita sunt jejunia, eleemosynæ, orationes: & hæc quidem vetustatis exemplo. At novitatis studio malesano, flagellationes, rosaria, peregrinationes ad statuas Sanctorum, & hujus farinæ alia. Quid? quod pro satisfactionibus antiquis Canonicis habetur hodie in Curia Romana taxa pecuniaria.

Indulgentiæ apud Veteres.

Tandem supplementi loco sunt papales Indulgentiæ & Purgatorium. Quondam cum vigeret adhuc pœnitentia severior, *indulgentiæ erant publicarum mulctarum imminutiones & relaxationes, factæ ab Episcopis*, penes quos erat de rigore pœnarum injunctarum aliquid remittere, si ob pœnitentis diligentiam vel impotentiam & infirmitatem id facto opus videretur: eratq; res ea *exempli rarioris*. Nunc cùm antiquatæ sint veteres illæ Canonicæ pœnæ, quid sunt indulgentiæ nisi inane nomen? Quarum tamen frequens in papatu usus est & singularis æstimatio: imò verò insignis perversio. Ex quo enim satisfactiones pravo sensu intellectæ sunt de compensatione pœnæ Deo post remissam

missam culpam debitæ, enatus circa indulgentias quoq; error est & opinio invecta anteà inaudita, Ecclesiæ Christi in hisce terris esse peculiarem quendam thesaurum, constantem ex superabundantibus Christi & Sanctorum satisfactionibus: Christi quidem, quòd is precium infinitæ dignitatis pro peccatis nostris Deo obtulerit: Sanctorum autem, quòd non pauci ex his multò plura propter Deum & justitiam perfecerint & perpessi sint, quàm exigeret reatus pœnæ temporalis, cui fuerunt obnoxii propter culpas ab ipsis commissas: illius verò thesauri claves in manu esse Romani Pontificis, qui inde tanquam è copiæ cornu aliis, qui operum bonorum penuria laborant & temporales pœnas culpæ remissæ amoliri cupiunt, interventu pecuniæ aut rei alterius, quam exigere velit, erogare possit, quantum opus est: idq; vel per se immediatè in Jubilæo, vel mediatè per Episcopos: neq; viventibus tantùm, sed etiam defunctis, qui ante suum è vita discessum pro peccatis non satisfecissent, ut tantò citiùs igne, quo æstuant, purgatorio liberentur, qui certò maneat animas è corpore mortali sive cum venialibus tantùm peccatis, sive cum reatu pœnæ temporalis peccatis mortalibus adhuc debitæ decedentes, in quo satisfiat divinæ justitiæ & reliqua peccati labes excoquatur pœnaq; residua pendatur. Ita absurda absurdis cumulantur, & unius erroris finis est initium alterius.

Cæterùm nobis hîc de tribus accuratiùs cogitandum. I. Vtrum remissa culpa maneat nihilominùs debitum persolvendæ pœnæ. II. Vtrum dentur tales in Ecclesia indulgentiæ, quales à Pontificiis definiuntur. III. Vtrum sit ignis aliquis purgatorius, qualis ab illis proponitur, imò obtruditur orbi Chistiano credendus? Respondemus autem negativè ad omnes tres illas quæstiones. Et primam quidem earum quod attinet, status controversiæ ante omnia investigandus est. Quæritur enim I. non de remissione & punitione alia, quàm *unius ejusdemq; fori*, h. e. de divina cùm remissione tùm punitione; puta, num homini, cui apud Deum remissio obtigit peccatorum, metuenda posthac sit pœna à Deo infligenda. Quod si de alio atq; alio foro sermo sit, nullas inficias imus, habenti remissionem coram Deo restare pœnam Ecclesiasticam, pœnam civilem, satisfactionemq; proximo præstandam. Sicut enim qui è Christianorum numero grave notorium crimen designat, eo ipso peccat in Deum, violando legem ejus æternam & immutabilem: in Ecclesiam, scandalo eam afficiendo & pios contristando: in Rempublicam, ejus quietem turbando, aut certè malum exemplum præbendo: in proximum, ejus vitam aut famam lædendo, opes auferendo: Ita his omnibus, quoad fieri potest, & peccati ratio sese extendit, est reconciliandus; Deo, per pœnitentiam internam: Eccle-

An remissâ culpâ, persolvenda nihilominùs sit pœna?

Ecclesiæ, per externam: Reipublicæ, solvendo mulctam, subeundo carcerem, exilium, pœnam capitis: proximo deniq;, per deprecationem, ablati restitutionem, aut simili quopiam modo. Hîc quod in uno foro agitur, non præjudicat alteri. Esto, hominem plenè reconciliatum esse Deo; potest adhuc tamen Resp. de ipso sumere pœnam imò extremum supplicium: potest Ecclesia, in qua ulteriùs est victurus, ab ipso post gratiam cum Deo initam & redditam civilem mulctam repetere satisfactiones Canonicas: potest privatus, quem convitiis lacessivit, vel vi aut injuria invasit, jus suum adversus eum urgere; ac prorsus adeò & vice versa, si omnem condonarit injuriam privatus, si item Ecclesiæ & Reipublicæ sit satisfactum, Deo tamen integrum est pœnas cùm temporales tum æternas exigere ab homine, si is nondum coram ipso pœnituerit. Variè enim solet evenire, ut vel reconcilietur Deo, qui Ecclesiæ Reiq; publicæ nondum est reconciliatus; vel Ecclesiæ ac Reipublicæ, qui nondum Deo; vel tribus hisce, qui necdum proximo, homini privato. Hac de re igitur nulla est quæstio: & fidem ei, si desideres, faciunt illorum exempla numero plurima, qui inter Christianos longas olim subierunt & asperas pœnas Ecclesiasticas, antequam reconciliarentur Ecclesiæ: quos intra tantum tempus Deum habuisse sibi perpetuò infensum, quis credat? nec fuit ea unquam mens priscis, quando diutinis satisfactionibus exercuerunt lapsos, quod vellent per integrum triennium, sexennium, decennium eos à gratia Dei exclusos & vindictæ divinæ devotos esse; sed ut scandala amoverentur ab sese, ut caveretur lapsibus aliorum fidelium, ut odium Ecclesiæ civium adversus flagitia esset conspicuum, ideò duriorẽ sese Ecclesia gessit in lapsos, & vel pridem positâ eorum cum Deo reconciliatione per pœnitentiam internam, suum ipsa jus in pœnis proprii fori etiamnum exsequuta est, utq; exsequeretur, fas ipsi fuit.

Sed neq; illud II. quæritur, an, quibus remissa est culpa à Deo, iisdem ab eodem immitti possint & soleant *afflictiones* quædam ægrè facientes carni, & ab hac parte cum pœnis commune quid habentes? nam hoc quoq; ambabus manibus largimur. Nec proinde aliud quàm unum istud disquiritur, *num pœna propriè & formaliter ita dicta*, h. e. ultio & vindicta, qua justitiæ divinæ satisfiat, iis incumbat, quorum culpa obliterata est apud Deum? Et hoc est, quod nos negamus. Quippe inseparabiliter cohærere dicimus remissionem culpæ & condonationem pœnæ, ita I. argumentati: Omnia relata mutuò sese tollunt. At culpa & pœna sunt relata; omnis enim pœna est propter culpam. Ergò mutuò sese tollunt, ut sublatâ culpâ nulla sit pœna. II. Qui punit peccata post remissionem, ille adhuc recordatur peccatorum; ut

ex ipsis terminis constat. At Deus non recordatur peccatorum, quæ remisit, Esa. XLIII, 25. Jer. XXXI, 34. Ezech. XVIII, 22. Ebr. X, 17. Ergò non punit peccata à se remissa. III. Christi satisfactio omni reatu culpæ & pœnæ nos eximit. Ergò nullæ pœnæ nobis post remissas culpas restant apud Deum satisfactionibus propriis expungendæ. Consequentia per se patet. Antecedens habetur Esa. LIII, 4. 5. 6. 7. & fundatur in infinita virtute satisfactionis Christi. Qua stante dici nequit, culpam sine pœnis, vel aliquas saltem pœnas sublatas esse per Christum, non omnes; æternas, non temporales. Hoc enim esset infinitæ virtuti derogare. Et quis saniorum credat, toleratas pro nobis temporales pœnas à Christo, neq; sublatas tamen; i. e. minimè satisfactum ei generi pœnarum? Quin cùm perpetiendo temporales solverit æternas, quod est creditu difficilius; cur dubitemus, temporalibus redimendis precium esse ipsam illam passionem? quod admisso priore nulla vel minima verisimilitudine impugnari potest. IV. Remittit nobis Deus, quomodo nos vult remittere aliis. Matth. VI, 12. Eph. IV, 32. Vult autem sic à nobis remitti offensas, ut ultionem de fratribus sumendam nobis reservemus nullam. Ergò ipse quoq; ita remittit, ut animum ulciscendi & puniendi non habeat.

Pœna differt à castigatione.

Solvendis Pontificiorum objectionibus sufficit una ferè observatio ista, quòd aliud sit pœna propriè & in rigore sic dicta, aliud castigatio. Nam *pœna est* ab actu divinæ justitiæ, peccata commissa vindicantis & destructionem ejus, cui irrogatur, intendentis. Vel, est suppliciũ à Deo irato inflictũ ad ulciscendũ legis suæ transgressionẽ. *Castigatio* autẽ est actus paternæ curæ & providentiæ divinæ, hominẽ de suis peccatis commonefacientis, & emendationẽ ejus, quem tangit, interdũ etiam aliorum, intendentis. Vel, est flagellum Dei reconciliati, quo utitur in filiis suis ob priora errata corrigendis & ab ulterioribus offensis præservandis. Vtraq; est quædã afflictio cum respectu ad præcedens delictum, & sic conveniunt in materiali: *formalibus* autem *respectibus multùm differunt.* Nam pœna respicit delictum, ut vindicandum: castigatio, ut emendandum. In quo simul etiam includitur *discrimen finium.* Ipsa enim emendatio finis est castigationis, sicut pœnæ ultio & destructio. Et quoniam hæc est à justitia, illa à providentia divina, inde differunt quoq; *causa efficiente.* In censum pœnarum equidem refero, quod adoratoribus vituli post internecionem trium millium adhuc superstitibus comminatur Dominus Exod. XXXII, 34. *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Vltio enim sonat pœnam propriè dictam. Atqui iisdem, inquias, Dominus jam dimiserat peccatum, ad deprecationem Mosis. Nego verò hoc, neq; textus id dicit,

cit, quia sine dubio nondum egerant veram pœnitentiam. Itaq; *pepercit solummodò illis ad tempus in gratiam Mosis*, pariter denuncians, pœnas se exacturum ab eis deinceps, si impœnitentes permansuri novis peccatis iram ejus provocaverint. Ad castigationes autem referre scias exempla reliqua, quæ producere Pontificii solent: mortem videl. Aaronis & Mosis Num. XX, 12. Deut. XXXII, 48. eorumq; Israëlitarum, qui, cum murmurassent contra Dominum, pœnitentiâ fortè actâ & acceptâ peccati remissione (nec enim omnes in peccato mortali perstitisse credibile est) decesserunt in deserto, post offensæ remissionem, prohibiti etiamnum ab ingressu terræ Canaan, Num. XIV, 26. Davidis item calamitates à Nathane post factam peccati condonationem prædictas, II. Sam. XII, 14. & pestis in populum ab eodem Davide numeratum immissionem, II. Sam. XXIV, 15. Nec enim hæc omnia à Deo ut irato judice & peccatorum vindice proficiscebantur, sed ut à patre, bene iis, quos sic castigabat, cupiente, salutemq; eorum procurante, quibus jam per pœnitentiam erat reconciliatus.

Quod præterea afferunt de morte & aliis naturalibus vitæ hujus incommodis, ceu pœnis peccati originalis, quibus obnoxii deprehenduntur illi etiam, qui per baptismum ab illius culpæ reatu sunt purgati, solvendum itidem est, negando, hæc talia esse pœnas strictè dictas. Et, ut constringantur arctiùs, qui hæc inconsideratiùs objiciunt, observabis peculiariter hanc ipsorum hypothesin, quæ est, baptismum remittere culpam & pœnam perfectè. Ita enim Bellarminus: *Baptismus tollit ac delet verè omnem culpam & pœnam.* l. 1. de bapt. c. 12. Et Becanus: *Hinc*, ait, *discrimen patet inter Sacramentum baptismi & pœnitentiæ. Nam in illo remittitur culpa & tota pœna: in hac culpa & pœna æterna, non temporalis.* Theol. Schol: de Sacramentis, c. 11. q. 4. concl. 1. Experimur nihilominùs, multos non longè à percepto baptismo in ipsa recentissima infantia cum magnis molestiis, cum morbis & morte conflictari. Rectè negamus igitur, &, si constare sibi adversarii velint, negare ipsi quoq; necessum habent, esse mala illa naturalia pœnas propriè & rigidè dictas, quæ ultionem iis inferant, à quibus sentiuntur. Cur ergò ista objectant pro pœnis? qui maximè ipsimet aliàs malunt hæc *pœnalitates* quasdam, quàm pœnas dicere, ut videre est apud Becan. l. d.

Et tantum de prima quæstione, quæ ipsum πρῶτον ψεῦδος in se continet: quod cùm incisum sit, per se ruunt satisfactiones, quas in compensationem pœnarum temporalium seu sponte suscipi volunt, seu per Sacerdotes injungunt Pontificii. Si enim pœnæ post reconciliationem nullæ superfunt propriè sic dictæ, videt quivis, non esse, cur nitamur

tamur pro illis justitiæ divinæ ex condigno satisfacere. Quia tamen huic posteriori asserto aliæ novæ admoventur probationes, antequam ad alteram quæstionem descendam, de duobus Scripturæ locis monebo, frustrà illa afferri ad conciliandam falsitati verisimilitudinem.

Primus locus est apud Danielem, c. IV, 24. *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Hic*, inquit Bellarminus, *habemus vocem redemtionis, quæ æquivalet voci satisfactionis*: & inde infert, non abhorrere ab usu Scripturæ, quod nostris operibus satisfiat Deo verè ac propriè pro peccatis, intelligendo sub nomine peccati reatum pœnæ temporalis peccato debitæ. l. 4. de Pœnit. c. 8.

Resp. Concedo, in S. Litteris nomen peccati sæpiùs poni pro pœna seu pœnæ reatu, ut Lev. XX, 19. Num. IX, 13. Concedo, hìc etiam loci id ita capi. Nam de remotione pœnæ temporalis solicito Regi Nabuchodonosori id consilii dat Propheta, eam averti posse per beneficentiam in pauperes: quod arguunt manifestò illa verba, quæ pro eo vulgati interpretis: *Forsitan ignoscet Deus delictis tuis*, ita in fontibus habent: *Sic erit prolongatio paci tuæ*, i. e. sic manebis in administratione regni, & sententia Dei adversus te differetur, ne in actum deducatur. Quid ergò? Num pœnæ peccatorum redimi possunt operibus eleemosynæ & similibus? Si quidem *redimere* accipias latiùs *pro eximere & expedire se pœnis commeritis*, non repugno. Docet enim exemplum Achabi 1. Reg. XXI, 27. etiam externam non-renatorum obedientiam facere suo modo ad aversionem pœnarum temporalium. Sin pro vera & propria redemtione velis accipi, quæ satisfactioni proprii nominis æquipolleat, dico, recurrendum iterum esse ad fontes, in quibus *est* פרק, *quod non tantùm significat redimere sed etiam abrumpere*: ut jubeatur Rex abrumpere filum peccandi, cessare à crudelitate & in opera charitatis eam convertere, istoq; adeò pacto abrumpere simul funes pœnarum sibi divinitùs imminentium. Qui sensus cum priore coincidit; neuter autem de compensatoriis satisfactionibus quidquam habet.

Alter locus est 1. Cor. XI, 31. *Si nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur: sed dum judicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo damnemur*, h. e. interpretibus Pontificiis, si sponte assumeremus, vel injunctas diligenter expleremus afflictiones corporis, vigilias, jejunia, peregrinationes, humicubationes, hac mutua compensatione placatus Deus pœnas peccatorum temporales immitteret rariores: interdum enim redimi non posse hujus vitæ pœnas ullis piis operibus, profite-

fitetur Bellarm. l. 4. de Pœnit. cap. 3. Resp. autem, genuinum hujus loci sensum quodammodo eum esse, qui erat prioris. Nempe, *si nos ipsos dijudicaremus*, h. e. *si nostras ritè conscientias discuteremus*, si corrigere vellemus maturè, quod corrigendum est, si condemnare nos ipsos, ibi tum *futurum, ut non judicemur*, scil. à Domino, h. e. *non opus foret externis flagellis, quibus ad resipiscentiam excitaremur à Deo* & officii nostri commoneremur. Id tamen perinde accipi non debet, ac si transactione factâ afferamus aliquam compensationem ad Deum placandum. Sed cùm hoc maximè agat Deus nos puniendo, ut ad pœnitentiam cogat; non mirum est, si pœnæ dicatur occurrere, qui se quibuscunque potest modis ad humilitatem erudiens suaque damnans peccata de se pœnas sumit ultrò. Illic jam obtinuit Deus, quod volebat: sic ergò cessat puniendi materia. Hoc verò totum nil ad mutuam compensationem. Nam qui in hunc modum sua in seipsis peccata puniunt, quò præveniant Dei judicium, constituunt sibi nihilominùs in Christi sacrificio non modò culpæ expiationem, sed pœnarum etiam, quascunque meriti sunt, veniam. Atque, ut hoc annectam, unum istud est *temperamentum divinæ misericordiæ & justitiæ*, quòd pœnas peccatorum nostrorum in se translatas Christus condignè expiavit, ut nobis earum gratia fieret. Nostris satisfactionibus tueri velle justitiam Dei, quod Pontificii faciunt, frivolum est.

Sequitur nunc altera quæstio de *Indulgentiis*, an tales videl. revera dentur, quales venditantur hodiè, definiunturq; *relaxationes pœnarum temporalium, judicio divino peccatis actualibus post remissam culpam debitarum, per applicationem superabundantium Christi & Sanctorum satisfactionum, factam extra Sacramentum, ab eo, qui legitimam auctoritatem habet*? nam ita eas definit Greg. de Val. T. 4. disp. 7. q. 20. punct. 1. Rotundè autem id omne negamus, & meram esse imposturam pronunciamus. Nam I. Pro culpis admissis & remissis nullæ sunt cuiquam in judicio divino luendæ pœnæ: Ergò nullæ etiam per indulgentias relaxandæ. II. Posito, esse adhuc post remissam culpam fideles pœnis temporalibus obnoxios; ecquæ illarum tolluntur indulgentiis? Num illæ, quas ex Scripturis probant Pontificii exemplis Israëlitarum, Mosis, Davidis? quæ vel *naturales* sunt, ut morbi & mors, ex causis naturalibus provenientes, vel *divinæ*, sed peculiari consilio divino præter naturæ seriem immissæ. Num hæ igitur illo tolluntur remedio? Reclamat experientia, & agnoscunt ipsi Pontificii, has pœnas indulgentiis non cedere. Num fortè *civiles*? Ne istæ quidem, adstipulantibus iisdem. Quænam ergò? Nimirum, quæ in foro secreto & pœnitentiali indicuntur, ut jejunia, eleemosynæ, orationes. At hæ levissimæ sunt,

An tales sint Indulgentiæ, quales à Pontificiis venditantur?

ſunt, nec de veteri rigore participant, ut relaxatione opus ſit. Imò bona opera ſunt & medicina animæ peccatricis. Quæ in his ergò dantur indulgentiæ, exiſtunt & ſuperfluæ, relaxantes, quod jam ante laxatum eſt, & noxiæ, impedientes à bonis operibus. Imò verò nullæ ſunt, ſi purgatorium eſt nullum: quod nullum eſſe mox oſtendemus. Audiatur interim Joh. Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis, qui ita hac de re a. 18. contra Lutherum: *Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæſivit indulgentias. Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum æſtimatio. Si tollas purgatorium, quorſum indulgentiis opus erit?* III. Mirari ſubit, indulgentias definiri ſolummodò *relaxationes pœnarum*; *cùm pleniſſima omnium peccatorum indulgentia* in bullis papalibus promittatur. Quid aliud autem *peccata* ſunt, quàm *culpa*? & quid aliud *remiſſio pleniſſima*, quàm remiſſio *culpæ & pœnæ?* quæ ipſæ etiam duæ voculæ in bullis aliquibus leguntur. Aut ergò anguſtior eſt definitio, in qua indulgentiarum valor refertur ad pœnas ſolùm tollendas, non ad remittendam culpam extenditur: aut pleniſſimè illuditur hominibus divenditâ illis pleniſſima peccatorum ſive culparum omnium indulgentia, quæ, cum ad rem ventum eſt, *ne quidem pœnarum eſt omnium.* Certè non æternarum. Sed nec temporalium
p. 597. quarumlibet, ut modò diximus. A paucis ſolummodò, & levibus hujus vitæ, & confictis alterius, per indulgentias liberatio præſtatur. Ab illis quidem *per modum abſolutionis*, ut loquuntur: ab his verò *per modum ſuffragii.* IV. Superabundantes cùm ſint Chriſti ſatisfactiones, imò infinitæ virtutis; ob hoc ipſum finitas ſanctorum hominum ſatisfactiones illis aſſuere, piaculum ducimus. Quin dicimus, *nullas ſanctiſſimorum hominum paſſiones vim habere ſatisfactoriam, cujus largitas in alios redundet.* Et mera torſio eſt, quando huc trahitur illud Pauli Col. I, 24. *Gaudeo ſuper afflictionibus meis pro vobis, & ſuppleo quod deeſt afflictionibus Chriſti in carne mea pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia.* Non enim ſentiendum, deeſſe aliquid perpeſſionibus Chriſti, quatenus redemtoriæ & propitiatoriæ ſunt, paſſumque eſſe Paulum pro corpore Eccleſiæ ſatisfactionibus ſuis expiando: & quis, obſecro, veterum id hoc modo intellexit? Sed, *cùm conſideretur Chriſtus vel in ſe, vel prout cum membris ſuis unum corpus conſtituit; poſteriore hoc ſenſu dicit Apoſtolus, deeſſe tantiſper aliquid afflictionibus Chriſti, donec ſuperſunt ſancti* per paſſiones efficiendi conformes imagini Chriſti capitis ſui. Sicut enim ſemel paſſus eſt in ſe Chriſtus, idque conſummatiſſimè, pro redimendo univerſo genere humano, nec eo pacto quidquam deeſt ejus afflictionibus: ita quotidie patitur in membris ſuis, juxta illud Act. IX, 4. *Saul, Saul, quid perſequeris me?* ac proinde cùm ex Saulo Apoſtolus fa-

ctus esset, in hoc etiam patiebatur Christus, & hic residuas illius in corpore mystico afflictiones, ceu illius membrum, supplevit suis, quas subibat *pro Ecclesia*, non sanè redimenda vel expianda, sed colligenda, docenda, confirmanda & ad brabeum supernæ vocationis inflammanda: quod peragi tum temporis aliter non poterat, quàm periculis se fortiter exponendo, labores & ærumnas constanter perferendo. V. Qui & quatenus auctoritatem habeant conferendi indulgentias, num Pontifici tantùm & Episcopis jure divino, aliis autem ex commissione solùm competat, & his gemella, planè otiosa relinquimus harum nugarum patronis, nunc fomenta subtracturi igni purgatorio, ut in fumum abeat omnis indulgentiarum licitatio.

Itaque III. quæritur: An sit tale aliquod *purgatorium*, in quo animæ olim adhuc beandæ, ad tempus, à residuis venialibus peccatis, vel reatu temporalis pœnæ offensis mortalibus debitæ, procul à conspectu Dei purgentur igne, quoad substantiam eodem cum infernali, adeoque gravissimè affligente super omnia hujus mundi tormenta, haud æterno tamen, & hac sola ratione ab infernali discriminato? Quod Pontificii non tantùm tradunt ita esse, sed etiam pro fidei articulo volunt credi post editas sanctiones Conciliorum Florentini & Tridentini. Nobis autem cur non credamus, justissimæ sunt rationes. Et sufficeret illa una, quòd dogma hoc destituitur Scripturæ S. Canonicæ testimoniis evidentibus. Nam quod ex 2. Maccab. XII, 46. proferunt, id petitum est ex libro, qui pars Canonicæ Scripturæ non est: cujus ipse auctor veniam dictorum in fine precatur, qua minimè omnium indigent S. Spiritûs oracula. Qui ex 1. Cor. III, 15. arripitur locus, evidentiam non habet. *Omnia* enim *ibi metaphorica* sunt, ædificium, fundamentum, superædificatio, aurum, argentum, lapides preciosi, lignum, fœnum, stipulæ, & *consequenter etiam ignis*, quo nonnullorum superædificantium opera exuri, *omnium examinari* & probari dicuntur. Ex sermone autem metaphorico dogma fidei velle exstruere, ἀθεόλογον est. Quæ præterea huc trahuntur loca, itidem aut allegorica sunt, ut dictum Christi Matth. V, 26. *Non exibis ex carcere, donec persolveris ultimum quadrantem*; aut aliàs remota à plana & simplici perspicuitate in articulis fidei proponendis requisita. Hoc profectò sufficere posset redarguendis adversariis. Tum verò etiam, quòd controversæ & à nobis jam antè eversæ hypothesi tota doctrina purgatorii incumbit, nempe cum culpa non semper remitti à Deo totam pœnam.

An sit Purgatorium?

Cæterùm ex abundanti possumus ostendere, hoc figmentum, nulli solido fundamento innixum & præter Scripturas excogitatum, iisdem insuper, & ubi quidem clarissimæ sunt, contrariari. Quid clarius,

us, quam *duas* esse *vias & portas*, quarum *una ad salutem*, *altera ad exitium* ducit, Matth. VII, 13. 14. duas hominum classes, *credentes & incredulos*, ex quibus hi damnantur, illi salvantur, Marc. XVI, 16. duo post mortem receptacula, *sinum Abrahæ & locum tormenti*, à quorum altero ad alterum transitus non datur, Luc. XVI, 22. 26. 28. denique duo quasi tempora, unum *tempus acceptabile*, *diem salutis*, 2. Cor. VI, 2. *tempus sementis*, quod est in vita præsenti: post hanc verò vitam *tempus messis*, nec alius, quàm vel *interitûs vel vitæ æternæ*? Gal. VI, 7. Qui sibi igitur tres fingunt vias & portas, tria hominum & locorum & temporum genera, illi contrariantur Scripturis: quod faciunt purgatorii assertores. Porrò, juxta Scripturas, *beati sunt qui in Domino* (in fide & invocatione Domini) *moriuntur*: *requiescunt enim à laboribus suis*. Apoc. XIV, 13. Si beati, non ergò sævis cruciatibus affligendi. Si requiem habentes, ergò non pœnam sustinentes. *Pacem ingrediuntur justi, ubi colliguntur in cubilia sua*, Esa. LVII, 6. Non ergò involvuntur novis & diris suppliciis. *Transierunt à morte ad vitam*, Joh. V, 24. Non ergò à morte ad flammam. *In manu Domini sunt, ut minimè attingat eos tormentum*, Sap. III, 1. Nec ergò purgatorii supplicium. *Super eos non cadit sol nec æstus*, Apoc. VII, 16. Itaque nec ignis purgatorius. Hinc *cupiunt emigrare è corpore*, 2. Cor. V, 8. *suspirantes apud semet ipsos & expectantes redemtionem corporis sui*, Rom. VIII, 23. Quis autem metuens flammas sola duratione ab inexstinguibili igne differentes mori optet & corporis domicilium deponere? Et hæc omnia tribuuntur non tantùm valdè bonis & insigniter justis, sed quibuslibet verè pœnitentibus & credentibus: in tantum, ut *latro* etiam ille, novissimè à peccatis conversus, audiret à Christo: *Hodiè mecum eris in paradiso*; citra conditionem satisfactionis pro mortalibus peccatis anteà in purgatorio explendæ, Luc. XXIII, 43.

Tandem igitur rectissimum fuerit, gloriari unicè in *Christi sanguine, purificante nos ab omni peccato*, mortali & veniali. 1. Joh. I, 7. ac pœnam cum culpa omnem abstergente quàm perfectissimè, Rom. VIII, 1. utque in vera fide, qua purgatio ista *vi pacti Evangelici* nobis applicatur, oculos claudamus aliquando, quotidie eniti.

Et hic finis esto doctrinæ satis longæ de Pœnitentia.

LOCVS



LOCUS XIII.

DE

PRÆDESTINATIONE.



QVibus modis mediisve ad salutem perducamur in tempore, & cui ordini inhærendum, cui viæ insistendum homini salvando, ex Locis, in quibus hactenùs sumus versati, nemini potest esse obscurum. Huc enim pleraque omnia spectant, quæ de Christo, de Evangelio, de Conversione & Lib. Arbitrio, de Justificatione & Bonis Operibus, de Discrimine V. & N. Testamenti, de Ecclesia, de Sacramentis, de Pœnitentia, non sine operositate nobis tractata fuere. Quibus nunc meritò subjungitur doctrina de æterna Prædestinatione & Electione, vel decreto Dei æterno nos ad salutem perducendi: *quod decretum cùm non possit ab executione, quæ in tempore fit, abludere*, nisi Deum fingere velimus sibimet ipsi contrarium, hoc ipso doctrina ista futura nobis est tractatu & cognitu facilior, quò pleniùs rationem perveniendi in tempore ad salutem edocti hucusque sumus. Intricatissimam alias & dubiis ac difficultatibus plurimis involutam, nostra maximè ætate, hanc esse doctrinam, vix quisquam est, qui nesciat. Sed hoc æquè cognitum haud est in vulgus, feliciter istis se dubiis ac tricis expedivisse Philippum nostrum: cujus sententiam in ipso mox frontispicio exhibebimus aliquot inclusam Aphorismis è Corp. Doctr. petitis.

Philippi Melanch. orthodoxia de Prædestinatione.

APHORISMVS I.

Nec ex ratione nec ex lege judicandum est de electione, sed ex Evangelio. p. 544.

II. Totus numerus salvandorum propter Christum electus est. Quare nisi complectamur agnitionem Christi, non potest de electione dici. ibid.

III. Non aliam justificationis, aliam electionis causam quæramus. Ideò Petrus est electus, quia est membrum Christi; sicut ideò justus est, i. e. Deo placens, quia fide factus est membrum Christi. ibid.

IV. Quæramus ergò promissionem, in qua voluntatem suam expressit Deus, & sciamus non esse aliam voluntatem quærendam de gratia extra verbum: sed mandatum Dei immutabile esse, ut audiamus Filium — — ut promissioni gratiæ credamus, quæ est summa Evangelii. ibid. & p. seq. 545.

V. Promissio gratiæ est universalis, ut multa dicta testantur p. 545.

VI. Tradidit Deus promissionem statim primis parentibus, & sæpè instauravit & latè sparsit. Imò per Apostolos circumtulit inter omnes gentes, quia vult Ecclesiam æternam Filio colligi. ibid.

VII. Causam igitur reprobationis certum est hanc esse, videlicet peccatum in hominibus, qui prorsus non audiunt nec accipiunt Evangelium,

lium, aut qui abjiciunt fidem, antequam hinc diſcedunt. In his certum eſt cauſam eſſe reprobationis peccatum ipſorum & humanam voluntatem. Nam veriſſima eſt ſententia, Deum non eſſe cauſam peccati nec velle peccatum. ibid.

VIII. E contra verò rectè dicitur, cauſam electionis eſſe miſericordiam in voluntate Dei, qui non vult perire totum genus humanum, ſed propter filiũ colligit & ſervat Eccleſiam. p. 546.

IX. Cum miſericordia autem vult Deus concurrere apprehenſionem in accipiente promiſſionem. p. 548.

X. Ita de electione à poſteriore judicamus, videlicet haud dubiè electos eſſe eos, qui miſericordiam propter Chriſtum promiſſam fide apprehendunt nec abjiciunt eam fiduciam ad extremum. p. 546.

HÆc & alia ejusdem cenſûs abundè orthodoxiam boni Philippi declarant. Quibus ſic prælibatis nunc ad pleniorem rei tractationem acceſſum faciemus. Vbi ante omnia, quid nomen Prædeſtinationis importet, ſcire neceſſe eſt. Ex vi vocis autem Prædeſtinatio non eſt aliud, quàm alicujus ad aliquid ordinatio mente concepta & decreta, priusquam ipſa res fiat. Itaque *particula PRÆ ſignificat h. l. anteceſſionem durationis, non ordinem dignitatis.* Et eodem modo verbum *προορίζειν, prædeſtinare*, eſt generaliter loquendo quidpiam priùs animo deſtinare ac decernere & definire, quod poſteà exſequendum ſit. Ita hoc vocabulum clarè exponit Apoſtolus 1. Cor. II, 7. *Loquimur ſapientiam Dei latentem in myſterio*, i. e. occultam illam, *quam προώρισεν ὁ θεός, præfinierat Deus ante ſecula ad gloriam noſtram.* Vbi illud, *ante ſe-* Etymologia.

te secula, notat antecessionem æternitatis in ordine ad tempus. Et Rom. IIX, 29. *Quos præscivit, etiam prædestinavit.* Vbi sicut *præscivit* significat antecessionem præscientiæ ad res præscitas, ita τὸ *prædestinavit* ordinem prioritatis in prædestinatione ad res prædestinatas.

Synonyma prædestinationi vox est Electio: ac uti illa præter decretum & constitutionem, quam notat, simul aliquid connotat, nempe prioritatem durationis, per particulam PRÆ: ita *hac ob præpositionem E vel EX respectum connotat ad homines*, eosque peccatores, è quorum cœtu, qui salvantur, selecti & segregati sunt. *Vtraq; vox* autem *non nisi in bonam partem capitur in Scripturis*: & de voce electionis quidem id extra controversiam est. Vocabulum autem prædestinationis ἀμφότερον fuit veteribus quibusdam Ecclesiasticis scriptoribus, Augustino præsertim l. XV. de C. D. c. 1. & post hunc Fulgentio, qui primo suo ad Monimum libro præfixit titulum, *De prædestinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam*: inque duplici hoc significatu accipitur hodienum à Pontificiis in Syn. Trid. sess. 6. can. 17. ex Conc. Arauf. c. 25. & à Calvinianis; quorum illi tamen fatentur, acceptionem hanc non nisi Ecclesiasticam esse. *Nusquam* enim, ait Becanus, *in tota Scriptura habetur nomen prædestinationis, nisi in epistolis D. Pauli, & semper in bonam partem*. Tr. de Attrib. Dei. cap. 14 q. 1. At aliter Leidenses: *Fatemur*, ajunt, *ex communi usu Augustini & aliorum veterum scriptorum, atq; analogia loci* Act. IV, 28. *nomen prædestinationis tàm de reprobatione quàm de electione rectè usurpari.* disput. 24. thes. 6. Ac verum sanè est, nomen prædestinationis haberi etiam (quod præter rem negat Becanus) extra scripta Paulina Act. IV, 27. 28. ubi legimus: *Congregati sunt* (Reges & principes terræ) *in hac civitate verè adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israëlis, ut facerent, quacunq; manus tua & consilium tuum antè prædestinavit, ut fierent.* Veruntamen uti aliàs prædestinatio personis attributa tantùm ad electos refertur in Scripturis, ut Rom. IIX, 29. & Ephes. I, 5. Ita etiam *rebus attributa, v. g. sapientiæ divinæ*, 1. Cor. II, 7. & *cruentæ occisioni Christi*, Act. IV, 28. *bonum electorum respicit*: notante Guilielmo Estio ad l. 1. Lomb. dist. 40. §. 1. Quia enim quod Herodes & Pilatus nefariè factitarunt, Deus in bonum finem ordinavit & ad salutem nostram direxit, atque hac intentione id fieri permisit, ac permissurum se ab æterno decrevit, ideò id dicitur prædestinasse & præfinivisse. De reprobatione locus iste Act. IV. accipi prorsus non potest. Reprobatio enim est ad æternam pœnam; at in illo loco verbum prædestinare non jungitur

Prædestinatio rebus attributa significat bonum electorum.

cum

cum quodam malo pœnæ, ſed cum malo culpæ: quod quomodo intelligendum ſit, modò diximus. Neque Patrum quiſquam accepit nomen prædeſtinationis, ut æquipollens reprobationi, hoc ſenſu, quaſi detur quædam prædeſtinatio ad culpam & crimen, ſed ad pœnam & mortem tantùm. Hæc de nomine & appellatione.

Circa rem ipſam obſervandum I. *prædeſtinationem eſſe partem providentiæ divinæ*, prout hæc conſideratur, ut actus quidam immanens & æternus. Sicut enim providentia eſt ordinatio cujusque rei in ſuum finem: ita prædeſtinatio eſt ordinatio creaturæ intelligentis, & ſeorſum quidem hominis, in finem ſupernaturalem. Atque conſequenter, ſicut illa, ita non minus hæc *eſt actus, partim intellectûs, partim voluntatis divinæ*, Intellectûs: quoniam fit ſecundùm præſcientiam. Rom. IIX, 29. Voluntatis: quoniam includit firmum propoſitum & decretum Dei de noſtra ſalute. Eph. I, 12. *Differunt tamen, ut latius & anguſtius.* Providentia enim latiùs patet prædeſtinatione, *tàm ratione objecti:* verſatur enim circa omnes creaturas; *quàm ratione finis*: reſpicit enim omnes fines tàm naturales quàm ſupernaturales: cùm contra prædeſtinatio ſit tantùm circa hominem & circa ſupernaturalem finem hominis. Inſuper aliud etiam ratione objecti & finis intercedit diſcrimen. Sub objecto enim providentiæ continentur omnes omninò homines, quibus per eam, nullo penitùs excepto, proſpicitur de mediis, per quæ poſſint, ſi velint, fidem conſequi, & finem fidei adipiſci, ſalutem animarū; ſeu poſteà iis utantur, ſeu minus: ſub objecto autem prædeſtinationis continentur ii ſoli, qui mediis, quibus ad ſalutem opus eſt, rectè & conſtanter utuntur. Hinc porrò, quod ad fines attinet, ſæpiùs fit, ut providentia, quæ inveniendis & procurandis mediis tantùm eſt occupata, fine ſuo non potiatur, ob perverſitatem hominum, qui mediis per eam ſibi procuratis non, ut oportet, utuntur: prædeſtinatio autem nullatenùs fine ſuo unquam excidit aut poteſt excidere, ob conjunctam præſcientiam legitimi uſûs mediorum, quam habet. Non tantùm enim largitur media, ſed accuratè etiam, quatenus & quousque ea admittantur ab his & illis, cognoſcit, nec niſi ex hypotheſi iſtius cognitionis adeptionem finis ultimi ſupernaturalis cuipiam decernit.

Prædeſtinatio eſt pars Providentiæ divinæ.

II. Obſervanda hic diſtinctio perquàm neceſſaria inter prædeſtinationem ad gratiam & ad gloriam. De priore dicitur Eph. I, 5. *Prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per Jeſum Chriſtum*, nam adoptatio in filios eſt actus gratiæ: & poteſt, qui adoptatus aliquando erat, ad hæreditatem tamen ſeu gloriam cœleſtem non pervenire, cùm poſſit adoptionis gratia amitti. De poſteriore autem ſermo eſt Rom. IIX, 29. *Quos præſcivit, etiam prædeſtinavit, conformandos imagini filii ſui;*

Prædeſtinatio alia ad gratiam, alia ad gloriam.

nempe, ut in passionibus, sic in gloria: sicut statim glorificationis mentio fit vers. 30.

Ita & Electio. Eodem modo electio quoque vel ad gratiam est, vel ad gloriam. De electione ad gloriam loquitur Christus Matth. XXII, 14. dicens: *Multi sunt vocati* (ad vitam æternam:) *pauci verò electi* (ad eandem) De electione ad gratiam pluries in epistolis Paulinis agitur. Eph. I, 4. *Elegit nos in Christo ante jacta fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati in conspectu ipsius cum charitate.* Vbi terminus electionis ad gratiam ponitur sanctitas fidem consequi solita: nec abs re: si enim fides ipsa pro termino aliàs habetur hujus electionis; quantò magis, quæ ad fidem consequitur, vitæ sanctitas pro termino haberi poterit? De termino autem solemus loqui, ut de fine. Cùm ergò dicere possim: Elegit nos Deus, ut crederemus: quidni pariter dicat Apostolus: Elegit nos Deus, ut sancti essemus? 1. Thess. I, 4. *Scimus, fratres dilecti à Deo, electionem vestram*; quæ sc. ad gratiam est & ad fidem; *quoniam*, ut porrò sequitur, *evangelium nostrum consistit apud vos non in sermone solùm, sed etiam in potentia & in Sp. Sancto.* Evangelio enim externis sermonibus prædicato, per potentem Sp. Sancti interiùs operantis efficaciam, fidem habere, electionis, quæ ad gratiam est, indubitatum τεκμήριον præbet. II. Thess. II, 13. *Debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres delecti in Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritûs & fidem habitam veritati.* Enimverò non existimandum, sumere hoc sibi Paulum, ut judicet, Thessalonicenses, ad quos scribit, esse certò electos ad gloriam & vitam æternam: hoc enim ipse de seipso pronunciare infallibiliter non potuit, 1. Cor. IX, 27. nedum de aliis: cùm electio, quæ ad gloriam fit, involvat vel præsupponat perseverantiam finalem, quæ ante finem vitæ nos latet. Intelligit ergò Paulus hîc etiam electionem ad gratiam: *quæ tamen electio ad salutem dicitur, quia, qui sic est electus, spem habet salutis*, & est in via ad salutem ducente; nec enim, nisi mediante electione ad gratiam, pervenitur ad gloriam & salutem, etsi non omnes per eam ad salutem ipsam pertingant, quoniam non constanter viæ illi insistunt. Simili modo Petrus 1. ep. I, 2. scribere se dicit *electis ex præcognitione Dei Patris*; electos vocans eos, qui ad fidem & gratiam Evangelii electi erant & pro præsenti per fidem jus habebant obtinendæ salutis æternæ; quod tamen, ut & ipsa fides, amitti & excuti poterat. *Hæc itaq; electio non est absoluta, sed inchoata tantùm & incompleta.* Absoluta autem & completa ac magis propriè dicta illa est, quæ fit secundùm præcognitionem finalis perseverantiæ.

Ejusdem cum prædestinatione & electione significationis ac paris latitudinis est Inscriptio in librum Vitæ. Nam hæc quoq; dupliciter enunciatur in Scripturis. I. *Inchoatè*, & quoad præsentem gratiæ statum. II. *Absolutè* & completè, cum suppositione fidei ad ultimum usq; vitæ halitum perdurantis. Prioris exemplum est Luc. X, 20. ubi Servator discipulis: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in cælis:* loquens de statu, in quo discipuli ejus LXX. tum temporis positi erant præ sapientibus & prudentibus hujus mundi, eò quòd discipuli ejus essent, fide in ipsum præditi, quodq; Pater ea, quæ alios celaverat, ipsis tanquam parvulis revelasset, ut sequitur ℣. 21. Futuram salutem eorum, juxta prævisionem perseverantiæ ipsis in prædestinatione decretam, à Christo hîc prænunciari illis, quis credat? cùm nolit Deus rem istam hac in vita à quoquam infallibiliter cognosci, admonens potiùs, ut, qui in præsens fideles sunt, adhuc cum timore & tremore salutem suam, quam sperant in futurum, conficiant. Phil. II, 12. Idem sensus illius Paulini, in eadem ad Philip. epistola c. IV, 3. *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Nempe Clementem & reliquos coadjutores huic libro insertos dicit ad præsens per fidem: nec enim de futuris contingentibus aliquid ei certò & absolutè constabat: nec fingenda peculiaris revelatio ei facta, quam de sua ipsius futura salute non habebat. Alterius autem acceptionis exempla sunt Dan. XII, 1. *Servabitur, quisquis inventus fuerit scriptus in libro.* Et Apoc. XXI, 27. *Intrabunt in cælestem Hierusalem, qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Hinc patet responsio ad quæstionem: Vtrum, qui inscripti sunt in librum vitæ, inde deleri possint? *Possunt equidem, qui priore illo modo; non possunt qui hoc posteriore sunt inscripti.* Ratio, cur deleri illi possint, hi non possint, ista est, quod illi deficere à præsente fide & pietate possint, & sic pariter excidere salute, si in statu eo moriantur; hi autem, tametsi in se spectati ipsi quoq; libertate sua abusi deficere, suâq; adeò culpa perire possint, tamen præcogniti à Deo sint non defecturi, aut certè in defectionis statu & ante seriam pœnitentiam actam non morituri: quam prænotionem divinam falli, impossibile est. Hæc sit itaq; altera observatio.

Inscriptio in Librum Vitæ dupliciter accipitur.

Vtrum, qui inscripti sunt in Librum Vitæ, inde deleri possint?

III. Cùm ex ipsis terminis allatæ distinctionis, inter electionem ad gratiam & ad gloriam, promtum sit colligere *duplicem effectum*, quem æternum prædestinationis decretum apud nos habet in tempore: qui effectus non utiq; alius, quàm ipsa gratia est & gloria; quæritur proximè de causa utriusq; electionis. Et quidem quatenus ipsum prædestinationis & electionis decretum consideratur *immanenter*, ut æternus actus divini intellectûs & voluntatis, eo pacto causam non habet:

bet: sic enim est increatum quid & realiter idem cum essentia Dei, causamq; proin nullam, æquè ut nec essentia & natura divina, agnoscit nec potest agnoscere. Sed nos hîc illius causam investigamus, prout *transitivè* consideratur & liberè ad extranea subjecta terminatur in tempore extitura. Quo pacto causam ejus *efficientem principalem* dicimus ipsum Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, agentem juxta εὐδοκίαν voluntatis suæ: *Meritoriam*, Christum, in quo factam esse electionem Scriptura pronunciat: *Finalem* deniq;, laudem gloriosæ gratiæ divinæ, ut scilicet gratia & misericordia Dei coram Angelis & Hominibus illustris & gloriosa reddatur: sicut hæc omnia tradit Paulus Eph. I, 3. 4. 5. 6. de præstinatione quidem, quæ ad gratiam est, sermocinans, quadrantia nihilominùs ad illam etiam, quæ vocatur ad gloriam; cùm non possimus ab alio, & in alio, & fine alio, (si de absolutè ultimo fine sermo sit, uti hîc est Apostolo,) prædestinati ad hanc esse, quàm ad illam.

De Causis Prædestinationis.

Vtrum detur Causa aliqua Prædestinationis meritoria in nobis?

Hoc verò loco istud in controversiam venit, Vtrum detur causa aliqua prædestinationis in nobis? *Materialem causam*, sive, quod eòdem hîc recidit, subjectum prædestinationis esse ipsos homines prædestinatos, in confesso est apud omnes. De tali igitur causa hîc nulla est quæstio: sed de efficiente, eâq; meritoria cumprimis. Controvertitur namq; inter nos & Pontificios, num detur extra Christum in nobis etiam meritoria prædestinationis causa? *Prædestinationis*, puta, *ad gloriam*. Ejus enim, quæ ad gratiam est, nullam in nobis causam existere meritoriam, ex æquo omnes admittunt. Cùm enim gratia illa constet I. Vocatione ad fidem. II. Justificatione per fidem. III. Renovatione & Sanctificatione, quam Pontificii cum Justificatione confundunt; omnia hæc gratuita esse & citra ulla opera nostra concedi in tempore, ac consequenter gratuitò etiam ab æterno nobis esse decreta, attestatur clarissima Scripturæ littera, II. Tim. I, 9. *Deus vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo ante tempora seculorum.* Rom. III, 24. *Justificamur gratis, ejus gratiâ, per redemtionem factam in Jesu Christo.* Eph. II, 10. *Dei opus sumus* (quà renati & renovati) *conditi in Christo Jesu* (in quo qui est, nova creatura est,) *ad opera bona, quæ præparavit Deus*, (decernendo nobis in æterna prædestinatione vim & facultatem efficiendi illa,) *ut in eis ambulemus.* Et hactenùs Pontificii omnes nobiscum & inter sese consentiunt. Vid. Becan. de attrib. Dei c. 14. q. 4. n. 3.

De Prædestinatione autem ad gloriam à nobis partim, partim à seipsis dissentiunt. Sunt enim, qui *ex prævisis hominum meritis*, & propter

pter ea, prædestinatam vitam æternam, iis, qui consequuntur, contendunt, ut Ludovicus Molina, Greg. de Val., Vasquez, Becanus & plurimi alii. Qui sic congruenter sentiunt communi hypothesi Pontificiæ, quæ est, vitam æternam ejusq; gloriam dari in tempore, ex meritis, & propter merita. Si hoc; ergò ex prævisis meritis decreta est ab æterno iis, qui in tempore ejus fiunt participes. Decretum enim Dei æternum cum exsecutione in tempore concordare oportet. Consequentia itaq; proba est: sed antecedens falsum, ut alibi ostenditur. Et hi sunt ex Pontificiis, qui nobiscum pugnant. Secum ipsis autem Bellarminus & Fr. Suarez: qui in tempore quidem vitam æternam & gloriam ejus conferri hominibus sentiunt, ex operum meritis; sed *negant, ex meritis aut propter merita vitam æternam ullis esse prædestinatam*, aut ullam in nobis prædestinationis causam esse, tribuentes totum hoc negotium meræ gratiæ & benevolentiæ divinæ, ut videre est apud Bellarm. l. 2. de Gr. & Lib. Arb. c. 10. Quæ profectò sententia seipsam evertit. Vnde tandem Bellarminus l. d. c. 13. resp. ad 5. testim. non habens, quò se vertat, *Alia*, ait, *ratio est prædestinationis, alia exsecutionis*. Quod effugium miserrimum est. Nam, ut rectè disputat Becanus, fieri non potest, ut Deus propter merita donet alicui gloriam in tempore, nisi ab æterno voluerit seu decreverit id facere. Qui ergò potest mereri effectum divinæ prædestinationis, nempe gloriam, potest etiam mereri, ut prædestinatio divina terminetur ad illum effectum. Hæc enim connexa sunt. Videantur hæc & plura apud ipsum Becanum de attrib. Dei c. 11. q. 9. n. 6.

Jam verò missis Pontificiorum sententiis dissentientibus, potest quæstio proposita, num videl. aliqua sit prædestinationis causa in nobis? intelligi alio modo, & hoc quæri: utrum detur quidpiam in nobis, quod meriti quidem rationem non habeat, sed quod tamen Deus spectarit ab æterno indeq; permotus fuerit, quosdam ex hominum cœtu eligere cùm ad gratiam hujus vitæ, tùm ad gloriam vitæ alterius? Cujus affirmativam nos juxta Scripturas defendimus *contra Calvinianos:* qui Deum nulla re extra se, sed solo & unico suæ voluntatis affectu seu beneplacito suo permotum dicunt ad gratiam & gloriam aliquibus decernendam. Argumentando autem ita procedimus: Prædestinatio & electio nostri, tàm quæ ad gratiam est quàm quæ ad gloriam, refertur in præscientiam Dei. Rom. VIII, 29. *Quos præscivit, etiam prædestinavit.* c. XI, 2. *Non abjecit Deus populum suum, quem præscivit.* 1. Petr. I, 2. *Electi secundùm præscientiam Dei Patris.* Ex quibus locis primus agit de prædestinatione ad gloriam: postremus de electione ad gratiam: medius de utrâq; intelligi potest. Et sic omnis præ-

Datur aliquid in nobis, cujus respectu Deus nos prædestinavit.

destinatio ac electio divina imputatur cuidam præscientiæ divinæ. *Quæ præscientia oportet tendat in aliquod objectum præscitum.* Objecti autem rationem habere nequit beneplacitum & propositum, quod in Deo est: hoc enim non præscitur, ob hoc ipsum, quia in Deo est, & quia æternum est. Requiritur itaq; , ut *objectum præscientiæ divinæ* ponatur aliud, & tale quoddam, *quod sit extra Deum*, nec æternum, sed in temporis aliqua differentia. Tale verò reperitur in ipso homine: estq; acceptatio & usus legitimus mediorum ad gratiam & gloriam consequendam ordinatorum divinitùs.

Quoscunq; ergò Deus præscivit, gratiâ sua præventos & excitatos atq; adjutos ordini, quem ad consequendam fidem statuit, congruenter sese gesturos, verbum non repulsuros & Spiritui sancto fidem operaturo non restituros, eos secundùm consilium voluntatis suæ elegit ab æterno ad fidem, adoptionem & sanctitatem Christianismi, sive, ut aliàs loquimur, ad gratiam: quæ est *electio secundùm quid.* Quos porrò prævidit Evangelio, non liberè tantùm credituros in virtute supernæ gratiæ justificationem præcedentis, sed & ope comitantis ac subsequentis in fide & vitæ sanctitate morumq; pietate perseveraturos inq; Domino morituros, eos pro beneplacito suo elegit ad ipsam salutem ac vitam æternam, seu, ut aliàs loquimur, ad gloriam: quæ est *electio ac prædestinatio completa* & perfectè ita dicta. Adeoq; evictum est à nobis, quidpiam in nobis existere, sive à nostra parte deprehendi, quod cognoverit & respexerit Deus ab æterno, ejusq; rationem habuerit in hominum prædestinatione cùm ad gratiam tum ad gloriam. Quo posito permanet *beneplacitum*, *propositum*, *consilium*, *decretum voluntatis divinæ*, secundùm quod electio facta perhibetur in Scripturis; sed non nudum & absolutum, quale secum concipiunt Calviniani, verùm *limitatum* certis mediis à parte hominum acceptandis, cumq; respectu ad præscientiam, sive ad id, quod de hominibus præscitum esset, connexum.

Neq; Pelagianismo, qui hìc nobis ab adversariis impingitur, quidquam favet hæc sententia. Manet enim nihilominùs *gratuita nostra prædestinatio, licet attendatur in ea aliquid à parte hominum requisitum:* prorsus ut in tempore nobis gratuitò fides confertur & justitia ac salus, licet intervenire à parte hominis necesse sit obsequium mediis præstandum, ad fidem, justitiam atq; salutem adipiscendam constitutis divinitùs. Res ipsa liquidissima est, nec diductionis longioris indiga. De unico termino *causæ* monitiuncula hæc addenda, eum contentiosè urgendum contra adversarios non esse, qui audito illo mox offenduntur, & dici nolunt, aliquam esse prædestinationis causam in nobis, vel,

Num id causa dicendum?

quod

quod in calamo & ore est nostratûi, fidem esse causam instrumentalem electionis ad gloriam. Sanè totam percurreris Scripturam nec reperies ullibi, ex fide, per fidem nos prædestinari ad salutem æternam, sicut justificari & salvari fide, per fidem, ex fide dicimur, causalitate aliqua attributâ fidei, respectu justificationis & salutis. Solummodò secundùm præscientiam nos electos Scriptura asserit, subinnuens, fidem *non effectivè* concurrere ad prædestinationem, quomodo ad justificationem concurrit & ad salutem, *sed objectivè* tantùm, præbendo objectum divinæ æternæ scientiæ, quæ præscientia dici respectu eorum, quæ in tempore eveniunt, assolet ad nostrum concipiendi modum. Sed enim verò idem hoc nostrates sufficienter docent, dum communiter distinguunt inter *fidei actum & intuitum*, quorum ille in negotio justificationis & salutis, hic in prædestinatione locum habeat. Causam igitur electionis dicentes fidem non aliud sibi volunt, quàm sub fidei conditione electionem fieri ad vitam æternam, fidemq; prævisam movere Deum dignitate meriti Christi, in quod fertur, ut hos, qui credunt, eligat Deus, non alios. Atq; adeò *causa h. l. est non ea, quæ propriè sic dicitur & influit in effectum, sed quædam solùm ratio essendi à priore*, Deum permovens ad decernendam nonnullis, & his quidem præ aliis, salutem æternam. Hæc mens ipsorum: hæc sententia. Interim *rectiùs agetur & compendiosiùs, si omisso termino causæ thesis nostræ simplicioribus concipiatur verbis*, qualibus usi sumus paulò antea, cum diceremus, quidpiam in nobis existere sive à nostra parte deprehendi, quod cognoverit & respexerit Deus ab æterno ejusq; rationem habuerit in hominum prædestinatione cùm ad gratiam, tùm ad gloriam. In qua thesi *non fides tantùm comprehenditur, sed ea etiam, quæ fidem antecedunt & sequuntur*, sive omne id obsequium, quod præstatur Deo in ordine ad consequendam tùm fidem, tum verò & salutem ac vitam æternam. *Ad fidem consequendam requiritur* auditus verbi, cum animo non reluctante Spiritui sancto. *Ad salutem & vitam æternam olim adeundam requiritur* cum fide pietas & perseverantia. In quorum omnium prævisione electio fundata est. De pietate id luculenter testatur Meisnerus, Consid. Theol. Phot. c. 2. *Nam prout homines*, ait, *vitam instituunt, ita de salute ipsorum decrevit Deus. Si credant in Christum & piè vivant, salvare illos decrevit ab æterno. Si maneant impœnitentes, damnare decrevit.* pag. 50. Sic rursùm p. 24. *prædestinationem factam docet esse servato ordine fidei, pietatis & perseverantiæ, ita quidem, ut mortaliter & finaliter peccans non sit electus, sed reprobus.* p. 609.

Ordo actuum divinorum in Prædestinatione.

IV. Ordo ipse actuum divinorum prædestinationem ingendientium distinctius est expendendus, prout ex iis unus altero prior aut posterior est. In illa enim actuum istorum in se ordinatione ipsa *forma* est posita *prædestinationis*. Sunt autem actus illi, ut diximus supra, (p. 605.) partim intellectûs, partim voluntatis. Et in mente quidem divina nihil est re ipsa distinctum, sed omnia sunt actus unus simplicissimus: cum Deus intelligendo & volendo non per discursum ab uno progrediatur ad aliud, tanquam à noto ad ignotum: quid enim ipsi notum non sit? Vno ergò eminentissimo actu omnia simul contemplatur & sciscit. Imò, citra relationem ad objecta, intellectiones & volitiones divinæ omnes idem sunt cum essentia divina, nec aliud proinde quàm ipse Deus. Quoniam tamen quæ in tempore sunt distincta realiter, illa in mente divina distinctionem admittunt rationis, cum relatione ad sese, hinc *in signo rationis*, ut Doctores vocant Scholastici, quædam distinctio annotari potest & quasi dependentia unius actûs ab altero, usq; ad ultimum, qui propriissimè & absolutè est prædestinationis actus. Sic itaq; certum est, Deum ab æterno cognovisse lapsum hominis, fore nimirum, ut homo ad æternam felicitatem conditus, & viribus non peccandi abundanter instructus, liberè se nihilominùs avertat à Deo conditore suo, seq; cum tota posteritate *peccato*, & per peccatum *æterno exitio* involvat. Supposita prævisione hac divina actus primus Prædestinationis est benevola Dei voluntas, qua lapsorum hominum primorum & omnium in universum nascendorum intimè *misereri* Deus decrevit, eosq; ex damnatione, verbis interminantibus: *Quo die comederis, morte morieris*, eis intentata, eripere. Ratione dehinc inita mediorum huic fini facientium, intentus in id, ne periclitaretur veritas communicationis justitiæq; vindicativæ integritas, constituit secundo loco apud se, *mittere filium* sibi consubstantialem & coæternum, qui in carne assumta patiendo & moriendo rigori justitiæ suæ peccatis hominum læsæ satisfaceret, & à commerita morte æterna miseros mortales liberaret. Sanxit porrò, ut satisfactio & meritum Filii applicarentur iis, qui Redemptorem hunc suum *agnoscerent* & plena cordis *fiducia* amplexarentur. Cognitionem autem hanc & fidem per *auditum prædicati* verbi *usumq; Sacramentorum* donare & confirmare statuit, sufficienterq; per verbum omnes ad se *vocare*, &, ut assentiri vocationi queant, internis gratiæ suæ motionibus non deesse eis proposuit. Inde vidit, quosdam ex hominum cœtu *dignis modis* verbum audituros, gratiæ locum relicturos & Sacramentis usuros. Hos itaq; *elegit* ad fidem: ac definiit simul, æternùm eos beandos esse, si in fide perstituri ac operibus congruentibus declaraturi eandem, inq; ea hinc tandem excessuri essent

ſent. Tumq;, quinam futuri tales, exactè intuitus, hos ipſos ad ſalutem conſummatam, qua æternùm non exciderent, prædeſtinavit atq; ex reliqua multitudine elegit. Quo ultimo actu potiſſima prædeſtinationis ratio continetur, cui præludunt reliqui & ad hunc ultimùm tendunt.

V. Reſpiciendum identidem ad tria prædeſtinationis fundamenta, ipſi ordini Prædeſtinationis arctè innexa. Quorum I. eſt univerſalitas gratiæ divinæ erga lapſum genus humanum ad finem ſupernaturalem, æternam ſcilicet beatitudinem, etiamnum perducendum. Alterum', univerſalitas meritorum paſſionis ac mortis Filii Dei, Domini noſtri Jeſu Chriſti. III. Vniverſalitas vocationis ad fidem & ſalutem per prædicationem Evangelicam. Quæ omnia accuratè hîc ſunt penſitanda.

Prædeſtinationis fundamēta tria;

Dicimus itaq; primò, DEVM O. M. etiam poſt lapſum omnes homines voluiſſe & velle ſalvos, cùm Adamum ipſum, tùm Adami poſteros. Et hic ejus gratioſus affectus, hæc φιλανθρωπία & expoſita miſericors voluntas *principium ſalutis* ac reſtitutionis humanæ primum eſt ac ſummum. Vnde initium totius humanæ ſalutis ad Dei miſericordiam referimus. Idq; ita omninò ſe habere, maximeq; ſeriò expetere Deum ſalutem omnium noſtrûm, verbis ſignificantiſſimis Paulus docet 1. Tim. II, 1 — 6. *hortans orare pro omnibus*, nempe ut ſalutis compotes fiant, *etiam pro omnibus Regibus & Principibus*, qui eo quidem tempore profani & impii erant, quorum pleriq; etiam veritatem nunquam amplexi perierunt. Jubet interim pro iis omnibus orare, ut cùm ipſi convertantur, tum ipſorum converſio aliis ad amplectendam veritatem & exercendam pietatem adminiculo ſit, & hactenùs jam converſi ad fidem & pietatem ſub ipſorum imperio benè habeant, ac tranquillè eis vivere liceat cultuiq; divino ac honeſtati civili vacare, & ſuam ſalutem conficere. Quare autem ad eum modum ſit orandum, rationem reddit: *quia id ſit gratum & acceptum Deo, qui velit ſervari omnes homines, & ad agnitionem veritatis pervenire*; ipſos videl. rerum Dominos & his adminiculantibus inferioris ſortis mortales. Porrò quòd velit ſervari omnes, probat gemina ratione. Prior quidem & ipſa eſt à priore: *Vnus enim eſt Deus*, omnium videl. hominum creator unus & idem, ac propterea erga omnes, ut creaturas ſuas & nunc poſt lapſum communi ſorte peccatores miſericordiæ indigos, æquè benè affectus: nulla enim ratio eſt, quare ſimpliciter ut homines intuens, vel etiam ut unius inobedientiâ peccatores conſtitutos, aliis minùs benè cupiat quàm aliis, & illos minùs velit ſervari quàm iſtos. Altera ratio eſt à poſteriore, complexa evidens indicium divinæ erga univerſum genus humanum benevolentiæ: *Vnus mediator Dei & hominum, homo*

I. Vniverſalitas gratiæ divinæ.

Christus Jesus; qui cùm homo sit, ratione assumtæ suæ humanitatis uni tàm cognatus est quàm alteri, & propterea dedit semet ipsum vitamq; suam precium redemtionis pro omnibus: quandoquidem cum omnibus in humanitate, secundùm quam passus & mortuus est, participat. Quantum itaq; attinet primam Dei intentionem, Patris benevolentia & Filii meritum ex æquo ad omnes pertinent. Et hoc ipso simul probata est altera hypothesis, nempe universalitas passionis ac meriti Christi.

II. Vniversalitas meriti Christi.

Cæterum Paulino testimonio subjungamus, quod ei compar est, Petrinum, II. Ep. III, 9. *Non tardat Dominus promissionem* (scil. de adventu suo ad judicium extremum) *sed patiente est animo erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere.* Vbi improbis hominibus & iis, quibus in infidelitate & peccato perseverantibus, quin imò perseveraturis, Deus tempus & occasionem resipiscendi indulget, Petrus se adjungit; more Prophetis & Apostolis solemni. Esa. LIII, 3. (4.) LXIV, 7. (10.) Rom. XIII, 12. 2. Cor. VII, 1. Beza quidem in Annot. Maj. ad electos restringens patientiam Domini: *Idcircò*, ait, *adventum suum differt, ut nullus ex suis electis pereat, sed omnes illos ad salutem aggreget. Tantisper igitur cunctatur —— dum electorum numerus expleatur.* At contrà certum est, Deum μακροθυμίᾳ uti *in vasa iræ compacta ad interitum*, Rom. IX, 22. in eos, qui *pro duritia sua & corde resipiscere nescio ipsi sibi thesaurum recondunt iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei*, Rom. II, 4, 5. in eos, ex quorum grege mulier Jezabel, de qua Apoc. II, 21. ipse Dei filius: *Dedi illi tempus, ut resipisceret à fornicatione sua; sed non resipuit.* Propter hos ergò Deus extremi supplicii diem differt: electorum autem gratiâ non prolongari dies, sed decurtari, asserit Christus Matth. XXIV, 22. Ipsorum ergò etiam infidelium, & eorum, qui in infidelitate & impœnitentia sua pereunt, perire neminem Deus vult, affirmante Petro. Qui idem quoque *Christum Dominum mercatum sanguine suo precioso eos, qui abnegando illum celerem sibi damnationem accersunt*, enunciat palàm, II. Ep. II, 1. & agnitionem habuisse Servatoris Jesu Christi illos, *quorum posteriora fiunt deteriora primis*, h. e. qui graviorem aliquando præ aliis damnationem persensuri sunt, vers. 20. Agnitio autem Christi quid aliud, quàm fructus passionis & mortis Christi? Pro illis ergò etiam, qui insigniter aliquando punientur, passus est & mortuus Christus. Stante verò hoc enunciato dubitari nequit, pro omnibus hominibus eum passum & mortuum esse.

III. Vniversalitas vocationis

Sed & tertia hypothesis, universalitas scil. vocationis ad fidem & salutem, ut indubia proponitur nobis ab Apostolo dicente: *Velle Deum, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant*, 1. Tim. II, 4. Agnitio veri-

veritatis fides est. Vult ergò Deus omnes in universum fidei, qua gratia ejus Christique meritum agnoscantur & apprehendantur, esse participes. Cùm autem fides non sit virium humanarum, sed donum supernaturale, cùm ratione objecti tùm ratione actûs, promtus est & paratus Deus largiri omnibus hominibus auxilia concipiendæ fidei necessaria, exteriora & interiora. Extrinsecùs itaque revelat *fidei objecta*, h.e. ea, quæ credenda sunt, idque præstat per verbum Evangelii, quod facit auribus nostris ingeri, ut fides ex auditu oriatur, Rom. X, 17. Intrinsecùs verò Spiritu ipse suo, ubi verbum legitur, auditur & consideratur, pulsat corda nostra & salutares conatus inspirat, viresque intellectui ac voluntati confert sufficientes, per quas *actus fidei* elici possit, Act. X, 44. Atque hoc utroque modo nos vocat ad fidem & salutem. *Cujus vocationis tria potissimùm specimina edidit illustria* : nempe in Adamo post lapsum, in Noacho post diluvium & in ablegatione Apostolorum post Christi in cœlos ascensum. His tribus enim vicibus omnes homines actu sunt vocati. De prioribus duabus id per se constat. De universalitate autem vocationis per Apostolos factæ Scriptura testimonium perhibet Marc. XVI, 15. 20. Act. XVII, 30. 31. Col. I, 6. 28. Hæc itaque arctè sunt tenenda.

Obj. contra tria illa fundamenta.

VI. Si res tamen ita habet, si inquam, omnes vult servari Deus, perire neminem, unde est, quod multi adeò & penè innumeri pereunt? Oportet velle Deum quosdam damnari : alioqui nulli damnarentur. Ecquis enim capere possit, in eos, quos non vult Deus damnari, per Judicem universorum pronunciari nihilominùs damnationis sententiam? Hos ipsos ergò vult damnari Deus : Non vult igitur omnes servari. Quod si etiam Christus precium redemtionis semet ipsum obtulit pro omnibus; quî fit, ut plurimi beneficio hujus redemtionis non evadant damnationem? Quin certum est, eam evadere non posse, qui peccant in Spir. Sanctum : pro his ergò non videtur Christus esse mortuus. Si denique seriò vult Deus omnes ad fidem & salutem vocare per verbum suum, eccur non singulis locis prædicationem verbi intulit per Apostolos? loca enim singula ab his lustrata fuisse, dici non potest. Imò verò quid dicemus de regionibus Americanis, quæ caruerunt prædicatione verbi usque ad avorum nostrorum memoriam, & parte non exigua adhuc carent? Hisce dubiis impetitur & controversa redditur triplex illa universalitas, quam modò asseruimus.

Voluntas Dei Absoluta & Cōditionata.

Impetitur autem & oppugnatur tantùm, non expugnatur. Nam quod attinet primum, accuratè distinguendum est inter voluntatem Dei absolutam & conditionatam. Quæ Deus absolutè vult, illa semper fiunt, ut sunt mundi creatio, missio Messiæ, resurrectio mortuorum. Hoc autem volendi actu non dicitur omnes homines velle salvos:

sed

ſed alio, quo vult quædam conditionaliter, nec niſi conditione impletâ. *Seriò quidem hæc ipſa quoq; vult*; *ſed non ſemper fiunt*, cùm conditio addita non ſemper impleatur. Hinc eſt itaque, quod innumeri non ſalventur, ſed pereant: quia ad eam conditionem ſe non componunt, quæ ſalvandis conſtituta eſt divinitùs;. Quæ conditio fides eſt per charitatem efficax, ac ea etiam perſeverans.

Hæc vel Antecedens vel Conſequens.

Porrò hæc ipſa conditionata voluntas diſtinguitur rectiſſimè à Chryſoſt. & Damaſceno in antecedentem & conſequentem. *Antecedens* eſt, quæ tendit in objectum ſecundùm ſe conſideratum, non habita ratione conditionis purificatæ, i.e. impletæ aut non impletæ. *Conſequens* eſt, quæ intuetur objectū cum poſitione vel negatione impletæ conditionis. Priore modo volendi vult Deus, juxta Scripturas, omnium & ſingulorum hominum ſalutem, ſpectando homines ſimpliciter, ut homines ſunt & communi ſorte peccatores: ſic enim nihil eſt in illis, quod inclinet Deum, ut uni magis aut minùs faveat, quàm alteri. Nullum itaque eorum perire vult Deus, ſed omnes ſervari. Poſteriore autem modo volendi non omnes vult ſervari, ſed quoſdam ſolùm; nempe eos, quos videt Evangelio obtemperare & fideles eſſe usque ad mortem: reliquos verò damnationi vult eſſe obnoxios, quos ſcil. videt incredulos & immorigeros ac impœnitentes eſſe. Et ſecundùm hanc poſteriorem voluntatem pronunciatur à ſupremo Judice ſententia in damnandos. Eſtque adeò *voluntas hæc analoga abſolutæ quoad effectum*, cùm non minùs ſit efficax quàm abſoluta: ſemper enim impletur, prout determinatur ab ipſis hominibus: ſed *ita tamen impletur*, *ut ad hominum damnationem determinata habeat conjunctam velleitatem oppoſiti*, ſeu inefficacem voluntatem ipſos illos, qui damnantur, ſervandi, ſi juſtitia & veritas id paterentur. Cujusmodi affectus in ſeculari etiam Judice reperitur, qui capitis ſupplicium infligens ſceleratis civibus non abjicit velleitatem conſervationis eorundem, ſed placet ipſi adhuc eos ſervari incolumes, ſi leges id permitterent. Quo exemplo tota hæc diſtinctio optimè illuſtratur. Voluntate enim antecedente vult judex incolumitatem omnium civium, dum ſpectat eos, ut cives ſunt unius Reipublicæ. Conſequente autem voluntate decernit deprehenſis in ſceleribus ſupplicium, cum velleitate tamen oppoſiti.

Quam Calvinus huc accommodat diſtinctionem *inter voluntatem* Dei *revelatam & arcanam*, item inter externam voluntatem *ſigni* & internam *beneplaciti*, ut ut ſimpliciter rejectam nolimus, cùm ſuum utraque uſum habeat legitimè applicata, eo tamen ſenſu intellectam, quo ipſe capit, impiam & blaſphemam pronunciamus. Conſtituit namque Deum hypocritam, qui aliud præ ſe ferat in revelatione verbi ſui, aliud animo ſuo volvat, & circa objectum quidem eodem modo

ſum-

sumtum. Homines enim omnes, ut sunt homines & indiscriminatim peccatores, Deum salvos velle, in uno membro affirmat, in altero negat; atque ita voluntates verè contradictorias Deo tribuit: qui error ita crassus est, ut citra refutationem statim rejici & explodi mereatur.

Jam quod attinet alterum dubium, sanè fatendum est, sicut non salvantur omnes, sic neque fructus salutares redemtionis per Christum factæ percipi ab omnibus: sed propterea redemtio illa non desinit esse universalis. Vniversalis enim non inde dicitur, quòd fructuum illius omnes fiant aut fieri absolutè debeant participes: sed quòd per eam omnibus ex intentione Dei fuerit sublata necessitas manendi in captivitate mortis & diaboli ac inferni, atque ita pereundi. Interim fit, ut pereant etiamnum multi æterna morte: quoniam *intentio illa Dei, per passionem ac mortem Filii omnes homines servandi, non est absoluta sed conditionibus circumscripta*: si scil. homines agnoverint ex Evangelio Redemtorem suum, & in solo eo ejusque gratia ac merito fiduciam collocaverint, sibique caverint ab iis, quibus norunt Deum ad iram provocari. Sint jam, qui seculi illecebris capti malint servire Diabolo & peccatis, quam Christo ejusque Evangelio obtemperare; hi si pereunt, ut certò pereunt, aliò referre culpam non poterunt, quàm in propriam voluntatem; minimè in particularitatem meriti Christi: cùm benè per Christi merita, sibi æquè ac aliis destinata, servari potuissent, si voluissent.

Redemtio Christi qua ratione universalis dicatur?

Quod similiter etiam de iis, *qui peccant in Sp. Sanctum*, est asserendum. Pro his enim etiam mortuus est Christus, non obstante hoc, quòd impossibile sit tales servari. Nam par ratio omnium finaliter impœnitentium, ut non possint servari: pro quibus tamen utique Christus satisfecit. Non ita verò satisfecit pro iis, ut, quomodocunque se gerant, salventur per ipsius mortem: hæc nunquam fuit Dei aut Christi intentio; sed promeritus est iis Christus eam gratiam, per quam potuissent sibi cavere à talibus peccatis, quibus stantibus salutem eis conferri impossibile est. Non uno, inquam, modo homines in eum statum pervenire culpâ suâ possunt, ut servari nequeant. Vult autem Deus, eos non pervenire in talem statum; & meritum Christi eam vim habet, ut inde etiam quis à peccato in Sp. Sanctum possit præservari: ut autem salvus per Christum sit nihilominùs, si peccet in Sp. Sanctum, hoc equidem fieri nequit: nec peculiare id est in Sp. Sanctum peccantibus: quandoquidem nec pro aliis hominibus ita mortuus est Christus, ut salventur, si in peccatis perseverent.

De tertio dubio sic paucis habendum, quando toti mundo dicitur prædicatum per Apostolos Evangelium, *id de toto orbe cognito &*

Quomodo toti Mundo prædicatum sit Evangeliũ?

habitato intelligendum esse. Partem autem *Americanam* Apostolorum temporibus fuisse cultam seu habitatam, non est unde probetur. Verisimile est, post Apostolorum tempora homines amore libertatis, aut alia levi de causa, eò migrasse ex nostra continente, ibique esse multiplicatos: & sic dicendum de multiplicatis fuerit, quod aliàs de hominibus longiùs post conditum mundum & immissum diluvium viventibus dici solet, licet non in se, tamen *in majoribus suis* eos vocatos esse. Nullus enim hominum sub sole vivit aut vixit unquam, qui non vel in sese vel in majoribus suis vocatus dicendus sit. Deinde verò ut cultus etiam & cognitus orbis totus dicatur, per Evangelium ad regnum Christi vocatus, *non necesse est, in singulos vicos aut oppida pedem intulisse Apostolos, sed sufficit, in celeberrimis locis orbis habitati & in cœtibus primariis provinciarum prædicatum per eos esse Evangelium*, atque ita omnibus hominibus ob oculos positum, ut in ejus notitiam singuli nullo negotio venire potuerint. Quemadmodum si regio aliqua careat igne, is dicetur omnibus regionis ejus incolis ignem obtulisse & suppeditasse, qui in monte excelso ignem exstruxerit, unde ab omnibus conspici & peti potuerit; etiamsi in singulorum domus ignem ille non intulerit. Sic itaque perstat triplex illa universalitas anteà nobis asserta.

p.613.

Datur quoddam Absolutũ Dei decretum circa salutem hominum & non datur.

VII. Ex ordine electionis, quem hucusque exposuimus, id inter alia patet, dari quoddam absolutum Dei circa hominum salutem decretum, & non dari: nec enim omne absolutum decretum *abest à prædestinationis actu*. Nam *licet voluntas Dei de nobis etiamnum post lapsum servandis non sit absoluta, sed conditionibus limitata duabus*, quarum una est Incarnatio & Mors filii, altera, à nostra parte, Fides; *tamen ipsæ hæ conditiones positæ sunt à Deo ex mero & absoluto beneplacito*. Habemus igitur hîc duo absoluta decreta divina: decretum nempe de mittendo Filio in carnem, & illud de salute conferenda non nisi credentibus in Filium & in fide illa perseverantibus, deneganda verò incredulis, atque, ut concipi fides illa possit, prædicando Evangelio passim in terrarum orbe: hæc, inquam, decreta sunt equidem absoluta; quippe nullum involventia respectum ad aliquid præstandum, quod in homine Deus præviderit & attenderit, indeque permotus fuerit, hoc illudve in hanc aut illam partem decernendi. Simpliciter hic acquiescendum in Dei voluntate; nec præter hanc ratio alia suppetit, cur maximè fidem in Christum crucifixum & mortuum, ac non aliud medium consequendæ salutis à nostra parte statuerit Deus, ut statuere sanè poterat: quo statuto longè plures servati fuissent, quàm hodiè serventur. Nam *crux Christi Græcis sive gentilibus stultitia est, Judæis autem offensio*, 1. Cor. I, 23, Hîc

23. Hic nudè & absolutè dicendum: Ita Deo placuit! ficut ibidem ℣. 21. pronunciat Apostolus: *Libuit Deo, per stultitiam prædicationis servare credentes.* Summatim dicendo; in omnibus iis absolutum obtinet decretum, quæ *in universali* spectant modum amissæ per lapsum salutis denuò obtinendæ. Sed negatur absolutum decretum *in particulari*, si sermo sit de singulari seu gente seu persona, & ratio reddenda, quare Judæi v. g. damnentur, populi alii magno numero salventur, Judas damnetur, Petrus salvetur? Ibi tum non ad absol. decr. est confugiendum, ac si Deus quosdam ex mero beneplacito saluti destinarit, alios itidem secundùm voluntatis suæ consilium absolutè rejecerit, citra intuitum alicujus conditionis à parte hominis *præstitæ aut non præstitæ*: Sed omne illud decretum, quod singulares & certas personas attinet, præscientiæ Dei innititur, qua ab æterno scivit, quinam juxta modum & ordinem à se constitutum incessuri eiq; sese accommodaturi essent, qui minùs.

Hinc intelligi potest illud, quod dictum durius videri queat, apud Mosen & Paulum: *Miserebor, cujus misertus fuero*, Exod. XXXIII, 19. Rom. IX, 15. Id quod ad individua trahendum non est, sed exponendum de modo salutis in communi, juxta quem Deus misericordiam suam vult exercere in homines. Nimirum idem est, ac si dicat: Meum est, hoc potiùs quam illo modo & medio misereri hominum, neq; ad alterius libitum aut præscriptum me in exercenda misericordia componam. Modus autem ille is est unicus, quòd vult Deus misericordiæ suæ participes facere credentes. Cumq; firmissimum sit propositum hoc divinum, propterea addit Apostolus: *Non est itaq;* hominis *volentis neq; currentis, sed miserentis Dei.* Nempe non quævis voluntas humana rejicitur, sed ea, quæ innititur iis mediis, quæ sibi homines adinvenere. Opponuntur enim voluntas & cursus seu labor Dei misericordiæ. Misericordiæ autem Dei non omnis conatus hominis opponitur. Nam non licet dicere: Non est salus audientis verbum aut credentis Christo. Tale enim *velle* & *currere* convenit modo, quem juxta misericordiam suam sanxit Deus ad salutem: ad quem modum utiq; omnis voluntas nostra flectenda, omnis cursus dirigendus. Quod si visum fuisset Deo, salutem conferre pro sua misericordia iis solis, qui laqueos de collo suspensos toto vitæ tempore gestarent, aut alio modo se coram ipso abjicerent, præstanda fuisset conditio. Nunc cùm requirat fidem, par ratio est; nec quicquam Judæos, contra quos ista scripsit Apostolus, juvat, velle salvari, quin, ut salventur, currere citato gradu, & nullam non operam in salute acquirenda insumere: cum interim uni legi tenaciter inhæreant & cruce Christi

supra quam dici potest offensi fidem Evangelio habere detrectent. Hoc enim quid aliud est, quam spreto Dei benevolentissimi gratioso proposito libidine privata effingere sibi salutis media, suamq; voluntatem divinæ opponere, uno verbo, θεομαχεῖν? Quod qui faciunt, eorum non potest desiderium salutis non esse rejiculum, cursus & conatus omnis irritus. Hoc sibi velle Apostolum, sole meridiano clarius est ex fine noni & principio decimi capitis ad Rom.

Si quæratur itaq;, quare DEUS Filium in carnem mittere & per fidem in eum homines salvos facere decreverit? rectè respondetur: quia id ei ita placuit. Et huc illa pertinent: *Miserebor, cujus misertus fuero. Non est itaq, volentis &c.* Ad quæstionem autem, quare Deus rejecerit Judæos & in eorum locum receperit Gentiles? non aptè respondetur, quòd ita ei placuerit; sed in promtu est alia ratio, quòd Judæi morem gerere proposito voluntatis divinæ noluerint, Christú rejecerint, & ex legis operibus justitiam propriam constituere allaborarint: cùm contrà Gentes Evangelium admitterent & Christum reciperent. Quò pertinent ea, quæ leguntur Rom. IX, 30. 31. 32. 33. X, 2. 3. 4. XI, 20. Atq; posterior hæc responsio valet etiam de singulis personis humanis. Nec res opus habet longiore declaratione.

De Certitudine Prædestinationis.

VIIII. Liquet ex dictis etiam, quid de certitudine prædestinationis sentiendum sit. Quoniam enim prædestinatio dicitur inscriptio in librum vitæ, non potest non Deus inscribens homines in catalogum viventium certissimè & nominatim cognitos habere prædestinatos & electos: qui proinde certò *salvantur, nec peribunt in æternum, neq, rapiet eos quisquam è manu Domini.* Joh. X, 28. Idq; confirmat Paulus, quando ait: *Novit Dominus, qui sint sui*, 2. Tim. II, 19. Quæ notitia includit simul *certum numerum prædestinatorum*, augeri minuive nescium; non quòd in se numerus ille sit immutabilis, qui auctionem & imminutionem recipere nequeat; sed quia scientia divina, cui ille ab æterno objicitur, immutabilis est & infallibilis. Et ita se habet certitudo prædestinationis à parte Dei prædestinantis. *A parte prædestinatorum* autem non datur nisi *conditionata certitudo.* Quoniam enim voluntas divina de nobis salvandis est conditionata, & conditionis illius observatio nobis incumbens se extendit ad ultimum usq; vitæ terminum, ac in libertate hominis posita est: (liberè namq; homo, non necessariò, perseverat in fide & pietate, per Dei gratiam, ita, ut possit non perseverare, sua propria culpa) hinc aliter non potest de prædestinatione sua & futura glorificatione homo certus esse, quàm sub conditione, si perseveraverit: *utut in præsens de incompleta prædestinatione, quæ ad gratiam & fidem est, sit absolutè certus.* Longiùs enim ab hac distat illa, quæ est ad gloriam, pendens non à fide simplici-

pliciter, ſed à fide perſeverante. Vbi non ſatis eſt benè cœpiſſe, ſed inſuper requiritur, ut benè ad metam uſq; progrediamur, *ſtudentes vocationem & electionem noſtram firmam efficere*, uti monet Petrus 2. ep. I, 10. quod ut fiat, opus eſt aſſidua precatione, continua mediorum ſalutis uſurpatione, virtutis ac pietatis ſedula exercitatione: quæ & ſimilia *præſtitu credenti poſſibilia ſunt*, ſi modò (quod liberum ipſi eſt) vi & facultate divinitùs conceſſa rectè conſtanterq; uti velit; qui proinde nec deſperare de ſua prædeſtinatione debet, nec temerè de ea præſumere, ſed eniti de die in diem, ut ea per Dei gratiam præſtet, quæ vocatos & electos ſuos Deus vult facere, neve unquam prior deſerat Deum; ſic enim ipſe à Deo deſeretur nunquam.

IX. Ex doctrina prædeſtinationis hactenùs tradita judicium faciamus de reprobatione prædeſtinationi oppoſita, Sicut enim prædeſtinatio, ita & reprobatio pars eſt providentiæ divinæ, & actus partim intellectùs, partim voluntatis divinæ. Supponit enim ſcientiam in intellectu, & deſinit in voluntatis decretum Ac ſicuti duplex eſt prædeſtinatio, una ad gratiam, altera ad gloriam; ita reprobatio quoq; eſt duplex: una, quæ effectum habet *rejectionem à gratia*; altera, quæ habet effectum *rejectionem à gloria*. Quarum prior ad poſteriorem tendit; ſic tamen, ut abſq; hac poſteriore eſſe poſſit: planè ut prædeſtinatio ad gratiam poteſt eſſe abſq; ea, quæ eſt ad gloriam. Sicut, inquam, qui eſt in gratia conſtitutus, poteſt eâ excidere, & conſequenter etiam æternâ privari gloriâ, ſi non reſipiſcat ante finem vitæ: ita contrà, cui ſubtracta eſt divina gratia, poteſt alio tempore ejus iterum compos fieri, ſiq; in ea permanſerit, prædeſtinatus eſſe ad gloriam. Neq; enim per rejectionem à gratia id denotatur, quòd omninò omnis gratia auferatur ab homine: quippe incredulos etiam & immorigeros ac malos Deus *magna patientia tolerat* Rom. IX, 22. ſubinde *vocat ad ſe per verbum*, Eſa. LXV, 2. Matth. XXII, 3. 4. & gratiam illis ſuam, cujus ope converti & ſalvari poſſint, offert etiamnum ac reipſa conferre paratus eſt, ſi per eam converti & ſalvari ipſi modò non renuant Matth. XXIII, 37. Luc. XV, 4. Sed dicitur Deus homini ſubtrahere gratiam ſuam tum, quando nolentem converti per eam ad fidem & pietatem, *relinquit* in incredulitate & impietate ſua, Matth. XI, 25. Act. XIII, 45. 46. vel à gratia ſemel accepta deficere volentem *permittit deficere*, Luc. IIX, 13. 2. Tim. IV, 10. & quoſdam inſuper *de uno peccato prolabi in aliud*, Pſ. LXXXI, 13. Rom. I, 28. 29. excœcari ac indurari, Eſa. VI, 10. Joh. XII, 40. Quod ubi fit, tametſi homini iſtiuſmodi non intercluſa omnis penitùs via ſit ad converſionem & ſalutem, cùm eorum etiam, qui in reprobum ſenſum dati fuere, aliquos converti contingat, 1. Cor. VI, 9. 10. 11. Tit. III, 3. 4. 5. multò tamen

Reprobatio duplex.

men, quam antè, difficilior evadit conversio & salutis consecutio. Quæ difficultas, remotâ simul impossibilitate, adstruitur à Paulo, 2. Tim. II, 25. 26.

Quos itaq; per verbum Evangelii ad pœnitentiam & fidem sufficienter vocatos Deus prævidit vocationem neglecturos, Spiritui sancto fidem operaturo reluctaturos, nec credituros aut pœnitentiam acturos, vel, postquam resipuissent & credidissent, à fide & pietate prolapsuros in vitam profanam & impiam; eos tantisper privare gratia sua h. e. permittere, ut impœnitentes & increduli maneant, vel justitiam suam priorem deserant, constituit, quin obdurare etiam & excœcare, si contummaciter perrexerint, nec impedire, ut aliud ex alio nefas designent, donec tandem nexibus illis se expedientes resipuerint. Et hæc est rejectio à gratia, quam dicere etiam possis *incompletam reprobationem*. Quos autem præcognovit nunquam credituros, vel, utut credentes & justitiam exercentes ad tempus, in incredulitate tamen vel impietate vitam finituros, eos in æternum à se abjicere ac cœlesti beatitudine exclusos non finiendis gehennæ suppliciis addicere decrevit. Et hæc est rejectio à gloria, ac usitatè & *simpliciter dicta reprobatio*. Tam hujus autem, quàm prioris incompletæ efficiens principalis, materialis & formalis causa quæ sit, ex iis, quæ diximus, suo quilibet marte noverit colligere. *Finalis causa* est gloria Dei ac justitiæ potissimùm divinæ. Matth. XI, 25. Ps. CXLV, 17.

Reprobatio singularum personarum non absoluta.

Ac non minùs hîc, quàm in electione, respici à Deo aliquid & attendi in homine existens, per se itidem manifestum est. Licet enim in universali loquendo illud decretum divinum generale: *damnandos esse & iræ obnoxios fore, qui non crediderint*, Marc. XVI, 16. Joh. III, 36. innitatur absoluto beneplacito divino; tamen descendendo ad inferiora, si scil. de hoc vel illo individuo quæstio sit, cur damnatio illi incumbat? petenda inde est ratio, quòd non crediderit, non perseverarit, non pœnituerit: quæ perversa hominum voluntas inde ab æterno fuit objectũ scientiæ divinæ, juxta quam decretum reprobationis singulares personas concernens ab æterno factum est. Singulares, inquam, personas: Vt enim prædestinati singuli, ita reprobati quoq; sunt præcogniti à Deo nominatim, *numero horum etiam omnium inito exactissimè immutabili*, perinde ut est ille prædestinatorum, propter immutabilitatem divinæ scientiæ; minimè autem, quòd Deus certum mortalium numerum determinarit ad incredulitatem & interitum: cùm homo liberè sit incredulus & sua culpa pereat, ita, ut possit sibi per Dei gratiam ab interitu & causis interitûs probè cavere, si velit solummodo. Vnde & hominibus olim imputabitur, quod damnentur, Matth. XXV, 41, seqq.

X. De-

X. Deniq; , ut de certaminibus, quæ extiterunt in Ecclesia de hoc doctrinæ capite, pauca moneamus, certum est, consensum IV. priorum seculorum pro nostrâ stare sententiâ, quæ docet, prædestinationem factam esse secundùm præscientiam. Testimonia vetustissimorum Ecclesiæ Doctorum collegit D. Georg. Calixtus, disp. de æterna prædestinatione & electione, th. 46. seqq. Seculo posteà V. *Augustinus* contra Pelagium disputans, ut gratiam Dei extolleret & adversarium premeret, invexit novam & antehac inauditam sententiam: scilicet, gratiam, qua ad conversionem opus est, dari cum absoluta intentione servandi nonnullos, ac talem esse, quæ vim habeat determinandi hominem ad consentiendum ei. Ita *non simpliciter asseruit gratiam contra Pelagium hostem gratiæ, sed determinationem ei addidit*, quasi sic conferatur, ut imponat necessitatem credendi. Ascendendo hinc ad prædestinationem, consequens erat, hanc quoq; factam esse non secundùm præscientiam alicujus, quod à parte hominis liberè præstandum requiratur, sed similiter esse absolutam & ex intentione quosdam absolutè servandi profectam. Inde ergò enata sententia de absoluto decreto. Quam post Augustinum amplexus est Scholasticorum princeps *Thomas*; dissentientibus Scoto & aliis. Eandem suam fecerunt *Zwinglius*, *Calvinus*, *Beza*, *Piscator*, *Zanchius*: ita, ut simul *fatalem necessitatem rerum omnium, quæ in mundo sunt*, statuerent: quæ *Philippi* etiam sub initium reformationis, sententia fuit, quam mutavit posteà. Vid. Dodec. 671. seq. Nec satis erat, comminisci fatalem rerum omnium necessitatem, nisi in cumulum id adderetur, *Adamum esse lapsum decreto Dei: Deum condidisse hominem, ut laberetur, & inde occasionem nancisceretur ipse, suam in lapsos declarandi misericordiam partim, partim justitiam:* quæ hypothesis Deum auctorem peccati facit, impietate nefanda, absurditate abominanda. Addita est porrò *perseverantia sanctorum*, sive dogma illud itidem novum, non posse fide & gratiâ Dei excidere eos, qui ejus semel participes facti essent. Quorum omnium nihil Augustino & Thomæ unquam in mentem venerat. Neq; sanè duris hypothesibus hisce opus habet explicatio Augustiniani dogmatis de absoluto decreto. In quibus proinde evertendis operam præclaram posuit noster Ægidius Hunnius, scripto libello peculiari & nervosissimo de Providentia Dei & æterna prædestinatione: in cujus fine & *Huberianismum* expugnavit ita soldè, ut nihil desiderari possit. Lectione istius, ut videtur, libelli in Belgio edoctus *Jac. Arminius* anno hujus seculi quinto ausus est sociis suis movere controversiam de absol. decr. & receptæ hactenùs Calvinianorum doctrinæ se opponere. Et rei initia haud cessere infeliciter. Invenit statim sectatores: qui

Dissentientes in doctrina de Prædestinatione.

ab auctore hoc suo Arminiani dicti dissensum suum apertè professi sunt, eumq; reduxerunt ad 5. capita: Quorum 1. est de prædestinatione absoluta. 2. de particularitate meriti & satisfactionis Christi. 3. & 4. de gratia conversionis ac libero arbitrio. 5. de perseverantia sanctorum, seu inamissibilitate fidei & gratiæ divinæ. Iidem *Remonstrantes* dicti sunt, quod obtulissent Ordinibus Hollandiæ & Westfrisiæ Remonstrantiam, ut vocant, sive supplicationem, ut finerent eos sententias suas liberè proponere & docere: cumq; qui ab altera parte erant sub duce Francisco Gomaro, Arminii antagonistâ, idem facerent, & contrariam supplicationem offerrent, ne liceret suis illis adversariis talia impune docere, *Contra-Remonstrantes* hi cœperunt dici, *qui iidem Gomaristæ aliàs & Gomariani audiunt*. Post unam & alteram collationem inter partes frustrà tentatam, habita est tandem anno seculi hujus XVIII. exeunte *Synodus Dordracena*: cujus hic fuit exitus, ut à rigidioribus sociis in causa propria judicibus damnarentur, qui rectè nobiscum de prædestinatione sentiebant; qui mox tamen vires iterum sumserunt & latè propagati sunt in Belgio: cùm interim ab altera rigidiore parte id boni evenerit, ut missa fierent opinionum portenta, quæ invexerant Zwinglius & Calvinus, de hominibus ad interitum causasq; interitûs à Deo creatis, & ante ullam peccati eorum prævisionem simpliciter reprobatis. Emollierunt enim suam de absol. decr. sententiam, & tacuerunt de eo, quòd Deus intuitus sit in prædestinationis ordine *genus humanum*, *priusquam laberetur*, statueritq; decreto, ut laberetur; ac contrà receperunt Augustini sententiam tolerabiliorem, Deum intuitum esse *genus humanum jam lapsum*, & ex illa perdita massa, in declarationem cùm misericordiæ suæ, tùm justitiæ, decrevisse, quosdam hominum instaurare ad vitam æternam & conversionis gratiâ donare irresistibili, reliquis in statu perditionis relictis. Quâ sententiâ (licet erroneâ) non obstante, Augustinus semper habitus est maximus orthodoxæ Latinæ Ecclesiæ Doctor. Atq; exin cœpit discrimen inter Supralapsarios & Infralapsarios: quæ appellationes ante Dordracenam Synodum incognitæ fuere. Nempe *Supra- vel Ante-lapsarii* vocati sunt Zwinglius, Calvinus, & illi cæteri, qui materiam electionis & reprobationis, h. e. eos, quos Deus seu elegit, seu reprobavit, dixerunt homines citra lapsus & peccati præcedentis intuitum consideratos, quin ad lapsum & peccatum impellendos. *Infralapsarii* autem vel *Postlapsarii* sunt, qui cum Augustino & Dordrechtanis hodie sentiunt, electionem factam esse ex genere humano lapso. *Extra lapsum* enim (inquiunt) *non habet locum electio aut reprobatio:* I. *quia Deus non reprobat, nisi peccatorem. Peccatorem autem invenit,*
non

non facit. II. *quia misericordia prærequirit miseriam.* Illud tamen de perseverantia sanctorum παράδοξον ipsi Dordrechtani retinuerunt, præter mentem Augustini & veterum omnium. Quid opponendum autem ex Scripturis sit tàm huic sectæ, quàm illi, videri potest cùm alibi, tum in Disp. Theol. D. Conr. Horneji, part. 2. disp. 2. sect. 2. Et hosce intra terminos si stetissent Arminiani, laudem immortalem meriti essent. Sed longiùs, quam par erat, progressi (quod de omnibus tamen accipiendum non est) invaserunt ipsam religionis arcem, peccato originis in dubium vocato & sanctissimo Trinitatis dogmate relato inter ea, de quibus salva fide & Ecclesiasticâ communione sic aut aliter sentiri queat: quod profectò dolendum est.

Cæterùm inter Pontificios etiam dimicatur de prædestinatione acriter, plerisq; pro Augustini & Thomæ auctoritate adeoq; pro absol. decr. decertantibus. Quod præ cæteris tamen insigniter *Dominicani* faciunt, ex quorum ordine fuit Thomas. Hi ægerrimè ferunt *Jesuitarum* quorundam dissensum, qui nobiscum statuunt, electionem factam esse secundùm præscientiam. Provocatum est ad Pontificem: qui suum judicium interponere noluit, sed permisit utrisq; sentiendi libertatem citra mutuam condemnationem. Nec ipsis verò inter se, vel Dominicanis vel Jesuitis, in propria explicanda sententia convenit, sed abitur in varia utrinq;. dum suam quælibet pars sententiam tutatur. Moderatio interim servatur animorum, ne alteri alteros damnent hæreseos: quæ virtus suo encomio frustranda non est. Ex scriptis, quæ edita à Jesuitis sunt pro vera & Scripturis consentanea sententia, eminent præcipuè, quæ auctores habent Ludovicum Molinam & Leonhartum Lessium, operosè & accuratè disputantes de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, & sic consequenter de Prædestinatione facta secundùm præscientiam liberæ cooperationis humanæ præstitæ ex virtute Gratiæ.

Supersunt *Photiniani*: de quibus hîc dicere tempus non permittit, nec tantopere refert. Videantur Theologi nostri passim. Hic pausa esto.

TESTIMONIA VETERVM.

SEd ajunt, Prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam; quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide & veritate prædestinationem totiens commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & velle & ope-

operari pro bona voluntate sua, ideo non ipse, & ut velimus quæ Deo placeant & operemur hortatus est? &c. *Augustinus l. de Bono perseverantiæ c. 14.*

In electione, quicquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione sociabatur. *Ambrosius l. 2. de Vocatione gentium c. 10.*

Prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros. *Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 24.*

Vnus Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, & justificat vocatos, & glorificat justificatos. *Idem ibid.*

Si ergò impossibile est ista non fieri, quia nec incerta præscientia Dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio; omnes isti, de quibus hæc prædicta sunt, sine cujusquam exceptione salvantur. *Ambrosius l. 1. de Vocat. gentium. c. 3.*

Christum post resurrectionem ejus à mortuis intulit cœlo Deus, atq; ibi tantisper detinet, dum hostiliter adversantes ei dæmones percutiat, & eorum numerus, qui boni atq; probati esse ab eo præcogniti sunt, expleatur. *Justinus Apol. pro Christianis.*

Non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti & impegerunt in eam, & non cecidit, eò quod fundata esset supra petram: petra autem est Christus. Itaq; nec verbositate Philosophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. *Bernhardus Serm. 79. super Cantica.*

Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, ut ostendatur & ipsis & aliis cohæredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunq; ætate moriatur. *Augustinus contra Julianum l. 5. c. 3.*

LOCVS



LOCVS XIV.

DE

CVLTV INVOCATIONIS.

pag. 578.

Vtilissimum est, rectè, diligenter & copiosè erudiri Ecclesiam de Invocatione, quæ proprium solius Ecclesiæ opus est.



HVjus Aphorismi veritate præsupposita IV. constituemus capita, quibus utilissima hæc doctrina inclusa proponatur: consideraturi I. quis sit invocandus. II. per quem. III. quomodo. IV. quodnam sit invocationis objectum, circa quod Invocatio versatur. Quibus tamen omnibus præmittendum est, quid nomine *Invocationis* intelligatur: nempe explicatio ardens ac seria cordis nostri coram Deo cum subjectione erga ipsum totali, qua fiducialiter precamur aliquid ab ipso nobis vel aliis, aut deprecamur etiam, vel deniq; gratias debitas pro acceptis beneficiis agimus.

Species igitur religiosæ Invocationis seu Orationis aut Adorationis (hæc enim pro Synonymis habemus) sunt quatuor, enumerante 1. Tim. II, 1. ipsomet Apostolo: Vtpote, I. προσευχὴ, *precatio*, qua petimus, quæ cùm ad Dei gloriam spectant, tùm ad commodum nostrum faciunt; v. g. sanctificationem divini nominis, panem quotidianum. II. δέησις, *deprecatio*, qua petimus malorum vel imminentium vel præsentium aversionem; sicut in oratione Dominica petimus remis-

Invocationis seu Adorationis 4. species.

remiſſionem peccatorum, & ne in tentationes inducamur, ac liberationem à malo. III. ἔντευξις, *interpellatio vel interceſſio* ſeu poſtulatio facta pro alio vel aliis; ſicut Act. XII, 5. Eccleſiam legimus oraſſe pro Petro in carcere cuſtodito: ſicut & in oratione Dominica ſinguli oramus pro omnibus & pro ſingulis omnes. IV. εὐχαριστία, qua Deo perſolvimus gratias pro beneficiis in nos alioſq; collatis.

Et *hæc omnia requirunt ſubjectionem totalem*, ſive ejusmodi voluntatis inclinationem, qua homo feratur in Deum, ſeſe coram eo totum proſternendo eiq; ſe penitiſſimè ſubmittendo. Vel, ut plenius dicam, tres actus complectitur religioſa adoratio, ſicut quilibet alius non religioſus cultus. I. *actum intellectûs*, quo apprehendimus excellentiam ejus, quem colimus. Nemo enim colitur, niſi ob excellentiam aliquam. II. *actum voluntatis*, quo nos illi interiùs inclinamur, & aliquid volumus facere actu interiore vel exteriore, quo proteſtemur ejus excellentiam & noſtram ſubjectionem. III. *actum exteriorem*, quo caput inclinamus vel genu flectimus, vel aliquod aliud ſignum ſubjectionis oſtendimus. *Ex quibus actibus ſecundus eſt maximè proprius & eſſentialis.* Nam primus actus poteſt eſſe ſine adoratione: ſecundus absq; tertio: tertius etiam cum irriſione; ſicut hæc totidem ferè verbis rectè Bellarm. tradit l. de Sanctorum beatit. c. 12. §. 1. repetita à Becano T. 1. Opuſc. 14. c. 21. §. 3. Vnde tandem *Invocatio*, de qua hîc nobis agendum, definiri poteſt, Dei noſtro intellectu cogniti & apprehenſi, ut autoris & largitoris omnium animæ & corporis cùm hujus tùm alterius vitæ bonorum, cultus & veneratio, conſiſtens in plena voluntatis fiducia erga ipſum ac ſubmiſſione quoad omnia.

Adorationis Religioſæ III. Actus.

Quis invocandus?

Jam quod attinet I. Caput, quis ſit invocandus? certum eſt apud omnes, Invocationem, quam definivimus, quæ uno verbo religioſa dicitur, deberi *vero Deo*, qui juvare omnium optimè novit invocantes ſe, &, qua eſt potentia ac bonitate immenſa, vult juvare poteſtq;, peculiare iſtud inſuper habens, quòd ad ipſum pertingunt quorumvis ubiq; terrarum clamantium voces, qui idem meliùs etiam intelligit, quibus opus habeamus, quomodo, quando, ac quousq; ſimus liberandi, quàm exponi à nobis poſſit. Hic itaq; ſe invocari mandat & invocantibus ſe ſpem certam exauditionis facit, Pſ. L, 15. Hic cùm exaudiat orationem, ſupplex fit ei omnis caro, Pſ. LXV, 3. Et ſic inſtruimur ad orandum à Chriſto, ut dicamus: *Pater noſter, qui es in cœlis*; ſub nomine *Patris* intellectâ tota Trinitate. Matth. VI, 9. Nec legitur in Scripturis ullus Sanctorum oraſſe, qui ad hunc Deum & Patrem orationem non direxerit. Soli quin etiam ei hunc cultum deferri

ferri oportere, Christi verba docent Matth. IV, 10. *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies.*

Pontificii hic graviter errant, tribuentes cultum invocationis & adorationis Angelis quoq; & beatis animabus. Quibus hoc opponimus argumentum: Solus Deus est religiosè invocandus. Ergò non Angeli, non alii Sancti. Manifesta enim est exclusiva: *Ei* (Domino Deo tuo, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus) *soli servies.* In quorum verborum priore etiam parte subintelligi debere exclusivam *solum*, ac si dixisset Christus: Dominum Deum tuum solum adorabis illiq; soli servies; monent ex ipsis Pontificiis interpretes duo celeberrimi, Jansenius & Maldonatus. Nec verò est, quod nos argumenti hujus vim urgentes Gregorius de Valentia vocet *simplices Theologos*, qui discrimen duliæ, hyperduliæ & latriæ non capiamus & admittamus, l. 1. de idolol. c. 1. Capimus equidem sufficienter, quid sibi velint illa distinctione Pontificii; sed ejus beneficio evadere ipsos posse, quò minùs feriat eos argumentum nostrum, id verò haud dum capere nos lubentes fatemur; & simplex sit, qui distinctionem istam sensu Pontificio admiserit.

Pontificiorum error.

Nimirum progrediuntur hunc in modum. *Tot sunt species adorationis* sive cultûs, *quot sunt species excellentiæ:* quia cultus sive adoratio cùm sit quædam nota submissionis, semper exhibetur alicui ratione excellentiæ, ut dictum est. Atq;, quod ad præsens institutum pertinet, tres sunt species excellentiæ: Prima est divina & infinita. Secunda humana seu naturalis, quæ fundatur in humanis virtutibus, dignitatibus & officiis. Tertia est media inter divinam & humanam, quæ consistit in donis supernaturalibus, cujusmodi sunt gratia & gloria Sanctorum. Triplex igitur est etiam adoratio; quarum prima vocatur *Latria*, quæ debetur soli Deo: Secunda, *cultus civilis*, seu observantia quædam humana, cujus iterum distinctæ species. Alius enim honoris cultus debetur Principibus, alius Parentibus, alius Præceptoribus, Sapientibus, Eruditis. Tertia vocatur *Dulia*, quæ debetur Angelis & Sanctis. Hanc postremam speciem ita porrò statuminant. Quò major fuerit excellentia alicujus, eò major debet esse cultus & adoratio. Sed in Angelis & aliis Sanctis apprehendimus majorem excellentiam, quàm sit civilis & politica; nempe sanctitatis, filiorum Dei & hæredum regni cœlestis. Ergò debemus illis majorem cultum & adorationem, quàm hominibus in dignitate civili constitutis. Hinc deniq; quoniam inter ipsos Sanctos quidam eminentiores aliis, ut Humanitas Christi & B. Virgo, idcircò his etiam major cultus jubetur tribui, quàm aliis; & vocari solet *Hyperdulia.*

Discrimen Latriæ, Duliæ & Hyperduliæ secundùm Pontificios.

Omnis cultus est vel religiosus, vel non-religiosus.

Ita illi; præcipuè Bellarm. & Becanus locis citatis. In quo discursu varia sunt elimanda. Et I. concedimus, cultum rectè dividi secundùm differentiam excellentiæ. Subsumo: *Atqui excellentia omnis secundùm totam latitudinem est vel increata* & infinita, *vel creata* & finita. Ergò & cultus in universum duplex: unus religiosus, qui increatæ competit; alter non-religiosus, qui creatæ excellentiæ est proprius. Hac distinctione, utpote immediatiore & quæ totam exhaurit latitudinem dividendi, corrigimus eam, quæ Pontificiorum est. Nam profectò immediatè sibi invicem opponuntur, ut ipsum ens creatum & increatum, finitum & infinitum, sic excellentia quoq; creata & increata, &, qui in harum alterutra fundatur, cultus religiosus & non religiosus. Atq; sub hac διχοτομία continetur comprehensa Pontificiorum illa τειχοτομία. Excellentia enim divina & infinita, quam vocant, annon est increata? & cultus ei respondens, quem latriam vocant, nonne religiosus est? Reliquæ duæ autem excellentiæ, & qui eis respondent diversi cultus, quorum alter civilis dicitur, alter dulia vel etiam hyperdulia, sunt profectò excellentia creata & cultus non-religiosus. Hoc itaq; primò contra ipsos observetur. II. Malè appellant excellentiæ & adorationis seu cultûs species, quæ toto inter se genere distinguuntur. Nam *increata excellentia*, quæ in Deo est, & *creata*, quæ hominum quorundam est in hac vita civili, Angelorum item & Beatorum in altera vita, sanè *genere differunt*; ac per consequens etiam *cultus religiosus & non-religiosus*, quorum ille increatæ convenit excellentiæ & dicitur Latria, hic creatæ, & vel est civilis, vel Dulia aut Hyperdulia. III. Concedamus, majori excellentiæ majorem deberi cultum, adeoq; Angelis etiam & aliis Sanctis majorem, quàm hominibus in dignitate civili constitutis. Sit modò iste cultus genere idé cum non-religioso, qui finito enti competit, & genere diversus à religioso, qui soli infinitæ excellentiæ, quæ in Deo est & non extra eum, debetur. Quæ enim extra Deum sunt, omnia sunt finita. Civilem cultum Angelis & qui vita hac excesserunt Sanctis tribuendum esse, nec ipse dixerim. Videtur enim vocabulum paulò angustius, quàm ut possit cultui, qui soli Deo debetur, immediatè opponi. Illis convenit propriè cultus civilis, qui vitam hoc in ævo, ubi nos degimus, civilem vivunt: quod in Angelos & beatas animas quadrat minimè. Dicatur itaq; cultus, quo ipsos prosequi decet, *non religiosus*: ut ita genere is quidem conveniat cum eo, quem hominibus in hac vita civili deferimus, specie autem ab eo distinctus sit, quin genere etiam toto distet à divino, quem religiosum vocamus, qui solius est Dei.

Totum

Totum ſimpliciter hoc genus religioſæ adorationis à ſe removet Angelus, & ſoli Deo vindicat Apoc. XIX, 10. dicens Johanni adorare eum volenti, quem per errorem Filium Dei, cujus apparitiones ipſi non infrequentes aliàs erant, credebat: *Vide ne feceris: Deum adora.* Et addens rationem: σύνδουλός σου εἰμὶ: *Conſervus tuus ſum & fratrum tuorum*, ſpeciatim Duliam, ſeu ſervitutem, fortiſſimè excludit, quòd ſerviat unà cum Johanne eidem Domino, qui Deus & Chriſtus eſt. IV. Peccatur in humanitatem Chriſti, tributo ei cultu à latria diſtincto. Vnde ſequetur, duobus cultibus Chriſtum proſequendum eſſe: uno ſecundùm divinam, altero ſecundùm humanam naturam: cujus contrarium apertè & ſub anathemate habetur in Concilio Epheſino: Vno videl. cultu Chriſtum eſſe adorandum, & eo quidem, qui Latria Pontificiis dicitur. Quia enim quoad perſonam unus eſt Chriſtus, una etiam adoratione coli debet. Quippe proprium & adæquatum adorationis ſubjectum & principium Quod, ut vocant, eſt perſona: cauſa autem adorationis & principium Quo eſt divina Chriſti natura. Quæ cùm perſonaliter ſuſtentet ac terminet humanam, ita, ut extra eam hæc non ſubſiſtat; ideò ipſa hæc quoque uno indiviſo adorationis cultu honoratur in perſona Verbi: ſicut in perſona hominis honoratur id totum, quod pertinet ad hominem. V. Fingitur diſcrimen inter Latriam & Duliam, quod neque in Scripturis fundamentum habet neque in antiquitate Eccleſiaſtica. In Scripturis Latria aliquando refertur ad homines, Deut. XXIIX, 48. Lev. XXIII, 7. & Dulia ad Deum, Act. XX, 19. I. Theſſ. I, 9. Ac ſicuti Ebræum עבד, *ſervire*, (quod extat Deut. VI, 12.) LXX. & hos ſequutus Evangeliſta per λατρεύειν; ſic vice verſa Vulgatus Interpres λατρεύειν iſtud per *ſervire* exponit: *Illi ſoli ſervies*, Matth. IV, 10. Eodem modo ſancti etiam Patres promiſcuè hæc duo capiunt, ſimpliciter negantes, creaturam, quæcunque tandem ſit, adoratione ac duliâ ſeu ſervitute colendam eſſe. Eccleſia Smyrnenſis apud Euſeb. l. 4. hiſt. Eccl. c. 14. *Dei Filium adoramus: martyres autem tanquam diſcipulos & imitatores Domini propter incredibilem eorum in Regem & Præceptorem ſuum benevolentiam dignè amamus, quorum ſocii & diſcipuli eſſe exoptamus.* Origenes l. 1. explan. ep. ad Rom. c. 1. *Adorare alium præter Patrem, Filium & Sp. Sanctum, impietatis eſt crimen.* B. Hier. ep. LIII. ad Riparium: *Nos non dico martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſeculo & in futuro, colimus & adoramus, ne* ſerviamus *creaturæ potiùs quam Creatori, qui eſt benedictus in ſecula.*

Cyrill.

Cyrill. l. 2. Thes. c. 1. *Nemo ignorat, nulli prorsus naturæ, præterquam Deo, adorationem à Scriptura contribui. Scriptum est enim:* Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies. S. August. l. de vera relig. cap. ult. ita de sanctis demortuis pronunciat: *Honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Et ibid. de bonis Angelis: *Honoramus eos caritate,* non servitute. Fulgentius l. de fide orthodoxa ad Donatum: *Si creatura esset* (Filius Dei,) serviendum ei *Sanctarum Sciptur arum autoritas non juberet, sed potiùs prohiberet: in primo enim Decalogi mandato sicut unius* Dei cultura servitusq; *manifestissimè præcipitur, ita omnis* creaturæ adoratio *ac servitus à fidelibus exhibenda vehementissimè prohibetur.* Hæc ita illi; à quorum doctrina & praxi longissimè absunt Pontificii, constituentes tres adorationis species, ac duliam meris creaturis atttribuentes. Quod si alicubi in Scriptura V. Testamenti leguntur *adorati Angeli & Homines,* adorationis vox ibi pro externo honoris & venerationis ritu usurpatur: non pro religiosa adoratione, quæ totali voluntatis subjectione constituitur: de qua hic quæstio est. VI. Fucus est deniq; hæc vocabulorum Duliæ & Latriæ distinctio, cùm secundùm rem idem sit, qui Deo & Sanctis tribuitur cultus. Certè nihil ad hanc aut futuram vitam pertinens à Deo peti potest, quod idem & iisdem etiam verbis non à Sanctis petant Pontificii. *Psalterium Mariæ* & *Rosaria* ipsorum id luculenter testantur, in quibus poscunt immediatè Mariam, Petrum & alios Sanctos, quæ largiri solius Dei est, peccatorum remissionem, mentium illuminationem, defensionem ab inimicis, liberationem à potestate Satanæ, præsens auxilium in hora mortis, salutem & vitam æternam. Quid notius & inter eos frequentius hac formula?

Maria Mater gratiæ, *Tu nos ab hoste protege,*
Mater misericordiæ, *In hora mortis suscipe.*

Sanctos itaq; agnoscunt largitores beneficiorum corporalium & spiritualium, hujus & futuræ vitæ, illisq; se fiducialiter subjiciunt in omnibus necessitatibus: qui est sanè divinus cultus & ipsa summa latria, atq; adeò certissima idololatria: Divino enim cultu creaturam prosequi, est *idololatriæ crimine* obstringi. A quo immunes eos haud præstat Duliæ & Latriæ distinctio: quæ, ut dixi, vocabulorum est, non ipsius rei. In re enim nihil hæ formulæ discrepant: Deus, da mihi vitam æternam! &, Petre da mihi vitam æternam! quandoquidem qui in priore & genuina Deo defertur honor, idem ille in posteriore & adulterina transfertur, precationis formâ nil mutatâ, in Petrum. Adde, quod & ill

idolo

idololatræ in Scripturis dicantur, qui duliam exhibent iis, qui naturâ non ſunt Dii, Gal. IV, 8. & quod vix milleſimus è vulgo capere queat ſubtile, quod fingunt, latriæ & duliæ diſcrimen, æquè uti nec illud, quod Suarez & Tannerus admittunt inter *latriam primariam* & *ſecundariam:* quam poſteriorem Sanctis deferendam eſſe concedunt, citante Gerhardo, Conf. Cathol. l. 2. ſpec. part. 2. pag. 594. ſeq. Vnde fit, quin fieri neceſſe eſt, ut plurimi, qui ſimpliciores ſunt (quicquid ſit de Doctoribus & eruditis: totam enim ipſorum Eccleſiam idololatricam pronunciare non audeo) per latriam, quanta ſumma eſſe poteſt, ſanctos religiosè invocent, & magis internè religioſo affectu erga beatam Virginem & aliquem Sanctorum afficiantur, quos ut principales adjutores invocant, quàm erga Deum ejusq; Filium: quod fatetur M. Ant. de Dom. l. VII. de Rep. Eccl. c. 12. num. 28. Sed de his ſatis.

Secundum tractationis noſtræ membrum eſt, per quem Deus ſit invocandus? Hoc nos Dei Filius, qui eſt in ſinu Patris, docet Joh. XVI, 23. *Amen, Amen, dico vobis, quæcunq; petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Quia nimirum indigni nos ſumus, qui à Deo quidquam impetremus; ideoq; non noſtro, ſed alieno nomine preces concipere neceſſe habemus, & in nomine quidem illius, quem novimus Deo Patri intimè dilectum, Matth. III, 17. noſtrumq; in illius conſpectu deprecatorem certiſſimum, interq; illum ac nos Mediatorem unicum. *Vnus* quippe *Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* Qui nomen adimplet Mediatoris non tantùm quoad redemtionē, *ſeſe ipſe dans redemtionis precium pro omnibus*, 1. Tim. II, 5. 6. ſed quoad interceſſionem etiam, *conſidens ad dextram Dei & interpellans pro nobis*, Rom. IIX, 34. noſtrumq; adeò *advocatum* agens *apud Patrem*, 1. Joh. II, 1. tanta cum auctoritate, ut *ſervare perfectè poſſit eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro eis*, Ebr. VII, 25. *in quo* proinde *habemus loquendi libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipſius*, Eph. III, 12. *Hic Benjamin* ille noſter, quo non adducto coram Patre comparere non audemus. Hic *lapis*, cui orantes validè innitimur. Hic *altare* noſtrum, in quo thymiamata piarum precum Deo offerimus, in odorem bonæ fragrantiæ. Hic ille, qui mandatum in ipſius nomine Deum compellandi ipſe tulit, diſcipulis dicens: *Hactenùs nihil petiiſtis in meo nomine*; *petite:* ſpemq; exauditionis confirmavit nobis, ſubjungens: *& accipietis*, Joh. XVI, 24. quam promiſſionem, juramento ibidem communitam, pluries aliàs etiam repetiit, Joh. XIV, 13. 14. Oraturi igitur hoc utamur Mediatore, hoc Pontifice, hoc Advocato, dicentes: *Auſculta, Deus noſter, orationi noſtræ, propter Dominum*, Dan. IX, 17. eum nempe, qui eodem

Per Quem Deus invocandus ſit?

dem in capite dicitur *Sanctus sanctorum*, ad hoc *ungendus*, ut *cohibeat defectionem & obsignet peccata & expiet iniquitatem & adducat justitiam perpetuam*, ℣. 24.

Pontificiorum error de Sanctorum intercessione.

Pontificii hîc iterum impingunt, dum invocant Deum non per solum Christum, sed per Sanctos etiam cum Christo regnantes in cœlo, quorum intercessione apud Deum juvari expetunt, atq; hoc nomine *ut comprecatores eos compellant & ut mediatores inter Deum & homines*, qui *suis precibus Deum nobis propitium reddant, quò faciliùs per Christum impetremus, quæ poscimus*: scribente Bellarm. l. de Sanct. Beatit. c. 20. *Christus* videl. est unicus *Mediator redemtionis*: Sancti autem unà cum Christo sunt *Mediatores intercessionis*. Et Christus est *intercessor immediatus, qui per se impetrat: Sancti autem mediati, qui non nisi per Mediatorem Christum impetrant*. lib. eod. c. 17. Huc allegant, quòd Scriptura ipsamet *Mosen* vocet *Mediatorem*, Gal. III, 19. &, ad distinctionem Mosis, Christum *Mediatorem N. Testamenti*, Ebr. IX, 15. Non repugnare igitur plures esse Mediatores. *Et cùm in utroq; Testamento sæpè legamus, viventes Sanctos à viventibus invocatos*, 1. Sam. VII, 8. Hiob. XLII, 8. Rom. XV, 30. Eph. VI, 19. &c. *Ergò*, infert Bellarm. c. 19. *licebit etiam nunc invocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes*: *quos orare pro nobis, cùm in genere, tum in particulari*, dixerat c. 18. *quos & nostras orationes, quibus eos adfamur*, asserit *cognoscere*, c. 20. *Oramus igitur*, inquit Lombardus, *ut intercedant pro nobis*, l. 4. dist. 45. G. *Idq;*, commentante in istum locum Estio, *tantò utiliùs, quantò illi Deo sunt conjunctiores nostraq; salutis amantiores, & tantò securiùs, quantò de illorum perfecta & consummata charitate sumus certiores*: *cùm sint*, ut rursum Bellarm. habet, c. 19. *majore charitate præditi quam anteà*, atq; (ut loquitur Cypr. serm. de mortalitate) *de sua immortalitate securi & de nostra incolumitate solliciti*. Tandemq; uno hoc pacto favorabilem reddere Sanctorum invocationem conantur, quòd nihil præter intercessionem à Sanctis petant. *Non licet*, ait Bellarminus, *à Sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaq; ad beatitudinem media concedant: sed ut orent pro nobis & oratione sua à Deo impetrent, quæ nobis utilia sunt*. lib. cit. c. 17. Atq; hunc in sensum interpretatur ibidem molliter formulas duriores: *S. Petre, miserere mei, salva me, aperi mihi aditum cœli: item, Da mihi sanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem &c.* quas pronunciat, *quantum ad verba, licitas*; *dummodò intelligamus, Salva me & miserere mei orando pro me, Da mihi hoc & illud tuis precibus & meritis. Intercedunt* nempe *ad Deum pro nobis Sancti*; *& merito, dum illorum merita suffragantur nobis*; *&*

affectu,

affectu, dum vota nostra cupiunt impleri, ut est apud Lombardum l. d.

Resp. I. Cùm Scriptura ad unum Christum nos remittat, tanquam ad Mediatorem N. Testamenti, per quem confidenter accedere ad Patrem & nostras ei exponere preces possimus; tutissimum pronunciamus acquiescere in hoc, quem Scriptura commonstrat, Mediatore, nec alios ei adjungere, quibus nomen Mediatorum in Scripturis nullibi attribuitur. Nam *Mosen* quod attinet, *is Mediator* quidem dicitur, sed *veteris pacti*, quod iniit Deus cum Israëlitis in monte Sinai; *neq;* adeò talis audit *in negotio intercessionis* pro populo ad Deum (quod obiisse ipsum aliàs, nemo ignorat) *verùm*, ut ex ipso c. 3. Gal. patet, in negotio *legislationis*, ubi Mediatorem egit *perferendo nuncium*, *non interponendo* preces aut *meritum*; sicut & ipse dicit Deut. V, 10. 11. (vel 4. 5.) *In os locutus est Jehova vobiscum* in monte illo è medio ignis, *me stante inter Jehovam & vos* tempore illo, ad referendum vobis sermonem Jehovæ. Quin cùm opponantur inter se Mediator V. & Mediator N. Testamenti, sicut Veteris non nisi unus fuit, nempe Moses, sic Novi quoq; unus tantùm, vi oppositionis, existat necesse est: prout hoc & Paulus asserit, 1. Tim. II, 5. *Unus* (N. scil. Testamenti) *Mediator*, *Christus JESUS*. Cui dum Scriptura utrasq; assignat partes, *redimendi & intercedendi*, nec alium nobis ullum ostendit, hoc ipso ad unum illum nos confugere præcipit. Quod II. Sanctos cœlites concernit, admittit sanè Apologia A. C. quod *orent pro Ecclesia in genere*: veluti & de Angelis illud admittit. Etiamsi enim membra Ecclesiæ militantis singulatim non sint cognita Sanctis in altera vita, cùm tamen norint in genere, Ecclesiam hujus mundi adversitatibus & periculis expositam esse, & charitas eorum non sit exstincta, sed magis aucta; non dubitandum est temerè, quin sub generali conceptu, prout unum cum illis corpus Christi constituimus, pro nobis in sua beatitudine apud Deum intercedant. Possit admitti etiam, in particulari beatos pro aliquibus orare: puta, parentes pro liberis, conjuges pro conjugibus, fratres pro sororibus, amicos pro amicis: nec enim charitas, qua juncti invicem hoc in ævo fuerant specialiùs, id aliter videtur permittere, quàm ut relictorum post se incolumitatem Deo specialiùs commendent. Sed III. tamen non propterea fas est nobis, citra Scripturæ auctoritatem petere ab iis, ut à Mediatoribus, intercessionem, vel propter eorum intercessionem aliquid à Deo. Talis enim precandi ratio nullo Scripturarum sive præcepto sive promisso sive exemplo canonico innititur. Ex fide igitur non est, ex qua maximè esse debebat. Longè aliter res se habet circa Sanctorum hîc viventium compellationem, quæ præceptis nititur, 1. Tim. II, 1. Jac. V, 16. promissionibus gaudet, Gen. XX, 7.

Resp. ad obj. Pontificiorũ.

Hiob. XLII, 8. exemplis constat, 1. Sam. VII, 8. Rom. XV, 30. Hæc igitur ex fide procedit, atq; ita indubiè est legitima Deoq; placet. Hæc, inquam, vivorum compellatio aut invitatio. *Invocationem* cum Bellarmino dicere amat Becanus, Manual. l. 1. c. 7. Minùs rectè & propriè. Nam invocatio ex usu Scripturæ cultum religiosum denotat soli Deo debitum. Dicamus itaq;, Sanctos, dum hic vivunt, *compellari* à nobis & invitari ad preces pro nobis faciendas. Sed & IV. ipsum hoc non fit, nisi quatenùs & quamdiu vel coràm vel per epistolam alloqui eos datur. Peregrè profecto amico & longè remoto nemo est, qui iteratis suspiriis sermonibusve ingeminet: Ora pro me! Juva me precibus tuis! Deo me commenda! Operam enim luserit, nec sana mente sit, qui id fecerit; cùm absens ille alterius cognoscere vota & desideria nequeat. Enimverò nihilo saniores sunt, qui preces Sanctorum in altera vita degentium votis & inclamationibus suis exposcunt: cùm desit cognitio istorum votorum Sanctis illis. Vnde enim, quæso, talia cognoscant? An ex revelatione Dei? Sed nihil hujus in Scripturis habetur: extra quas de voluntate divina Sanctis quidpiam rerum nostrarum revelandi vel tantillum asserere, rejicula temeritas est. Num potiùs inde, quod à principio beatitudinis suæ Deum intuitivè videant, & in Deo omnia? At antecedens incertum est: & consequentia etiam nulla. Nam *Angeli vident* equidem *faciem Patris, qui in cœlis est*, Matth. XVIII, 10. & *ignorant* nihilominùs *diem ac horam* supremi judicii, Matth. XXIV, 36. Reliqui ab aliis allati modi cognoscendi nec ipsi Bellarmino probantur. Opera itaq; omnis frustrà hìc insumitur, luditur, perit. Et hos quidem intra terminos, quod notari V. volumus, nos contineamus, ut *frustranea* dicatur hæc compellatio; non idololatrica. Nihil enim divini Sanctis tribuitur his precibus, quibus nuda intercessio eorum flagitatur. Nec negari potest, compellatorias ejusmodi preces jam IV. cœpisse seculo; cum idololatrici cultus nulli essent in Ecclesia. Sed tamen VI. idololatriæ immersa manet *praxis* Pontificiorum. Quicquid enim sit de ipsorum *doctrina*, qua ita emolliunt preces illas, quibus immediatè à Sanctis petuntur bona hujus & futuræ vitæ, ut facilè videas idololatricum dogma secundùm se ab eis nullum defendi; dum tamen has ipsas non abrogant, sufficienter non removent à sua Ecclesia idololatriæ crimen, quod incurrere necesse est simpliciores, qui preces illas ut sonant capiunt, nec intelligunt, Sanctos dare talia non nisi suffragando nobis suis precibus & intercessionibus ac meritis. Quod postremum cedere insuper in obscurationem meriti Christi, palàm est. Et tantum etiam de secundo membro: Per quem Deus sit invocandus?

Sequitur tertium, *Quomodo* invocatio debeat institui, ut Deo placeat & certò impetremus, quæ orando postulamus? Ad modum hunc referimus formam & constitutionem legitimam precum ac precantium tàm internam quàm externam. **Invocatio fieri debet.**

Interna requisitum primum est Humilitas: ut agnoscentes egestatem & indignitatem nostram majestatemque Dei abjecto omni fastu supplices nos sistamus *Patri cœlesti, cui est regnum & potentia & gloria*, Matth. VI, 9. 13. *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Petr. V, 5. sicuti id docemur à Christo parabola de Pharisæo & Publicano orantibus unà, altero superbè & sine effectu, altero humiliter & efficaciter, Luc. 18. Manet enim illud Judithæ: *Superbi nunquam placuerunt tibi, Domine: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* c. IX, 13. Notanter de hac conditione S. Bernh. loquitur serm. de quatuor modis orandi: *Omninò oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam utiq; curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum Spirituum exercitu. Quanta ergò cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm supplex, quàm deniq; humilis & sollicitus & toto intentus animo majestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa est opus animi vigilantia, sed præcipuè in oratione.* Hæc ille: comprehendens simul alteram conditionem, quæ est Devotio, i. e. studium attentè, sollicitè, diligenter & ardenter orandi: ut *ne* videl. *appropinquemus ore solo & labiis honoremus Deum, corde procul amoto*, Esa. XXIX, 13. sed *animam ipsam attollamus ad Jehovam*, Psal. CXLIII, 8. & *coram ipso effundamus corda nostra*, Psal. LXII, 9 nam hoc demum verè est precari in conspectu Dei. Qua de re ita pleniùs Chrysost. hom. 79. ad pop. Antioch. *Si corpore humi prostrato & ore in cassum nugante mens totam domum & forum circumeat, quomodo is dici poterit, quod in conspectu Dei precatus sit? nam orat in Dei conspectu, qui totam colligit animam suam, nihil habens commune cum terra, sed in ipsum se transferens cœlum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem.* Paulo pòst brevitatem commendans intentiùs precaturis, quam & ipse Christus, præscriptâ formulâ orandi concisiore, suis, quos à battologia inani alienos volebat, Matth. VI. commendavit: *Oportet*, ait, *orantē sermones nō longos extendere & jugiter orare. Breves enim & frequentes orationes Christus & Paulus fieri præceperunt ex parvis intervallis, nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus multam diabolo subrependi facultatem dederis & supplantandi & abducendi*

I. Humiliter.

II. Devotè.

cendi cogitationem ab his, quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias totumq; tempus interpoles frequentia, facilè modestiam exhibere poteris, & ipsas orationes cum multa facies solertia. Item: *Non tàm voce opus est, quàm cogitatione; nec tàm extensione manuum, quàm intentione animi: neq; figura, sed intellectu.* Hæc ita ille.

III. Purè. Tertium requisitum est mentis puritas. *Manus* enim vult Apostolus *elevari puras*, I. Tim. II, 8. significans metaphoricè per manus puras puritatem internam, i. e. sanctitatem & innocentiam, juxta Psalm. XXVI, 6. ut sint animi inter alia puri *ab ira* καὶ διαλογισμῶ, *disceptatione* sive contentione, ut ipse mox ibidem addit: puri à studio tenendi odia & simultates, Matth. V, 23. VI, 15. puri ab immisericordia erga pauperes & afflictos, Prov. XXI, 13. puri à cœde & sanguine vel quavis operum inhumanitate, Esa. I, 15. à luxu denique, Jac. IV, 3. & quibuslibet aliis regnantibus peccatis. *Peccatores* enim *Deus non exaudit*: Joh. IX, 31. intellige impœnitentes & in peccatis perseverantes: quod & alibi Scriptura dicit, Psal. LXVI, 18. Prov. XV, 29. XXIIX, 9. Qui verò animum perseverandi non habent, rectiùs pœnitentes dicuntur quam peccatores, ut observant, ex Scripturæ usu, Hugo & Cajetanus in h. l. Si penitiùs autem inspiciamus textum, placet potissimùm Lyrani explicatio: *Peccatores non audit* (Deus) *faciendo miracula ad testimonium bonitatis eorum.* Quicquid sit de hoc loco, res ipsa aliunde certa est. *Amoveamus* igitur *malignitatem actionum à conspectu Dei*, Esa. I, 16 tumque, *si quid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam præcepta ejus custodimus & ea quæ ipsi placent facimus*, 1. Joh. III, 22. *Oratio justi* (inquit S. Aug.) *clavis est cœli.* — *Audit Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.* serm. 226. de Temp.

IV. Fiducialiter. Quartum requisitum est Fides: per quam non intelligimus solummodò salutarem assensum verbo divino habitum veramque Dei ac Filii ejus Jesu Christi cognitionem, de qua fide scriptum est: *Quomodo invocabunt eum, in quem non credunt?* Rom. X, 14. sed etiam firmam fiduciam, qua adhæreamus potentiæ & benignitati divinæ, certò credentes, Deum posse facere, quod petimus, & simul confisi, eum id, quod petimus, pro sua benignitate facturum: de qua fide scriptum est Jac. I, 6. *Postulat cum fide, nihil ambigens.* Quousque autem hæc se fiducia extendat, docemur 1. Joh. V, 14. *Hæc est fiducia, quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundùm voluntatem ejus, nos audire.* Et cum hac limitatione intelligendum illud quoque Christi Marc. XI, 24. *Propterea dico vobis, quæcunq; precantes petitis, credite vos accepturos: & erunt vobis.* Ad quæ verba Theophylactus in comment. *Qui, ait, ex affectu credit, manifestum est, quod in Deum erigit*

cor suum & illi conjungitur, & certificatur cor ejus calefactum, quasi suam petitionem jam consecutum,— Propter hoc Dominus dicit, quod omnia accipietis, quæ cum fide petieritis.

Externus invocationis modus consistit in sermone, in gestibus, & in circumstantiis loci ac temporis. De sermone dicimus cum Thoma II. 2. q. 83. a. 12. quod *oratio, quæ privatim instituitur, indifferenter sese habeat, ita, ut possit vel voce, vel mente exprimi, prout placuerit*: quippe utriusque exempla in Scripturis exstant: Vocalis, sæpius; mentalis, 1. Sam. I, 13. quo loco memoratur exemplum Hannæ, *quæ Dominum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifestâ fide. Loquebatur non voce, sed corde, quia sic sciebat Deum audire: qui non vocis, sed cordis auditor est*: quæ sunt venusta S. Cypriani verba serm. de orat. Dominica. Publica verò semper vocalis esse debet: ut populus & auditores, quorum nomine concipitur à ministro Ecclesiæ, respondeant, *Amen*. 1. Cor. XIV, 16. Et hæc quoque vocalis oratio instituatur oportet linguâ notâ: publica quidem sermone vernaculo, qui ab idiotis & omnibus adstantibus intelligatur; privata autem, si non vernaculo, eo tamen idiomate, quod ipsi precanti notum sit. Improbamus itaque *Pontificios*, qui asserunt, solennes & publicas Ecclesiæ preces posse fieri linguâ latinâ ab iis etiam & ad eos, qui non intelligunt linguam latinam.

De externo modo & ritibus orationis.

Gestus & situs corporis in sanctorum precibus itidem variant; & parum refert, sive oretur *stando*, I. Reg. IIX, 22. Luc. XIIX, 11. sive *sedendo*, Gen. XLIIX, 2. sive *jacendo in lecto*, Psalm. VI, 7. 2. Reg. XX, 2. 3. sive *procidendo in terram*, Psal. XCV, 6. Matth. XXVI, 39. *positis genibus* Marc. I, 40. Luc. XXII, 41. *oculis in cœlum elevatis*, Matth. XIV, 19. Joh. XVII, 1. vel potius *dejectis in terram*, Luc. XIIX, 13. aut quocunque alio modo corpus constituatur ad orandum, dummodò animus Deo præsens peragat intentionem suam, dicente Aug. l. 2. variarum quæst. ad Simplic. q. 4. & humilitas servetur ac modestia; quo fine præ aliis omnibus Publicani exemplum hic nobis commendant Veteres. Tertull. lib. de Orat. *Cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras: ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè ac probè elatis: ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atq; dejectus orabat, justificatior pharisæo procacissimo discessit.* Cyprianus in eundem sensum l. all. *Publicanus non allevatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans & peccata intus inclusa contestans divinæ misericordiæ implorabat auxilium.*

Ad

Ad exemplum dicti publicani id peculiariter olim obtinuit inter fideles, ut peccata Deo cum tunſione pectoris confiterentur & veniam eorum hoc geſtu precarentur. Quod intelligitur ex Auguſtini ſerm. 8. de Verbis Domini, & 48. de tempore, & 3. de diverſis. Vbi, cum populus, quandocunq; verbum *Confiteor* audiebat, pectora tunderet, nec, ſicubi non confeſſionem peccati, ſed laudes & gratiarum actionem ſignificaret, ſatis attenderet aut diſtingueret; idcircò hoc ipſum explicat Auguſtinus, neceſſitate ei quodammodò impoſitâ. Loco, quem poſtremum citavimus: *Confeſſio*, ait, *aut laudantis eſt aut pœnitentis. Sunt enim parùm eruditi, qui cùm audierint confeſſionem in Scripturis, tanquam niſi peccatorum eſſe non poſſit, continuò tundunt pectora, veluti jam moneantur confiteri peccata.* Locis duobus prioribus utrobiq; eadē ſunt verba, iſta videlicet: *Non ſemper, cum in Scripturis legimus* confeſſionem, *debemus intelligere vocem peccatoris. Maximè autem hoc dicendum fuit, & hinc admonenda Charitas veſtra: quia mox ut hoc verbum ſonuit vox Lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri, audito ſcilicet, quod Dominus ait*: Confiteor Tibi Pater. *In hoc ipſo, quod ſonuit vox* Confiteor, *pectora tutudiſtis. Tundere autē pectus quid eſt niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis*, Confiteor tibi Pater? Confiteor *audiſtis*; *qui confiteatur, non attendiſtis.* Hactenùs ille.

Vſu receptum id præterea fuit, ne quis orans ſe proſterneret *à die Paſchæ ad diem Pentecoſtes*, ſed erecto corpore fungeretur officio orationis: quia in his diebus gaudium reſurrectionis Domini celebretur. Tertull. de Corona: *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paſchæ ad Pentecoſten usq; gaudemus.* Ambroſ. Serm. 61. *Scire debet ſanctitas veſtra, Fratres, hanc ſanctam Pentecoſtes diem qua ratione curemus, vel cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis jugis & continuata feſtivitas, ita, ut omni hoc tempore neq; ad obſervandum indicamus jejunia, neq; ad exorandum Deum genibus ſuccidamus: ſed, ſicut Dominicâ ſolemus facere, erecti & feriati reſurrectionem Domini celebramus.* Et quæ plura ibi ſequuntur.

Ex verbis Apoſtoli 1. Tim. II, 8. *Volo viros orare* in quovis loco, *puras manus attollentes*; fluxit mos abluendi manus ante preces purâ aquâ. Manifeſtum eſt autem ex antè dictis, deſignari hoc Apoſtoli monito puritatem internam: & ſic olim Chryſoſt. hæc verba expoſuit: *Puras* (Apoſtolus) *dicit manus i. e. mundas, non aqua lotas, verùm à cupiditate, rapina, cædibus mundas, absq; ira & diſceptatione.* Et Tertull. l. de orat. *Quæ ratio eſt*, inquit, *manibus quidem ablutis, ſpiritu*

p. 638.

ſpiritu verò ſordente orationem obire? quando & ipſis manibus ſpiritales munditiæ ſint neceſſariæ, ut à falſo, à cæde, à ſævitia, à veneficiis, ab idololatria cæteriſq; maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum operâ tranſiguntur, puræ alleventur. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas pleriq; ſuperſtitiosè curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes. Paulo pòſt id ipſum eſſe dicit *vacuæ obſervationis*; & addit nonnulla alia, ut quòd ſoleant *poſitis penulis orationem facere* nonnulli, alii *adſignata* ſive transacta *oratione aſſidere*: quæ, ut ipſe dicit, *non religioni ſed ſuperſtitioni deputantur, affectata & coacta, & curioſi potiùs quam rationalis officii.* Sub finem libri *Oſculum pacis* memorat, *quod eſt*, inquit, *ſignaculum orationis.* Sanè Apoſtolus Rom. XVI, 16. *Salutate*, ait, *alii alios oſculo ſancto* (ſanctæ charitatis pleno.) In quæ verba commentans Origenes: *Ex hoc ſermone*, inquit, *& aliis nonnullis ſimilibus* (1. Cor. XVI, 20. 2. Cor. XIII, 12. 1. Theſ. V, 25.) *mos Eccleſiæ traditus eſt, ut poſt orationes oſculo ſe invicem excipiant fratres.* Juſtinus Apol. poſter. *A precibus finitis nos invicem mutuis oſculis ſalutamus.* Sed de modo & ritibus orandi ſatis.

De loco precationis duo quæri poſſunt. I. Vbi orandum ſit? II. Verſus quam plagam ſeu partem mundi?

De priori dicimus, quod in V. Teſtamento quidem fuerit certus locus, uti patet ex Joh. IV, 20. Id tamen intelligendum de precibus ſolennibus conjunctis cum publico Sacerdotii miniſterio. Aliàs alibi quoq; orarunt, ut tres viri in fornace, Jonas in ventre piſcis. In N. Teſtamento omne locorum diſcrimen ſublatum eſt, ut colligitur ex Joh. IV, 21. 1. Tim. II, 8. Apoſtoli equidem orarunt in domibus privatis, Act. IV, 23. 24. Paulus in littore maris, Act. XX, 36. Chriſtus in monte, Matth. XIV, 23. in deſerto, Marc. I, 35. in horto, Matth. XXVI, 39. Quod verò eſt Matth. VI, 6. non abſolutè intelligendum, quaſi in publico orare non liceat, ſed quòd ſatius ſit, in conclavi privatim orare, quàm oſtentationis gratia in præſentia multorum. Ergò, ut Chryſoſt. habet Serm. 79. ad pop. Antioch. *ubicunq; fueris, ibi potes altare tuum conſtituere: nihil enim locus prohibet. — — Templum es, ne locum quæras. — Deus ſemper prope eſt. — Si mentem namq; mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro ſis, ſive in via conſtitutus, ſeu in mari, ſeu in diverſorio ſeu in officina poſitus, ſive ſis ubicunq; Deo poteris invocato petitionem obtinere.* Quæ tamen idem magnus Doctor de publicis precibus poſt aliqua ſubjungit, itidem nos addamus. *Magna vis*, inquit, *eſt orationis in Eccleſia concorditer à populo oblatæ. Nam cùm inter homines, populo ſontes viros, quando ad mortem trahuntur, petente, Rex multitudine motus ſententiam mutet: multò magis Rex*

Vbi orandum?

cœlestis à vobis placatus petita concedet. — — Et domi quidem orari potest: sic autem, ut in Ecclesia, non potest: ubi tanta Patrum multitudo: ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audiéris, ut cum fratribus tuis. Hîc enim majus aliquid est, puta, unanimitas & consonantia, charitatisq́ vinculum & Sacerdotum orationes. In eandem sententiam Tertull. Apol. c. 39. *Coimus in cœtum & congregationem: ut ad Deum, quasi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Conferantur huc Christi verba Matth. XVIII, 19. 20.

Versus quam plagam Mundi orandum? De plaga mundi, versus quam precandum, non est ut simus multùm solliciti. Thomas 1. 2. q. 102. a. 4. ad 5. dicit, *quod adoratio ad occidentem fuerit introducta in Lege ad excludendam idololatriam. Nam omnes gentiles in reverentiam solis adorabant ad orientem.* Vid. Ezech. VIII, 16. Vnde ad hoc excludendum, tabernaculum habebat Sancta Sanctorum ad occidentem, ut eò versus adorarent Judæi. Christianis contrà, ex traditione, ut Damascenus refert, Apostolicâ, fuit in more jam antiquitùs, *versus orientem orare, quia inde Dominus venturus expectetur*; juxta illud scilicet Christi, Matth. XXIV, 27. *Sicut fulgur exit ab oriente &c.* Idem probat Thomas II. 2. q. 84. a. 3. quem vide. *Quæ Orientem versus nos orare literarum forma docuit?* citatur ex Basilio apud Gratian. dist. 11. c. 5. nempe, ἄγραφός ἐστιν ἡ παράδωσις ἄυτη τῶν Αποστόλων: ut vult Damasc. l. 4. de orth fid. c. 13. Proinde *neq; simpliciter ridenda & abroganda,* (absit hoc!) *nec nimis etiam superstitiosè, quasi precibus nostris majorem vim conciliare queat atq; efficaciam, requirenda*, judicante Christ. Pelargo super Damasc. f. 201.

Tempus orationis. Tempus orationi congruum est quodvis momentum, quo nostra aut aliorum necessitas monet preces fieri ad Deum. Sicut enim quando edendum sit, quando bibendum, quando imploranda Medici cura, quærenti essemus responsuri: ubi esurieris, ede: ubi sitieris, bibe: ubi ægrotare cœperis, consule Medicum: ita quærenti, quod tempus orationi conveniat? responsum esto, quòd tum sit tempestiva oratio, quando non est ἄψυχος καὶ ἄλογος, sed præsenti necessitati & causæ ἀνάλογος. Itaq; rei cujusdam laborans indigentiâ Deum convenies, postulando, quod deesse tibi sentis: peccati pressus conscientiâ precaberis veniam & deprecaberis iram Dei: tribulationibus tibi incumbentibus, Dei opem implorabis: charitate & commiseratione motus intercedes pro fratre afflicto: sensu circumfusus beneficiorum Dei laudabis & glorificabis Deum. Hoc illud est, quod dicitur Ps. L, 15. *Invoca me tempore angustiæ, & eripiam te, ut honore afficias me.* Et Jac. I, 5.

Quod si cui vestrûm deest sapientia, petito à Deo. Et c. V, 13. *Æger est animo aliquis inter vos? oret. Bono animo est aliquis? psallat.*

Cùm negotia autem hujus vitæ multùm nos sibi vindicent, eodem illo tempore, quo causæ prægnantes subsunt ad orandum compellentes; sumserunt id sibi jam olim sancti homines, ut certos vel dies publicis, vel horas privatis publicisve precibus deputarent. Exempla leguntur Psalm. LV, 18. Joël. I, 14. Dan. VI, 11. Luc. I, 10. Act. III, 1. X, 9. Quare nec hodie id alienum est à Christiano homine, ut certas horas det precationibus: quemadmodum à famelico stomacho alienum non est, ut statis prandiis & cœnis urgenti fami occurrat; de quo, cùm id facit, dici non potest, quòd sine esurie cibum sumat. Sed objicitur illud Christi, Luc. XIIX, 1. *semper esse orandum*: & quod Apostolus dicit 1. Thess. V, 17. *Indesinenter orate.* Ac *Messaliani* quondam hoc prætextu, quòd orandum tantùm & nihil præterea agendum sit, labores aliàs debitos neglexerunt, precatiunculis quibusdam deblaterandis tempus omne transigentes; inde Euchitæ dicti. Verùm hoc Scriptura sibi non vult, semper verborum murmur repetendum esse: sed, ut Luc. XIIX. statim additur & per parabolam ibid. explicatur, *non segnescere* nos vult aut despondere animos, ut præ tædio desistamus ab orandi studio, si Deum non experiamur mox obsequentem precibus nostris. Assiduitas ergò & perseverantia, omni congruo tempore, nobis commendatur à Christo: necnon à Paulo; ut ne impatientiæ succumbamus, dum exauditio differtur: aut, si omninò latiùs extendere Pauli monitum velimus, ut ne desinamus precibus vacare, dum hîc sumus, propter infirmitatem carnis & multifaria vitæ istius pericula. Videantur ad hæc verba Paulina Chrysost. & Theophylactus.

Vltimum tractationis nostræ membrum est *objectum, circa quod* invocatio versatur: quod duplex est: vel persona, pro qua oramus, vel res, quam petendo postulamus. Res petendæ in duplici iterum sunt differentia. Vel enim petuntur ea bona à Deo, quibus malè uti nemo potest, quæque malum eventum habere nequeunt, ut sunt, quibus beatificamur: Vel, quæ possunt abusu contaminari & malum sortiri eventum, ut terrena hæc & temporalia. Prioris generis quæ sunt, *determinatè* ac sine ulla annexa conditione peti oportet. Posteriora verò *modificatè* semper sunt petenda & cum conditione addita: Si ita Deo visum nobisque salutare fuerit. Illa item *principaliter*: hæc tantùm *secundariò*; veluti est apud Thom. II. 2. q. 83. a. 5. & 6. Objectum Invocationis.

Personæ, pro quibus orare convenit, sunt omnes homines, 1. Tim. II, 1. peculiariter *sancti* Ecclesiæ cives, Eph. VI, 18. Col. IV, 12. *pastores* & mi-

& ministri Ecclesiæ. 1, Thess. V, 25. Ebr. XIII, 18. *Regesq; & quivis in eminentia constituti*, 1. Tim. II, 2. *vincti* & malis pressi, Act. XII, 5. Ebr. XIII, 2. *infirmi* & decumbentes, Jac. V, 14. Quod observavit accuratè vetustior Ecclesia in Litaniis. *Imperatorum* præcipuè ac totius Romanæ incolumitatis memores fuisse veteres Christianos, Tertullianus testis est, in Apologet. *Oramus* (ait) *pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis*. c. 39. Et disertiùs c. 30. *Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris vota sunt.* Hoc cùm illi fecerint sub imperio gentilium Magistratuum degentes, nobis hodiè quid quantumque incumbat, qui Imperatores habemus Christianos, collectu non est difficile. Sed nec *infideles* & *excommunicatos* excludere oratio nostra debet: cùm aberrantes sint in viam reducendi, Jac. V, 19. 20. nec excommunicatio ad subversionem sed ad ædificationem instituenda, 1. Cor. V, 5. Imò *nec hostes* & inimicos: pro quibus orare jubet Christus, Matth. V, 44. qui etiam ipse pro crucifixoribus suis oravit, Luc. XXIII, 34. Adde Rom. XII, 14. & Davidis exemplum Ps. XXXV, 13. Quod alibi autem idem *David aliiq; sancti leguntur imprecati aliquibus vel temporariam quandam calamitatem, conversionis ipsorum bono, vel etiam finale excidium*; id temerè imitandum nobis non est, ne, quod erga eos, quos constabat Dei & Ecclesiæ hostes esse, illi ex spiritu prophetico & divino zelo fecerunt legitimè, nos humano affectu, erga eos, de quibus id non æquè nobis constat, ex animo vindictæ cupido committamus illegitimè.

An pro mortuis verò etiam orare licitum sit, quæri hoc loco solet. Sciendum autem, unicè de iis, qui in fide & pietate decesserunt, quæstionem esse: pro quibus orare, ritus est, non quidem necessarius, sed nec reprehensibilis, multò minùs damnabilis, si iis videlicet precemur, quod Paulus Onesiphoro & familiæ ejus precatus est: ut *concedat eis Dominus* (Deus pater) *invenire misericordiam apud Dominum* (Christum, Filium ejus, Judicem omnium) *in die illo* (extremi judicii.) 2. Tim. I, 18. remotis variis illis superstitionibus, quas antiquæ nec à Scripturis alienæ consuetudini posteriora secula assuerunt. Certè hoc pacto Apol. Aug. Conf. orationem pro mortuis admittit contra Aërium. tit. de vocabulis Missæ, Dodec. 478. Et nos Apologiæ sententiam hoc argumento stabilimus: De quibus non tantùm, quòd indigi sint misericordiæ in die illo, certò constat, sed spes etiam est, quod inventuri sint eam apud Dominum in illo die, iis rectè post mortem etiamnum precamur misericordiam. Atqui de piè defunctis non tantum, quòd indigi

An pro mortuis liceat orare?

sint

sint misericordiæ in die illo, certò constat: (inde scil. quod suas hîc habuerint imbecillitates, ob quas subsistere in judicio illo nullatenùs possint, nisi gratiosè & misericorditer potiùs, quam secundùm justitiæ rigorem judicentur:) sed & spes est de iisdem, inventuros eos misericordiam in illo die. (quippe hac spe indubiâ Paulus eam Onesiphoro est precatus.) Ergò talibus rectè eam nos quoque post mortem etiamnum precamur. Subintellige; *semel atq; iterum, ex libera devotione*: quæ B. Lutheri fuit sententia, quam allegat & approbat Vrbanus Regius, libell. de formulis cautè loquendi, c. 17. §. 8. subjiciens §. 9. ista insuper verba: *Et hæc erat olim & est nunc in Ecclesia Catholica memoria defunctorum, quæ evidens testimonium est charitatis (erga commembra nostra ex hoc seculo emigrantia,) & fidei de gloriosa carnis resurrectione, & cùm sit fidei fructus, quæ per charitatem operatur, nemo eam rejiciet, nisi Epicurei & Sadducæi.* Hæc ille; quibus hunc de Invocatione locum obsignamus.

TESTIMONIA VETERVM.

TEmpus jam est, Viri Græci — vos divinis Prophetarum vacare libris, & ex eis veram addiscere religionem. *Justinus Martyr in cohort. ad Græcos.*

Piæ quidem religionis & veritatis de universo ratio cognitioque, non tam indiget humana institutione, quàm ipsa se suis notis, indiciisque prodit: quum propè quotidiè ipsis id operibus clamitet, & per Christi doctrinam sole clariùs sese demonstret. *Athanasius orat. contra Gentes.*

Ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, pater rerum ac Dominus, constitutor moderatorque cunctorum: in hoc omne quod colendum est colimus, quod adorari convenit, adoramus. *Arnobius adversus Gentes l. 3.*

Verus es tamen & sine mendacio Deus: propterea & in omnibus laudo te & benedico te & glorifico te per æternum Deum & pontificem Jesum Christum, dilectum filium tuum, per quem & cum quo tibi cum Spiritu Sancto gloria & nunc & in futura secula, Amen. *Sic Polycarpus Smyrnensis Episcopus & Johannis Apostoli discipulus, palo affixus, quo vivus comburebatur, conclusit invocationem Dei & orationem ultimam, teste Eusebio l. 4. Histor. Eccles. c. 15.*

Et profitemur quidem nos talium, qui habentur, deorum esse expertes & atheos, sed non verissimi illius Dei, patris videl. justitiæ, & castitatis & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni, expertes. Verùm hunc ipsum & qui ab eo venit, atque ista nos & aliorum obsequentium exæquatorumque (*ad voluntatem ejus*) bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes. *Justin. Mart. Apol. 2. pro Christianis.*

Deum colimus per Christum. *Tertullianus Apolog. contra Gentes cap.* 21.

Quia prodire obviam fatuæ (*virgines*) extinctis lampadibus non possunt, deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mutent. Quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit fortè, quòd omnibus satis sit, alienis scil. operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse. *Hilarius Comm. in Matth. can.* 27.

Ibi ergò sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcunque aguntur aut eveniunt in ista vita hominum. — Quomodo intersunt miseriæ vivorum, cùm vel sua ipsa mala patiantur, si talia merita contraxerunt: vel in pace requiescant, sicut huic Josiæ promissum est, ubi mala nulla nec patiendo nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiendo, cùm hîc viverent, sustinebant? *Augustinus l. de cura pro mortuis gerenda c.* 13.

Quomodo spititus alicujus orat, mens verò infructuosa est? *Resp.* Hoc de his, qui in lingua audientibus ignota orationes edunt, dictum est. Dicit enim, *Si orem linguâ, spiritus meus orat: mens verò mea infructuosa est.* Quum enim ignota fuerint præsentibus verba orationis, infructuosa est mens orantis, quum nemo utilitatem capiat: quum verò præsentes intellexerint orationem prodesse audientibus potentem, tunc is, qui orat, fructum habet: quod hi, qui utilitatem capiunt, meliores redduntur. Similiter autem & in omni pronunciatione verborum Dei; scriptum est enim: *Sed si quis bonus est ad fidei ædificationem. Basilius M. quæst.* 278.

LOCUS



LOCUS XV.

DE

MAGISTRATIBUS CIVILIBUS.

pag. 604.

APHORISMUS I.

De ordine Politico universaliter docet doctrina cœlestis, hunc ordinem à Deo institutum esse & opus Dei esse.

POtestates & magistratus non fortuitò aut hominum arbitrio, sed Dei providentiâ & voluntate constitui, docent SS. litteræ non obscuris testimoniis. Prov. IIX, 15. *Per me* (Dei sapientiam) *Reges regnant, & dominatores decernunt justitiam.* Dan. II, 21. *Ipse* (Deus cœli) *transfert Reges & constituit Reges.* Ibid. ℣. 37. *Tibi, ô Rex, Deus cœli regnum, potentiam, firmitatemq́; & gloriam dedit.* Joh. XIX, 11. *Non haberes,* ait Jesus Pilato, *potestatem adversum me ullam, nisi hoc tibi datum esset supernè.* Rom. XIII, 1. *Non enim est potestas, nisi à Deo: & quæ sunt potestates,* (summæ, subalternæ, infimæ,) *sunt à Deo ordinatæ.* Magistratus politicus est à Deo.

Opponenda hæc sunt furoribus Anabaptistarum, qui cùm videant in imperiis & regnis grassari tyrannidem & plurima scelera, negant à Deo esse potestates & magistratus, ac meras dicunt constitutiones hominum, præsertim cum ipse Petrus sic de iis loquatur: *Estote subditi cuivis humanæ ordinationi.* I. ep. II, 13. quin Satanæ transcribere, ut effi- Obj. Anabaptistarum.

efficienti causæ, non verentur, huc allegantes loca, quibus appellatur *Princeps mundi*, & illa ipsius verba: *Hæc omnia* (mundi regna) *mea sunt, &, cuicunq; voluero, do.* Luc. IV, 6.

Atqui hoc est nequiter & imperitè confundere potestatem cum abusu potestatis. Potestas secundùm se bona est, & à Deo, quæcunq; sit: at abusus malus est, nec à Deo. Discernenda hæc igitur invicem: potestas, & vitium potestatis ac personæ. Potestas etiam tyranni est à Deo: sed tyrannis, ut talis, à Satana est, non à Deo, nisi per accidens & permissivè. Ac potestas ipsa, in tyranno quoq;, bona est: tyrannus, malus.

Quod ad verba Petrina attinet, dicuntur ibi principes & magistratus *ordinatio humana*, non quòd illa *humanitùs inventa fuerit*, *sed quòd propria hominum sit digesta & ordinata vivendi ratio.* Et ut Deum eam auctorem habere intelligas, mox additur: *propter Dominum*: pro quo Vetus Interpres & Syrus habent: *propter Deum*: quia videl. *non est potestas nisi à Deo — Itaq; quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit*, ut dicitur Rom. XIII, 1. 2. Nec difficulter intelligitur, quomodo Deus principes & magistratus constituerit: cùm enim vita hominis sine imperio & magistratu esse nequeat, imò ferina & belluina fiat, si nemo alteri pareat; ordinem hunc imperandi & parendi ipse tum sanxit, cum legem naturæ mentibus nostris insculpsit. Satan autem *princeps mundi* dicitur, quia imperium sibi vindicat in homines, qui per voluntaria peccata se ipsi subjiciunt. Posterius verò illud (sibi in manu esse regna mundi, ut distribuat ea inter mortales pro lubitu) mentitur, tanquam spiritus mendax: cui assimilantur Anabaptistæ, mentientes, Magistratus aliunde esse principaliter quàm à Deo.

APHORISMVS II.

pag. 618. 619.

Rectè igitur & piè facit Christianus, cum juxta vocationem magistratus gerit, exercet judicia, militat, accusat nocentem in foro, dicit causam, legitimo supplicio afficit justè condemnatos.

SI à Deo sunt Magistratus, ut evictum est; sanè per immediatam consequentiam inferre contra Anabaptistas ulteriùs licet, posse hominem

nem Christianum conscientiâ illæsâ magistratu fungi & munia illa exsequi, quæ Magistratui conveniunt: puta, tractare judicia, bella gerere, sontes pœnæ, etiam mortis, addicere. Et sic pariter licebit nobis ad Magistratus confugere, querelas eò deferre, & eorum ope nos tueri adversus malevolos. Quæ singula tamen quia præfractè à fanaticis hominibus negantur, confirmatione munienda sunt specialiore.

Posse igitur I. Christianum hominem jure optimo Magistratûs officium sustinere, si legitimè ad hoc vocatus sit, constat exemplis fidelium, qui functi sunt magistratu temporibus Christi & Apostolorum, nec eo nomine reprehensi. Cogitemus *Josephum*, discipulum Christi, qui Senator Arimathæus & vir pius erat, Marc. XV, 43. Cogitemus *Regulum*, qui credidisse legitur in Christum cum tota domo sua, nec jussus renunciare principatui, Joh. IV, 53. Cogitemus *Sergium* Proconsulem, qui ad fidem conversus magistratu se non abdicavit, Act. XIII, 7. 12. Cogitemus *Constantinum* & cæteros Impp. qui amplexi doctrinam Christianam non deposuerunt magistratū, nec jussi sunt ab Ecclesia, ut deponerent; quin felicissimè & sanctissimè imperarunt. His exemplis hoc addimus argumentum: *Quod est juris naturæ & gentium, Christianis non est illicitum.* Evangelium enim nec naturam, nec politias abolet. At munus Magistratus est juris naturæ & gentium. Natura enim principatū brutas aves & animalia docuit, ut in gruibus, apibus, armentis videre est, quæ reges & duces suos habent & observant: quod idem omnes gentes semper fecerunt. Non igitur potest illicitum esse Christianis.

Christianus salva conscientia potest I. magistratu fungi.

Objicitur hic illud Christi ad discipulos: *Reges gentium dominantur — Vos autem non sic*, Luc. XXII, 25. 26. Sed frustrà & ineptè prorsus. Nec enim ibi Christus omnibus, qui futuri essent ejus discipuli, in universum nempe Christianis omnibus, dominatu seculari interdixit; sed *solis Apostolis & cæteris ad docendum vocatis:* ut ordinem Ecclesiasticum à Civili separatum esse doceret.

Obj.

II. Fas esse Christianis, exercere judicia, patet ex 1. Cor. VI, 5. *Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit decernere inter fratres suos? sed frater cum fratre judicio experitur, idq; sub infidelibus.* Ecce! non prohibet Apostolus, fideles esse judices: sed vult causas seculares fidelium, in quibus non necesse est adire tribunalia gentilium, judicari à fidelibus. Attamen id, ajunt, prohibuit Christus Luc. VI, 37. *Ne judicate, & non judicabimini.* Resp. Christus non prohibet judicia & censuras simpliciter; alioqui inveheret ἀναρχίαν: quod non facit: sed judicia calumniosa, censuras iniquas de fratrum factis per se bonis aut mediis: vel etiam vitiosis, sed ad nos non attinentibus.

II. Exercere judicia.

III. Bella gerere.

III. Licita esse Christianis bella, deducitur ex eo, quod habetur de Joh. Bapt. primo N. Testamenti præcone; qui videl. ad salutem erudiens milites, & *ut fructus ferant dignos pœnitentiâ* exhortans, non dehortatur à militia, sed justæ militiæ iis præcepta dat, Luc. III, 14. Qua de re ita S. Augustin. T. 2. ep. 5. ad Marcellinum: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seq; omninò militiæ subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utiq; non prohibuit.* Hæc ille. Idem probatur exemplis Sanctorum, qui militiæ operati sunt: quales (ut de V. Testamenti Sanctis nunc nil dicamus) duo inprimis *Centuriones* illi, quorum alterius fidem commendat Christus Matth. IIX, 10. alterius eleemosynas & preces Angelus, Act. X, 4. Quos insecuti Christiani sub Ethnicis principibus maximè innocui: in quorum persona Tertull. loquens, Apologet. contra Gentil. c. 42. *Navigamus*, inquit, *& nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur.* Innuens, Christianos Imperatoribus etiamnum infidelibus suppetias tulisse in depugnandis hostibus. Et Deus ipse militiam istam Christianorum sibi non displicuisse, magnis successibus & signis testatum fecit. Refert enim Justinus Martyr sub finem Apol. 2. epistolam M. Aurelii Imperatoris ad Senatum Romanum, quâ affirmat, *Christianos milites victoriæ* Romanorum contra Germanos causam fuisse: in magna quippe siccitate humi prostratos Deum orasse, atq; pluvias de cœlo in suas acies, in hostes verò tonitrua & fulmina impetrasse. Nec vel Imperatores ad Christum posteà conversi desierunt bella gerere adversus Ecclesiæ & Reip. hostes; nec Deus bellantibus illis felicitatem impertire destitit: ut historiæ *Constantini Magni*, *Theodosii*, aliorumq; testantur.

Obj.

Sed nimirum, si Anabaptistis, &, qui idem hîc cum illis somniant, Socinianis credimus, jus belligerandi Christus ademit Christianis, mandando: *Diligite inimicos vestros. Ne obsistite malo: sed qui te cadet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram.* Matth. V, 39. 44. Et similiter Paulus, monendo: *Non ipsi vosmet ulciscentes, dilecti: sed date locum iræ. Scriptum est enim: Meum est ulcisci: ego rependam, dicit Dominus.* Rom. XII, 19.

Verùm nihil hæc ad rhombum. Enimverò diligendi sunt inimici; sed ita, ne propriæ salutis immemores & in nos ipsos crudeles simus. Si enim amicis & fratribus, docente Apostolo, benefaciendum eatenùs est, ut ne, dum illis est relaxatio, nobis interim afflictio sit,

2. Cor.

2. Cor. VIII, 13. multò magis inimici eatenùs duntaxat diligendi sunt nobis, ut afflictio nobis non sit. Afflictio autem nobis esset, nisi interdum per repressionem armatam hostes Ecclesiæ & Reip. cohiberemus & ad officium redigeremus, Cætera, quæ nos Christus & ejus Apostolus monent, vindictam prohibent privatam: ne resistamus malo, acceptam injuriam retaliando & rependendo malum (ut est apud Matth. ℣. præc. 38. & Rom. XII, 17.) sed potiùs novis tolerandis injuriis nos paremus, & patiendo patientes esse discamus: finem enim unius certaminis fore initium alterius. Quod si alio modo, quàm vicissim nocendo, quisq; sibi irrogato malo possit resistere & innoxiè arcere injurias, id verò minimè per Christum est vetitum: cùm nec ipsemet perculsus in maxillam unam præbuerit alteram, sed malo restiterit, innocentiam suam tuendo & injustitiam redarguendo. Joh. XIIX, 23. Confer Act. XXIII, 2. 3. Bellum autem res prorsus est alius generis: ad publicam enim justitiam, non ad privatam vindictam pertinet. Justitia autem, quam in vindicando exercent publicæ potestates, tantum abest, ut prævaricetur in Deum, qui dicit: *Meum est ulcisci: ego rependam*; ut sit verissimè ipsius Dei vindicta. Dei enim ministri sunt, & Dei loco constituti, ac Deorum titulo insigniti, qui eam exserunt.

Ex dictis haud obscurè colligere est, non promiscuè omnia bella nos approbare, sed ea, quæ (1.) auctoritate publica, (2.) justa de causa, & (3.) recta intentione, absq; privato affectu vindictæ, pro communi bono & acquirenda pace suscipiuntur. Deficiente unâ harum conditionum, illegitima ea pronunciamus. Vid. Thom. II. 2. q. 40. a. 1. **Quænam bella licita?**

IV. Concessum esse Christiano Magistratui, pœnas facinorosis infligere, non communes tantùm sed etiam capitales, adstruimus inde, quòd jus gladii corporalis datum est Magistratibus civilibus, scribente Apostolo Rom. XIII, 4. *Quod si feceris, quod malum est, metue* (potestatem, cum qua est Magistratus:) *non enim frustrà gladium gerit: nam Dei minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit.* In maleficos ergo, secundùm Apostolum, fas est Magistratui gladium stringere & capitis supplicio in illos animadvertere. Estq; hæc ipsa justitiæ administratio pars vindictæ publicæ Magistratui permissæ ab Apostolo: qui cùm dixisset præc. c. ℣. 19. cavendum, ne ipsi nosmet privato odio ulciscamur, hîc jam publicum Magistratum ex officio ultorem & vindicem constituit disertis verbis: *Dei minister est, vindex ad iram &c.* non obstante eo, quòd ultio propriè sit Dei. Hanc enim Deus quandoq; per se exercet, immediatè; quandoq; mediatè, per suos ministros, Magistratus. Idem sensus verborum Christi Matth. XXVI, **IV. Pœnas, & quidem capitales infligere.**

 52.

52. *Quicunq; acceperit gladium* (in proximi læsionem, contra leges, vindictà privatà & inordinatà,) *gladio peribit* (secundùm leges, ex vindicta publica atq; ordinatà.)

Obj. Absurdè & impertinenter hîc objeceris edictum divinæ legis: *Ne occidas.* Vetat enim lex occidi hominem 1. insontem. 2. à privatis. 3. cum Deus non jubet occidere. At Magistratus occidit sontes, & publica auctoritate, ac jubente ipso Deo. Gen. IX, 6. Exod. XXI, 13. Apoc. XIII, 10.

V. In foro Civili causas agere. V. Deniq; integrum esse Christianis, in foro civili agere causas suas, disceptare ibidem cum adversariis & Magistratus opem implorare, comprobavit exemplo suo *Paulus*, pro se causam dicens coram Præside, suamq; innocentiam tuens adversus Judæos, Act XXIV, 10. & ab iniquo ad Cæsaris tribunal provocans, c. XXV, 10. 11. Neq; sibi ipse Paulus contrarius est, scribens Corinthiis 1. ep. VI, 7. *Defectus omninò inter vos est, quod subinde habeatis controversias in judiciis disceptandas. Quare non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?* Non enim sublatam cupit Christianis libertatem perferendi necessarias querelas ad Magistratum ordinarium, aut, si alius eos in forum traxerit, dicendi causam in judicio: sed taxat lites non admodum necessarias, ex pervicacia, avaritia, impatientia ortas, & seu necessarias seu minùs, quæ alia tamen ratione, quàm coram infidelibus judicibus, componi poterant, privatim adhibitis arbitris è fidelium grege. Vult fratribus ignosci potiùs injurias leviores & paci Ecclesiæ condonari, ac mansuetudine tolerari. Si de gravioribus autem vel quibuslibet aliis omninò quis velit lites movere, suadet judicia intranea, ne scandalizentur extranei.

Addimus nos hanc cautionem: operam esse dandam, ne sive ultrò petentes forum, sive illuc abducti ab altero, quidquam à judice exigamus aliud, quàm justam *defensionem*, *absq; vindictæ cupiditate.* Licet enim publica vindicta rectè & legitimè exerceatur contra iniquos à Magistratu legitimo: tamen Christianum, qui perfectè Christianus esse velit ex Christi præscripto Matth. V, 48. non decet id exposcere, ut exerceatur in adversario suo: prodiret enim hæc postulatio ex desiderio nocendi inimico & satisfaciendi propriæ iracundiæ atq; odio: qualis affectus vergit in vitium. Cæterum de officiis cùm Magistratus tùm subditorum quædam hîc necesse est disertiùs monere.

APHO-

APHORISMVS III.

pag 624.

Cum quæres, quæ ſint officia Magiſtratuum, — tibi pingito Magiſtratum, cui de collo pendeant tabulæ duæ legis Moſis. Harum cuſtos eſſe debet politicus gubernator, quod ad externam diſciplinam attinet.

CVſtos ſit Magiſtratus utriusq; tabulæ Decalogi, i. e. cuſtos religionis, pacis, juſtitiæ: ut curet ſubditis utrumq; bonum, ſpirituale & civile; quorum illud priore, hoc poſteriore Decalogi tabula continetur. *Dei enim miniſter eſt, bono ſubditorum*, ait Apoſtolus Rom. XIII, 4. Tenetur igitur bonos efficere ſubditos & promovere omne bonum ſubditorum. Atqui præcipuum ſubditorum bonum in vera religione conſiſtit. Ergò hanc maximè curabit ſubditis ſuis Magiſtratus.

Magiſtratus officiũ circa bonũ ſubditorum I. Spirituale.

Curabit autem, non quòd vel docendi, vel Sacramenta adminiſtrandi, vel ex arbitrio leges Eccleſiaſticas condendi, vel dominandi in ſynodis & presbyteriis jus habeat: ſed conferendo operam ſuam ad vocandum eos, qui verbi & ſacramentorum officio fungantur, 1. Reg. II, 35. 2. Par. XVII, 8. 9. eosdem nutriendo, fovendo, protegendo, 2. Par. XXXI, 4. Eſa. XLIX, 23. cultum Dei collapſum reſtaurando & ab idololatria repurgando, 2. Par. XVII, 7. c. XXIV, 4. c. XXIX, 3. c. XXXIV, 3. ordinem & diſciplinam Eccleſiaſticam provehendo, 1. Par. XXIV. & XXV. 2. Par. XXXI, 11. c. XXXV, 3. Synodos legitimè convocando & dirigendo, ac, ut pia decreta effectus ſortiantur, efficiendo: veluti Nicenum Concilium eſt indictum à Conſtantino M. qui& ei præſedit gubernator; Conſtantinopolitanum I. à Theodoſio ſeniore; Epheſinum I. & II. à Theodoſio juniore: ipſis porrò, ubi opus eſt, armis defendendo Eccleſiam, per cujus latus Reſp. Chriſtiana, corpus unum cum illa conſtituens, impetitur; ſicut defendit Eccleſiam Conſtantinus M. adverſus Licinium; blasphemos quin etiam in Deum ſuum, & idololatras aut prorſus atheos, in ipſum videl. naturæ lumen injurios, vita privando, Lev. XXIV, 13. Deut XIII, 5. 9. 15. cap. XVIII, 20. hæreticos autem myſteria lumen natu-

naturæ transſcendentia impugnantes, nec ſalutaribus monitis acquieſcentes, propter periculum contagii, cœtu eccleſiaſtico vel urbe etiam & regione ejiciendo, ſicut Neſtorius in exilium pulſus legitur: utq; adeò juxta verbum Dei cultus verus in Eccleſia exerceatur & propagetur, aſſiduè providendo. Quò ſpectat mandatum à Deo latum, Deut. XVII, 19. *Rex leget in libro Legis omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum.* Niſi ipſe enim pius ſit & timens Dei, bonum ſubditorum ſpirituale non magnopere curabit.

II. Corporale.

Eorundem verò bonum corporale quoque curæ eſſe Magiſtratibus debere, nemo ambigit. Et in quo poſitum ſit iſtud bonum, ſcil. ut cujusque vita, conjugium, facultates, fama, ſarta tecta conſerventur, & jus cuique ſuum tribuatur, per ſe itidem claret. Hinc jubentur *juſtè judicare proximum ſuum, & nec accipere perſonam tenuis, neq; honorem exhibere perſonæ magni,* Lev. XIX, 15. *diligere juſtitiam,* Sap. I, 1. *pœnis coërcere improbos* & in officio continere, ut equis ſtrigoſis deſtringendis ſtrigiles, & cogendis refractariis calcaria adhibentur, Prov. XX, 30. quin & *tollere malos è medio ſui, ut, qui reliqui ſunt, audientes timeant,* Deut. XIX, 19. bonis autem benefacere, *oppreſſum beare, jus dicere pupillo, ſuſcipere cauſam viduæ,* Eſa. I, 17. & *munus non accipere*: cùm ſoleant *munera excæcare oculatos & pervertere verba juſtorum*, Exod. XXIII, 8. Quæ omnia exigunt prudentiam non vulgarem & cum hac προσκαρτέρησιν h. e. vigilem & perſeverantem diligentiam, innuente Apoſtolo Rom. XIII, 6. Iſta ergò ſunt Magiſtratuum officia præcipua.

APHORISMVS IV.

pag. 623.

Evangelii doctrina adeò ſeverè præcipit de obedientia, ut affirmet, peccatum mortale eſſe, non obedire mandatis legitimi Magiſtratûs; ſi tamen non jubeant facere contra mandata Dei.

Subditorum officium.

SVbditorum officium in *obedientia* præcipuè poſitum eſt: quæ involvit debitum *honorem & timorem, ac ſolutionem tributorum & vectigalium,* ut ſignum ſubjectionis, ut juſtam laborum mercedem, ut neceſſari-

cessarium denique rerum gerendarum nervum: juxta hæc Scripturæ dicta. Rom. XIII, 5. *Necesse est subjici, non solùm propter iram* (ut hanc evitemus) *sed etiam propter conscientiam* (ut hanc illæsam conservemus apud Deum & homines.) Tit. III, 1. *Ipsis suggere, ut sese subjiciant principatibus ac potestatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus bonum parati sint*. 1. Petr. II, 13. 17. *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive Regi, ut supereminenti, sive præsidibus, ut qui per eum mittantur*. — *Deum timete: Regem honorate*. Matth. XXII, 21. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Rom. XIII, 7. *Reddite igitur omnibus, quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timor, timorem: cui honor, honorem*.

Preces insuper fieri pro Magistratibus debere notum est ex 1. Tim. II. 2. Nec minùs notum, obediendum Magistratibus *etiam iniqua & tyrannica onera imponentibus*; non tamen iniqua & impia ut faciamus jubentibus: quia aliud est, ferre & pati aliquid; aliud, aliquid facere & designare. In patiendis præstent subditi lenitatem animi, & exerceri se divinitùs, vel ob peccata castigari cogitent, mitigationemque à Deo petant, atque expectent. 1. Pet. II, 18. 21. In faciendis illud cogitent ejusdem Petri: *Obediendum est Deo magis, quam hominibus*, Act. V, 29. &, *Da*, inquiant, *veniam, Imperator: Tu carcerem, Ille gehennam minatur*; ut est apud August. T. 10. serm. 6. de Verb. Domini; exemplo præclarissimo Christianorum Juliano militantium, de quibus idem Aug. hunc in modum: *Julianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent: præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali*. Tom. IIX. enarr. Psal. CXXIV.

Quoad res igitur à Magistratu imperatas extendit se obedientia subditorum ad omnia illa, quæ mandatis Dei non repugnant. Quibus rebus meritò accensentur *Juramenta*: quæ si deferantur nobis à Magistratu, facienda sunt, ut finis imponatur litibus, Ebr. VI, 16. tum verò aliis etiam de causis; non remorante nos eo, quod Anabaptistæ objiciunt ex Matth. V, 34. *Ne jurate omninò*. — *Esto autem sermo vester, Etiam, Etiam, Non, Non*. Neque enim ibi Christus simpliciter de omni sermone nostro, sed de quotidiano & privato loquitur, ut, ubi necessitas jurandi non est, contenti simus simplici affirmatione & negatione, evitantes juramenta temeraria, quæ in Lege etiam prohibentur, Exod.

XX,

XX,7. Et *ne per creaturas juremus*, præcipit: v. g. per cœlum, per terram; cùm velit Lex, si jurandú omninò sit, ut per ipsum juremus Deum vivum, modò in veritate id fiat, & in judicio ac justitia, Jer. IV, 2. Hæc duo ibi agit Christus: juramenta secundum se suamque substantiam in Lege permissa non tollens, quam, ut ibidem ipse ait, *non ut dissolveret, venerat, sed ut impleret*, vers. 17. *Quoad personas* autem extenditur civilis obedientia ad homines non seculares tantùm, sed Ecclesiasticos etiam & Clericos; quidquid de *exemtione*, quam vocant, *Clericorum* disputent Jesuitæ & Monachi: quibus obvertimus illud Apostoli ad Romanam Ecclesiam, in qua erant certè Clerici, absque exceptione scribentis: *Omnis anima supereminentibus potestatibus subjecta esto*. Rom. XIII, 1. *Si omnis*; *& vestra*: (inferimus cum Bernhardo.) *Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Nolite illorum acquiescere consiliis, qui cùm sint Christiani, Christi tamen vel sequi facta vel obsequi dictis opprobrio ducunt. — Christus aliter jussit & gessit. Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor Cæsaris Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis.* Hæc Bernhardus ad sui temporis Clericos, epist. 42. Et ita est omninò. Christus ipse per se & pro Petro dedit tributum, Matth. XVII, 24. Et Paulus similiter facto comprobans doctrinam suam, Cæsarem legitimum suum agnovit judicem, cumque ab inferiore judice non satis æquam audiret sententiam, Cæsarem appellavit, Act. XXV, 10. 11. In Ecclesia autem Apostolorum ætatem insecutâ immunitas quidem à vectigalibus & tributis concessa fuit Ecclesiastico ordini Christianorum Imperatorum beneficiô: *Omnimoda autem, quod causas attinet civiles & criminales, exemtio, quam hodiè urgent Pontificii, nunquam istis seculis à quoquam somniata fuit.* Et quod juris divini insuper eam Pontificii faciunt, adeò ut Principes non nisi usurpatione & contra Legem Dei jurisdictione in Clericos utantur aut in delinquentes animadvertant, id prorsus intolerabile est & διαῤῥήδην contrarium verbis Apostoli, aliter de jure divino, &, ut modò dictum, pronunciantis: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto; etiamsi Apostolus sit, sive Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit: neq; enim pietatem subvertit ista subjectio*; ex interpretatione Chrysostomi hom. 23. in ep. ad Rom.

De Exemtione Clericorum.

Conveniunt sanè Ecclesiarum pastores & Rerumpubl. præsides in hoc, quòd utrique sint *Dei ministri*, διάκονοι, λειτȣργοὶ, ὑπηρέται. De Ecclesiasticis id extat Rom. XV, 16. 1. Cor. IV, 1. 2. Cor. VI, 4. De Magistratibus civilibus, Sap. VI, 4. Rom. XIII, 4. 6. Sed *hi tamen ita sunt*

sunt Ministri Dei, ut ipsimet Dii quoq; sint, Pſ. LXXXII, 6. & aliis cum dominio præfecti; quod rotundè denegatur Eccleſiæ presbyteris à Chriſto, Matth. XX, 25. & à Petro, cujus ſe ſucceſſores jactant Pontifices, 1. ep. V, 3. Conveniunt deinde, quòd ſuos utriq; habeant ſubditos, (Untergebene/) quorum ſalutem curare debent. Sicut enim miniſtri Eccleſiæ dicuntur in Scripturis præeſſe gregi, προϊστάμενοι, προεστῶτες, 1. Theſſ. V, 12. 1. Tim. V, 17. ita auditores eorum dicuntur *ſubditi* à Chryſoſtomo, homil. 2. in epiſt. ad Titum: *Alia quidem*, inquit, *& in ſubditis invenire facile eſt, puta, eſſe ſine crimine, filios habere ſubjectos, hoſpitalem eſſe, juſtū & ſanctum. Cæterùm hoc eſt, quod maximè Doctorem exprimit, poſſe ſcil. verbis inſtruere* (auditores) *& confutare adverſarios*. Cùm verò ſubditorum bonum non ſit uniusmodi, ſed aliud quidem corporale, aliud ſpirituale; illud unà cum hoc curant probi Magiſtratus, 2. Paral. XVII, 2. 7. propriè autem hoc ſine illo, qui docendo præſunt in Eccleſia. Luc. XII, 13. 14. Et utrique ſuam quoque habent ἐξουσίαν à Deo acceptam, Rom. XIII, 1. 2. Cor. X, 8. XIII, 10. Sed hi *dirigentem* ſolummodò; illi verò etiam cogentem, quippe conjunctam juri corporalis gladii.

Quælibet interim harum ἐξουσιῶν cedat oportet alteri in ſuo foro. Sicut itaque in rebus poteſtati Eccleſiaſticæ ſubjectis Principes & Magiſtratus Chriſtiani agnoſcunt jurisdictionem Eccleſiæ, & poteſtatem, quam à Deo acceperunt miniſtri verbi; e. g. poteſtatem ligandi & ſolvendi, quam ſubmiſsè venerati ſunt in Epiſcopis ſuis duo magni Imperatores, *Philippus* & *Theodoſius*, ſine exemtionis ulla prætenſione ipſam publicam pœnitentiam facili obedientia ſubeuntes, ut narrant Euſeb. l. 6. Hiſt. Eccl. c. 27. & Theodor. l. 5. c. 17. Ita in iis, quæ ſunt civilis poteſtatis propria, v. g. in tributis ſolvendis, in cauſis criminalibus & ſimilibus, neceſſe eſt civilibus Magiſtratibus ſubjici moremque gerere Eccleſiaſticos viros absque exemtionis prætextu; quos tamen ab oneribus quibusdam civilibus ſublevare, pietatem & benignitatem Principum non dedecet, quæ inde reddetur toti Eccleſiæ commendatior.

Magiſtratus & Miniſterium ſibi invicem debent cedere in ſuo foro.

TESTIMONIA VETERVM.

PVtavi mihi ante omnia in id enitendum eſſe, ut in Eccleſia fides una feliciſſimi populi ſincera caritas & religio erga autorem omnium Deum nusquam diſcrepans obſervetur. *Conſtantinus M. epiſt. Eccleſiis ſcripta poſt Synodum Nicenam, apud Euſebium lib. 3. de ipſius vita.*

Religionis non est cogere ad religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi. *Tertull. ad Scapul. c. 2.*

Dominus prohibet eradicare zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare si & puniri eos vultis & frumentis nequaquam officere, oportunitas temporis congrua vobis exspectanda est. Quid autem est, quod ait: *Ne eradicetis simul cum eis triticum?* Certè aut quia si arma capietis, inquit, necesse est, cùm hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere, aut quia ab ipsis zizaniis verisimile est multos in triticum convertendos. Si ergò prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verùm interficere ac trucidare. — Parcendum esse zizaniis dicit, quousque unà cum frumentis in agro sunt, quia possunt in frumenti statum commutari. Si verò hac longanimitate Domini nihil lucrabuntur & recesserint, tunc inevitabilis pœna eos necessariò excipiet. *Chrysost. homil. 47. in c. 13. Matth.*

Obsecro vos cunctos, ut Magistratui obedientes sitis (*etiam ad martyrium pro fide Christiana subeundum vos deposcenti*) omnemq; patientiam exerceatis. *Polycarpus ep. ad Philipp. referente* Eusebio l. 3. Hist. c. 33.

Incumbamus gemitibus assiduis & deprecationibus crebris. Hæc enim sunt munimenta spiritualia & tela divina, quæ protegunt. *Cyprianus epist. 56.*

Gaudere & exultare nos voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. — Solus non est, cui Christus in fuga comes est; solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est. *Idem ibid.*



LOCVS XVI.

DE

CONJVGIO.

Exam. Theol uti exstat in Dodec. p. 894.

APHORISMVS VNICVS.

Conjugium est legitima & indissolubilis copulatio unius maris & unius feminæ, instituta divinitùs, ut agnoscamus, Deum esse mentem castam, & ei in castitate serviamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Ecclesia Deo.



HÆc definitio est causalis, & continet in se quatuor causarum genera: Efficientem, Materiam, Formam, Finem.

Causa efficiens & principalis est *DEVS*, à quo institutum esse conjugium Moses docet Gen. II, 18. 20. seqq. cujus narrationis summam Theodoretus exponens: *Deus*, ait, *non solùm uxorem formavit, sed & conjunxit viro juxta legem nunc receptam: adduxit ipse ad virum & quasi pronubus ac nymphagogus fuit; munus etiam velut quoddam obtulit benedictionem illam suam.* Epit. divinorum dogmatum περὶ γάμȣ. Nec instituit id Deus solùm in principio rerum, sed post dilu- Conjugii Causa efficiens principalis.

 vium

vium etiam *confirmavit*, Gen. IX, 1. & Filius Dei id ipsum sua præsentia augustissimoq; munere *ornavit*, Joh. II. Contemnunt igitur Deum, qui conjungia contemtim habent: *quando enim displicet opus, reprehenditur auctor*; ait Augustinus T. 4. lib. quæstionum ex utroque Testamento q. 127.

Secundaria.

Datur autem secundaria etiam causa efficiens matrimonii, eaq; est *Consensus*; personarum videl. contrahentium: qui consensus facit nuptias, ut loqui amant JCti: & hoc consensu proximè ac immediatè matrimonium contrahitur, exprimiturq; verbis potissimum istis: *Ego te accipio in meam*, *Ego te accipio in meum.* Et quàm liberrimus esse debet minimeq; extortus. Est enim conjugium summus amicitiæ gradus, secundùm Philosophum. Repugnat igitur naturæ conjugii, ut contrahatur inter invitos.

De Consensu parentum.

Hic statim verò de Parentum consensu quæri solet: utrum is quoq; necessarius sit, ita quidem, ut absque eo contracta matrimonia illicita sint & irrita, nec ne? Vbi dividenda esse sententia nobis videtur. Nimirum illicita plerunq; esse talia conjugia; sed semper rata tamen. *Illicita* esse ideò dicimus, quia juxta quartum Decalogi præceptum honor est reddendus parentibus, ut aliis in negotiis & contractibus alicujus momenti, ita in nuptiali præcipuè: ubi parentum interest, quem generum vel quam nurum sortiantur, cui & dotem annumerent & parentis officium ut filio vel filiæ impendant. Quò accedit, à parte Parentum, prudentia & in liberos amor: nam ut plurimùm Parentes sunt prudentiores, neq; periculum est, ut filiis malè consultum velint, cùm eos naturaliter ament; à parte autem liberorum, indigentia auxilii & opis, etiam dum vivunt in conjugio: qua in re promptiores erga se parentes invenient, si non absq; eorum jussu in conjugium se dederint. Indeq; est, quod illi, quos nobis Scriptura commendat, ferè non leguntur inconsultis parentibus matrimonium iniisse: ut, *Isaac & Rebecca*, Gen. XXIV, 2. 3. 28. 50. *Jacob*, Gen. XXIIX, 6. 7. *Samson*, Jud. XIV, 2. 3. Vt dubium non sit, qui sine justa & rationabili causa Parentibus vel insciis vel invitis nuptias celebrant, lædere honorem parentum & negligere officium suum debitum, ac proinde illicitè agere. Atq; hactenùs idem omnes sentiunt. Nihilominùs talia conjugia, utut illicita, *semper tamen rata* nos dicimus, *jure quidem naturæ*; quod irrita enim aliquibus in locis redduntur à civili Magistratu, id est ex jure positivo humano. Naturæ verò jus conjugia hujus generis nulla dissolvit. Nam licet in contractu hoc pietatem & reverentiam Parentibus habendam esse postulet, & peccare pronunciet eos, qui minùs reverenter & piè hîc se gerunt; si tamen contingat peccari à liberis, con-

tra-

tractus eorum idcirco non est irritus jure naturæ: cùm & prodigus peccet, profundendo perversè & contra juris naturalis dictatum ductumq; bona sua, ac valida nihilominùs & rata sit donatio ab eo temerè facta. Nec divinum verò etiam jus positivum eò valere vult consensum dissensumq; parentum, ut secundùm eum conjugii fides, quam liberi dederunt ipsis inconsultis, vel confirmanda vel dirimenda sit. Quippe quod Exod. XXII, 16. 17. patriæ potestatis esse dicitur, *filiam stupratori locare in uxorem* vel non locare, id neutiquam potestatem dirimendi conjugale pactum arguit: cùm contractus de conjugio nullus præcesserit inter filiam & stupratorem: qui libidinis solùm explendæ, non acquirendæ conjugis causa habuit concubitum. Deliberatio fit ibi de conjugio adhuc contrahendo, & penes parentem est aliquid in utramq; partem decernere: quod nil facit ad præsentem *quæstionem, quæ est de dissolvendo contracto.*

Porrò materia Conjugii sunt personæ ipsæ contrahentes, mas unus & una femina, secundùm illud Gen. II, 24. repetitum à Christo Matth. XIX, 5. *Qui duo fuerant, erunt una caro.* Excluditur itaq; polygamia, qua vel uxor pluribus viris simul jungitur, vel vir unus plures simul habet uxores: *quarum specierum prior ipsi juri naturæ repugnat*, filiorumq; procreationem impedit: (plerumq; enim quæ pluribus junguntur viris, infœcundæ sunt:) aut si minus impediat susceptionem prolis, certè educationi multùm obest, quòd nemo virorum illorum, quibus eadem uxor communis, filios suos nôrit; *posterior autem etsi non sit contra jus naturæ*, (ut nobis certum est ex dispensatione divina sanctis Patriarchis facta, quæ locum in lege naturæ habet nullum,) adeoq; non sit intrinsecè & simpliciter mala: quis enim vitæ statum intrinsecè & per se malum præsumat de viris sanctis, Dei amicis & familiaribus, qui interim, dum Sancti & Dei amici ac familiares erant, permanenter πολύγαμοι erant? imò verò qui naturâ & per se malum sit, quod aliquo in casu divina lege præceptum est? intendo digitum in legem latam de ducenda uxore fratris, quæ ex conjugatis uxorum pluralitatem sub pœna imperabat, Deut. XXV, 5. est tamen, his non obstantibus, ut virorum pluralitas, sic uxorum, *contra legem primæ institutionis: (à principio non fuit ita*, ait Christus Matth. XIX, 8.) *contraq; legem hodiernam Evangelicam*, quâ ad institutionem primævam à Christo ipso conformatâ obligamur ad monogamiam sub adulterii crimine, nullo virum inter & feminam relicto discrimine. Nam de femineo quidem sexu Apostolus: *Femina vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri*, Rom. VII, 3. De viris autem Christus: *Quicunq; dimissa uxore aliam duxerit, mœchatur*, Matth. XIX, 9. Si non licet

Materia Conjugii.

De Polygamia.

cet autem aliam ducere dimiſſa priore, multò minùs priore retenta. Atq; ita polygamia in Evangelio omnis eſt ſublata. Intellige autem *ſimultaneam* omnem: quæ propriè hoc nomine venit. Quod ſi poſt mortē prioris ſive uxoris ſive mariti *novæ nuptiæ* inſtituantur, id improbari nequit ſemperq; licitum fuit, & ab Apoſtolo etiā approbatur Rom. VII, 2. 3. nec eſt vel digamia vel polygamia propriè loquendo: quia talis perſona ſemper quocunq; præſenti tempore eſt μονόγαμος, nec niſi unius viri uxor aut uxoris unius maritus. Ejus aut eorum earumve, quibus mors ſupervénit, uxor aut maritus jam non eſt, ſed eſſe deſiit.

De Clericorum Conjugio. Cæterum de Clericorum conjugio hîc, ubi de materiâ conjugii tractamus, agere convenit. Sicut enim ab hac excluditur & exulat polygamia: ita includitur totus ſacer clerus, tanquam materia habilis, cui permitti conjugium debeat permiſſumq; divino jure ſit. Quid clarius enim verbis Apoſtoli 1. Tim. III, 2. 4? *Oportet Epiſcopum irreprehenſum eſſe, unius uxoris virum — qui ſuæ domui benè præſit, qui liberos contineat in ſubjectione cum omni honeſtate.* Sub Epiſcopis comprehendit Apoſtolus Presbyteros, ut obſervavit in h. l. Chryſoſtomus; & de Diaconis ſubjungit ℣. 12. *Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præſint & propriis domibus.* Confer Tit. I, 5. 6. Non poteſt ullus mortalium hæc dicta capere aliter, quàm permitti Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis conjugii uſum, nec vel ductis uxoribus vel ducendis quenquam eorum arceri. Sicut enim Epiſcopi eſt, dum Epiſcopatu fungitur, ut *irreprehenſus ſit*, &, ut ſequitur deinceps, *vigilans, temperans, compoſitus, hoſpitalis:* ſic eidem, dum tenet Epiſcopatum, non repugnat, rei matrimoniali & uxoriæ vacare, liberiſq; gignendis & educandis operam dare. Non, inquam, repugnat: *nec enim vim habet præcepti affirmativi*, quaſi ex neceſſitate uxoratus eſſe debeat omnis Epiſcopus ſeu Presbyter; *ſed negativi duntaxat*, ut non niſi unam uno tempore conjugem ſibi adſciſcat, cum qua vivat. Quod negativum præceptum in ſe interim manifeſtam permiſſionem continet fruendi conjuge: manifeſtius enim nil dici pro re iſta poſſit, quod minùs egeat interprete.

Obj. Pontificii tamen multa hic objiciunt, ut cœlibatum ſuum toti ſacro clero iniqua lege impoſitum utcunq; tueantur. I. Sacerdotibus V. Teſtamenti abſtinendum fuiſſe ab uxoribus, dum juxta ἐφημερίας ſuas à Davide conſtitutas ſacris operarentur in templo. II. Apoſtolum velle, Epiſcopum eſſe ἐγκρατῆ, *continentem*, Tit. I, 8. i. e. dono præditum continendi ab uxoribus. III. Eundem Apoſtolum dicere 1. Cor.

Cor. VII, 5. *Ne privetis jure conjugali alter alterum, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus.* Atqui à Sacerdotibus offerenda sunt precum sacrificia quotidie pro populo. Ergò perpetuò illis carendum conjugali commercio. IV. Posse, qui donum continentiæ non habent, id à Deo precum beneficio impetrare: & hinc non esse perpetuam continentiam impossibilem. V. Vtilem esse cœlibatum Clericorum, ut declinentur occupationes & curæ mundanæ, ecclesiæq; ministerium animo tranquillo magis & distracto minùs obeatur. VI. Honestate exigi, ut evitetur immunditia, quæ esse solet in actu matrimoniali, sacrum officium dedecens. VII. Lege vetusta Ecclesiastica obligari Clericos ad servandam continentiam, præscriptam eis à concilio Eliberino, à Carthaginensi II. à Siricio Papa, ab Innocentio I. & aliis compluribus.

Respondendum paucis ad singula. Et ad I. quidem, non extare in toto codice V. Testamenti ullum peculiare de ministrorum continentia, multò minùs de perpetua continentia, præceptum. Quod enim dicitur de Sacerdotibus, eos, dum operabantur sacris, non cohabitasse uxoribus suis, *id non ex præcipiente lege, sed ex accidente fuit, quòd abessent domo sua*, & urbibus, quas incolebant, Leviticis, quando obibant sacra munia Hierosolymis, sicut de Zacharia legimus Luc. I, 23. 39. nec totalis erat abstinentia, sed *dierum saltem aliquot: nec ipsi summo Pontifici cum Sacerdotibus cæteris communis*, qui Hierosolymis semper erat, quotidie cohabitabat uxori suæ, ac interim sanctissima ministeria frequentabat, non prohibitus à sacris legitimæ conjugis usu. Magna ergò *ἀσυλλογισία*, velle procedere à qualicunq; illa Sacerdotum non omnium abstinentia nullibi præcepta ad legem de perpetua continentia toti ordini ferendam: hæc enim nullo modo cohærent. Resp.

Ad II. Εγκρατῆ esse, est ab illicitis rebus & voluptatibus, non à legitima conjuge abstinere: unde alibi Christianis omnibus commendatur Act. XXIV, 25. 2. Petr. I, 6. *Hæc est continentia*, ait Chrysostomus, *nulli vitio subjici.*

Ad III. *Preces* ibi intelliguntur *extraordinariæ & insigniter solennes ac jejunio junctæ.* Et similis hic locus ei est, qui apud Joëlem exstat c. II, ℣. 15. 16. 17. Sin propter quascunq; preces abstinendum esset usu conjugum, abstinentiam illam omnibus oporteret injungi Christianis, quibus semper orandum & indesinenter, Luc. XVIII, 1. 1. Thess. V, 17.

Ad IV. *Poteſt per preces impetrare quivis per ſe ea dona, quæ ipſi ad ſalutem ſunt neceſſaria*: qualia, Fides, Spes, Charitas. At alia ratio donorum, ſine quibus ſalutem homo poteſt conſequi: qualia, donum linguarum, donum ſanationum, miraculorum & continentiæ vel virginitatis perpetuæ: *quæ distribuit Spiritus privatim ſingulis, ſicut vult*, 1. Cor. XII, 11. Hæc non obſtinate flagitanda aut expectanda ſunt à Deo: nec enim ipſo etiam illo tempore, quo gratiæ iſtæ frequentiſſimæ erant, ſcripſit Apoſtolus: *Si ſe non continent*, orent: ſed, Si ſe non continent, *matrimonium contrahant*, 1. Cor. VII, 9. *Aliquibus tamen ad tempus aliquod eſſe continentiam neceſſariam ad ſalutem, & eatenùs impetrari à Deo per preces poſſe, non repugno*: ut, ſi in ætate juvenili ſis conſtitutus nec dum potitus matrimonio, vel ſi alteruter conjugum morbo detineatur: ſed perpetua continentia nulli eo modo neceſſaria eſt, nec proinde ſpes ponenda in precibus, quæ pro impetranda ea concipiuntur non ſine tentatione Divini Numinis.

Ad V. *Cœlibes etiam alere familiam & curis negotiisq;* temporalibus totos immergi, de omnibus propemodùm noſtri ſeculi Epiſcopis & multis Abbatibus monachisq; nimis eſt manifeſtum. *Concedo tamen, poſito continentiæ dono, cœlibatum, quantum eſt ex parte ſua*, (removendo conjugium, cum quo conjuncta per ſe eſt ſuſtentatio familiæ & ſecularium rerum adminiſtratio,) minùs diſtrahere animum paucioribusq; curis involvere. *Quod ſi verò continentiæ donum non adſit, uſtiones carnis & libidinis æſtus atq; impetus plus negotii faceſſunt* & magis animum diſtrahunt, quàm ulla rei familiaris cura.

Ad VI. *In actu matrimoniali eſt quædam immunditiès*: *ſed phyſica, non moralis*. Phyſica autem turpitudo hominem ſacro miniſterio non reddit indignum: nam talis ineſt etiam, cùm veſica aut alvus eſt exoneranda. Habent hæc pudendi aliquid & ſecretum quærunt: idq; eſt ſine dubio ex peccato; ſed peccatum tamen ipſa non ſunt. *Acquieſcendum nobis in divina voluntate, cui viſum, non Angelos admovere officiis Eccleſiaſticis, ſed homines*, defectibus hujus animalis vitæ obnoxios: qui tamen, quo tempore ſolennius aliquod miniſterium inſtat, ab exercendo conjugali actu *ſi temperaverint ſibi, decorum ſervaſſe cenſendi erunt*.

Ad VII. *Prohibitiones ejuſmodi omnes Apoſtolicis temporibus poſteriores ſunt*, & quantum ætate, tantum quoq; auctoritate inferiores, & non niſi merè *Eccleſiaſticæ, nec interim univerſales*, cum in nullo œcumenico univerſalis Eccleſiæ Concilio ſancitæ unquam fuerint, ſed tantùm particulares, modò hîc, modò illic approbatæ & receptæ: *nonnunquam etiam improbatæ, mutatæ vel rejectæ*. Eliberina,

infimæ auctoritatis synodus, habita est seculo quarto: quo eodem Nicæna magna Oecumenica suasu Paphnutii sacris ministris usum conjugii permisit: quo & retinuisse matrimonia sua Sacerdotes plurimos, Sicicianâ lege non obstãte, Hieronymus, conjugio aliàs non satis æquus, auctor est, l. 1. contra Jovin. c. 13. *Græca Ecclesia* in omnimodum Clericorum cœlibatum nunquam consensit: quæ successu tamen temporis Episcopos suos, strictè ita dictos, cœlibes esse voluit, nec vel hos, vel presbyteros aut diaconos, sive secundo matrimonio implicari, sive post initiationem suam contrahere. Quod statutum tolerari potest: cùm conjugium ejusq; usum universim non adimat Clericis, sed quodam saltem modo limitet & restringat. Quæ & alia, copiosè ac solidè reperiuntur exposita in D. Calixti Tractatu de Conj. Cleric. unde hæc nos excerpsisse, qui evolvent illum, comperient.


Forma Conjugii est unius maris & unius feminæ in carnem unam conjunctio ex consensu orta. Quam conjunctionem aliàs *fœdus connubiale* dicere solemus, quo alter alteri dat sui corporis jus, & vicissim ab altero accipit, cum promissione individuæ consuetudinis in hac vita, ad ea officia facienda, quæ Deus vult à conjugibus sibi mutuò præstari. Vulgus hanc conjunctionem in unam carnem intelligit tantùm de copula carnali; minùs rectè. Nam etiam non accedente prorsus carnali copula, vera est inter marem & feminam conjunctio maritalis, eoq; verum *conjugium*, non *consummatum* quidem, sed tamen *inchoatum*: quò pertinet, quod Sponsa in Scripturis venit *uxoris* nomine, Gen. XXIX, 21. Deut. XXII, 23. 24. Matth. I, 20. Est itaq; matrimonium *conjunctio animorum inprimis*: deinde etiam corporum, si opus sit: cùm hanc habeant potestatẽ tàm uxor quàm vir. 1. Cor. VII, 4. Forma Conjugii.

Nec verò frustrà conjunctio isthæc limitatur duabus voculis, dum definitur conjugium esse legitima conjunctio & indissolubilis. *Legitima* esse debet: ut discernatur ab inhonestis conjunctionibus, ut sunt, fornicatio, stuprum, adulterium, incestus: quo postremo nomine appellantur omnes illæ conjunctiones, quæ fiunt cum personis consanguineis & cum affinibus, in gradibus Lev. XVIII. c. prohibitis. Cavenda igitur nimia personarum propinquitas: quæ duplex est. Altera, quæ oritur ex societate sanguinis: unde *Consanguinitas* dicitur. Altera, quæ contrahitur ex conjunctione viri & feminæ seu uxoris, qua fit, ut, qui procul erant, ad fines consanguinitatis alterius partis accedant. Adfines ergò sunt, & inde propinquitas, quæ inter eos est, *Affinitas* dicitur. Nuptiis potissimùm obest consanguinitas: quia matrimonium debet esse conjunctio carnis cum altera carne; non autem debet esse ejusdem carnis cum se ipsa: consanguinei autem jam ipsa nati- Propinquitas duplex.

tivitate sunt quodammodo una caro. Sic filii v.g. & nepotes à parentibus deciduntur, & carnem suam ex eorum carne trahunt: quocirca sunt quasi pars ab eis decisa: & fratres ac sorores horumq; liberi ab eodem stipite originem ducentes, sunt quasi diversæ partes ejusdem carnis. Consanguinitatis autem quoddam velut simulacrum est Affinitas: si sit vera, primiq;, ut vocant, generis affinitas. Maritus enim & uxor effecti, invicem una sunt caro. Mariti igitur consanguinei fiunt affines uxoris, & uxoris consanguinei fiunt affines mariti: atq; etiam *eo gradu seu intervallo fiunt affines alterius, quoto gradu quantóve intervallo sunt alterius consanguinei.* Quàm itaq; mihi vir propinquus ob consanguinitatem, tàm propinqua quoq; ejus uxor ob affinitatem. Gradus autem omnes utriusq; cognationis distinguuntur duabus li-


Gradus & Lineæ cognationis. neis: rectâ & obliquâ, seu transversâ. *Linea recta* est series personarum recto ordine ascendentium vel descendentium. *Obliqua linea* continet personas collaterales: & est *vel æqualis, vel inæqualis*; prout collaterales personæ æqualibus aut inæqualibus gradibus sive intervallis à se invicem & à communi stipite absunt.

Conjugia incesta. Jam secundùm hanc differentiam lineæ rectæ & obliquæ digeramus conjugiorum gradus *Lev. XVIII.* interdictos. Ratione itaq; consanguinitatis *prohibetur conjugium*, & illicita declaratur comixtio, in linea recta, eâq; adscendente, *cum Matre:* in descendente, *cum nepte.* In obliqua seu transversa æquali, *cum (a) sorore* sive ex alterutro tantùm, sive utroq; parente progenita: in inæquali, *cum (b) amita* & cum *(c) matertera.*



(c) Avia
Mater — Matertera
Filius

Ratione affinitatis, & in linea quidem adscendente, conjugium prohibetur *cum noverca*, sive eâ, quæ fuit uxor aut concubina patris: nam hæc tanquam mater. In linea descendente, *cum nuru*, quæ par filiæ: *cum filia* item *privigna* & *nepte privigna*, quæ ipsæ quoq; filiarum loco. In obliqua æquali, *cum (d) fratria* (Bruderswcib) & *cum (e) glore* (Weibsschwester) quæ instar sororum: in inæquali, *cum (f) uxore patrui,* (Vatters-Bruders-Weib) quæ amitæ æquipollet.



In

In hasce leges si peccetur, incestus fuerit: nam nuptiæ jure divino prohibitæ dicuntur incestæ; sicut quæ humano jure prohibitæ sunt, *illicitæ* appellantur.

Hæc verò prohibitio divina non personarum est, sed graduum: i.e. non illas tantùm personas concernit, quarum expressa facta apud Mosen mentio, sed reliquas simul omnes in æquè propinquis aut propinquioribus etiam gradibus constitutas obligat. Pertinent huc igitur sequentes regulæ. I. *Qui gradus in consanguinitate prohibiti sunt, iidem in affinitate prohibiti censentur:* quippe hæc, proprii nominis, illi æquipollet. II. *Qui gradus prohibentur in affinitate, iidem multò magis in consanguinitate.* v. g. quia vetitum est cognoscere nurum, multò magis vetitum erit cognoscere filiam; licet hoc posterius non sit expressum. III. *Prohibitio est eadem in ordine ascendentium & descendentium.* Rursum ergò sicut cum matre non fas est commisceri; ita nec cum filia. IV. *Non attenditur sexuum differentia.* Vnde quemadmodum non consistunt nuptiæ inter filium & novercam: ita nec inter filiam & vitricum. Moses enim dum ponit masculum, intelligit utrumq; sexum. Et verissima sanè est sententia, omnes de conjugiis leges Mosaicas ad masculos dirigi: quia *retegere nuditatem*, quæ phrasis perpetuò occurrit, propriè maritorum est. Neque, ut aliter sentiam, adducor verbis Lev. XVIII, 7. *Nuditatem patris tui ET nuditatem matris tuæ ne retegito:* ubi prohiberi videtur tàm concubitus filiæ cum patre, quàm filii cum matre, quasi dictum sit: neq; tu filia cum patre tuo concumbito, neq; tu fili cum matre. Rectiùs enim August. T. 4. quæst. 58. in Lev. id tantùm intelligit de matrimonio & copula filii cum matre, ita, ut eadem hîc sit nuditas (*turpitudo* Interpreti Vulgato dicta minùs aptè) patris & matris: quia ratione dominii in corpus uxoris, vel actualis copulæ, per quam sunt conjuges una caro, quæ uxoris est nuditas, mariti esse censetur, prout & versus sequens & decimus sextus apertè indicant: atq; adeò conjunctio *ET*, hîc interjecta, erit exegetica, ac si dixeris, *Id est.* Sed hæc obiter. V. *Cognationis ratio est eadem, sive ex paterna sive materna linea sit.* Proinde sicut uxore patrui

Regulæ de prohibitis gradibus.

trui mihi interdictum est: ita simul tacitè uxore avunculi. VI. *Prohibitiones sunt reciprocæ.* Cui ergò prohibita mea uxor, illius uxor etiã mihi prohibita. VII. *Si remotior gradus prohibetur, multò magis propinquior.* Sic quia neptẽ ex filia ducere non debeo, multò minùs ipsam filiam. VIII. *In linea, tàm recta quàm obliqua, quod uni non licet, id nec alteri æqualiter à stipite distanti.* Ita quod per legem non licet nepoti respectu (g) amitæ & materteræ, illud nec (h) patruo & avunculo respectu neptis: hæ enim personæ eodem utrinq; consanguinitatis gradu sibi mutuò sunt propinquæ, & à se invicem ac communi stipite remotæ.

(g) Vide lit. (b) (c)

(h) *Avus*	*Avia*
Pater — Patruus	*Mater — Avunculus*
Filia	*Filia*

Illicita autem intellige hæc omnia & singula in tantum, ut non solùm propterea matrimonium prohibeatur contrahendum, sed & *dirimatur contractum.* In aliis nonnullis, non prohibitis divinitùs, hæc obtinebit regula: *In nuptiis non solùm quid liceat, sed etiam, quid honestum sit, respiciendum.* Ita equidem quia affinitas nulla propriè contrahitur inter consanguineos viri & uxoris hinc inde, sed tantùm, uti diximus, inter virum & uxoris consanguineos, ac vicissim inter uxorem & consanguineos viri; idcircò nullum ex affinitate impedimentum est, quò minùs pater & filius ducant matrem & filiam: & duo fratres duas sorores: & frater ac soror sororem & fratrem. Sed tamen honestatis hic habenda ratio: & vel maximè id cavendum, ne inverso ordine pater filiam ducat, filius matrem, aut frater major natu sororem minorem natu, & vice versa: hoc enim alienum valdè fuerit ab honestatis legibus.

In Matrimoniis à Deo non prohibitis Honestas respicienda.

Et ne quis fortè hæc ad Vetus solummodò Testamentum existimet pertinere, dicimus & asseveramus: leges de prohibitis gradibus matrimoniorum per Mosen latas, non formaliter quidem, ut per Mosen latæ sunt, cujus ministeriũ ad solos spectat Judæos, sed *materialiter* tamen obligare Christianos omnes, *jure naturali partim, partim divino positivo*; quo eodem tenebantur ante Mosen ipsæ gentes abstinere ab ejusmodi conjugiis contrahendis, quibus sine ullo delectu miscerentur

Leges Mosaicæ de Conjugio etiam Christianos obligant.

tur consanguineis. Patet, hoc ex Lev. XVIII, 24. 27. ubi vitio eis vertitur, & *abominanda pollutio* appellatur consuetudo conjugalis cum consanguineis & proximis affinibus. Patet idem ex 1. Cor. V, 1. ubi Paulus ad gentium provocat judicium contra conjugium cum noverca. Si gentibus autem coire in promiscua ejusmodi conjugia non licuit sine vitii macula & pollutionis reatu, quidni vitietur per ea polluaturq; nomen Christianum? Non frustrà autem dixi: *jure naturali partim, partim divino*. Nec enim omnes omninò leges, quæ Lev. XVIII. c. habentur, juris naturalis esse persuasum habeo; quæ comunis quidem est Nostratium sententia, quam firmant gentilium exemplo, quos diximus obligatos fuisse his iisdem legibus. Atenimvero licet hoc ita sit, non illicò tamen sequitur, leges eas esse morales & naturales simpliciter: cùm constet derivatas à Noacho ad gentiles fuisse leges divinas positivas, quibus non servatis peccarunt: inter quas numeratur ab Ebræis conjugii lex, qua prohibetur incestus, & lex de abstemio à carne cruda; quæ est merè positiva. Dico itaque, ad jus naturæ revocandas esse eas solùm leges, *quæ prohibent conjugium in linea recta, ascendente vel descendente.* Collateralis linea admittit passim dispensationem divinam: cujus indultu Cain sororem germanam habuit uxorem, Jacob sororibus binis unà viventibus copulatus est, Moses ex conjugio ortus nepotis cum amita, juxta Tremellium Exod. II, 1. c. VI, 19. Num. XXVI, 59. Ubi dispensatio verò obviat, ibi locum habere jus naturæ cessat. In hoc quippe jure, sive principia spectes, sive conclusiones proximè & necessariò ex principiis deductas, (quæ invicem pari passu ambulant, & ad omnes homines ac omnia tempora se extendunt, suntq; norma divinæ justitiæ æterna ac immutabilis,) nequit dispensari vel ab ipso Deo. Potest aliàs Deus legis naturalis materiam tollere, efficiendo v. g. ut res aliena non sit ampliùs aliena, sed nostri propria: quia penes ipsum est rerum dominia transferre. Sed ut, quæ soror mea est, non sit mea soror, equidem fieri posse haud scio. Dantur aliàs etiam conclusiones remotiùs & non necessariò ex principiis naturalibus deductæ: quæ appellantur à nonnullis *jus naturæ secundarium*, per abusum vocis; propriè autem juris sunt positivi, vel divini vel humani: in quibus dispensari posse, nemo dubitat. Et hæc hactenùs de eo, quòd conjugium sit conjunctio in unam carnem legitima.

Quænam illarum sint Iuris Naturalis?

Vocatur autem insuper conjunctio hæc *indissolubilis:* quoniam, si legitima est, non licet homini eam dissolvere, veluti id habemus Matth. XIX, 6. dicente Christo: *Itaq; non ampliùs sunt duo*, qui scilicet separari possint, *sed una caro*, inviolabili conjunctione & legitimo

mo modo juxta Dei mandatum in unum velut compacta. *Quod ergò Deus conjunxit, homo ne sejungat*, scil. pro suo arbitrio; sive sit maritus, sive Magistratus: nam nec ille divortium pro arbitrio facere, nec

De Divortio.

iste indulgere debet. In politia quidem Judaica frequens divortiorum usus erat, & causa divortii πᾶσα αἰτία, Matth. XIX, 3. sed *permittente* solùm, non probante Deo, nec permittente ad hoc, ut perpetuò duraret, sed *propter duritiem cordis populi Judaici*, ad declinandum majus malum, ne Judæi duræ cervicis homines uxores malè tractarent vel homicidæ fierent. Dices fortè: Ratio permissionis adhuc durat, videl. durities cordis in multis hominibus. Ergò permissio adhuc vigere etiam debet. Resp. neg. cons. Quia licet adhuc multi sint duræ cervicis, alia tamen est ratio, quando aliquid in infantia permittitur puero, & quando est adultus. Sic *alia fuit ratio in V. alia hodie in N. Testamento, sub quo majora dona Spiritus sancti effusa sunt.* Hinc itaq; Christus autoritatem primæ divinæ institutioni restituens: *A principio*, ait, *non fuit ita. Dico autem vobis, quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*; nullam admittens divortii causam in conjugio antehac legitimè contracto jamq; consummato, *præter fornicationem.* Vbi certum est ex institutione conjugii, idem jus dimittendi esse uxori adversus adulterum, quod marito adversus adulteram. Atq; ex h. l. Matthæi supplenda est Domini sententia apud Marcum c. X, 11. 12. ubi simpliciter dicitur: *Qui dimiserit uxorem suam & duxerit aliam, mœchatur adversus eam: & , si mulier dimiserit virum suum & nupserit alteri, mœchatur.* In utroq; enim membro subaudiri debet: extra fornicationem.

Et quoniam duo hæc conjunguntur, *uxorem dimittere, & post divortium aliam ducere*, ac restringuntur ad casum fornicationis; inde statuimus contra Pontificios, vinculum ipsum matrimonii dissolvi per adulterium alterius conjugum, ita ut possit pars innocens, quæ causam adulterio non dedit, jure suo aliud contrahere matrimonium, vivente etiamnum conjuge priore. Nam hoc sibi volunt Christi verba: qui Pharisæis de causa repudii quærentibus respondet de tali utiq; solutione matrimonii, de quali ab eis interrogatus fuerat. At illi interogabant de solutione matrimonii non *quoad thorum* solùm, sed *quoad vinculum*: quod non potest diffiteri ipse Bellarm. l. de matrim. Sacramento c. 17. Ergò de tali solutione etiam respondet Christus, unicam ejus assignans causam, adulterium. Interim suadetur ante omnia & tentatur reconciliatio conjugum: qua demùm deficiente, divortii plena & libera potestas relinquitur. *Sunt alioqui plures causæ* (inter quas lepra

lepra vel alius morbus abominabilis) tollentes matrimonialem cohabitationem, manente vinculo. At verò vinculum ipsum non solvitur, nisi adulterio.

Cui analoga habetur *desertio malitiosa*, 1. Cor. VII, 15. quando nempe conjux animo malitioso, non justa aliqua & honesta causa inductus, sed vel religionis odio, vel levitate, vel impatientia freni conjugalis, vel aliis causis non necessariis impulsus à conjuge discedit, nec privatis admonitionibus vel publicis citationibus sese revocari patitur, sed hinc inde vagatur, aut planè in alias regiones ac loca longiùs dissita proficiscitur, ut spes nulla reditûs ac reconciliationis supersit. Tunc enim personæ desertæ aditus ad secunda vota jure ac merito patefieri potest.

Et tantum de forma conjugii, eaq; interna. Ad externam *ritus* pertinent usitati in nostris Ecclesiis: qui revocari possunt ad duo capita: I. Sacerdotalem novorum conjugum consecrationem. II. Solennem convivii nuptialis celebrationem. Vbi hoc annectimus, peccare sponsum & sponsam, si ante benedictionem Ecclesiasticam & publicam copulationem cohabitatione carnali consuescant, & obnoxios fieri enunciatis Christi in illos, qui *scandala præbent & non audiunt Ecclesiam præcipientem*, Matth. XVIII, 7. 17. Confer, juxta Lat. Vulg. & Germ. Luth. versionem, Tob. VI, 16. 17. Gerh. Tom. VII. p. 735. Non negamus, inquit, esse aliquod discrimen inter *scortationē* & *commixtionem sponsorū ante nuptias*, ac proinde etiam inter spurios & eos, qui ex sponsa ante nuptias suscepti sunt: interim negari etiam nequit, commixtione illa Ecclesiasticam legem violari, conjugii dignitatem labefactari & Ecclesiæ multis modis illudi. Illegitimi igitur sunt tales liberi, non ratione essentialis cujusdam requisiti ad matrimonium necessarii, sed ratione accidentis cujusdam in foro externo necessariò requisiti: unde *præcoces* vulgari dicterio appellantur (Frühkinder) & à sodalitiis opificum excludi consueverunt. Forma Externa Conjugii.

Finis deniq; conjugii est vel proprius, vel accessorius. *Proprius* est sobolis procreatio & Ecclesiæ amplificatio, societatisq; familiaris ac mutui auxilii acquisitio, Gen. I, 28. II, 18. *Accessorius* est scortationis evitatio & castitatis in genere humano conservatio, 1. Cor. VII, 2. tum etiam amoris & conjunctionis Christi ac Ecclesiæ præfiguratio, Eph. V, 23. seqq. Hi duo enim posteriores fines accesserunt demùm post lapsum. Finis Conjugii.

TESTI-

TESTIMONIA VETERVM.

EPiſcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abjiciat: Si verò rejecerit, excommunicetur; ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur. *Canon V. Apoſtolorum.*

Talem verò oportet eſſe Epiſcopum, qui ſit unius vir uxoris, quæ quidem ſemel nupſerit. Benè ſuæ domui præſideat. Sic enim probetur, cùm ordinationem capiens in Epiſcopatûs loco collocatur, ſi ſit honeſtus, fidelis, moderatus: ſi uxorem honeſtam habeat, vel habuerit: ſi filios religiosè educatos, & in diſciplina Domini inſtitutos produxerit: ſi domeſtici venerabiliter reverenterq; omnes illi obediant. *Clemens Rom. l. 2. Apoſtol. Conſtitut. c. 2.*

Virgines, ſolum Chriſtum in precibns veſtris ante oculos habete, & Patrem illius, illuminatæ à Spiritu: Fruar veſtrâ ſanctimoniâ, ut Jeſu filii Nave, ut Melchiſedechi, ut Eliſæi, ut Jeremiæ, ut Baptiſtæ Johannis, ut dilecti illius diſcipuli, ut Timothei, ut Titi, ut Enodii, ut Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam. Non quod vituperem reliquos beatos, quòd rei uxoriæ operam dederint, horum tantummodo memini: opto enim, ut Deo dignus inventus ad pedes iſtorum inveniar in regno, ut Abrahæ, & Iſaaci, & Jacobi, ut Joſephi & Jeſaiæ & aliorum Prophetarum: ut Petri & Pauli & aliorum Apoſtolorum, qui nuptiis operam dederunt. *Ignatius Mart. ep. 6. ad Philadelph.*

Sin autem vis mortis priorem disjunxerit, urgens autem natura ut ſecundæ uxori conjungeretur coëgerit, non ex voluntate, ſed ex caſu proceſſit ſecundum matrimonium. Hæc conſiderans admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt. *Theodoretus in 1. Tim. III.*

Integritas corporis expetenda à vobis eſt: quam ego pro conſilio ſuadeo, non pro imperio præcipio. Sola eſt enim virginitas, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt: res magis voti, quàm præcepti. *Ambroſius exhort. ad Virgines.*



LOCVS XVII.

isque ultimus,

DE

LIBERTATE CHRISTIANA.

Noribergæ elaboratus indeque transmiſſus Altorfium.



Ic nimirum Locus finem imponet operi noſtro quinquennali; ſed & Academicis amœnitatibus meis in totum. De priore quò magis cogito, eò decliviore curſu feror ad complendum, quod antehac cœpi, Locorum Theologicorum Syſtema. Poſterius autem recogitans ultimam hanc operam acerbam mihi ſentio, tantoque eam plus averſor, quantò mihi certius eſt, copiam in poſterum deſuturam aggrediendi de novo idem opus, vicibusque iteratis id perficiendi atque expoliendi; qui labor mihi in votis fuit penè quotidianis. Itaque malim mox penitùs, vel cum jactura poſtremi hujus Loci, abſtinere ab his oblectamentis: niſi aurem mihi vellicarent, & ſuo quodam jure hoc quidquid eſt laboris reſidui expoſcerent, quibus nec, ſi poſſim refragari, velim, nec ſi velim, poſſim.

Quod igitur unúm ſupereſt, de Libertate (ut omni me curâ liberem) tractationem ſuſcipiam: nec verò de quavis, quæ Theologicæ poſſit conſiderationis eſſe: certè non de libertate hominis ante lapſum, nec de futura filiorum Deiglorioſa libertate, ſed *de Chriſtiana*, h. e. fidelium, qui Chriſto hac in vita militant, propriâ, adeoque ſpirituali. *Cum qua conſiſtere poteſt obedientia civilis, quæ Magiſtratibus debetur:* hæc enim tantum abeſt, ut illi repugnet, ut nec ipſa ſervitus corporalis illam evertat, ceu patet ex illo Apoſtoli 1. Cor. VII, 21. *Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ*; quaſi ſcilicet id vel Chriſtiano ſit planè indignum, De quanam libertate hîc agatur?

Gradus libertatis Christianæ. vel pugnet cum nostra redemtione. Quod ipsum clariùs patebit, si expendantur gradus libertatis Christianorum: qui gradus communissimè loquendo sunt quatuor, ac in totidem Aphorismos dispesci possunt. Verba ipsa Philippi hic recensere supersedemus, videnda in Locis & in Examine. Sectamur brevitatem, & idcircò malumus propriis verbis uti in gradibus illis enarrandis.

I. Primus ex illis est libertas à reatu peccati & maledictione Legis moralis. *Christus enim nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio*, Gal. III,13. *in quo habemus redemtionem per sanguinē ipsius, remissionem nempè peccatorum*, Eph. I,7. Huc spectat totum beneficium Justificationis. Quid enim justificatio aliud, quàm remissio peccatorum, & liberatio à reatu per peccata contracto & à Lege, peccatores condemnante ac exsecrationi subjiciente? Nec proinde opus, huc accumulare Scripturæ loca id beneficii ingeminantia.

II. Alter gradus est libertas à dominio peccati: ne posthac peccato obediamus, aut regnum ei in corpore nostro permittamus: sed sicuti extra Christum addicti eramus Satanæ servitio, ita in Christo nunc constituti Dei Patris sanctissimæ voluntati serviamus. Qua de re Apostolus Rom. VI,14. *Peccatum*, ait, *non dominabitur vobis: non enim estis sub Lege, sed sub gratia*. Et Rom. IIX,2. *Lex spiritûs vitæ, qui est in Christo Jesu, liberavit me à Lege* (ac dominatu) *peccati &* (Lege) *mortis*, seu reatu damnationis ad peccati dominatum consequentis.

Spectat huc totum beneficium Sanctificationis & Renovationis: quod justificationi proximè connexum est. Quid enim sanctificatio & renovatio aliud, quàm collatio sanctarum & novarum virium, quarum adminiculo proclivitas ad peccandum in justificatis residua mortificatur, ut nos magis magisque ab ejus dominio liberemur? Etenim dum remittitur peccatum, h. e. dum reatus peccati aufertur, non aufertur simul ipsa vitiositas ad modum habitûs adhærens: sed manent justificati adhuc obnoxii pravis suggestionibus carnis concupiscentis adversus spiritum, Gal. V,17. quibus tamen ne succumbant & morem gerant, præstatur eis dono sanctificationis: quo paulatim vis peccati in carne habitantis frangitur ac imminuitur, ut subjicere sibi spiritum nequeat caro, si viribus divinitùs concessis homo renatus uti rectè velit.

Hinc est igitur, quod & possit & teneatur, qui justificatus est, (*nova* utpote *creatura in Christo* factus, 2. Cor. V,17.) *ambulare* deinceps

novâ

novâ vitâ, Rom. VI,4. & *Spiritu incedere, quodq; concupiscit caro, non perficere*, Gal. V,16.25.

Vterq; hic libertatis gradus comprehenditur in verbis Christi Joh. IIX,36. *Si vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis.* Et quoniam uterq; ad salutem necessarius est, participes utriusque fuerunt etiam fideles Veteris Testamenti, quoad substantiam; etsi non quoad parem nobiscum mensuram. Fuere, inquam, liberati à servitute maledictionis, quam intentat Lex moralis, morte & merito Christi: cujus virtus non tantùm ad N. Testamentum respicit, sed etiam ad Vetus, usque ad initium mundi. Quia verò obscuriùs cognoverunt redemtionem futuram in Christo Jesu, hinc debilior fuit sensus justificationis in cordibus eorum. Acceperunt porrò eam gratiæ Spiritûs portionem, quæ ipsis ad salutem sufficeret, essetque adminiculo ad resistendum peccatis & opera Deo grata præstanda: nec defuit eis *Spiritus adoptionis*, Rom. IX,4. & *spontaneus*, Psal. LI,14. At interim sub pædagogia Legis relicti, parvulorum instar minis utplurimùm & ferulis ad officium compellebantur aut muneribus invitabantur: quo respectu ab Apostolo æquiparantur *servis*, Gal. IV,3. & *spiritus servitutis ad metum* eis assignatur, Rom. IIX,15. cùm nobis, quibus Evangelium crebriùs inculcatur, liceat adminiculante uberiore Spiritûs spontanei gratiâ alacriùs Deo vocanti respondere & ducentem sequi, impulsu amoris ex Evangelii voce nos undique circumsonante concepti: quanquam *sicut illi non fuerunt spontanei Spiritûs omninò expertes, ita nec dum nos simus omni timore vacui*, sed sæpè ferulis Legis adigi indigeamus ad faciendum officium, quoniam Spiritus adoptionis in nobis nondum est absolutus. Superest enim, ut diximus, pugna carnis adversus Spiritum.

Vtriusque hujus gradus libertatis quomodo V. T. fideles fuerint participes.

Hi sunt igitur priores duo gradus Christianæ Libertatis: Christianæ dico; quid enim ita dicere prohibet, licet secundùm plus & minus sint communes utrique Testamento, V. & Novo? quandoquidem fidelibus sub V. T. etiam ὀνειδισμὸς τοῦ χριστοῦ attribuitur, Ebr. XI,26.

Obj. contra I. Gradum Libertatis.

Videtur autem utrique gradui aliquid obstare. Et priori quidem, quod dictum est circa secundum, nos peccati non esse immunes. Licet enim dominium non permittamus peccato, tamen *habemus peccatum*, 1. Joh. I,8. & *in multis labimur omnes*, Jac. III,2. Peccatum autem omne secum trahit reatum, ut corpus umbram. Nemo ergò Christianorum à reatu peccati liber erit. Et referri huc pariter possit, quod dicit Apologia A. C. tit. de dilect. & implet. Legis: *Lex semper accusat nos etiam in bonis operibus. Semper enim caro concupiscit adversus Spiritum.* Dodec. 335. ℞. Peccatum sanè quodcunque trahere secum reatum suâ naturâ, ut necessarium consequens. At immunes interim à reatu pecca-

catorum non regnantium (quæ venialia aliàs dicuntur) ſunt fideles, ex accidente: non quòd tale aliquod peccatum ſuâ naturâ hominem reatui non involvat, ſed quia beneficio gratuiti pacti Evangelici credentibus non imputantur, quæ ex propoſito non perpetrantur, delicta. Ac pariter Lex etiam, quantum in ſe eſt, nos accuſat in ipſis operibus bonis, quatenus imperfectè bona ſunt, nec ſine vitio luctæ exeunt in actum. Sed accuſat nos ſine effectu. *Nihil* enim *eſt damnationis his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant ſed ſecundùm Spiritum.* Rom. IIX, 1.

Obj. contra II. Gradum Libertatis. Alteri deinde gradui libertatis aliquid itidem poteſt opponi. Nam ipſe *Apoſtolus* Rom. VII, 23. *negat ſe eſſe liberum* etiam poſt regenerationem: imò ſe *captivum legi peccati*, i.e. neceſſitati peccandi obnoxium palam fatetur. Et: *Carne*, ait, *ſervio legi peccati*, verſ. 25. i. e. carnis infirmitate ad peccandum ſollicitor multumque fatigor. Vbi autem ſervitus eſt, ibi deſinit eſſe libertas. Verùm hæc Pauli effata non arguunt, hominem fidelem, cui peccatum non dominatur, non eſſe liberum, ſed non eſſe perfectè & ſimpliciter liberum. Liber eſt; quatenus ſuperiore ſui parte, mente & voluntate, ſervit Deo. Non eſt liber; quatenus *quoad inferiorem partem ſeu appetitum ſenſitivum* ſervituti relictus eſt: cujus jugum licet excutere penitùs hac in vita nequeat, gratias tamen Deo liberatori debet pro inchoata per Jeſum Chriſtum liberatione, exemplo Pauli Rom. VII, 25. ſub ſpe plenioris olim futuræ liberationis, Rom. IIX, 21.

III. Quæ cùm ita ſe habeant, progredimur nunc ad tertium libertatis gradum, qui eſt libertas à Ceremoniis ac Legibus forenſibus Moſaicis. Quibus nos ex gentibus fideles obſtricti quidem nunquam fuimus, adeoque nec in rigore liberati ab eis dici poſſumus, ſed *liberi* tamen ab iis verè ſumus, ac ita appellamur *appellatione nominali*, etſi participialiter denominari inde propriè non poſſimus. Fundatur hæc libertas in adventu Chriſti in carnem, per quem adventum ſuum præſtitis præſtandis typos fecit ceſſare. Hinc gradus hic libertatis proprius eſt ſolius N. Teſtamenti; nullo modo fidelibus ſub V. Teſtamento communis.

Quamdiu enim non exhiberetur corpus, locum habebant umbræ futurarum rerum. At corpore exhibito umbræ ceſſarunt. Inde Apoſtolus: *Ne quis igitur vos judicet* (condemnet & culpæ reos faciat) *ob cibum & potum*, eorumque diſcrimen, quod Lev. XI. præſcribitur, neglectum, *aut reſpectu feſti ſolennis aut novilunii aut ſabbathorum* more Judaico non celebratorum: *quæ ſunt umbra rerum futurarum: corpus autem, Chriſti*, (qui veritas eſt & ſoliditas ipſa, in quo omnis plenitudo) Col.

Col. II, 16.17. Huc pertinent, quæ disputat idem Apostolus, Ebr. IX. & X. & multa huc revocanda ex epistola ad Galatas, maximè, quod exprobrat Apostolus Galatis suis cap. IV, 8.9. *Tunc quidem cùm ignoraretis Deum, serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii. At nunc posteaquam cognovistis Deum, quin potiùs cogniti estis à Deo* (adeoque liberati à servitute idolorum) *quomodo convertimini denuò ad infirma* (vim justificandi non habentia) *&* gratiæ divinæ hæreditatisque cœlestis *egena elementa, quibus ab integro servire vultis?* non quòd unquam anteà iis adsueverint, sed quòd insipidè libertatem cum alius generis servitute commutent, libertatem nempe à servitio idolorum cum servitute ceremoniarum; ut τὸ *Iterum* combinetur cum τῷ *servire* & *converti*, non cum *elementis*, seu observationibus ceremoniarum, quæ quasi prima pietatis rudimenta Judæis data fuerant.

Sed & inprimis loci hujus est acris oratio Petrina Act. XV, 10. *Nunc ergò quid tentatis Deum ad imponendum* Legis *jugum cervici discipulorum* (qui ex gentibus ad Deum se converterunt) *quod neq; patres nostri neq; nos portare valuimus?* Licet enim ceremoniarum observatione divinitùs mandata Judæi exactè sint defuncti, nec proinde iis hæc observatio jugum importabile fuerit; quatenus tamen ea discipulis injuncta necessitatem secum trahebat implendæ totius Legis, quam exactè implere nemo valet, eatenus rectè jugum importabile discipulis imponere dicuntur Pseudo-Apostoli, urgentes circumcisionem, ut necessariam ad justitiam & vitam æternam. *Testor enim*, ait Apostolus, *omni homini, qui circumciditur*, (intendens consequi hoc pacto justitiam & salutem) *eum esse debitorem totius Legis servandæ*, Gal. V, 3. quoniam videl. Lex justitiam & vitam æternam promittit non obedientibus in uno tantùm, sed totam Legem, nec quomodocunque sed accuratissimè servantibus: quod debitum solvere est impossibile, qua parte moralia à Lege præscribuntur. *In libertate igitur, qua Christus nos liberavit*, (in quo nec circumcisio quidquam valet, nec præputium) *perstemus*, ut loco proximè citato monet Apostolus, *& ne regredientes implicemur servitutis jugo.* Gal. V, 1.6.

Objici possit: ipsum Paulum ritus Mosaicos nonnunquam observasse, quando v. g. *circumcidit Timotheum*, Act. XVI, 3. *rasit caput*, Act. XIIX, 18. *seq; purificavit legaliter*, Act. XXI, 26. Sed has ille ceremonias non ex necessitate aut tanquam ad salutem facientes adhibuit: (nam autoritas rituum illorum ea non erat ampliùs, quæ fuerat pridem) verùm ob alias causas. Iis igitur non servüt. Obj.

Lex Ceremonialis cum triplici differentia tēporis considerari potest.

Vt hæc rectius intelligantur, accuratè tria tempora distinguenda sunt. Nam alia est ratio temporum *ante Christi passionem & mortem*: alia temporis, *quod passionem & mortem Christi proximè est insecutum*: alia

alia denique temporum *post eversa Hierosolyma* & plenam prædicati Evangelii divulgationem in orbe terrarum. Sicut enim ante Christi passionem & mortem Lex ceremonialis erat *servatu necessaria* ad salutem: ita Christo jam mortuo ipsa quoque erat *mortua*, & nemo obligabatur eâ, quatenus figurabat res futuras incompletas; quia tamen sepulta nondum erat, servari à Judæis noviter conversis, interque populares suos degentibus, quamdiu urbs & templum eorum superessent, poterat, imò debebat, in Dei reverentiam, à quo profecta fuerat: qui Synagogam volebat sepeliri cum honore, ac tum demùm se legales ritus abrogasse luculentum indicium fecit, quando urbem & templum, quibus isti ritus peculiariter alligati erant, funditùs everti & deleri voluit, præcisâ restitutionis spe. Interea temporis Judæi conversi, cumprimis qui in urbe & Palæstina vivebant, ritus observarunt, cùm ob causam modò dictam, (quòd essent ceremoniæ à Deo institutæ, in quas nemini jus mutandi, nisi soli Deo earum autori;) tùm etiam, ne scandalo essent reliquis & Legem Dei contemnere viderentur, atque ita animos eorum ab Evangelio magis alienos redderent, motibusque & turbis occasionem præberent.

Hæc maximè ratio permovit Paulum, ut circumcideret Timotheum. Subierat Paulus Lystris multorum odia, neq; tutò poterat in datas sibi partes incumbere; quare necessarium judicavit aditum sibi aliquem parare ad Lystrensium benevolentiam. Id verò ut perficeret, Timotheum, quem secum habere statuerat Apostolici ministerii socium, quemque, utpote gentili patre natum, esse constabat in præputio, circumcidit. Quod ubi factum fuerat, per singulas civitates Apostolica dogmata promulgarunt: quibus & confirmabantur animi magis, & ad Ecclesiam fiebat nova in dies singulos accessio. Post excidium autem Hierosolymitanum & plenam Evangelii divulgationem Lex ceremonialis cœpit esse non *mortua* tantùm, sed etiam *mortifera*, ita ut ex eo tempore absque vetitæ servitutis nota & peccato mortali servari non possit ampliùs, & sepulchri violator habeatur, qui eam è cineribus & ruinis templi ac urbis eruere conetur: sicut ex Augustino Thomas docet 1.2.q.103.a.4. quem vide.

Et hæc hactenùs de tribus prioribus libertatis gradibus: ad quos pleniùs percipiendos haud parùm facient Loci de Lege & de Justificatione, quos pridem tractavimus.

IV. Quartus & ultimus gradus est liberum exercitium rerum indifferentium, sive rituum & ceremoniarum, quas Ecclesia

clesia N. Testamenti instituit & ordinavit pridem, vel etiamnum ordinat. Quales sunt observatio Sabbathi in die Dominica, trina immersio vel aspersio in Baptismo, Exorcismus, altarium & luminarium ac placentularum orbicularium usus apud nos, ipsaque, secundùm nostram quidem sententiam, fractio panis, quam Calviniani adhibent, & alia penè innumera. Quæ ex natura sua ἀδιάφορα dicuntur & res mediæ, nulla expressa Lege divina mandatæ vel vetitæ. Vnde *nec bona nec mala sunt secundùm se, sed tantùm ex fine & usu.* Ratione autem causæ efficientis & modi, quo ad nos pervenerunt, παραδόσεις & *Traditiones* vocantur, non Divinæ, sed Ecclesiasticæ, institutæ sive ab Apostolis sive ab eorum successoribus, vel hodie etiam legitimè ab Ecclesia ordinatæ. Diximus de his aliquid Loco de Scriptura, in secundo Traditionum genere; nec non Loco de Lege, in classe Legum positivarum humanarum. p. 84. p. 339.

Ceremoniarum Ecclesiasticarum requisita.

Augustana Confessio hoc rerum genus certis conditionibus limitat & circumscribit art. XV. idque ita omninò faciendum. Puta; ut quæ instituuntur ceremoniæ ab Ecclesia, cumprimis *piæ sint*, quæ sine peccato servari possint. Cujusmodi nec olim Molochi sacra erant, nec hodie est pontificia mutilatio Cœnæ Dominicæ. Vt deinde sint *utiles*; ad ordinem scilicet & decorum tranquillitatemq; Ecclesiæ facientes, juxta illud Pauli 1. Cor. XIV, 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* Ratio ibidem affertur, vers. 33. *Deus*, quem semper Ecclesia ut Dominum præ oculis habere debet, *non est autor* ἀκαταστασίας, *confusionis*, turbarum, *sed pacis*, & tùm pace tùm ordine delectatur. Ordine autem fiunt res, cùm suo quæque loco & tempore fiunt, & à personis idoneis. Decorum servatur, quando honestè & cum reverentia religionis omnia peraguntur, ut, quantum verbo, quantum Sacramentis tribuamus, ex ipsis etiam ritibus elucescat, iisdemque alii ad parem reverentiam & congressuum publicorum amorem invitentur. Hoc Paulinum monitum attendere debebant, quotquot vestes Sacerdotum solenniores, altaria, luminaria, exorcismum, apertionem capitis ad nomen Jesu, genuflexionem in sumenda Eucharistia, & similes non indecentes ritus, impotenter sugillant.

Porrò *moderatio illis adhibenda*, & copia ac multitudo vitanda. Licet enim in potestate Ecclesiæ sit ordinare ritus, non tamen eos multiplicare fas est, ne multitudine sua oneri sint hominibus, aut fortè aliud subnascatur incommodum. Nempe cùm pluribus intentus minor ad singula sensus sit; multitudo traditionum humanarum, quamvis minimè impiarum, ab observatione Legum divinarum & cultu veræ pietatis animos & studia hominum paulatim abducit & avertit: fitque tandem,

tandem, ut pluris æſtimetur peccatum contra traditionem aliquam commiſſum, eò quòd eſt contra Legem Dei. Id quod jam olim in Phariſæis notavit Chriſtus, Marc. VII, 4. 8. *Phariſæos imitati Pontificii*, id propemodum unum agunt, ut rituum & ceremoniarum multitudine ſpectantium oculos detineant. Quos amandamus ad Auguſtini Epiſt. 119. c. 19.

Cavendum denique, *ne vitium contrahant ex uſu & fine*, tributa illis opinione ſive ſimplicis neceſſitatis, ſive cultûs per ſe & immediatè Deo placentis, ſive meriti & expiationis peccatorum. Hîc nonnihil immoremur, neceſſe eſt. Negamus, ad meritum (ut ordine retrogrado procedamus) & expiationem peccatorum facere ceremonias humanitùs conſtitutas. Et juſtiſſimè. Ecquî enim hîc valeat coram Deo, quod à Deo inſtitutum non eſt, ſed ab hominibus introductum? Quis propterea non videt, Chriſti merito fieri injuriam, ſi ritibus humanâ ſapientiâ effictis tribuantur effectus ſpirituales & ſupernaturales, à Chriſti merito in ſolidum dependentes, nec niſi per Sacramenta Chriſtum authorem habentia ad nos derivandi? In hoc rituum cenſu ſunt *Confirmatio & Extrema Unctio*: quæ quidem referuntur ab adverſariis in inſtitutionem Chriſti: ſed falsò. Interim mittamus ea. Dantur aliæ ceremoniæ, quibus divina inſtitutio nulla prætexi ſolet à Pontificiis. Qualis eſt, cùm populus adſpergitur *aqua ſale conſperſa*, quam benedictam aquam appellant, cui virtus tribuitur fugandi dæmones, & abſtergendi peccata venialia, mentemque à terrenis ad cœleſtia revocandi. Ejus generis ſunt quoque *Agni Dei*, quos vocant, ſive imagunculæ cereæ, Agnum repræſentantes, quas oleo & aquæ benedictæ immerſas dierum paſchatos aliquo quisq; Pontifex primo Pontificatûs ſui anno ſingulisque ſeptenis conſecrat, & Dominicâ in Albis, Paſchati proximâ, populo diſtribuit: quibus vis ineſſe fertur tollendi peccata omnia, ad eum modum, quo tolluntur Chriſti ſanguine. Hoc vult enim vetus verſiculus de Agno Dei:

Ecclesiaſticæ Ceremoniæ non ſunt meritoriæ & ſatisfactoriæ.

—— —— —— *Omne malignum*
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.

Non poſſunt diffiteri, hoſce ritus à Chriſto non eſſe inſtitutos; & vindicant tamen eis ex opere operato expiationem peccatorum, cum Chriſti contumelia.

Habet aliàs Eccleſia poteſtatem condendi ritus aliquid ſpirituale ſignificantes, quod præſtetur ex opere operantis, h. e. ex interna devotione ejus, qui ritus externos adhibet. Ita olim baptizati accipiebant *Chriſma* ſeu unctionem, ad deſignandum, eos conſecrari Deo Reges & Sacerdotes, qui effectus ut ſequeretur, impetrabat Eccleſia precibus ſuis

devo-

devotis. Eodem spectat *signaculum crucis*, ceremonia ut antiqua maximè, sic maximè pia: qua utebantur veteres Christiani, nec immeritò nos hodie utimur, ad excitandam & conservandam memoriam passionis & mortis Christi, fiduciamque, quæ in objecta isthæc ferri debet. Tertull. de Coron. mil. traditiones non-scriptas enumerans c. 3. *Ad omnem*, inquit, *progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq; nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Idem dicit Hieron. in forma exhortationis ad Eustoch. ep. 22. c. 16. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. Quod signum nisi adhibeatur*, inquit Augustinus, *sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*, tract. 118. in Evang. Joh. Tale signum crucis, sic factum, ut solet Ecclesia facere, habet effectum spiritualem ex fide & devotione signantis. Tribuitur ei passim à vetustioribus dæmonum perterrefactio & in fugam conjectio. *Nocte venientes dæmones cum videritis*, ait Athanas. concione ad fratres suos, *tàm vos quàm domos vestras crucis armate signaculo, & confestim solventur in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator, aëreas exspolians potestates, eas fecit ostentui.* Sed ne sinisteriùs hoc intelligatur, cavit idem S. Athanasius in vita B. Antonii, quem ad dæmones dixisse refert: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum, devorate concessum: Si verò non potestis, cur frustrà nitimini?* subjungens: *Signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* Cui prorsus consentiens Chrysostomus: *Quando igitur*, ait, *cruce te signas, universam tecum crucis causam verte, & iræ ac reliquarum passionum incendia exstingue: quando te cruce signas, magnâ tuam frontem arma fiduciâ, libertate animum munias. Nec enim latet vos, quænam sint, quibus libertati donati sumus. Paulus enim cum ad capessendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad crucis & sanguinis Dominici memoriam reduxit, dicens: Precio emti estis, non sitis servi hominum. Precium autem hic crucem appellavit: quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cùm hastam videat, qua letale vulnus accepit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pænas persolvunt, videmus, ingenti horrore concutimur; quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires ejus Christus dissolvit, & quo caput draconis magno ictu rotavit?*

Homil. LV. in c. 16. Matth. Nempè igitur Fides, Spes, Fiducia, isti signo conjuncta, tutum præstat hominem ab insultibus dæmonis.

At verò ut ex opere operato conjungatur sive huic, sive alteri cuiquam ritui externo, spiritualis & supernaturalis effectus, id nullus mortalium præstare potest. Nullus, inquam, tale medium externum potest statuere, quod faciat ad pellendam dæmonis vim, ad peccata expianda, ad Deum placandum, ex vi operis ita facti: sed hoc est solius Dei. Et si quid tale est, id Sacramentum rectissimè appellatur. Si itaq; Agnus ille Dei & aqua lustralis habent eo modo effectus illos, quos & quomodo Ecclesia jactat Pontificia, erunt Sacramenta: utut adversarii contranitantur, ne excrescat septenarius Sacramentorum numerus jam tum ab ipsis definitus. Sed ad alia.

Nec habent rationem cultus.

Negamus simul, quod cultûs rationem habeant Ecclesiasticæ ceremoniæ. Nec immeritò. Ipse enim Christus *frustrà coli Deum* lotionibus Judaicis similibusq; *hominum mandatis*, Matth. XV, 9. pronunciat. Quod tamen restrictè intelligendum, quatenus *per se & immediatè* coli Deus existimatur illis ritibus. Cæteroqui potest res quædam indifferens, v. g. jejunium, seu sponte susceptum, seu ab Ecclesiæ Præsidibus imperatum, pars esse cultûs divini: sicut *Hanna coluisse Deum* dicitur *jejuniis & precibus*, Luc. II, 27. Sed per se ad Dei cultum tale quid ordinari, inficiamur. Precationes ad Dei cultum propriè & directè faciunt. Jejunium autem est aliquid subserviens ei, quo per se Deus colitur. Vt ardentiùs & magis seriò precari inque precibus perseverare posset Hanna, ideò in subsidium adhibuit jejunia, tanquam removentia prohibens. Nam hoc ferè experimur in nobis, quod benè saginati minùs benè vacemus precibus.

Neque etiam sunt necessariæ.

Necessitatem verò etiam abesse jubemus à ceremoniis in Ecclesia. Nec id quoq; sine causa. Quoniam enim ab ipso Christo eæ nobis præscriptæ non sunt, idcircò non obligant populum Christianum ad sui necessariam & perpetuam observationem, sicut Sacramenta: sed *observantur liberè*, atq; inde pro indifferentibus habentur. Cujus asserti veritas ut nobis quàm certissimè constet, ad objectiones nonnullas respondebimus, quæ pro necessitate afferri queant.

Obj.

Et primò statim objici possit, quod scriptum est Act. XV, 28. *Vt abstineant ab illis necessariis.* Et locus Augustini l. 19. contra Faustum, c. 11. ubi affirmat August. *nullam religionem neq; veram neq; falsam sine ceremoniis posse consistere.* Item ratio Bellarmini l. 2. de Sacramentis in genere, c. 31. propos. 4. §. ult. *Si libera esset ceremoniarum observatio, nullo modo fieri posset, ut aliquis ordo & uniformitas in Ecclesia servaretur.*

Resp.

Resp. Ceremoniæ Ecclesiasticæ sunt partim liberæ, partim necessariæ. *Liberæ sunt suâ naturâ*, quia non sunt divinitùs constitutæ, sed liberè in Ecclesiam introductæ, à qua etiam immutari possunt, addendo, demendo, quin prorsus abolendo. *Nihilominùs quædam illis subest necessitas. Nam I. in genere loquendo, necesse est esse quasdam in Ecclesia ceremonias à Christo non institutas.* Absq; his enim foret, non possent peragi, quæ instituit Christus, v. g. Evangelii prædicatio & Sacramentorum administratio: cùm non præscripserit Christus determinatum modum hæc peragendi (sicuti Judæis universus modus sacrorum suorum examussim præscriptus erat) sed reliquerit externum hoc Ecclesiæ regimẽ Apostolis suis & piis Magistratibus prudentibusq; Doctoribus. Ab his ergò necesse fuit, certas constitutiones fieri, & necesse hodienum est, *necessitate ordinis*. Idq; ipsum sibi velle videtur Augustinus, cujus hæc sunt verba l. d. *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligantur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contemta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Sunt ceremoniæ *ad hoc, ut pietas perficiatur*, omninò necessariæ. Et quatuor in universum partes constituunt integrum Christianismum. I. Articuli fidei. II. Præcepta morum, juxta Decalogum. III. Sacramenta. IV. Ceremoniæ Ecclesiasticæ; scilicet generatim sumtæ & universaliter seu collectivè. Christianismi 4. Partes.

II. *Speciatim verò etiam & distributivè sumtis ceremoniis imponitur aliqua necessitas, ubi Ecclesiastica lege semel sancitæ sunt.* Nec enim violari temerè possunt aut debent semel introductæ: violatio namq; contemtum arguit & scandalum parit: à quibus necessariò est cavendum. Per legitimas itaq; piorum Principum & Ecclesiæ ordinum constitutiones recipiunt adiaphora necessitatem quandam eis obtemperandi. Quippe non ideò sic dicta, quòd subsint cujuslibet arbitrio, sed quòd à Christo non sint instituta tanquam necessaria ad salutem. Interim subsunt ordinationi Magistratûs & Ecclesiæ: quæ ordinatio ritè facta vim habet obligandi ad obedientiam. Et per hoc solvitur ratio Bellarmini: Si nempe libera esset ceremoniarum observatio (ita, ut cuilibet privato pro lubitu eas, quoties visum, omittere vel usurpare liceat,) dissolvetur Ecclesia suis nervis & deformabitur ac dissipabitur; ut ibidem confestim ex Calvino ipse sibi Bellarminus respondet. Manet interim quælibet ceremonia res libera, quia liberè est introducta.

Sed III. tamen *potest necessitas aliqua antecedere etiam hujus illiusve ceremoniæ constitutionem eamq; imperare.* Quod equidem contigit

tigit, Act. XV. Vrgebat Apostolos necessitas aliqua, ut legem ferrent de abstinentia ab esu idolothytorum, sanguinis & suffocati. Quia enim conversi ex Judæis & Gentilibus, tàm publicè in unam Ecclesiam coalescere, quàm privatim etiam consuescere debebant; necesse erat removeri obstacula, quæ impedire poterant mutuam familiaritatem. Nam cum Judæi tum temporis alienissimi essent ab idololatria, magno ipsis offendiculo fuisset, si conversi è gentilibus idolothyta in cibum adhiberent: existimassent enim, eos non sincerè aversari idololatriam. Esus item sanguinis & suffocati convictum gentilium odiosum & invisum reddidisset Judæis, religiosè ab istiusmodi esu abstinentibus. Pro isto igitur tempore & fine, quem dixi, necessarium erat interdicere gentilibus esu talium rerum: cùm aliàs naturâ suâ res mediæ essent & in libertate Christiana positæ. Quod ergò naturâ suâ liberum est, potest induere necessitatem aliquam etiam antecedentem, in respectu ad certum finem. *Et salva tamen libertas subsistit*: quoniam absoluta necessitas hîc nulla est, sed solùm hypothetica, ex finis suppositione. Ac cessante causâ legis cessat ipsa lex: sicut sanè constitutio illa Apostolica hodie liberrimè intermittitur, nec quenquam obligat ampliùs.

Iejunium est res adiaphora,

Cæterùm quoniam antè de jejunio, quòd sit inter Adiaphora, dictum est, inseremus hac de re brevem declarationem. In Scripturis profectò nullibi nobis Christianis mandatur jejunium: nec Judæis etiam, nisi unius diei jejunium annuum, fuit à Deo mandatum, Lev. XXIII, 27. *Commendatur tamen nobis* jejunium, cùm verbis Christi, Matth. VI, 16. XVII, 21. & Pauli, 1. Cor. VII, 5. 2. Cor. VI, 6. tùm exemplis Apostolorum, Act. XIII, 2. XIV, 23. tanquam utile ad sanctos fines, præcipuè ad preces devotiùs concipiendas. Et verò *mandari etiam nobis potest autoritate Ecclesiastica*. Sicut enim ipsæ preces subjacent dispositioni legis positivæ, quoad tempus, locum & modum orandi: sic quoq; lege positiva potest injungi ab Ecclesiæ ordinibus, ut, quando orandum est solemniùs, simul jejunetur. Quæ potestas indicendi jejunium est penès Magistratum, Jon. III, 7. & Ecclesiarum sacros Antistites, Joël. II, 15. Esdr. VIII, 21. Quem in modum sæpiùs noster Magistratus per Ecclesiæ Ministros imperavit nobis jejunium, aliquot inde ab annis. Et *antiquissima est Ecclesiastica traditio de statis quibusdam jejuniis*: utpote de jejunio Quadragesimæ, de jejunio feriæ quartæ & sextæ, h. e. dierum Mercurii & Veneris; nonnihil hac recentior, de jejunio quatuor temporum: Vernali, incidente in diem Mercurii à Dominica Quadragesima proximum: Æstivali, die Mercurii Pentecostalis hebdomadæ celebrando: Autumnali, sequente exaltationem Crucis: & Hyemali, cui Mercurii dies post Luciæ memori-

moriam eſt deſtinatus. Vt uno verbo dicam, **auf alle Quatember.** Sicut autem jejunia ſpontè ſuſcepta, ſic iſthæc etiam, quæ Eccleſia indicit, ſunt naturâ ſuâ indifferens quid, & materia Chriſtianæ libertati ſubjecta.

Objecerit quis: Quod eſt juris naturæ, illud non eſt indifferens, ſed ſimpliciter neceſſarium. Quoddam jejunium eſt juris naturæ. Ergò. Min. prob. Nam v. g. homini ad libidines prono neceſſarium eſt, ut jejunando carnem edomare ſtudeat & ſubjicere Spiritui. Tali ergò homini dictat recta ratio naturalis, ut remedium jejuniorum adhibeat. Reſp. N. Min. Vtile ejusmodi homini eſt jejunium, & ut tale ſuadetur à lege naturæ, ſed non tanquam neceſſarium præcipitur. Quicquid enim præſtari poteſt per jejunium, id ipſum poterit præſtari *per tenuiorem victum.* Vtatur ille homo victu parciore; & ſatis ſibi, in auxilium vocato Divino Numine, à libidinibus cavebit. Atq; hoc remedium poteſt etiam univerſalius aſſumi. Omnes enim poſſunt frugalitatem colere in victu, & lautiora alimenta corpori ſabtrahere, libidinem ſtimulantia: non omnes autem poſſunt jejunare: nec enim omnium conſtitutio id fert. Billioſi certè ſi jejunent, ſentiunt os venticuli ſibi arrodi à bile, & inde redduntur inepti ad ſtudia & meditationes ac precationes ſacras. Quod autem ab omnibus præſtari non poteſt, id ſub legem naturæ non cadit. Obj. I.

Inſtat: Jejunium eſt ſpecies temperantiæ: Temperantia autem eſt juris naturæ. Reſp. Non omnes ſpecies virtutum ſunt ſtatim juris naturæ. Nam heroica virtus eſt ſpecies virtutis, ad quam tamen nemo tenetur ex Lege naturæ: Ita jejunium (loquor de *propriè dicto & totali,* quod eſt omnimoda abſtinentia à cibo & potu; non de *portionali,* quod eſt abſtinentia à quibusdam ſolùm cibis, cujus exemplum Dan. X, 2. minimè omnium de *vano* & futili Pontificiorum, cum quo ſtare poteſt ſaturitas, imò gula, luxus, lautitiæ:) verum, inquam, & totale jejunium eſt quædam quaſi heroica temperantia, ad quam naturæ Lex non obligat. Nam hæc præcipit quidem actiones omnium virtutum: Sed non omnes omnium, ſive omnes, quæ à virtute proficiſci poſſunt. Secus eſt de præceptis negativis: prohibet enim Lex naturæ non omnium tantùm vitiorum actus, ſed omnes omnium. Videatur Doctrina Civilis C. Horneji l. 4. c. 3. n. 30 pag. 597.

Addamus hanc quoque objectionem: Præceptum Eccleſiaſticum de certis feriis, de jejuniis, obligat in conſcientia. Ergò ejus obſervatio eſt neceſſaria ad ſalutem. Reſp. Obligat non ſimpliciter, ſed ne violetur, cum contemtu Superiorum & ſcandalo proximi. Atque eatenus illius obſervatio eſt neceſſaria ad ſalutem, *negativè.* Abuſus eſt apud II.

apud Pontificios, quod hæc volunt valere positivè & ex opere operato. Id quod non debet admitti. Non enim talis observatio est medium inferens salutem, sed negativè tantùm ad eam facit, removendo contemtum Superiorum & proximi scandalum: cum quo contemtu & scandalo nemo potest salvari. Et propterea etiam illi, qui jejunium ferre non possunt, ita se nihilominùs gerere debent, ne in publico comedant & videantur contemtores sanctionum Ecclesiasticarum, aliosq; scandalizent & ad comedendum unà alliciant. Inoffensè enim versari apud omnes debemus.

Scandalū duplex. Scandalum autem (ut hoc simul addam) duplex est: Datum & acceptum. Scandalum in re aliqua *datum* dicitur, cujus culpa ab autore rei ipsius profecta est, si quid ille importunâ aut levitate aut lascivia aut temeritate, non ordine nec suo loco, admisit, quo imperiti offendantur. Scandalum *acceptum* vocatur, cùm res, alioqui non improbè nec importunè admissa, malevolentia aut sinistra quadam animi malignitate in offensionis occasionem rapitur. Non enim hîc datum erat scandalum: Sed sinistri illi interpretes sine causa accipiunt. Plura in Harmonia Evangelica D. Calixti, & in disputatione de Scandalo à Rev. & Excell. D. König habita videantur.

III. Vna adhuc audiatur objectio. In quibus ritibus non est cedendum adversariis, illi sunt simpliciter necessarii. Atqui in ritibus, quos nostræ Ecclesiæ hactenùs tenuerunt, non est cedendum adversariis, v. g. in exorcismo, imaginibus, cantionibus Latinis, gynæcobaptismo, usu organorum & musicæ figuralis ac similibus. Ergò isti ritus sunt simpliciter necessarii. Resp. Neg. Maj. datâ instantiâ. Quippe Paulus noluit adversariis circumcisionem urgentibus cedere, ut circumcideret Titum, Gal. II, 3. cui Apostolo tamen circumcisio tum temporis habita est, ut res indifferens, 1. Cor. VII, 18. 19. Gal. VI, 15. cujus neq; administratio neq; intermissio simpliciter necessaria esset. Nam *sicut Titum circumcidere noluit*, ne pertinaces Judæorum errores confirmaret, qui circumcisionem tanquam rem ad salutem necessariam urgebant, adeoque insidias struebant libertati Christianæ: *ita Timotheum circumcidi permisit* propter Judæos, & quia pater ejus erat Ethnicus, Act. XVI, 3. non quod vellet blandiri Judæis aut eos in errore fovere, sed ut ministerium Timothei apud Judæos in fide adhuc infirmos esset acceptius, & feliciùs doceret Evangelium, ne propter patrem Ethnicum contemneretur; quandoquidem metus tum non erat, ne periculum crearetur veritati & libertati Christianæ.

Alia, ut ἐν παρόδῳ moneam, fuit ratio Petri, qui & simulatione utebatur & alios ad eandem simulationem adducebat, cogens eos judaizare,

zare, Gal. II, 12. 13. quod erat & libertati Christianæ & veritati Evangelii adversum. Duplex ergò hîc observanda regula. I. *Consilia & fines distinguere actiones*: Idem enim factum fit diversum, quando diverso fit fine. II. *Libertatem Christianam esse charitati subjiciendam*, ut factum est in Timotheo, & I. Cor. IX, 20. ubi dicit Apostolus, *se Judæis factum Judæum*. *Sed rursus charitatem oportet subjici fidei*, ut charitati nihil detur, si doctrina fidei periclitetur; exemplo ejusdem Pauli, qui ubi vidit periclitari veritatem & libertatem Evangelicam, nihil largitus est Judæis, renuens circumcidere Titum. Sed nunc manum de tabula.

Feci, quod potui: potui, quod Christe dedisti:
Sit Tibi in æternum gloria, laus & honor!

TESTIMONIA VETERUM.

ILla, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini passio & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritûs S. anniversaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant sabbatho, alii verò non, alii quotidiè communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbatho & Dominico, alibi Dominico tantùm, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest. Totum hoc genus liberas habet observationes, neq; disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo videt agere Ecclesiam, ad quamcunque fortè devenerit. Quod enim neq;

neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum. *Augustinus ep.* 118. *ad Januarium.*


Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ, in parvulis Evangeliis & in crucis ligno, & istiusmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam, usque hodiè factitant: culicem liquantes & camelum glutientes. *Hieronymus in cap.* 23. *Matth.*

In hac consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affingere, quòd neq; ædes sacras venerationis ad officia construamus — non altaria fabricemus — non aras — quæ quidem nos cessamus non ideò vel exædificare vel facere, tanquam impias geramus & scelerosas mentes. *Arnobius l.* 6. *adversus Gentes.*

Quorsum, inquies, hæc tam longo repetita principio? Videlicet ne quicquam fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti: nec nos idcircò meliores existimes, quòd hujus loci habitaculo fruimur: sed sive hic sive alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum nostrum habere mercedem. *Hieronymus ep. ad Paulinum, de Instiutione Monachi.*

Non solùm de die paschæ agitur conrroversia, sed & de ipsa specie jejuniorum. Quidam enim putant, uno tantùm die observari debere jejunium, alii duobus, alii verò pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita ut horas diurnas nocturnasque computantes diem statuant. Quæ varietas observantiæ non nunc primùm, neque nostris temporibus cœpit, sed multo ante nos, ex illis (ut opinor) qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidére. Et tamen nihilominùs omnes isti etiam cum in observantia variarent, inter semet ipsos & pacifici fuerunt semper nobiscum & sunt: nec dissonantia jejunii, fidei consonantiam rupit. *Irenæus Mart. epist. ad Victorem Ep. Rom. quam refert Eusebius Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 24.

FINIS.




INDEX
LOCORVM THEOLOGICORVM,
Qui in hoc opere tractantur.

NOMINA RESPONDENTIUM,

eo ordine locatorum, quo materias ſeſe invicem excipientes, atq; hîc pariter expreſſas, publicè more Academico defenderunt.

I. M. Joannes Conradus FEUERLEIN, Norimbergenſis, de Scriptura Sacra.
II. Fridericus BADSTUBER, Norimbergenſis, de Deo & Attributis divinis.
III. Wolfgangus MURRER, Norimbergenſis, de Myſterio SS. Trinitatis.
IV. Joannes Ludovicus HEREL, Hersbruccenſis, de Diſtinctione perſonarum divinarum.
V. M. Joannes SCHUBART, Norimbergenſis, de Myſterio Incarnationis.
VI. M. Georgius Sebaſtianus KRAUS, Norimbergenſis, de Communicatione Naturarum & Idiomatum.
VII. Joannes Jacobus WÖRNLEIN, Norimbergenſis, de Creatione.
VIII. Michaël BÖHEIM, Altorfinus, de Providentia.
IX. Erhardus BEZZEL, Norimbergenſis, de Libero Arbitrio & Converſione hominis ad Deum.
X. Cornelius MARCI, Norimbergenſis, de Peccato.
XI. Michaël BECKER, Norimbergenſis, de Lege & Evangelio.
XII. Joannes Andreas BARDT, Ratisbonenſis, de Juſtificatione & Bonis Operibus.
XIII. Georgius BAUER, Norimbergenſis, de Diſcrimine Veteris & Novi Teſtamenti.
XIV. Adamus KENZ, Norimbergenſis, de Eccleſia.
XV. Andreas HOFFMANN, Rodachio-Francus, de Sacramentis in genere.

XVI. Joannes Conradus HAGENDORN, Hersbruccensis,
de Baptismo.

XVII. Nicolaus HEMMERSHEIM, Pastor Altenthannensis & respectivè Vicarius Altorfinus,
de S. Cœna.

XVIII. Daniel TITZMANN, Riga-Livonus,
de Pœnitentia.

XIX. Georgius Andreas RITTER, Heldburgo-Francus,
de Prædestinatione.

XX. Georgius Wolfgangus CARBACH, Norimbergensis,
de Cultu Invocationis.

XXI. Michaël GOECHÆUS, Norimbergensis,
de Magistratibus Civilibus.

XXII. Guilielmus WOLF, Norimbergensis,
de Conjugio.

XXIII. Michaël SCHOBER, Mœnoberna-Francus,
de Libertate Christiana.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ S.
Quæ in hoc libro explicantur.

INDEX RE-





INDEX RERVM,

quæ in hoc libro occurrunt.

cœtui

Lex

Meri-

Status

Sphalmata Typographica, quæ irrepſerunt, ſic corrigantur.

Pag.	Lin.	
6.	5.	*Concluſiones*
12.	20.	*proinde*
27.	30.	*poſſunt*
28.	1.	*ſit*
37.	27.	σύγχρονος
57.	18.	*ſucceſſivè*
60.	3.	*principium*
—	19.	*in*
61.	1.	*aſſignat*
—	7.	*enim*
62.	6.	*ipſa*
63.	28.	*eſt*
64.	8.	*ſtupratam*
65.	4.	*impoſſibilia*
86.	15.	θεία
90.	28.	*articulus*
95.	15.	*communicatorias*
—	30.	*Michaël*
104.	21.	*obſtet*
—	22.	πνεύματι
105.	38.	*creatarum*
108.	10.	*hac*
118.	15.	ὁμόψηφον
122.	19.	Origenes
128.	22.	*perſonis*
133.	2.	*V,2.*
137.	36.	*eſſe*
139.	3.	*non voluntate Patris niſi comitante*
142. in marg.		*ſilentio*
144	37.	*digne*
161.	39.	*conſtituit*
155.	17.	*ex*
165.	12.	*igitur*
—	35.	*voluntatis*
191.	4.	*facta*
—	13.	*prohibet*

Pag.	Lin.	
193.	35.	*Chriſti*
209.	12.	*2. Tim. II, 19.*
220.	32.	*creatis*
231.	27.	*percuſſit*
233.	39.	*hominibus*
259.	8.	*noſtra*
—	12.	ſententia
264.	13.	*cauſam*
282.	9.	*beatitudinis*
283.	13.	*Maſſilienſi*
—	—	Maſſilienſes
303.	26.	*appetitionum*
330.	18.	*ipſe*
311.	22.	*aſſeveratione*
313.	39.	*totius*
314.	26.	*proximam*
325.	15.	*obnoxii*
—	24.	*occidas*
327. in marg.		*damnatur*
331.	4.	*peccatum*
338.	4.	*ſubditis*
339.	18.	*concipienda*
344.	39.	*I. Tim. I.*
351.	19.	*ſpiritui*
354.	26.	*præcepta*
357.	1.	*IV.*
363.	30.	*ſubjectionis*
374.	3.	*articulum*
—	23.	*condemnationem*
375.	15.	*motus*
384.	34.	*juſtificari*
385.	34.	ἀντανάκλασιν
386.	22.	*per conſequens*
388.	35.	*tantùm*
434.	12.	*ſolitudine*
443.	15.	*Numen*
452.	20.	*Judicialibus*

Pag.	Lin.	
455.	30.	*determinationem*
456.	24.	*haberi*
470.	38.	*Lombardo*
477.	12.	*Ministerium*
478.	29.	*Christo*
541.	ult.	*significandam*
550.	22.	*scribebat*
556.	28.	*percipiantur*
557.	8.	*percipiantur*
569.	31.	*specialiora*
573.	12.	*20.*
574.	5.	*Scholasticorum*
577.	12.	*attrito*
578.	23.	*utroq;*
579.	in marg.	*I. Contritio*
582.	2.3	*extraordinarium*
584.	17.	*dictum*
606.	21.	dilecti
611.	1.	*nostratium*
620.	20.	*VIII.*
623.	36.	*solidè*
626.	5.	*sociabitur*
631.	25.	*Deut. VI, 13.*
639.	in marg.	*ritibus*
642.	22.	παράδοσις
647.	5.	*I.*
660.	3.	*conjugia*
688.	18.	Institut.
—	19.	*controv.*

